

SACRA MORALIS DOCTRINA DE STATV SVPERNATVRALI HVMANAE NATVRAE.

Cum Theologia procedat ex reuelatis, & plura ſint reuelata, quæ pertinent ad ſtatum ſupernaturalem creaturæ intellectualis, ideo pertinet ad ipſam hunc ſtatum conſiderare tamquam quoddam proprium obiectum; vnde conſurgit etiam ſpecialis pars Theologiæ conſiderans hoc ſpeciale obiectum, cuius pars materialis eſt ipſa natura intellectualis capax talis ſtatus; pars autem formalis eſt ipſa forma, qua conſtituitur talis ſtatus; Quia autem talis ſtatus reperitur in natura humana ſecundum ſpeciales conditiones, ideo agemus de hoc, vt ſpeciali modo reperitur in tali natura.

DE DIVERSIS STATIBVS NATVRAE HVMANAE.

DISPVTATIO PRIMA.

Quotuplex ſit ſtatus humanæ naturæ.

SECTIO I.

1 DICO primo. *Status humanæ naturæ diuiditur primo In ſtatum viæ, & in ſtatum termini.* Ratio eſt, quia humana natura eſt capax finis extrinſecus aduenientis, cum non poſſit ipſa ſibi ſufficere, alioquin eſſet Deus. Ergo poteſt tendere in finem, atque adeo eſt mobilis reſpectu ipſius: Vel ergo eſt tendentia ad finem, & conſurgit ſtatus viæ; vel compleuit tendentiam, & conſurgit ſtatus termini.

2 Dico ſecundò. *Status viæ de facto fuit triplex conſiderando diuinam ordinationem circa genus humanum.* Probatur: De facto homo fuit creatus in gratia cum plena ſubiectione appetitus ad rationem, cum ea conditione, quod, ſi perſeueraret, omnes poſteri naſcerentur in eodem ſtatu, vt deſumitur ex Concilio Arauſicano *can.* 19. & ex Tridentino *ſeſſ.* 5. *canon.* 1. & 2. ergo adfuit ſtatus gratiæ, & iuſtitiæ originalis. Rurſus peccauit, vt habetur Geneſis 3. & ſibi, & nobis perdidit illum ſtatum, vt *ibid.* & definitur in eodem Trident. *ſeſſ.* 5. *in decreto de peccato originali can.* 3. & habetur Ad Romanos 5. vnde conſurgit ſtatus naturæ lapſæ. Denique homo lapſus eſt reparatus per Chriſtum, & conſurgit ſtatus naturæ reparatæ: per quid autē iſti ſtatus conſtituantur, dicetur infra.

3 Dico tertiò. *De poſſibili poterant dari etiam ſtatus naturæ puræ tàm integræ, quam non integræ.* Ratio eſt quia poterat Deus creare hominem abſque gratia, vt infra oſtendetur. Rurſus poterat creare vel cum plena ſubiectione naturali appetitus ad rationem, & tunc fuiſſet pura natura integra, vel abſq; tali perfecta ſubiectione, abſq; tamen peccato, & tunc fuiſſet natura non integra, quæ omnia infra confirmabuntur.

4 Dico quartò. *Status termini poteſt tantum eſſe duplex, nempe beatitudinis, & Pœnæ.* Probatur: Vel homo acquirit terminum, qui ipſi præfixus eſt, & qui ſtante inſtitutione diuina eſt terminus per ſe. Vel non. Si primum. Conſurgit ſtatus beatitudinis, ad quem eſt ordinatus. Si ſecundum ergo cum non poſſit decidere à tali termino, niſi ratione peccati finalis, conſurget ſtatus

pœnæ,& damnationis, qui non est status per se intentus, sed occasionatus ratione peccati.

An sit possibilis status puræ naturæ absque subiectione appetitus ad rationem.

SECTIO II.

5 STatus puræ naturæ intellectualis nunquam extitit neque in Angelis,qui creati sunt in gratia, vt docent communiter Patres,præsertim Diuus Aug. *duodecimo de Ciuit.c.9.* Neque etiam in homine, nam etiam primi parentes tamquam ordinati ad beatitudinem supernaturalem creati fuerunt in gratia, vt deſumitur ex Trid. *ſeſſ.5. in decreto de peccato originali*, & docent communiter cum D.Th.1.*p.q.95. ar.1.* & D.August. *cap.10. de Correptione,& gratia*, vnde cum non potuerit transire à statu gratiæ ad statum puræ naturæ,sed solum ad statum culpæ,quia Deus non aufert gratiam nisi ratione peccati, nam non deserit, nisi prius deseratur, vt passim habetur ex scriptura, ideo talis status nunquam extitit.

6 Prima sententia est affir.docens quod homo potuerit creari,& semper conseruari in tali statu. Ita Suar. proleg. 4.de gratia cap.1.n.16. qui citat nonnullos Thomistas, præsertim Caietanum, qui tamen hoc non affirmat, sed tantum mentionem facit de statu puræ naturæ. Probat. Quod Deus non potuerit ab initio creare hominem talẽ, qualis nunc nascitur,est propositio Michaelis Baij damnata à Pio V. & Gregorio XIII. ergo potuit creari in puris naturalibus. Secundò. Deus ratione suæ omnipotentiæ potest facere quidquid non implicat,non implicat autem talis status naturæ,cum de facto sit, licet coniunctus cum gratia, à qua tamen separari potest, cum ab ipsa distinguatur. Tertio. Potuit Deus ordinare hominem ad solum finem naturalem,nempe ad beatitudinẽ naturalem, cũ nulla appareat necessitas ordinandi ad finem supernaturalem, cum non sit debitus,siquidem *Gratia Dei vita æterna*, vt habetur ad Romanos 5. ergo

7 Secunda sententia est negatiua. Ita Doctores Louanienses qui volunt non esse possibilem statum puræ naturæ cum rebellione appetitus, & alij Recentiores.

8 Dico primò.*Potuit creari à Deo status puræ naturæ humanæ absque vllo dono supernaturali, & absque perfecta subiectione appetitus ad rationem, cum mortalitate,& cæteris conditionibus,quæ nunc consequuntur naturam.* Prob. Natura humana de facto secũdum totum suum esse est effectus Dei, & talis nascitur ex positiuo decreto diuinæ voluntatis, & includit statum naturæ cum prædictis conditionibus,ergo potuit etiam creari secundum talem statum. Conseq. probatur: Quia de facto fit actione diuersa ab ea, qua sanctificatur, & ideo sunt actiones separabiles,& nullus adest defectus,præter peccatum,qui non possit tribui Deo. Confirmatur. Ideo non posset produci talis status, quia appetitus non haberet perfectam subiectionem ad rationem,sed hoc non obstat,ergo. Min. prob. quod appetitus non habeat plenam subiectionem non est malum culpæ, quod non possit esse à Deo saltem indirectę,vt de facto fuit, quando in pœnam peccati abstulit talem subiectionem in primis parentibus. ergo

9 Dices; Deus non potest producere habitus vitiosos, quia inclinant ad malum,ergo nec etiam naturam cum appetitu absque plena subiectione ad rationem, quia sic inclinat ad malum. Resp. negando conseq. Quia appetitus de se in actu primo non inclinat ad malum, sed est indifferens,nam potest ferri in bonum sensibile secundum regulam rationis,& tunc inclinat ad bonum, vel deficiendo à ratione,& tunc inclinat ad malum: Deus autem nõ creat naturam cum actu appetitus,sed cum sola potentia, habitus autem vitiosus etiam in actu primo est inclinatio ad malum.

10 Instabis ex Diuo Augustino *li.6. contra Iulianum*, c.8. vbi docet,quod sit iniquitas,quod inferiora superioribus reluctentur,etiamsi non vincãt. Resp. Loqui de actu appetitus sensitiui insurgentis contra rationem, qui est iniquitas inchoatiuè,quatenus inclinat ad malum, hic autem non est positus à Deo in natura,à quo tantum est posita potentia,

11 Dices Secundò. Deus esset iniustus, quia subijceret naturam humanam tot pęnalitatibus absque eius culpa. Resp. negando sequellam,quia tunc pœnæ non essent verè pœnæ,sed defectus humanæ naturæ radicatæ in eius defectibilitate;nunc autem sunt pœnæ,quia sunt contra statum institutum ab initio,& inflictæ ob peccatum. Instabis ex Concilio Arausicano *canone* 2. Vbi decernitur, quod tribuitur Deo iniustitia, si dicatur per vnum hominem intrasse mortem in omnes, & non peccatum, quia mors vt pœna non potest esse sine culpa. Resp. Concilium loqui ex suppositione status Innocentię,cui mors erat indebita, & ideo non potuit induci nisi vt pœna ex præsupposito peccato; in statu autem puræ naturæ non fuisset indebita, & ideo non fuisset pęna.

12 Dices tertiò. Deus esset crudelis, qui induceret animã in corpus,vbi sustineret tot miserias, vt arguit Aug. contra Manicheos *in libris contra Fortunatum*. Resp. negando sequelam. Nam D.Aug.arguit ad hominem, volebant enim Manichei,quod Deus animas bonas immitteret in corpus tanquam in aliquod proueniens à Deo malo, vt hoc pacto temperaret malum, vnde arguit Aug. si Deus non potuit superare malum alio modo, fuit impotens, si verò potuit, & tamen reliquit animas bonas in ipso malo, fuit crudelis.

13 Dices 4 Diuus Aug. *lib.22. de Ciuit. c. 13. 14. & 22.* & *lib.4. contra Iulianum capit. 26.* & *alibi.* docet, Deum non potuisse subijcere hominem absque iniustitia illis miserijs, quibus nunc subest, si nõ haberet peccatum originale,ergo nõ potuisset creare hominem in statu puræ naturæ cum rebellione appetitus, &c. Resp. negando consequentiam. Quia Diuus Aug. colligit peccatum originale ex cumulo omnium miseriarũ, in quibus sunt plures, quæ non consequuntur defectibilitatem naturæ, sed sunt inflictę à Deo in pęnam peccati, vt obtusitas ingenij,fatuitas,vexatio à dæmone,& aliæ huiusmodi,vt docet *lib.3.contra Iulianum c.5.* Deinde loquitur ex suppositione status Innocentiæ,nam cum habeamus ex scriptura hominem fuisse creatum sine vlla miseria, non potuit miserijs subijci absque culpa.

14 Dico secundò. *Status puræ naturæ, licet potuerit creari à Deo absque subiectione appetitus ad rationem, non tamen potuit creari cum omnibus miserijs, cum quibus nunc est,sed solũ cum ijs defectibus, qui consequuntur vt naturales ipsam naturam.* Prob. Plures miserię modo proueniunt ab extrinseco,vt cęcitas,surditas,obtusitas ingenij,& aliæ huiusmodi ita ordinantæ diuina prouidẽtia, sed tunc non potuissent esse à diuina prouidentia, ergo. Min. prob. Quia hæ miseriæ affligunt, & sunt contra naturale desiderium beatitudinis, Deus autem non potest affligere absque culpa, alioquin esset iniustus: nam constitueret inæqualitatem, nempe afflictionem contra ius creaturæ,vt arguit D. Augustinus contra Pelagianos *li.3. contra Iulianum c.4.* vbi ait. *Quis autem non videat, si habeant paruuli,qualem prædicas innocentiam, in graui iugo eorum Dei non esse iustitiam.*

15 Dico tertiò. *Si Deus creasset hominem in statu puræ naturæ absque plena subiectione appetitus ad rationem, non potuisset ipsum relinquere in tali statu, sed debuisset eleuari ad statum supernaturalem, ita tamen, vt hoc debitum non fundetur in exigentia intrinseca naturæ humanæ,sed in exigentia æternæ legis, secundum quã Deus tenetur operari.* Prob. Deus non potest non ordinare omnia ad se ipsum secundũ ipsorũ capacitatẽ, ergo tenetur ex vi legis ęternę ordinare hominem ad se ipsum secundũ ipsius capacitatem,ergo non potest relinquere in statu puræ naturæ. Antecedens probatur: Quia cum sit vltimus finis, & non possit non ordinatè velle, debet velle omnia in ordine

dine ad se ipsum, atque adeo cum illo ordine, cum quo ordinari possit: vnde prouerbiorum 5. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*. Conseq. vltima prob. Quia humana natura ex intrinsecis suis principijs est capax beatitudinis, vnde Aug. 13. *de Ciuit. c.* 8. ait *Quomodo erit vera illa tam perfecta, tam examinata, tam eliquata, tam certa sententia, Beatos esse omnes homines velle*: & infra docet, quod natura ad hoc compellit, ergo mediāte beatitudine debet ordinari ad vltimum finem, ergo debet eleuari de statu puræ naturæ, nā quamdiù est in ipso, est misera. Tū quia est subiecta passionibus corporis, & animę, Tum quia est mortalis, & absq; immortalitate non potest haberi beatitudo, vt docet Aug. *loco citato*.

16 Dices sufficere beatitudinem naturalem. Contra, In illo statu neque posset haberi beatitudo naturalis, quia esset status defectibilis, & absque illis bonis, quorum est capax, atque adeo esset inquieta.

17 Ad Primum respondet Vasq. 1. 2. *disp.* 190. *n.* 18. Propositiones illas Michaelis Baij fuisse damnatas ob acres censuras, quas imponebat sententijs oppositis; deinde illa propositio. *Non potuit natura humana ab initio creari, sicuti modo est*, fuit damnata quatenus videbatur ponere necessitatem creandi hominem in gratia, nos autem dicimus potuisse creari absq; gratia, licet postea debuerit eleuari ad statum supernaturalem. Ad secundum: status puræ naturæ non implicat absolute; implicat tamen quod semper sic permaneat, quia implicat quod Deus perducat nō ipsum ad suū finē. Ad tertiū negatur assumptū, quia beatitudo naturalis nec sufficit, nec est possibilis in illo statu.

18 Obijc. Licet humana natura habeat capacitatem, & potentiam obedientialē ad vnionem hypostaticam, nō tamen tenetur Deus etiam ex vi legis æternę ipsi communicare talem, ergo nec tenebitur promouere naturā humanā ad finē supernaturalē, licet sit capax ipsius. Resp. neg. conseq. Nā natura humana non habet naturalem capacitatem vnionis hypostaticæ. Capacitas autem beatitudinis supernaturalis est ipsi naturalis: nam non conuenit ipsi quatenus creatura est, sicut conuenit potentia obediētialis, sed quatenus intellectualis est, & ratione suæ speciei. Deinde necessitas promouendi ipsā ad finem supernaturalem non prouenit ex capacitate ipsius; sed ex ipsa ratione finis, quia finis exigit quod omnia ordinentur ad se ipsum secundum eorumdē capacitatē. Vnde cū Deus fecerit hominē secūdū propriā naturā capacē finis supernaturalis, cōsurgit exigentia eiusdem finis exigētis hominē ordinari ad seipsū.

19 Quęres quomodo possit Deus creare hominē in pura natura cum rebellione appetitus. Resp. potuisse creare, si creasset cum illo modo cognoscēdi, quem modo habet. Cum enim cognitio oriatur à sensibus, ex quorū impressione etiā intellectus primò cognoscit, sequitur quod appetitus præueniat rationem; non quia præueniat intellectum, nam antequam appetitus sensitiuus exeat in actum, prius natura operatur intellectus, & etiam voluntas, siquidem cum appetitus sensitiuus sit subordinatus voluntati, non solum dependet à cognitione sensitiua in sua operatione, sed etiam à voluntate ratione talis subordinationis; & ideo non potest operari, nisi operante voluntate. Sed quia præuenit illam cognitionem intellectiuam, quæ est naturalia ad operandum libero modo, & per quam intellectus se eleuat supra impressionem sensuum; & relicta cognitione, quam habet ex determinatione sensuum, ex se ipso rationali modo iudicat de obiecto.

An repugnantia appetitus ad rationem oriatur ex intrinsecis principijs humanę naturę.

SECTIO III.

20 PRima sententia negat, repugnantiam appetitus ad rationem, atque adeo concupiscentiam sequi ex intrinsecis principijs naturę. Ita quidam Recent. Probant. Si sequeretur ab intrinsecis principijs, esset bona, quia esset à Deo vt conditore naturæ, non est autem bona, quia pugnat contra rationem, et actus ipsius non est aliud, quā desiderium malum, quod non potest esse bonū, vt passim docet Aug. *contra Iulianum præsertim li.* 4. Secundò: motus concupiscentię sunt turpes, & illiciti, vt docet Aug. 4. *contra Iulianum c.* 2. ergo non possunt habere Deum auctorem, haberent autem, si rebellio appetitus sequeretur ex intrinsecis principijs naturæ, quia sicut Deus est principium naturæ, ita etiam motuum naturalium ipsius. Tertiò. Si concupiscētia inesset naturæ, aut ab ipsa proflueret, quando caro insurgit contra spiritum, esset motus naturalis, atque adeo bonus, quia natura bona non potest naturaliter declinare in malum, cum malum sit contra naturam, si autem esset bonus, possemus ipsi consentire absque peccato, vt arguit Aug. 4. *contra Iulianum cap.* 14.

21 Secunda sententia asserit conuenire naturæ ex intrinsecis suis principijs Ita D. Th. 1. *p. q.* 95. *art.* 1. *in corpore*. Sotus *li.* 1. *de natura, & gratia c.* 11. §. *Et in primis* Driedo *lib.* 1. *de gratia, & libero arbitrio cap.* 3. *p.* 4. Ruardus Tapperius *in defensione articuli secundi propositione* 3. Suar. *proleg.* 4. *de gratia cap.* 2. *num.* 10.

22 Dico primò. *Ex intrinsecis principijs naturę humanæ sequitur, quod appetitus posit insurgere contra rationem*. Prob. Humana natura constat ex anima, & corpore, itaut anima sequatur bonum rationale, & honestum, corpus vero per appetitum sensitiuum bonum delectabile, quod est contra rationem; ideo autem prosequitur, quia naturali modo ab ipso attrahitur, & sic attractus se subtrahit regimini rationis, ergo. Confirm. In mixtis ideo est pugna, quia constāt ex elementis, quæ habēt virtutes cōtrarias: & talis pugna sequitur ex intrinseca eorū natura, ergo etiam in homine, quia natura habet virtutes contrarias, nempe appetitum sensitiuum, & rationalem.

23 Dico secundò. *Rebellio appetitus contra rationem non est à Deo, atque adeo nec motus appetitus sensitiui, secūdum quod carent debita subordinatione ad rationem, sed solum ipsa potentia, quæ potest rebellari, quia est defectibilis*. Prob. Rebellio appetitus consistit in eo, quod secundum suos motus non seruet debitam subordinationē ad rationem, & ideo potest non seruare, quia potest deficere, ergo licet appetitus, & natura sint à Deo, nō est tamē rebellio contra rationem, quia defectus creaturæ non sunt à Deo, vt constat in peccato, cum non sit aliqua participatio boni, sed negatio illius.

24 Dices. Appetitus potens deficere est à Deo; & potest deficere quia est determinatus ad bonum sensibile vt sic, ergo erit etiam à Deo, quod deficiat. Resp. negando conseq. Quia deficere non est aliquid positiuum, quod directè debeat prouenire ab aliqua causa; sed est negatio debiti ordinis proueniens ex eo, quod appetitus in sua operatione non seruat propriam mensuram, & ideo non seruat, quia habet connexam defectibilitatem, sic liberum arbitrium est à Deo, & ex natura sua potest deficere, nec tamen defectus ipsius tribuitur Deo.

25 Dico tertiò. *Rebellio appetitus ad rationem non est connaturalis naturæ humanæ, est tamen naturalis, quatenus naturali modo prouenit ab ipsa natura deficiente*. Prob. Quod est contra inclinationem naturæ, non est cōnaturale, talis autem rebellio est contra inclinationem. Tum quia deficere est cōtra natulem appetitum. Tum quia natura humana habet naturalem appetitum ad bonum, atque adeo ad omne bonum, talis autem rebellio est malum contrarium huic inclinationi. Secūda pars probatur. Deficere est naturale rei defectibili; sic mors est naturalis homini, quia est mortalis, hæc autem rebellio comparatur ad naturam vt defectus ad defectibile.

26 Ad primū negatur sequella. Quia nō omne, quod sequitur ex intrinsecis principijs est bonū, nā etiā peccatū sequitur ex intrinsecis principijs liberi arbitrij: sed solum valet de eo, quod consequitur, vt aliquid positiuum, non autem de eo, quod sequitur, vt defectus, Diuus autem Augustin. loquitur de motibus concupiscentiæ, quatenus

dicunt defectum debitæ subiectionis ad rationē. Ad secūdum. Motus concupiscentiæ esse turpes ratione defectus; secundum hanc rationem autem non sunt à Deo, quia sunt ab appetitu deficiente, vt constat ex dictis. Ad tertium distinguitur sequela. Esset motus naturalis intra ordinem perfectionis, & nego, Intra ordinem defectus, & concedo; vnde non sequitur, quod sint boni, quia solum motus naturalis intra ordinem perfectionis est bonus,

An sit possibilis status puræ naturæ integræ cum perfecta subiectione appetitus ad rationem in ordine naturali,

SECTIO IV.

27 PRima sententia est negatiua. Ita Suarez *proleg. 4. de gratia c. 2. n. 10. & sequentibus.* Asserens requiri aliquod donum supernaturale. Probat. De facto in primis parentibus talis subiectio fuit ex dono gratiæ, vt docet D. Aug. 4. *contra Iulianum c. vlt.* ergo non est possibilis intra ordinem naturalem; nā si esset possibilis, fuisset in primis parentibus, qui habuerunt naturam cū omni perfectione naturali. Secundò. Potentiæ, & inclinationes, ex quibus oritur repugnantia inter rationem, & appetitū, sunt homini naturales, ergo etiam repugnantia, sicut est connaturalis lassitudo in motu progressiuo, ergo oppositū non potest esse intra ordinem naturæ. Tertiò Appetitus sensitiuus est naturale agens, & naturaliter immutatur ab obiectis, quæ non possunt impediri, ne cadant sub sensu; & ex natura sua præuenit rationem, cū naturale sit homini incipere cognitionem à sensu, ergo non potest dare impedimentum, quod naturaliter impediat hanc præuentionē, & consequenter motus appetitus. Quartò. Si perfecta subiectio esset naturalis, natura humana nunc esset mōstruosa, quia careret aliqua perfectione naturali.

Secunda sententia est affirm. Ita nonnulli Recentiores.

28 Dicendum est. *Subiectionem perfectam appetitus sensitiui ad rationem posse esse intra purum ordinē naturalem absq; vllo dono gratiæ supernaturalis, atque adeo possibilem esse integritatem naturæ in ordine naturali.* Prob. Pars rationalis potest habere perfectum dominium supra partem sensitiuam intra ordinem naturalē, ergo pars sensitiua potest esse perfectè subiecta rationali, ita vt nō moueatur, nisi consentiente parte rationali. Ant. prob. De facto præcisa gratia homo habet aliquid dominium supra partē sensitiuā, iuxta illud Genes. 3. *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, & experiētia patet, ergo est possibilis etiam perfectū dominium, quia quando aliquid est possibile in aliquo ordine, est etiam possibile in eodē ordine cū omni sua perfectione; nā imperfectio est carētia alicuius perfectionis in eodē ordine. Conseq. principalis prob. Vbi est perfectū dominium, ibi etiā est perfecta subiectio, vt constat in potentia locomotiua, quæ, quia est sub perfecto dominio voluntatis, mouet, & cessat à motu ad nutū ipsius. Confir. Corpus Beatorum erit immortale vt docet D. Th. *3. p. q. 82. supplementi ar. 1. in corpore*, & impassibile, quia erit perfectè subiectum animæ rationali, & ideo non poterit esse in ipso aliqua mutatio contra dispositionem, qua perficitur ab anima, quia est impossibile, quod aliquid dominetur supra patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formæ propriæ supra materiam patientis, ergo etiam pars rationalis potest habere dominium ita perfectum supra partem sensitiuam, vt sensitiua non moueatur, nisi secundum exigentiam rationis, ergo tunc erit perfectè subiecta, ita vt nullum extrinsecum obiectum possit ipsam mouere sine conformitate ad rationem.

29 Dices. Hoc perfectum dominium non esse debitum naturæ humanæ, & ideo non posse haberi, nisi ex gratia. Contra. Est debitū aliquod dominium, imo necessarium, alioquin homo non posset refrenare appetitum, vt honestè viueret, ergo licet non sit debitū perfectum dominiū, quatenus ex eo, quod aliquid sit debitum, non est tamen debita omnis perfectio ipsius; non tamen sequitur, quod non sit in ordine naturali, & quod (si adsit) non sit connaturale; Sic ingenium non est vnicuique debitum secundum omnem perfectionem, non tamen fit, quod si concedatur, non sit in ordine naturali,

30 Ad primum. Quidquid sit de antecedenti, negatur conseq. Nā si fuit supernaturalis in primis parētibus, ideo fuit, quia sunt constituti in statu supernaturali, & ideo subiectio, vt esset conformis statui, fuit supernaturalis, sic nec etiam fuit cum omni perfectione naturali quoad esse, & potentias operatiuas. Ad secundum distinguitur consequens. Repugnantia est naturalis in ratione defectus, non autem in ratione perfectionis, quia autem in eo ordine, in quo est defectus, est etiam possibilis perfectio opposita, ideo in ordine naturali est possibilis perfecta subiectio. Ad tertium. Appetitum sensitiuū esse naturale agens, sed subordinatum rationi, & ideo ratione perfecti dominij partis superioris potest impediri, ne immutetur ab obiectis aliter, quam deceat, præsertim quia non mouetur, nisi cū dependentia à voluntate, & in tantum insurgit contra rationem, in quātum ex imperfectione cognitionis trahitur etiam voluntas ab obiecto. Ad quartum negatur sequella. Quia monstruositas consistit in excessu, aut defectu partiū integralium, in homine autem nullus est excessus, aut defectus secundum substantiam, aut facultates, sed tantum dimminutio subiectionis partis inferioris ad superiorem.

An homo creatus in statu puræ naturæ integræ potuerit semper relinqui in illo statu,

SECTIO V.

31 PRima sententia est affirmatiua. Ita illi, qui putāt, posse relinqui etiam in statu puræ naturæ non integræ, quos retrahimus in superioribus. Probant. Quia status supernaturalis est status gratiæ, ergo non est debitus, & ideo potest non conferri.

Secunda sententia est negatiua. Ita Doctores plures Louanienses, & alij Recentiores,

32 Dicendum est. Deum non posse relinquere naturam humanam perpetuo in statu puræ naturæ integræ, sed debere eleuare ad statum supernaturalem. Prob. Natura humana est ita creata à Deo, vt ex intrinseco suo sit capax Beatitudinis, quam respiciat vt vltimum finem, ergo non potest relinqui à Deo sine beatitudine, & absque vltimo fine ipsius, ergo non potest relinqui in statu naturali, sed debet eleuari ad statum supernaturalem, & ad claram visionem Dei. Anteced. patet. Quia beatitudo est propria creaturæ intellectualis, & est de fide, alioquin non posset natura humana beatificari. Cōseq. prima prob. Tum quia Deus creando naturam capacem beatitudinis, implicitè etiam voluit finem ipsius, nempe beatificationē, alioquin frustra posuisset in ipsa talem capacitatem; vnde cum non possit esse sibi contrarius, debet ponere finem in executione, Tum quia cum omnia agat propter se ipsum vt finē itaut non possit aliter agere, tenetur necessario ponere in rebus illum ordinem, quoad ipsum ex natura sua ordinari possint. Secunda conseq. prob. Natura intellectualis non potest esse beata, nisi per adeptionem summi boni. Tum quia de fide est hominē non esse beatū, nisi per visionem, & fruitionem Dei. Tum quia cum voluntas habeat pro obiecto bonum vt sic, atque adeo appetat omne bonum, non potest satiari per bonum finitum, sed requirit infinitum, vnde Augustin. *capitul. 7. de natura boni.* ait *In rebus Deo factis tam magnum bonum est natura rationalis, vt nullum sit bonum, quo beata sit, nisi Deus*, & *li. 12. de Ciu. Dei c. 2.* Magna *sunt mutabilia bona, quæ adhærere possunt, vt beata sit immutabili bono, quod vsque adeo bonum est eorum, vt sine illo miserā esse necesse sit.*

33 Secundò. Prob. Est contra Dei prouidentiam, quod creatura intellectualis sit perpetuò misera, ergo est contra prouidentiā illam relinquere in statu naturali. Ant. patet. Quia pertinet ad Dei prouidentiam, ita omnia dirigere in suos

suos fines, vt congruo modo se habeant, atque adeo debet ordinare creaturam intellectualem ad suum finem, vt bene se habeat, & non sit misera, vnde Aug. lib. 1. *Operis imperfecti*. ait. *neque enim sub Deo iusto miser esse quisquã, nisi mereatur, potest*. Conseq. prob. Quia si relinqueretur in statu puræ naturæ, non haberet beatitudinem, atq. adeo esset misera, quia inter beatitudinem, & miseriam non datur medium: nam beatitudo dicit statum perfectum cum cumulo omnium bonorum: miseria vero dicit priuationem boni, vnde Aug. 9. de Ciuit. c. 12. *Quorum ratio mẽtibus inest, aut miseros, aut beatos esse, necesse est*.

34 Dices sufficere beatitudinem naturalem, quę dicat cumulum omnium virtutum cum amore Dei super omnia vt Primæ causæ. Contra. Hæc omnia, etiã si possent haberi naturaliter, non dicerent summum bonum, atq. adeo non satiarent adęquatè appetitum hominis, ergo nõ sufficerẽt. Vnde Aug. *ep.* 52. ait Nec *virtus nobis erit, nisi adsit ipse, quo iuuemur, nec beatitudo, nisi adsit ipse quo fruamur*. Secũdò. Nõ potest quis esse beatus, nisi sit firmatus in cognitione Dei, & in amore boni, vt nõ possit errare, aut deficere: alioquin nõ excluderetur timor erroris, aut defectus atq. adeo non adesset beatitudo: hęc autẽ firmitas non potest haberi nisi per visionẽ claram Dei, et fruitionẽ ipsius, ergo. Min. prob. Quia omnes alię cognitiones, & amores sunt de obiecto finito, nec attingunt omnem rationem veri, & boni, & ideo ex propositione nouæ veritatis, aut bonitatis potest deficere prior cognitio, & amor. ergò

35 Dices secundò. Posse Deum creare humanam naturã in tali statu, & permittere quod omnes peccent, & sic nullũ beare. Contra. Quia adhuc nõ relinqueretur in statu puræ naturæ, sed poneretur in statu pœnæ, & æternę miserię. Secundò. Esset contra bonitatem diuinam permittere, quod nullus homo assequatur propriũ finem, & etiam cõtra prouidentiam, & Deus videretur crudelis.

36 Ad Fundamentum appositæ sententiæ distinguitur assumptũ. Status supernaturalis non est debitus ab intrinseco, hoc est ratione intrinsecæ exigentiæ naturæ intellectualis; est tamen debitus ab extrinseco, hoc est ratione æternæ legis præscribentis hanc coniunctionem, ne sequatur aliquid inconueniens in Dei prouidentia, & in ordine rerum ad finem. Vnde adhuc est gratuitus, quia est supra exigentiam naturæ, & exclusis meritis præcedentibus.

Quid dicat status Innocentiæ, seu originalis iustitia.

SECTIO VI.

37 INnocentia sumitur dupliciter, vt docet Henricus *quodlib. 6. q. 11.* Primo pro sola carẽtia culpę, vnde homo creatus à Deo esset innocẽs, etiamsi crearetur in pura natura. Secundò sumitur pro Innocentia stabili, & propria ex vi status, ita vt ipsum consequatur, & sit incõpossibilis cum culpa, & per hanc constituitur status Innocentiæ; nam est de ratione status, vt dicat aliquid firmum, & stabile; & hæc fuit concessa primis parentibus, quam, si conseruassent, transmisissent ad posteros.

38 Dico primò. *Status Innocentiæ, & originalis iustitiæ importat immunitatem à morte*. Ita D. Aug. *ep.* 105. & 106. D. Th. 1. *p. q. 97. ar.* 1. & est de fide contra Pelagianos asserentes, quod primi parentes mortui fuissent, siue peccassent, siue non peccassent. Prob. Sapientię primo. Deus mortem non fecit. Ad Romanos 5. & 1. ad Corinth. 15. dicitur mortem intrasse in mundum per peccatum, & Genesis 2. Deus est comminatus mortem primis parentibus, si fuissent inobedientes.

39 Dico secundò. *Hic status fuit immunis à dolore, tristitia, & cæteris passionibus*. Ita D. Aug. *citatus*, & *lib. 4. de Genes. ad litteram c. 19.* D. Th. 1. *p. q. 95. ar.* 2. Prob. Corpus erat sub perfecto dominio animæ, & omnes motus naturales in corpore erant ordinati secundum exigentiam rationis, ergo non poterat pati aliquas perturbationes, quia passio non infertur, nisi vincatur dominium supra dispositionem materiæ, & deordinetur constitutio connaturalis.

40 Dico tertiò. Status innocentiæ dicit statum naturæ integræ, seu perfectam subiectionem appetitus ad rationẽ. Ita communiter cum D. Th. 1. 2. *q.* 109. *ar.* 2. Prob. Talis status fuit perfectus nõ solum quoad esse naturæ, sed etiã quoad gratiã, ergo debuit includere etiã hãc perfectionẽ.

41 Dico quartò. *Status Innocentiæ erat immunis ab ignorantia, & difficultate ad bene operandum*. Ita D. Th. 1. *p. q. 94. ar. 3. & 4.* & communiter cum D. Aug. *lib. 3. de libero arbitrio c. 8.* Debet autem intelligi de ignorantia prauę dispositionis, quia licet in Adam fuerit scientia infusa, non tamen fuisset in cæteris, vnde debuissent illam acquirere. Prob. Natura in illo statu erat perfecta quoad esse naturale, ergo debuit excludere omnes imperfectiones, qualis est ignorantia, & difficultas ad benè operãdũ.

42 Dico quintò. *Status Innocentiæ non fuit immunis ab errore practico, & deceptione in ordine ad agendũ*. Prob. Eua de facto fuit seducta à serpente, vt habetur 1. ad Tim. 2. & ex seductione peccauit. ergo

Respondet D. Th. Prius peccasse per internam elatiotionem, & amorem propriæ potestatis, & per quamdam superbam præsumptionem de se ipsa. Contra. Ideo voluntas elata est, quia sibi complacuit de propria dignitate aliter, ac debuit, ergo cum complacentia sequatur sensum intellectus, debuit intellectus de ipsa sentire aliter, ac debuit, in quo consistit error, ac deceptio.

43 Dico sextò. *Status Innocentiæ erat futurus immunis à peccato veniali*. Ita D. Th. 1. 2. *q.* 89. *art.* 3. Caiet. *ibid.* Suarez *prolog. 4. de gratia c. 3. n. 4.* cum D. Aug. 14. *de Ciuit. Dei c.* 10. Prob. In illo statu ratio erat subdita Deo perfectè, atq; adeo omnia fiebant ex motione vltimi finis, ergo omnia erant ordinata ad ipsum, ergo non habebat locum peccatum veniale. Conseq. vltima prob. quia eo ipso, quod omnia sunt ex motione finis, sunt bene ordinata; peccatum autem veniale non habet hunc ordinem.

44 Dico septimò. *Status Innocentiæ, & originalis iustitia includit etiam gratiam sanctificantem, et cætera dona supernaturalia*. Ita D. Th. 1. *p. q. 95. ar.* 1. Caiet. *ibidem* Sotus *lib. 1. de natura, & gratia c. 5. & 6.* & alij. Prob. Ecclesiastici 70. Deus fecit hominem rectum, ergo cum gratia sanctificãte. Conseq. Prob. quia rectitudo facit animã perfectè subiectam Deo, & benè ordinatam ad ipsum vt vltimum finem; talis autem subiectio, & ordo non potest saluari sine gratia, sine qua homo non est ordinatus, sed solum capax ordinis.

45 Dico octauò. Status originalis iustitiæ de suo formali non solum dicit carentiam culpæ, sed etiam gratiam sanctificantem, cętera vero vt aliquid connexum, et vt priuilegiũ talis status. Ita D. Th. 1. 2. *q.* 109. *ar.* 2. & alij cõtra Suarez *proleg. 4. de gratia c. 3. n. 2. & 9.* Prob. Status originalis iustitiæ est ille formaliter, in quo fuit constituta humana natura in sua prima institutione, & qui erat trãsferendus ad posteros, si fuisset conseruatus à primis parentibus. Sed hic status includit formaliter gratiam, ergo. Min. prob. Natura humana in sua prima creatione fuit instituta propter finem supernaturalem, & posita in tali statu, vt ad ipsam ex vi status se posset promouere; hoc autẽ fieri non potuit, nisi ratione status habuerit gratiam.

46 Dices. Statum originalis iustitię non dicere ordinem ad finem supernaturalem. Contra status dicit illum ordinem, qui est ad finem pręscriptum statui, sed statui iustitiæ originalis fuit præfixus finis supernaturalis. ergo

47 Obijcies. In Beata Virgine fuit perfecta subiectio appetitus ad rationem, & gratia, & tamen non fuit in ipsa originalis iustitia, quia licet fuerit immunis à peccato, nõ tamen à debito contrahendi peccatum, ergo. Resp. distinguo Antecedens. Non fuit in ipsa originalis iustitia formali modo, quia non fuit debito ex vi suæ originis, fuit tamen materiali modo ex priuilegio, non habuit tamen omnia priuilegia iustitiæ originalis, quia non fuit immunis à pœnalitatibus.

An in statu Innocentiæ subiectio appetitus ad rationem fuerit naturalis, an verò supernaturalis.

SECTIO VII.

48 Communiter docent, fuisse donum supernaturale. Ita D. Th. 1. p. q. 95. art. 1. & 1. 2. q. 85. art. 6. & alibi. Scot. in 2. dist. 29. §. Ad 1. arg. Durandus dist. 20. quæst. 5. Capreolus dist. 20. q. 1. artic. 2. Gab. ibidem. Suarez Prolog. 4. de gratia cap. 2. n.... & alij. Probant Ex Patribus Chrysostomo homil. 15. in Genesim, vbi hanc subiectionem vocat cæleste donum. Cyrillo lib. 1. in Ioannem cap. 9. & Aug. 4. contra Iulianum cap. vlt. vocant gratiam. Secundò. In vigesimaseptima propositione Michaelis Baij damnata à Pio V. & Greg. XIII. habetur, quod integritas primæ creationis nō fuit debita humanæ naturę exaltatio, sed naturalis eius conditio, ergo. Tertiò. Concupiscentia est naturalis appetitui sensitiuo, atque adeo etiam repugnantia cum ratione, ergo subiectio est supernaturalis. Quartò si non esset supernaturalis, non fuisset ammissa per peccatum, quia peccatum non destruit naturalia, vt constat in Angelis, & docet D. Dyonisius cap. 4. de diuinis nominibus. Quintò. Rebellio appetitus fuit pęna peccati Deo deserente, vt ait Augustinus 4. contra Iulianum cap. 13. ergo per subtractionem gratiæ.

49 Dico primò. *Subiectio perfecta appetitus ad rationem in primis parentibus ante peccatum in nullo alio consistebat quam in perfecto dominio rationis supra appetitum, ita vt non possit moueri, nisi mouente ratione.* Probatur. Illa subiectio, quæ modo est in appetitu, habetur ratione dominij, ergo perfecta subiectio in primis parentibus fuit ratione perfecti dominij. Conseq. probatur: Quia præsens subiectio est eiusdem rationis cum illa priori, & solum differunt secundum perfectum, & imperfectum, ergo prouenit ex eadem causa. Confirmatur. Ad rationem pertinet regere totum hominem, ergo illi conuenit dominium cum regimen fundetur in virtute dominatiua, ergo quia in statu Innocentiæ debebat regere perfecto modo, erat necessarium perfectum dominium, cui correspondere plena subiectio.

50 Dico secundò. *Hoc perfectum dominium non fluit ab intrinseco naturæ, & in hoc sensu non fuit connaturale.* Prob. si flueret, conueniret etiam modo, quia natura per peccatum non est priuata suis intrinsecis proprietatibus, ergo cum non conueniat, neque etiam fluit.

51 Dico tertiò. *Perfectum dominium esse connaturale humanæ naturæ, & licet non sit ipsi debitum vt necessarium, est tamen secundum naturalem exigentiam.* Probatur: Natura humana habet naturalem inclinationem ad beatitudinem, atque adeo ad honestę viuendum; & exigit se promouere ad ipsam, quantum potest, ergo habet naturalem inclinationem ad perfectum dominium, quia inclinatio naturalis ad honestę operandum, est etiam inclinatio ad continendum appetitum sub regula rationis. Cōfirmatur. Dominium imperfectum est secundum naturalem inclinationem naturę, ergo etiam perfectum, quia quando aliquid est alicui conueniens secundum inclinationem, etiam omnis gradus perfectionis est secundum eamdem inclinationem.

52 Dico quartò. *Dominium perfectum est à Deo vt conditore naturæ, potest tamen dici gratia, quatenus non tenetur ex vi creationis dare tale dominiū cum tota perfectione necessaria ad perfectam subiectionem.* Prob. ex vi creationis non tenetur Deus tribuere homini, nisi tale dominium supra appetitum, quod sufficiat ad saluandam libertatem, & ad ipsum cohibendum; ad hoc autem non requiritur perfectum dominium. ergo

53 Ad primum Resp. Patres esse intelligendos, vt nimirum talis subiectio sit gratia, non in ordine supernaturali; sed naturali, quia nō tribuitur tāquā necessariū ex vi creationis; sic etiam diuitiæ sanitas, & alia huiusmodi bona dicūtur gratiæ diuinitus cōcessę. Ad secundū. Propositionē Michaelis Baij quia poterat facere sensū, quod tota integritas ex gratia, & donis supernaturalibus fuisset debita, sicuti etiā dixerat in propositione 23. Vnde Pontifex se declarat quod aliquæ ex illis propositionibus poterāt habere bonū sensum. Ad tertium dist. Anteced. Repugnantia appetitus est naturalis per modum defectus; non autem per modum perfectionis, vnde subiectio est connaturalis per modum perfectionis. Ad quartum. Per peccatum non esse ammissa naturalia, quæ fluunt à natura, vt sunt facultates, & virtutes naturales; dominium autem perfectum non fluit, sed fuit à Deo tributum; vnde potuit à Deo auferri in pęnam peccati. Ad quintum rebellionem fuisse pęnam peccati Deo deserente, quia fuit consequutiuè ad subtractionem gratiæ, non autem formaliter.

An iustitia originalis, & gratia sanctificans sint vna, & eadem forma.

SECTIO VIII.

54 Prima sententia est affirmatiua. Ita Scot. lib. 1. de gratia, & libero arbitrio c. 5. Prob. Gratia primorum parentum fuit robustior, quam nostra, ergo potuit subijcere appetitum rationi.

55 Secunda sententia est negatiua. Ita Diuus Thomas 1. p. q. 100. art. 1. ad 2. & 1. 2. quæst. 109. art. 2. Caiet. 1. p. quæst. 95. art. 1. Suarez prolog. 4. de gratia cap. 1.

56 Dicendum est. *Gratiam sanctificantem non tribuere naturæ integritatem, atq; adeo statum originalis iustitiæ non consistere in bona, & eadem forma.* Prob. Gratia sanctificans de facto non tribuit perfectam subiectionem appetitus ad rationem, ergo talis subiectio non est effectus gratiæ, nam si esset, non posset separari.

57 Dices esse effectum secundarium. Contra Gratia de facto existit in anima modo sibi connaturali, nec habet, à quo impediatur, & cum tribuatur ad eleuandū hominem ad statum supernaturalem, debet conferre omnes suos effectus cōnaturales, cum sint debiti tali statui, ergo si esset effectus secundarius, adhuc conueniret homini.

58 Dices secundò. Esse effectum in genere causę efficiētis. Contra. Quia non apparet, quid producat gratia in ordine ad hāc subiectionem, deinde adhuc talis subiectio esset à forma distincta, nempe ab effectu gratiæ.

59 Dicendum secundò. *Subiectionem appetitus ad rationem in statu originalis iustitiæ fuisse dependentem à gratia tamquam à fundamento non ex natura rei, sed ab extrinseca ordinatione Dei.* Prob. Talis subiectio fuit cōcessa conditionali modo, vt nimirum tamdiù duraret, quamdiù homo maneret subiectus Deo, ergo fuit cum dependentia à gratia sanctificante, per quam conseruabatur debita subiectio ad Deum. Ad Fundamentum in oppositum negatur assumptum.

Qualis sit status naturæ lapsæ.

SECTIO IX.

60 Loquimur de natura lapsa, prout de facto fuit, nimirum delapsa à statu gratiæ, ac statu originalis iustitiæ; potest autem lapsus humanæ naturę considerari dupliciter. Primò vt est lapsus personæ particularis, & hoc modo non constituit statum, quia non est quid cōmune; nec etiam particulare quia talis persona potest resurgere à peccato, & ideo peccatum non est aliquid perpetuum. Secundò modo prout est lapsus communis totius naturę, & hoc modo constituitur status, quia habetur aliquid perpetuum; quia autem peccatum est particulare cuiuscunque personæ, & peccatum vnius non est peccatum alterius, ideo requiritur ad constituendum statum peccati, quod ab vno transfundatur in omnes, vt est peccatum originale,

originale, quod à primis parentibus tamquam à capite transfusum est in omnes tanquam in membra, & proinde dicimur omnes natura filij iræ. Hinc constat peccatum originale esse formam, per quam constituitur status naturæ lapsæ.

61 Dico primò. *Status naturæ lapsæ importat spoliationem omnium donorum supernaturalium, etiam fidei in posteris Adæ, tamquam in pœnam peccati.* Est de fide definitum in Concilio Mileuitano, Arausicano, & Tridentino *sess. 5. in decreto de peccato originali*, & traditur à Diu. Aug. 13. *de Ciuitate c. 13. & 14.* & passim *in libris contra Pelagian.* Prob. Status supernaturalis fuit concessus à Deo sub hac conditione, quod esset ammittendus etiam pro posteris, si Adam peccasset, & conseruandus si non peccaret, ergo

62 Dico secundò. *Status naturæ lapsæ importat etiã ablationem perfectæ subiectionis appetitus ad rationẽ, atque adeò rebellionem tanquam pœnam peccati.* Ita D. Aug. *de correptione, & gratia cap. 11.* & alibi passim D. Tho. 1. *par. qu. 100. art. 1. & 2.* Est de fide, prob. ad Romanos 7. *Video aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*; & rursus. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Ratio est. Quia perfecta subiectio fuit homini concessa ad conseruandam subiectionem mentis respectu Dei; ergo hac deficiente, debuit etiam auferri subiectio appetitus.

63 Obijcies. Non statim, ac Eua peccauit, sentit rebellionem appetitus, ergo non statim fuit ablata subiectio: ergo non fuit pœna peccati. Resp. cum Caietan. 1. par. qu. 95. art. 1. dist. conseq. Non fuit pœna peccati Euæ tantum, sed etiam peccati Adæ, & ideo non fuit ablata, nisi peccante etiam Adamo.

64 Dico tertiò. *Status naturæ lapsæ inuoluit omnes miserias tam animæ, quàm corporis tanquam pœnam peccati.* Prob. ex illo Genesis 3. *Quacunque hora comederis, morte morieris: In sudore vultus tui comedes panem tuum; Terra proferet tibi tribulos: In dolore paries*, &c. Rursus primi parentes ante peccatum non sciebant malum, & ideo serpens dixit: *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum*: ergo miseriæ consequutæ sunt in pœnam peccati.

65 Obijcies. Plures miseriæ sunt naturales, ergo non sunt pœna peccati. Respondetur, esse naturales respectu naturæ constitutæ in statu præsenti, non autem respectu naturæ constitutæ in statu innocentiæ, quia tunc erat constituta cum alia dispositione.

An homo in statu naturæ lapsæ habeat liberum arbitrium cum sua libertate naturali.

SECTIO X.

66 Negant hæretici nostri temporis, præsertim Caluinistæ, & Luterani asserentes, per peccatum esse amissam libertatem naturalem, quia potentiæ omnes ita intrinsecè mutatæ sunt, vt nec benè, nec liberè operari possint: vel, vt volebat Caluinus, quia Deus non concurrit ad liberè operandum, sed ita impellit ad singulos actus, vt inferat necessitatem.

67 Dicendum est. *Hominem in statu naturæ lapsæ habere liberum arbitrium cum sua libertate naturali ad benè, & malè operandum.* Est de fide definitum in Cõcilio Constantiensi *sess. 8.* & in Tridentino *sess. 6. can. 4. & 5.* Probatur Ecclesiast. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Hieremiæ 32. *Indurastis cor vestrum, & noluistis obedire.* Iosuè 24. *Optio datur, eligite hodie, quod placet.* Ratio est. Quia liberum arbitrium aut est idem cum natura rationali, aut fluit ab ipsa vt potentia propria, ergo non potest destrui per peccatum, cum neque sit destructa natura. Confirmatur. Deus non impedit vsum rationis, quia implicat, quod alicui tribuat vitam, & non sinat viuere illa vita: ergo eo ipso quod tribuit vitam rationalem, debet sinere viuere rationali modo, atque adeo cum libertate.

68 Obijc. Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es Domine*, ergo nos non operamur liberè. Respondetur negando consequentiã. Quia Deus operatur opera nostra simul cum nobis seruato modo proprio operandi nostræ voluntatis: & eodem modo intelligenda sunt alia hujusmodi loca Scripturæ.

69 Obijc. secundò. Voluntas nostra mouetur à Deo, prout ipsi libuerit. Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illum*, ergo. Respondet. Voluntas mouetur à Deo mediante persuasione interna, quæ relinquit libertatem, & ideo adhuc voluntas se ipsam mouet, & determinat.

70 Obijc. 3. Consilia nostra non sunt in potestate nostra, Hierem. 10. *Scio Domine quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Prouerb. 16. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere greßus eius.* Ergo non habemus libertatẽ. Respondetur. Non esse in potestate nostra quoad exequutionem, quia exequutio dependet à pluribus, quæ nõ sunt in potestate nostra, quæ disponuntur per Dei prouidentiam; secus autem si loquamur quoad deliberationem, deinde si loquamur de operibus supernaturalibus, dependent specialiter à Deo, quia indigemus pro illis auxilio gratiæ.

71 Ob. 4. PP. docent, hominẽ per peccatũ perdidisse liberũ arbitrium. Ita Aug. *de natura, & gratia cap. 65.* & 14. *de Ciuitate cap. 11.* & *cap. 36. Enchiridij*, vbi habet. *Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum.* Resp. Liberum arbitrium ammissum fuisse, quò ad libertatem à seruitute, non autem quoad libertatem naturalem, nam homo factus est seruus peccati, & ideò indiget gratia ad hoc, vt liberetur, & possit operari bonum; vnde Aug. 14. *de Ciuitate cap. 11.* ait. *Arbitrium voluntatis tuæ est verè liberum, quando vitijs, peccatisque non seruit.*

An status naturæ lapsæ seclusa gratia dicat indifferentiam libertatis ad bonum, & malum.

SECTIO XI.

72 Supponendum est, libertatem esse duplicem, aliã physicam, & naturalem, aliam verò moralem, & proximam. Prima dicit, quod voluntas habet suam virtutem dominatiuam supra proprios actus, quæ in ordine ad obiecta indifferentia se possit determinare ad hãc vel illam partem; Moralis verò, & proxima dicit, quod ex parte iudicij practici adsit dictamen rationis, quod vt proxima regula operandi præscribat non solum, quid agendum sit hic, & nunc; sed etiam, quod absolutè sit tali pacto agendum: quia enim libertas fundatur in cognitione, ita etiam libertas proxima moralis fundatur in cognitione dictaminis practici moralis habente vltimam determinationem in suo genere.

73 Supponendum secundò. Certum esse hominem in statu naturæ lapsæ habere indifferentiam physicam libertatis, est enim intrinseca libero arbitrio, ita vt non possit amitti manente libero arbitrio; nam consistit in potestate dominatiua, quæ stante indifferentia obiecti potest se determinare ad vtramque partem; è contra verò, quia indifferentia moralis proxima consistit in iudicio practico præscribente, quid hic, & nunc sit agendum, & quia semper non adest, fit quod talis indifferentia tolli possit, si nimirum non sit in potestate hominis formare sibi tale dictamen.

74 Supponendum tertiò. Dictamen practicum, ratione cuius habetur indifferentia proxima moralis, formari ex prin-

ex principijs vniuersalibus practicis, quorum aliqua sunt naturaliter nota, vt quod *bonum sit sequendum, & malum fugiendum*; ex his autem principijs deducuntur conclusiones, quæ distant in particulari, quid in quocumque casu sit agendum habita ratione circumstantiarum; vnde si quis non posset formare sibi hæc particularia dictamina, nec aliunde subministrarentur, non haberet propriam libertatem moralem indifferentiæ.

75 Supponendum quartò. Hominem ratione peccati originalis esse captiuum peccati, & subijci desiderijs carnis, quæ dominantur, & retinent hominem illaqueatum, vt seruiat peccato. Ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*; Et D. Aug. *lib. 9. de nuptijs cap. 8. Gratia non subueniente, quid sunt homines, nisi quod ait Apostolus Petrus, velut muta animalia procreata naturaliter in captiuitatem, & interitum.*

76 Dico primò. *Natura lapsa habet libertatem cum indifferentia proxima morali ad bonum, & malum in communi, ita vt possit nolle bonum, & velle bonum, & formare huiusmodi propositum in communi.* Desumitur ex illo ad Romanos 7. *Non quod volo bonum, hoc ago.* Et ex Diuo Augustino *lib. 1. Retractationum c. 23.* vbi ait. *Dixi hominem describi adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutum bene facere volentem, sed victũ concupiscentia carnis male facientem.* Probatur. In statu naturæ lapsæ remanent principia practica distantia de operatione in communi. Ergo remanet libertas in ordine ad bonum in communi. Antecedens patet. Quia peccatum non extinxit lumen naturale; hæc autem principia sunt congenita lumini naturali. Consequentia probatur. Hæc principia dictant, quod bonum sit sequendum, quod sit quærenda beatitudo, & quod solum bonum honestum sit verum bonum; ergo ex vi horum principiorũ potest voluntas habere vniuersalem propositum de sequendo bono honesto.

77 Dico secundò. *Natura lapsa, præcisa gratia, non habet libertatem cum indifferentia proxima morali in ordine ad bonum in particulari, sed tantum in ordine ad malum defectu Dei dictaminis, quod hic, & nunc dictet, quod sit honestum, & quod honestè operandum sit*; Hoc autem dictamen defuit, quia desideria appetitus insurgentis contra rationem trahunt ad se affectum voluntatis, & iuditium intellectus, & impediunt, nec formetur verum dictamen. Desumitur ex D. Augnst. lib. 2. ad Bonifacium cap. 15. *Peccato Adæ, & liberum arbitriũ de hominum natura perijsse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis Diabolo, ad benè autem viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratia fuerit liberata*, & lib. 3. *cap. 8. Liberum arbitrium captiuatum non nisi ad peccandum valet, ad iustitiam verò nisi diuinitus liberatum, adiutumque non valet*: & epist. 107. *Responde, quomodo ad declinandũ à malo, & faciendum bonum liberum habeamus arbitrium, quando eramus sub potestate tenebrarum*: & lib. 1. Retractation. cap. 9. *Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratia liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuuetur, rectè, piéque viui à mortalibus non potest.* Et lib. 1. ad Bonifacium c. 3. *Sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideò libera in bonis non est, quia liberata non est.* Et rursus in Enchir. cap. 30. *Sed ista libertas ad benefaciẽdum, vnde erit homini addicto, & vendito, nisi redimat ille, cuius illa vox est. Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis, quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono glorietur opere, qui nondum liber est ad operandum bene.* Et ex Concilio Arausicano cap. 1. Vbi arguit dicentes, libertatem illæsam durare post peccatum Adę. Probatur. Ad Roman. 7. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*: quibus significatur carentia huius proximæ libertatis.

78 Probatur secundò. Non adest libertas moralis proxima, & expedita ad bonum, nisi intellectus possit formare dictamẽ particulare in quocunq; casu, quod sit benè agendum. Sed in natura lapsa seclusa gratia hoc est impossibile, ergo. Minor probatur. Quia in natura lapsa appetitus rebellis trahit voluntatem ad bonum delectabile; & ideò voluntas non mouet intellectum ad examinandum, quid sit honestum, & quid turpe, & proinde etiam intellectus dictat secundum appetitum, ergo non potest formari dictamen præscribens honestam operationem. Confirmatur. Voluntas humana per peccatum primi parentis est auersa à Deo, & conuersa ad se ipsam, & talis auersio est ipsi particularis, & vincente appetitu detinetur sub tali auersione; ergo non habet expeditam libertatem moralem ad benè operandum, quia omnia fiunt secundum mensuram amoris proprij.

79 Dices. Si homo non haberet moralem libertatem expeditam ad bonum, non posset seruare præcepta, ergo iniquè obligaretur, quia obligaretur ad impossibile. Respondetur distinguendo antecedens. Non posset seruare præcepta sine gratia, posset tamen sanatus per gratiam, vnde Tridentinum *sess. 6. cap. 11.* Deus *impossibilia non iubet, sed iubendo mouet, & facere, quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat, vt possis.*

80 Instab. Præcepta naturalia sunt inseparabilia ab homine, nam per lumen naturale ipsi intimantur; sed si non haberet libertatem proximam moralem expeditam, neq; ipsa posset seruare. ergo. Respond. Si non haberet libertatem proximam, nec posset habere, concedo; secus autem si possit: potest autem habere, quia voluntas ex natura sua est determinata ad honestum, & intellectus habet naturale dictamen de sequendo honesto; & ideò potest formare sibi particularia dictamina iuxta naturalem inclinationem voluntatis: quod autem impediatur, ne formet per concupiscentias, & auersionem voluntatis à bono, est pæna peccati: & est quid voluntarium, quatenus voluntas consentit concupiscentijs, quæ impediunt talem formationem.

81 Colligitur. In quo consistat captiuitas hominis in statu naturæ lapsæ; consistit enim in eo, quod appetitus rebellans cõtra rationem ex motione obiectorum extrinsecorum, seu ex tentatione dæmonis, & impulsu ipsius ita subijciat sibi voluntatem iam per peccatum à Deo auersam, & ad amorem proprium conuersam, vt trahat secum, & ita obnubilet intellectum, vt non sequatur verum lumen rationis, sed motus passionum, atque adeò vtraque potentia intellectus, & voluntas veluti ligantur, ne se moueant ad benè operandum.

An ex captiuitate hominis in statu naturæ lapsæ oriatur aliqua necessitas peccandi.

SECTIO XII.

82 Quia Diuus Augustinus docebat gratiam esse necessariam, vt homo abstinere posset à malo, & ad soluendam captiuitatem peccati, ita vt sine gratia liberum arbitrium nihil valeret ad bonum, sed ex necessitate faceret malum. Pelagius obijciebat Augustino, quod ponens necessitatem peccandi, destrueret liberum arbitrium, quia liberum arbitrium est possibilitas admittendi, vel vitandi peccatum absque necessitate, ideò idem Augustinus respondet, liberum arbitrium stare cum hac necessitate ratione peccati primi parentis, per quod ita mancum remansit, vt solum valeat ad malum, non autem ad bonum. Ita lib. 1. Operis imperfecti.

83 Dico primò. *Voluntas humana in statu naturæ lapsæ seclusa gratia habet necessitatem peccandi non physicam, sed moralem ratione captiuitatis, sub qua tenetur.* Ita D. August. *lib. 1. Operis imperfecti*, vbi ait: *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccan-*

peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pænam, quod nulla necessitate commissum est, & infra, *qui autem nesciunt, ipsam bonum appetendi, malique vitandi ignorantiā, patiuntur peccandi necessitatem; necesse est enim, vt peccet, qui nesciendo, quid facere debeat, quod non debeat facere, facit*: & lib. de natura & gratia: *Quod autem ex vitijs naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, & vt eadem necessitas non sit, discat Deo dicere, de necessitatibus meis educ me*; & cap. 3. de perfectione iustitiæ: *Quia verò peccauit voluntas, sequuta est peccatum habendi dura necessitas*. Et D. Th. in 2. scripto, in lib. sent. in 2. dist. 25. quæst. vnic. artic. 3. ad 2. *Liberum arbitrium peccato subiectum non potest se à peccato eximere; neque etiam potest peccatum veniale cauere in generali, quamuis possit in speciali hoc, vel illud cauere. Quod similiter quidam dicunt de peccato mortali, quamuis alijs videatur, quod per liberum arbitrium homo possit cauere, ne incidat in nouum peccatum. Sed prima opinio magis consonat dictis August. Quocumque autem modo dicatur necessitas peccandi, licet non proueniat ex naturali inclinatione, prouenit tamen ex inclinatione fomitis, vel vitiosi habitus*.

Probatur. Potentia inordinata non potest operari nisi inordinatè, si non reordinetur; sed voluntas in statu naturæ lapsæ est potentia inordinata, nec potest se ipsam reordinare, ergo. Maior patet. Quia potentia agit secūdum mensuram, & modum proprium, vnde modus operandi sequitur modum essendi. Sic claudus non potest ambulare, nisi claudicando. Minor probatur. Voluntas per peccatum est deordinata ab vltimo fine, & proinde est conuersa ad amorem proprium, & trahitur à concupiscentia, quæ etiam trahit secum rationem, ergo Voluntas est ordinata tum ratione sui, tum etiam ratione appetitus.

84 Dico secundò. *Hæc necessitas peccandi non prouenit ab intrinseco voluntatis, sed ab extrinseco, & ideò non tollit intrinsecam libertatem.* Probatur. Hæc necessitas prouenit ex concupiscentia, quæ impedit rationem ne dictet secundum exigentiam honestatis, & ex eo, quod voluntas est deordinata ab vltimo fine; ergo non prouenit ab intrinseco voluntatis. Vnde D. Augu. epist. 107. refundit totam hanc necessitatatē in captiuitatē animæ.

85 Dico tertiò. *Hæc necessitas non est quoad exercitiū, sed voluntas remanet libera, vt possit abstinere à quocunque peccato in particulari*. Probatur. Quando voluntas peccat, potest offerri motiuum, quod sufficiat retrahere ab illo peccato, siue sit aliquod bonum, siue aliud malum, ergo non habet necessitatem quoad exercitium, sed libertatem. Antec. patet. Quia stante finitate obiecti, adest motiuum ipsum relinquendi, & semper est annexum eidem obiecto, quia bonum finitum habet semper annexam aliquam rationem mali. Consequentia probatur. Potest intellectus in virtute alius motiui formare dictamen, quo ostendat, non esse sequendum obiectum, ergo cum voluntas possit se auertere à quocunque malo, potest etiam abstinere ab illo.

86 Dico quartò. *Hæc necessitas est in ordine ad malū in communi, ita vt stante captiuitate voluntatis non possit operare, nisi inordinatè, & ideò non possit abstinere ab vno peccato, nisi se deuoluat in aliud.* Ita Diu. August. *lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 26.* vbi ait. *Nonnumquam apertissima vitia alijs vitijs vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes.* Et lib. de continentia cap. 13. *Continendo vel erroribus seruiunt, vel aliquas minores cupiditates ideò vincunt, vt alias expleant, quarum granditate vincuntur*, & pluribus hoc docet *l. 4. contra Iulianum cap. 3.* Probatur. Si intellectus posset dictare secundum exigentiam honestatis, & voluntas operari non vt deordinata, sed secundum rectum dictamen, posset homo reparare sibi in libero arbitrio id, quod spectans ad naturam, perdidit per peccatum primi parentis; hoc autem est contra Concilium Arausicanum, can. 13. Vbi definit, arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, non posse reparari nisi per gratiam. Sequela patet. Nam potest se reordinare, & tribuere libero arbitrio illas vires, quæ ipsi deficiunt ratione praui dictaminis, & prauæ inclinationis.

87 Dico quintò. *Hæc necessitas non est physica, sed moralis, & ex suppositione prauæ inclinationis in volūtate, & ignorantia in intellectu.* Ita D. Aug. *l. 3. de lib. arbitr. cap. 18.* vbi ait: *Qui sciens rectè non facit, amittit scire, quid rectum sit; & qui rectè facere, cum posset noluit, amittit posse, cum velit.* & *lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 22. Hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris, & peruersi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur.* Probatur. Talis necessitas oritur ex deordinatione potentiarum, qua cupiditas præualet contra rationem, ergo est necessitas moralis. Consequentia probatur. Quia cupiditas non mouet voluntatem, nisi mediante ratione, quatenus trahit intellectum ad assensum in obiectum concupitum, & facit, vt formet iuditium suasiuum, quod voluntas sequatur.

88 Obijc. peccatum, vt sit peccatum, & imputabile, debet prouenire ex voluntate libera, ergo excludit necessitatem. Respondet Diuus Augu. lib. 1. Operis imperf. & lib. 1. Retractat. cap. 15. Peccatum, quod solum est peccatum, prouenire a voluntate libera: non autē peccatum, quod non solum est peccatum, sed etiam pæna peccati: hoc enim est necessarium non necessitate physica, quia voluntas habet libertatem intrinsecam: sed necessitate extrinseca proueniēte à coactione cōcupiscētiæ.

89 Obijc. secundò. Fuit damnata propositio Michaelis Baij. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.* Ergo. Resp. fuisse damnatas plures propositiones ipsius, quia, licet possunt habere bonum sensum, poterant tamen habere etiam malum, qualis est ista: Quia, si intelligatur de necessitate intrinseca voluntatis, & quoad exercitium, habet malum sensum: secus autem si intelligatur de necessitate extrinsecæ coactionis, & in statu naturæ lapsæ. Baius autem intelligebat de necessitate physica, nam volebat primos motus esse peccatum.

An in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium sit ab extrinseco debilius, quàm in statu puræ naturæ non integræ.

SECTIO XIII.

90 Prima sententia est negatiua. Ita Suarez *proleg. 4. de gratia cap. 9.* qui citat Diuum Thomam, & alios, qui tamen hoc non docent, sed solum, aut quod per peccatum non sint amissa naturalia, aut quod homo possit per vires naturales cognoscere aliquas veritates. Probat ex patribus, qui eodem modo loquuntur de homine in statu naturæ lapsę, & in statu puræ naturæ; & Proper. *lib. 1. de vocatione gentium, cap. 7.* docet quod aliquis naturali intellectu conatus est vitijs resistere. Secundo. Non potest esse debilitatum per subtractionem prouidentiæ naturalis, quia talis pæna non habetur ex Scriptura, nec ex Patribus, ergo. Confirm. Sequeretur, quod infantes decedentes sine baptismo, cum non participent redemptionem Christi, nullam possent habere cogitationem congruam ad honestè operandum, si negatio ipsius esset pæna peccati originalis.

91 Secunda sententia est affirmatiua, cum qua dicendū est. *Liberum arbitrium ratione peccati originalis habere ab extrinseco specialem difficultatem ad benè operādum, atque adeo debilius esse, quam in pura natura non integra.* Prob. Homo ratione peccati originalis est captiuus diaboli, vt est de fide definitum in Tridentin. sess. 5. in decreto de peccato originali, & non potest liberari ab hac captiuitate, nisi per gratiam, vt definitur sess. 6. cap. 1. ergo. Ratione huius captiuitatis liberum arbitriū

habet ab extrinseco specialem difficultatem ad bonum. Consequentia probatur. Quia Dæmon ratione dominij supra hominem habet speciale ius, & specialem potestatem ad tentandum, & opprimendam voluntatem; vnde August. *lib.3. de libero arbitrio. cap.10.* loquens de hac captiuitate ait; *Libidini subiugauit illos, quos ceperat, vt quidquid inde nasceretur tanquam sui arboris fructus, praua quidem habendi cupiditate; sed non iniquo detinendi iure retineret.*

92 Respondet Suarez. Etiam in pura natura potuisse hominem tentari, quia impedire tentationem pertinet ad prouidentiam supernaturalem. Contra. Etiamsi homo in illo statu fuisset tentatus, non tamen Diabolus habuisset potestatem supra ipsum, nec illud dominium, quod modo habet ratione captiuitatis, per quod dominatiuo modo inducit ad malum, ergo in statu naturæ lapsæ habetur specialis debilitas ab extrinseco ratione talis dominij.

93 Ad primum negatur assumptum. Quia Patres agnoscunt hanc captiuitatem ex speciali dominio Dæmonis ratione peccati; Quod autem, quis conetur naturaliter resistere vitijs, non tollit, quin dæmon habeat speciale dominium; sed solum quod non sit extinctum liberum arbitrium. Ad secundum hanc specialem difficultatem non prouenire ex negatione prouidentię naturalis, sed ex dominio Dæmonis. Ad confirmationem quicquid sit, an infantes mortui sine baptismo possint habere cogitationem honestam, non prouenire, si non possunt habere ex negatione prouidentiæ, sed quia tamquam damnati obdurantur in malo.

An in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium sit ab intrinseco debilius, quam in pura natura non integra.

SECTIO XIV.

94 PRima sententia est negatiua; asserit enim amisisse per peccatum solas vires supernaturales. Ita Caietanus 1.2. *quæst.85. art.3.* Marsilius *in 2. qu.18. ar.1.* Valentia *tom.2. disp.6. punct. 2.* Bellarminus *libr. 1. de gratia primi hominis cap. 5.* Vega *lib. 2. cap. 5.* Suarez *proleg.4. de gratia cap.8.* Vbi alios citat, qui tamen valdè obscurè loquuntur. Probant. Tota mutatio facta per peccatum consistit in amissione gratiæ, non autem alicuius naturalis, vt desumitur ex Concilijs, & PP. Amb. l.2. de Iacobo c.3. August.9. de Genesi ad litteram ca. 10. Chrysostomo homil.7. in Genesi, & alijs, ergo. Secundo. Non possunt vires naturales debilitari, nisi per subtractionem alicuius perfectionis, aut per appositionem alicuius contrarij; in casu autem nostro neutro modo sunt debilitatæ, ergo.

Minor probatur. Quia facultates naturales sunt indiuisibiles, & ideò non possunt minui, nec etiam potest poni aliquid contrarium, quia hoc esset prauus habitus, qui non potest esse à Deo in pænam peccati. Tertiò. Si homo crearetur in natura pura, & peccaret, post peccatum vires naturales non essent debiliores ad operandum naturali modo, ergo nec per peccatum originale, quia solum differt, quod ratione ipsius sunt amissa supernaturalia.

95 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Ariminensis in 2. dist.30. quæst.1. art.2. ad 3. Aluarez lib. 6. de auxilijs, disp.45. & 46. & desumitur etiam ex Diuo Tho. 1. 2. quæst.41. art.3. in corpore, vbi ait, quod ratione peccati originalis omnes vires animæ remanent quodammodo destitutę proprio ordine naturali, quo ordinantur ad honestum: & hinc infert, quod anima remanet vulnerata in naturalibus.

96 Dicendum est. *Liberum arbitrium in natura lapsa esse debilius ratione peccati ab intrinseco suo, quam esset in pura natura.* Desumitur ex Diuo Chrysostomo *hom. 30 ad Populum*, vbi docet, liberum arbitrium esse debilitatum, & imbecille, sicuti remanet infirmus ex præcedenti morbo. Fulgentio *cap. 9. de Incarnat. & gratia*, vbi ait, quod liberum arbitrium non potest facere bonum, quia ita remanet vitiatum, vt indigeat medicamento diuinæ gratiæ. Augustino lib. 2. de libero arbit. cap.18. *In qua pænali ex illius damnati pęna, & mortales, & ignari, & carni subditi nascimur iuxta, quemadmodum dicit Apostolus, fuimus enim & nos naturaliter filij iræ:* hæc autem subiectio ad carnem, & ignauia intrinsecè debilitat liberum arbitrium. Probatur ex Concilio Arausicano can.1. *Si quis per offensam præuaricationis Adæ, non totum, hoc est secundum corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum, sed anima libertate illæsa durante, corpus tantummodo credit coruptioni obnoxium, Pelagij errore deceptus aduersatur scripturæ*, &c. Et ex Trident. sess.5. in decreto de peccato originali. *Si quis non confitetur totum Adam per illam præuaricationis offensam secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.* Ergo per peccatum diminutæ sunt vires liberi arbitrij, alioquin non fuisset secundum animam in deterius commutatum, nec fuisset læsa libertas.

97 Respondet Suarez, fuisse lęsam libertatem, quia voluntas fuit priuata charitate, nam læsio dicitur per cōparationem ad statum innocentię. Contra. Si læsio consisteret in subtractione charitatis, homo non esset in deterius commutatus secundum animam, sed secundum statum, nec esset læsa libertas, quia charitas est intrinseca libertati, quæ consistit in potentia merè naturali.

98 Probatur secundò. Voluntas per peccatum est deordinata ab vltimo fine, & in statu naturæ puræ non integræ non esset deordinata: ergo in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium est diminutum secundum proprias vires. Consequentia probatur. Voluntas auersa à fine non mouetur ab ipso: & ideò non potest se determinare circa media in virtute talis motionis, ergo est debilior in ordine ad bonum, quia talis motio facit, quod naturalis inclinatio ad bonum per modum potētiæ, fiat in actu, voluntas autem habens suam inclinationem in actu est robustior in ordine ad terminum inclinationis. Confirmatur. Intellectus carens principijs non habet sufficientem facultatem ad deducendas conclusiones, quia illas deducit in virtute assensus principiorum, ergo etiam voluntas nō habens motionem vltimi finis, non habet sufficientem facultatem ad eligenda media, atque adeò ad operandum bonum, si quidem eligit, & operatur in virtute talis motionis.

99 Ad primum negatur assumptum. Nam, vt constat ex Concilijs, & Patribus, homo per peccatum non solū amisit supernaturalia, sed etiam debilitatus est in naturalibus. Ad secundum. Vtroque modo debilitatum est liberum arbitrium, nam ex parte intellectus subtracta est scientia practica, & appositus error, & ex parte voluntatis subtractus est debitus ordo, & motio vltimi finis, & apposita mala inclinatio. Ad tertium negatur assumptum. Quia peccatum semper minuit vires ad bonum auertendo voluntatem à Deo, vt docet D. Tho. 1. 2. *q. 85. art.2. in corpore.*

Quodnam sit vulnus, quod per peccatum inflictum est humanæ naturæ.

SECTIO XV.

100 SVpponendum est, naturam humanam per peccatum primi parentis non solum amisisse statum supernaturalem, sed etiam fuisse vulneratam in naturalibus, vt docuit Christus Lucæ 10. in personam illius, qui incidit in latrones, qui non solum spoliatus est, sed etiam vulneratus, & relictus semiuiuus, vt explicat Ambrosius *lib.7. in Lucam*, & Augustin. *de natura, & gratia,*

*tia, cap.*42. & communiter Patres; nam spoliatio pertinet ad dona supernaturalia; vulneratio autem ad ipsam naturam, siquidem non potest intelligi vulnerata per ablationem supernaturalem, quia vulnus lædit proprium esse intrinsecum; ablatio autem eorum, quæ sunt supra exigentiam naturæ, non lædit naturam in esse naturæ.

101 Dico primò. *Hoc vulnus consistit in ablatione subiectionis perfectæ appetitus sensitiui ad rationem*. Ita Diuus Augustinus lib. de perfectione iustitiæ, cap.2. *In tantum enim sana non est, in quantum id, quod faciendũ est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non complet, dum caro concupiscit aduersus spiritum*. Probat. Ablatio perfectæ subiectionis appetitus ad partem rationalem soluit ordinem, qui est secundum naturam inter has partes. Siquidem pars rationalis, vt superior debet imperare; ergo infligit vulnus naturæ, siquidem vulnus fit per solutionem ordinis, qui est inter partes.

102 Dico secundò. Hoc vulnus consistit etiam in eo, quod potentiæ animæ destituantur debito ordine ad bonum honestum, & ad vltimum finem. Ita D. Tho. 1. 2. *quæst.*85. *art.*3. Caietanus, & Medina *ibid.* Aluarez *lib. 6. de auxilijs dis.*46. Hæ autem potentiæ sunt intellectus & voluntas, appetitus irascibilis, & concupiscibilis. Probatur. Per peccatum voluntas est auersa à Deo, atq; adeo à bono honesto, quia cum bonum honestum dicat virtualem ordinem ad vltimum finem, auersio ab vno, est etiam auersio ab alio, & sequitur concupiscentias appetitus, & trahit intellectum, vt distet iuxta desideria appetitus, ergo non retinet ordinem ab bonum honestum.

103 Dico tertiò. *Ex defectu huius ordinis consurgit duplex vulnus. Alterum in intellectu, nempe ignorantia, & alterum in voluntate, nẽpe debilitas ex malitia, seu praua dispositio in ordine ad benè operandum; infirmitas autem irascibilis, & concupiscibilis appetitus reducitur ad vulnus voluntatis ob subordinationem appetitus ad ipsam*. Desumitur ex Diuo Augustino libr. 3. de libero arbitrio cap.18. *Nam sunt re vera omni peccãti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas*; & *lib.*2. *de peccatorum meritis c.*17. docet, quod ignorantia, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendũ opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Probatur. Illa sunt vulnera animæ, quæ lædunt ipsius sanitatem in ordine ad benè operandum; sed hæc sunt tantum duo, ignorantia, & debilitas ex malitia, ergo. Minor probatur. Quia honestum secundum propriam rationem pertinet tantum ad intellectum, & voluntatem, ergo in ordine ad benè operandum vulneratur solum in intellectu, & voluntate: ergo per solam ignorantiam, & debilitatem ex malitia, quia ignorantia soluit ordinem in intellectu ad honestum, malitia autem, seu praua inclinatio in voluntate.

Qualis sit ignorantia, quæ vulnerat naturam lapsam.

SECTIO XVI.

104 Supponendum est. Antequam quicquam fiat libero modo, non solum debere interuenire dictamen practicum dictãs de operatione habita ratione omnium circumstantiarum, sed etiam iuditium approbatiuũ quod approbet orationem faciendam, vel non faciendã: quod nisi interueniat, voluntas manet suspensa, siquidem non habet cognitionem, in cuius virtute se determinet, nam iuditium dictatiuum non præscribit, quod sit absolutè operandum, vel non operandum, sed solum tamquam regula ostendit, quomodo sit operandum, sicut Idea in mente artificis ostendit quomodo arca sit facienda, non autem præscribit, quod fiat. Rursus cum intellectus habeat hinc inde motiua operandi in vtramque partem, & voluntas possit in vtramque partem se determinare, vt dirigit voluntatem ad operationem, debet iudicatiuo modo concludere quodnam motiuum pẽsatis omnibus sit hic, & nunc sequendum, vt in virtute talis iudicij voluntas possit se determinare.

105 Dicendum est. *Ignorantia, quæ vulnerat intellectum est practica non solum secundum iuditiũ practicũ, sed etiam secundum approbatiuum, & conclusiuum.* Ita D. Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap.18. *Sed approbare falsa pro veris non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Et cap. 81. Enchiridij: *Duabus ex causis peccamus, aut non videndo, quid facere debeamus, aut nõ faciendo, quod debere fieri videmus, quorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis.*

Probatur. Illa ignorantia est vulnus naturæ, quæ consequitur deordinationẽ eiusdem naturę: sed hæc est ignorantia secundum iudicium dictatiuum, & approbatiuum conclusiuum, ergo. Minor probatur. Quia vtrumq. iuditium est ordinatiuum creaturæ rationalis ad vltimum finem. Siquidem ostendit, & approbat tendentiam in ipsum, ergo cum ignorantia sequens deordinationem naturæ sit opposita scientiæ ordinatiuæ creaturę ad finem, erit secundum hoc iuditium.

In quo consistat vulnus voluntatis naturæ lapsæ.

SECTIO XVII.

107 Dictum est supra consistere in debilitate, seu infirmitate proueniente ex malitia, nunc difficultas est, in quo consistat hęc malitia.

Dicendum est. *Consistere in exclusione amoris boni honesti proueniente ex eo, quod voluntas est auersa ab vltimo fine, & seruiens appetitui habet amorẽ boni delectabilis, ita vt proposito quocunque obiecto exeat in actum secundum mensuram huius amoris, & ideo caret viribus, quas tribueret amor honesti in vniuersali, secundum cuius mensuram exiret in actum.* Ita D. Aug. *in psalm.*56. vbi ait. *Te solue à peccatis, sed non possum, inquis. Clama adillum, infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Veniet enim gratia Dei, vt delectet te iustitia, sicut delectabat iniquitas.* Et cap.15. de spiritu, & littera. *Spiritus dono fit in nobis, vt non peccare delectet, vbi libertas, sicut præter hunc spiritum peccare delectat, vbi seruitus.* Probatur. Ex eo, quod excluditur à voluntate habitualis amor honesti, non est conuersa ad vltimum finem, & proinde non est sub ipsius motione, sed ratione amoris boni delectabilis est sub ipsius motione, atque adeò sub motione appetitus sensitiui, ergo ex hoc capite est vulnerata, siquidem est solutus ordo debitus, & connaturalis voluntatis ratione cuius debet stare sub motione vltimi finis.

106 Colligitur ex dictis, quod hæc ignorantia non est negatiua, sed positiuus error, si quidem est causa deordinationis operationum, & ideo importat iuditium deordinatum, in cuius virtute voluntas operatur.

Quædam corrolaria ex dictis.

SECTIO XVIII.

108 Ex dictis colligitur. Tres tantum fuisse de facto status naturæ humanæ, nempe supernaturalem innocentiæ, in quo constituti sunt primi parentes cum ordine ad finem supernaturalem, statum naturæ lapsæ, in quo ijdem parentes constituti sunt per peccatum, & transijt ad posteros, & statum naturæ reparatæ, in quo subueniente gratia homo rursus eleuatur ad statum supernaturalem gratiæ. De possibili autem addi possunt duo alij status, nempe purę naturæ non integræ, & purę naturæ integræ.

109 Colligitur secundò. statum naturæ reparatę non se iungi à statu naturæ lapsę, quia reparatio instituta est pro toto genere humano; nam Christus pro omnibus satisfecit, & mortuus est; Inde 2. Corinthiorum 5. *Pro omnibus mortuus est Christus*; & 1. Ioann.2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*: & ideo si aliqui non participant redem-

redemptionem Christi, hoc contingit quia prouidentia non ita diſpoſuit cauſas particulares, vt ad ipſos pertingeret effectus reparationis, quod non tollit, quin pertineat ad ſtatum naturæ reparatæ, ſiquidem etiam pro ipſis instituta eſt reparatio, quatenus reparatio instituta eſt generaliter pro natura humana.

110 Colligitur tertiò. Statum ſupernaturalem gratiæ nō ſolum importare auxilia gratuita ſupernaturalia, ſed etiā gratiam internam ſanctificantem, & eleuantem hominem ad ſtatum ſupernaturalem; auxilia enim non poſſunt conſtituere ſtatum, quia non habent modum eſſendi naturæ; Quia tamen dantur, vt homo ſe promouere poſſit ad ſtatum ſupernaturalem, ideo connaturalia ſunt ſtatui ſupernaturali, & pertinent ad ipſum, vt quid neceſſarium pro aſſequutione finis, qui præfixus eſt ſtatui.

111 Colligitur quartò. Peccatorem poſt Baptiſmum peccantem, licet amittat gratiam, & etiam aliquando fidē per peccatū infidelitatis: adhuc tamen remanere intra ſtatum naturæ reparatæ, quia poteſt recuperare gratiam per media ad hoc instituta; Vndè non fit extra ſtatum, quia neque pro ipſo deſinit institutio, qua eſt deſtinatus ad finem ſupernaturalem.

112 Colligitur quintò. Naturam integram non exigere ſtatum ſupernaturalem, etiamſi illa integritas eſſet ex dono ſupernaturali, vt notat Suarez *proleg.4. de Gratia c.4. num.4.* Quia talis natura etiamſi habeat appetitum perfectè ſubiectum per donum ſupernaturale: adhuc tamen non eſt ordinata ad finem ſupernaturalem, cum tale donum ſolum tollat imperfectionem naturæ, & perficiat ſecundum naturalem inclinationem: ſtatus autem ſupernaturalis non exigitur, niſi ratione finis ſupernaturalis præfixi.

DE PRINCIPIO EFFECTIVO, & conſeruatiuo reparationis naturæ lapſæ, ſeu gratia actuali.

DISPVTATIO II.

1 Tridentinum ſeſſ.6. cap.7. aſſignat cauſas reparationis lapſæ naturæ. Quod nimirum finalis ſit. Gloria Dei, & Christi, & vita æterna. Formalis verò interna iuſtitia ſanctificans. Efficiens verò ipſe Deus. Materialis ipſe homo lapſus, qui reparatur. Quia autē Deus non reparat adultos immediatè, ſed per gratiam actualem eos diſponendo, & per eamdem conſeruat ſtatum reparatum, ideo agēdū eſt de gratia actuali tamquam de principio reparatiuo, nam circa cauſam materialem, & finalem nihil eſt explicandum; efficientia autem Dei in iuſtificando infra explicabitur.

Quid, & quotuplex ſit gratia actualis.

SECTIO I.

2 Gratia actualis eſt illa, quæ datur per modum actus, in quo contradiſtinguitur à gratia habituali; Vnde non habet eſſe permanens, ſed ſtatim tranſit. Tota autem gratia actualis, quæ neceſſaria eſt ad actus ſupernaturales reducitur à Tridentino *ſeſſ. 6. cap.16.* ad antecedentem, Concomitantem, & ſubſequentem; docet enim Christum vt caput in membra, vt vitem in palmites influere hanc triplicem gratiam.

3 Gratia actualis diuiditur primò in excitantē, & adiuuantem, vt deſumitur ex eodem Tridentino *ſeſſ.6. cap.5. & 6.* & D. Auguſtino 2. *de peccatorum meritis capit.* 8. Gratia excitans eſt illa, qua homo excitatur ad bene operandum; adiuuans verò eſt illa, quæ nos adiuuat ad faciendum id, ad quod ſumus excitati.

4 Secundò diuiditur in præuenientem, & ſubſequentem, vt docet D. Thomas 1.2. *quæſt.*111. *artic.*3. & deſumitur paſſim ex D. Auguſtino, & ex Concilio Arauſicano, 2. Præueniens eſt illa, quæ nos primo præuenit in ordine ad opus bonum; Subſequens vero eſt illa, quæ ſubſequitur ad præuenientem: vnde Auguſtinus *cap.*32. *de natura, & gratia. Præuenit, vt ſanemur, ſubſequitur, vt ſanati vegetemur: Præuenit, vt vocemur, ſubſequitur, vt magnificemur: Præuenit, vt piè viuamus, ſubſequitur, vt cum illo ſemper viuamus.*

5 Tertiò, diuiditur in operantem, & cooperantem, vt deſumitur ex Arauſicano 2. *can.*9. Operans eſt illa, quæ facit aliquid independenter à noſtra voluntate; Cooperans vero eſt illa, quæ ſimul nobiſcum operatur: Vnde Arauſicanum citatum. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.*

6 Quartò, diuiditur in ſufficientem, & efficacem: Quid autem vtraque dicat, explicabimus ſuo loco.

7 Dico primò. *Gratia actualis non conſiſtit in vnione Dei cum potentijs.* Probatur: Deus non eſt præſens alicui, niſi aliquid in ipſo operetur, ergo ſi ſpeciali modo eſt præſens animæ, debet aliquod ſpeciale bonum in ipſa operari, ergo gratia conſiſtet in hoc bono.

8 Dico ſecundò. *Gratia actualis conſiſtit in omni eo, quod aliquo pacto impellit, & mouet voluntatem ad bene operandum.* Probatur: Totum hoc eſt aliquid gratuitum à Deo, & non ſe habet per modū actus primi, ſed per modum actualis motionis, ergo eſt gratia actualis.

Quænam ſit gratia excitans.

SECTIO II.

9 Supponendum eſt. Gratiam excitantem eſſe duplicem externam, & internam. Prima eſt illa quæ fit per obiectum extrinſecus propoſitum, vt nimirum ſunt Lex, Conſilia, Admonitiones, exempla, & alia, quæ poſſunt obiectiuè mouere voluntatem, & dicitur externa, nō quia non importet actus internos, ſed quia hi actus ſunt naturales cauſati ab obiectis externis: Interna verò importat aliquid nobis intrinſecum, quod fit ab ipſo Deo intrinſecus operante.

Pelagius admittebat ſolā gratiā externam, quamuis videretur admittere internam dicens, illuminare intellectū, voluntatem ſtupentem ſuſcitare, & alia huiuſmodi, nam loquebatur ſolum de ſuſcitatione, & illuminatione, quæ cauſaretur ab obiectis externis, vt deſumitur ex D. Auguſtino *de gratia Christi cap.* 8. *& ſequentibus*: poſtea vero, cum vidiſſet hoc damnari, admittebat etiam gratiam internam, ſed ſolum adiuuantem, non autem præuenientē.

10 Supponendum ſecundò. Effectum gratiæ excitantis in eo conſiſtere, quod homo applicetur, & attendat ad ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem: vnde eſt quædam pulſatio, qua Deus hominem pulſat, & primò monet iuxta illud Apoc. 3. *Sto ad oſtium, & pulſo*: atque adeo æquiparatur primis motibus, qui conſurgunt in nobis circa naturalia propoſito obiecto.

11 Supponendum tertiò. Gratiam excitantem ſe tenere ex parte intellectus, & voluntatis: vtraque enim potentia concurrit ad actus bonos in ordine ad ſalutem, & ideo debet vtraque excitari, vt inchoare poſſit initium ſalutis.

12 Dico primò. *Gratia excitans eſt illa, qua voluntas ſopita in malo, & auerſa à Deo, primo monetur, & excitatur vt ſurgat à malo, & ſe cōuertat in Deum, vnde eſt in ordine ad primum bonum motum voluntatis, & per ſe reſpicit voluntatē auerſam à Deo.* Deſumitur ex D. Aug. *in Pſal.* 57. *circa fin.* Vbi ait; *Vt audita crederem, ipſe me attraxit, qui in occulto à morte cordis, non quilibet medicus, ſed ipſe excitauit, & concione prima in Pſalm.* 58.

Non ego prior ad te exsurrexi voluntate, sed tu ad me excitandum venisti; & in Psalmum 106. *Vt excitetur ipse ad quęrendam gratiam Dei, vt fiat sollicitus, & tanquam de somno euigilet, nonne manus Dei excitat eum; sed à quo sit excitatus, ignorat.* Probatur. Ideo gratia excitans est talis, quia ita mouet ad bonum, vt participet rationem excitationis respectu hominis, & ideo dicitur excitans relatiuè ad ipsum. Ergo debet supponere hominem auersũ à Deo. Consequentia probatur. Quia datur homini, vt se moueat in ordine ad finem supernaturalem, atque adeo vt excitetur in ordine ad ipsum; si autem homo non esset in peccato, sed bene ordinatus respectu finis, excitatio non haberet locum, quia homo iam esset in via, quæ tenderet ad finem.

13 Dico secundò. *Gratia excitans ita dicitur respectiuè ad hominem dormientem in peccato, vt non habeat locum respectu hominis iustificati, & proinde gratia illa, qua homo iustus primo mouetur ad bene operandum, non habet rationem gratiæ excitantis.* Desumitur ex D. Augustino, quatenus explicat gratiam excitantem semper in ordine ad hominem existentem in peccato, vt constat ex dictis. Probatur. Homo iustus habet in se principia operis boni respectu finis supernaturalis, nempe gratiam habitualem, & Charitatem, quibus est ordinatus ad talem finem, & potest vlterius per ipsa opera se promouere ad ipsum auxiliante Deo. Ergo quando à gratia mouetur, vt operetur, non excitatur, sed potius promouetur, cum iam sit in via ad ipsum finem.

14 Quæres. An quando peccator habet habitum fidei, & spei, mouetur à gratia, & elicit actus horum habitũu, dicatur excitari. Respondetur affirmatiuè. Quia ratione peccati est mortuus, vndè etiam fides ipsius dicitur mortua; & ideo indiget suscitatione in ordine ad opera, quæ conducunt ad vitam, qualia sunt actus fidei, & spei, qui sunt dispositiones ad iustificationem. Vndè Tridentinum *sess. 6. cap.* 14. docet lapsos à gratia iustificationis posse rursus iustificari auxiliante Deo.

In quo consistat gratia excitans.

SECTIO III.

15 Dico primò. *Gratia excitans est actus vitalis intellectus, & voluntatis.* Est contra Aluarez *disp. 74. de Auxilijs.* qui vult, esse quandam motionem Dei præcedentem ad actum vitalem. Probatur Tridentinum *sess. 6. cap.* 5. docet Iustificationem sumere initium à gratia præueniente, hoc est à Dei vocatione. Ergo prima gratia excitãs, à qua incipit iustificatio, est vocatio, vocatio aũt interna, qua homo à Deo vocatur, debet esse actus vitalis, vt possit ab ipso percipi. Cõfirmatur. Vocatio interna est quędam interna locutio, qua Deus hominem loquitur. Ergo est actus vitalis. Confirmatur secundò. Ex eodem Tridentino excitatio consistit in tactu, quo Deus tangit cor hominis per Spiritus sancti inspirationem, & illuminationem; tactus autem illuminans, & inspirans importat actus vitales.

16 Dico secundò. *Hi actus proueniunt à nobis effectiuè, non tamen liberè concurrentibus, sed eo pacto proportionaliter, quo fiunt motus primò primi.* Est cõtra Vegam *lib. 6. in Trident. c.* 8. Probatur. Tum quia sunt actus vitales, & ideo debent esse ab intrinseco principio vitæ; Tum quia anima debet sentire hos motus, quod fieri non potest, nisi circa ipsos vitali modo se habeat.

17 Obijcitur. Ex Arausicano 2. *can.* 20. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo.* Ergo homo non concurrit effectiuè ad hos actus. Respondetur. Concilium intelligere de ijs, quæ non facit homo modo sibi proprio, nempe cum libertate, atque adeo de ijs, quæ ipsi non imputantur. Vndè Diuus Augustinus *cap. 24. de Spiritu, & littera* ait. *Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem*; fiunt autem à Deo, quia ipse applicat intellectum ad hanc, vel illam cogitationem, & facit, quod in voluntate consurgat affectus correspondens; ex quo fit, quod tribuantur Deo iuxta illud Apocalypsis 3. *Sto ad ostium, & pulso.* Instat Aluarez. Concilium intendit etiã damnare dicentes, auxilia gratiæ dependere à natura; dependerent autem, si potentiæ concurrerent effectiuè ad gratiam excitantem. Respondetur. Intendere damnare dicentes, dependere à natura, aut ratione naturalis exigẽtiæ, aut ratione meriti, & occasioni prouenientis ex viribus naturæ; non autem, quod non dependeant ab intellectu, & voluntate vt à Virtutibus, quibus Deus vtitur ad causandos hos motus.

18 Obijcitur secundò. Ex Psalmo 120. *Auxilium meum à Domino.* Ergo non est effectiuè à nobis. Respondetur dici esse à Domino, quia Deus ex libertate sua vtitur nostris potentijs ad causandos hos actus absque nostro concursu libero; Vnde etiam suggestio, quia non fit ex libertate nostra, dicitur esse à demone, licet sit actus vitalis.

Quænam sit gratia adiuuans.

SECTIO IV.

19 Nomine gratię adiuuantis potest intelligi quicquid quocunque modo iuuat voluntatem; ideo in hoc sensu etiam excitans potest dici adiuuans, quia est illa prima, in cuius virtute voluntas operatur. Rursus etiam habitus, quibus eleuantur potentiæ, habent rationem gratiæ adiuuantis, quia subministrant vires; In præsenti autem loquimur de gratia adiuuante actuali, quæ se habet transeunter, & propriè accepta.

20 Dico primò. Gratia adiuuans distinguitur ab excitante. Ita communiter contra Molinam *in Concordia disp.* 36. & Vasquez 1. 2. *disp.* 1. *cap.* 9. Probatur. Tridentinum *sess. 6. cap.* 5. & *can.* 3. ponit has gratias vt distinctas, & etiam Moguntinum *cap.* 7. Ex Diuo Augustino *libr. 2. de peccatorum meritis. cap.* 18. & *lib. 2. contra duas Epistolas Pelagij. cap.* 9. Vbi ait. *Hominis propositum bonum adiuuat quidem gratia subsequens; sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.* Ergo gratia excitans, & adiuuans distinguuntur inter se, cum vna sit post aliam. Confirmatur. Gratia excitans est prima gratia, quæ facit, vt homo attendat ad ea, quæ pertinent ad salutem, gratia autem adiuuans adiuuat voluntatem ad ea, quæ iam homo cogitat in ordine ad salutem.

21 Dices. Sufficere, si distinguantur secundum munera, & effectus. Contra. Gratia adiuuans datur in ordine ad adiuuandam voluntatem. Ergo, ita supponit voluntatem in tali statu, vt possit operari, non potest autem operari, nisi sit excitata.

22 Dico secũdò. *Gratia Adiuuãs est illa, qua voluntas iã inclinata in bonũ ita adiuuatur, vt ipsum perficiat, vndè dicitur in ordine ad voluntatem iam pręparatam ad bonum, & ad ipsum tendentem per suum desiderium.* Desumitur ex Diuo Augustino. *De gratia, & libero arbitrio cap. 20. Qua gratia voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, vt cum bona fuerit adiuuetur*, & Cap. 22. Enchiridij. *Deus voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat pręparatam*, & Sermone 3. de Verbis Apostoli cap. x. *Non sufficit, vt velis, adiuuandus es, vt benè velis, & impleas quod velis*, & semper explicat gratiam adiuuantem in ordine ad voluntatem habentem aliquem bonum actum in ordine ad salutem. Probatur. Adiuuare aliquem dicit intrinsecè ordinem ad conatum illius, qui adiuuatur, siquidem adiuuare est coniungere auxilium cum viribus alterius. Ergo gratia adiuuans intrinsecè respicit voluntatem conantem, & volentem bonum. Ergo supponit voluntatem præparatam ad bonum, & ad ipsum inclinantem.

23 Dico tertiò. *Gratia adiuuans habet locum non solum in excitatis in ordine ad iustificationem, sed etiam in*

iustis in ordine ad bona opera ipsorum, ita vt præter potentias eleuatas per habitus supernaturales, & concursum Dei requiratur etiam gratia adiuuans. Est contra Suarez *lib. 3. de auxilijs cap. 4. num. 6.* Probatur: Trident. *sess. 6. c. 11.* cum definisset, quod obseruantia præceptorum non est impossibilis homini iustificato, subdit, quod Deus. *Iubendo monet, & facere, quod possis, et petere quod non possis, & adiuuat, vt possis,* ergo ad obseruanda mandata præter habitus, & excitationem, est etiam necessaria gratia adiuuans. Confirmatur. Idem Concilium infra subdit, quod qui diligunt Deum possunt cum diuino auxilio seruare sermones ipsius, ergo hoc auxilium est necessarium iustis, vt seruent, siquidem, si sine ipso possent seruare, Concilium non esset loquutum conditionaliter, quod videlicet possint, si accedat diuinum auxilium.

In quo consistat gratia adiuuans.

SECTIO V.

24 DIco primò. *Gratia adiuuans non consistit in supernaturali concursu, quo Deus concurrit simul cum nobis ad actus supernaturales.* Est contra Guriel 1. 2. *quæstion. 111. tractatu de gratia actuali dub. 3. §. 4.* Probatur. Auxilium ex genere suo est in ordine ad operationem, & se tenet ex parte actus primi; concursus autem est ipsa operatio, quia cum ipsa idemtificatur. Confirmatur. Gratia adiuuans facit, vt faciamus iuxta illud, *Faciam vt in præceptis meis ambuletis*, ergo non est ipsum facere. Confirm. Secundò ex Trid. *sess. 6. c. 5.* Voluntas assentitur, & cooperatur liberè gratiæ adiuuanti, atque adeò potest non cooperari; concursui autem non possumus non cooperari, cum sit idem cum nostra operatione.

25 Dices. Posse nos non cooperari, quatenus gratia adiuuans est in ordine ad plures actus, & posito vno, possumus alterum non elicere. Contra. Quia hoc non est posse non cooperari gratiæ, sed tantum posse non ponere actum consequentem. Deinde Concilium docet, quod liberè assentimur tali gratiæ, quod saluari non potest, nisi gratia sit distincta à nostro assensu, & ipsum antecedat; per primum autem actum ipsi assentiremur.

26 Respondet Curiel. Concilium esse intelligendum de gratia in actu primo; non autem in actu secundo, quatenus nobiscum concurrit. Contra. Concilium loquitur de illa gratia, quæ subsequitur ad excitantẽ, & quæ adiuuat, & cui liberè cooperamur: hæc autem est gratia adiuuans in actu secundo, quia hęc sola subsequitur ad excitantem, & ipsi cooperamur.

27 Dico secundò. *Gratia adiuuans consistit in protectione, et directione, protectio autem consistit in eo, quod Deus ita homini assistat, vt auferat, quæ ipsum possunt remouere à consensu per excitationem alicuius cognitionis, & affectionis. Directio vero in eo consistit, quod ita Deus assistat intellectui, & voluntati, vt faciat elicere illos actus, qui sunt præ requisiti ad consensum.* Hoc autem præstat faciendo, quod obiecta, quæ proponuntur per excitationes paulatim illucescant secundum ea, quæ mouere possunt intellectum ad debitum iudicium de prosequendo, & voluntatem ad debitum affectum, quod pręstat vsque ad vltimum iudicium conclusiuum. Probatur: Protectio, & directio habent vim adiuuandi, nam vna tollit impedimentum; altera promouet vim operatiuam, ergo posita potentia in actu primo sufficienter, tale auxilium faciet, vt sequatur actus. Antecedens patet. Quia potentia habet vim pro eliciendo actu, & solum requiritur, quod promoueatur ad operationem, debet autem promoueri modo proportionato: modus autem proportionatus est per occursum obiecti congruentis, nam intellectus est determinatus ad assentiendum veritati, & voluntas ad prosequendam bonitatem.

28 Dico tertiò. *Quando potentiæ non sunt completæ per habitus supernaturales, gratia adiuuans requirit, quod suppleatur concursus habituum.* Probatur: Gratia adiuuans adiuuat potentiam ad operandum; non autem tribuit ipsi vires, quibus operetur, ergo supponit potentiam constitutam in actu primo, ita vt, quantum est ex vi illius, possit operari.

29 Obijcies. Protectio, & directio non est virtus, quam influat Christus, gratia autem adiuuans est virtus, quam influit Christus ex Tridentino, *sess. 6. cap. 16.* ergo Respondetur negando assumptum, nam nomine virtutis intelligitur, quidquid adiuuat potentiam.

30 Dico quartò. Gratia adiuuans est semper necessaria, vt voluntas sequatur gratiam excitantem. Probatur: Ex Concilio Arausicano *canone* 8. Gelasio Papa *epist. 5.* Tridentino, *sess. 6. cap. 16.* & *can. 3.* quatenus semper cum gratia excitante coniungunt adiuuantem tanquam necessariam. Et Ratio est. Quia consensus debet esse liber, ergo debent interuenire omnes illi actus, in quibus fundatur modus liber tendendi; & hi actus debent esse actus gratiæ, atque adeo gratiæ adiuuantis; siquidem ad operandum liberè non sufficit apprehensio obiecti, neq; quæcunque inclinatio voluntatis, in quibus consistit gratia excitans. Hinc Diuus Bernardus de Gratia, & libero arbitrio. *Conatus liberi arbitrij, & cassi sunt, si non adiuuentur, & nulli sunt, si non excitentur.*

31 Obijcies. Potest excitatio esse ita vehemens, vt statim inferat consensum, vt constat in conuersione Pauli Apostoli, ergo. Respondetur negando antecedens. Quia nunquam potest inferri liber consensus, nisi medijs actibus, à quibus essentialiter dependet: vnde etiam in Paulo Apostolo adfuit protectio, & directio diuina, ita vt acciperet illam vocationem eo pacto, quo debebat accipi, quod ex eo patet, quod aliquando alij quoq; vocati sunt per signa, & miracula, & tamen respuerunt vocationem eam aliter accipientes, ac erat accipienda.

Quid sit gratia præueniens, & subsequens.

SECTIO VI.

32 DIco primò. *Gratia præueniens est illa, quæ primo mouet hominem ad cogitandum de bono, & illud desiderandum, atque adeo est gratia incipiens bonum opus in homine.* Desumitur ex Trident. *sess. 6, cap. 5,* dum definit, Iustificationis exordium sumendum esse à gratia præueniente, & ex Diuo August. *epist. 107. ad Vitalem*, vbi ait. *Hæc & alia testimonia diuina ostendunt, Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideũ, & præuenire in hominibus bonarum merita voluntatum*, & lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. *Si enim sine illo nihil possumus facere, profectò nec incipere, nec perficere, quia vt incipiamus dictum est, misericordia eius præueniet me: vt perficiamus dictum est, misericordia eius subsequetur me.* Probatur. Gratia præueniens debet esse talis in ordine gratiæ actualis, sed nisi antecedat omnem bonum motum voluntatis incipiat, non potest esse talis, ergo: minor probatur: Bonus motus voluntatis debet esse ex gratia iuxta illud Apostoli 1. Ad Corinth. 4. *Quid enim habes, quod non accepisti,* ergo si gratia præueniens non antecedit omnem bonum motum voluntatis, non erit præueniens, quia supponet aliam gratiam, ex qua sit bonus motus.

33 Dico secundò. *Gratia præueniens est vniuersalis in ordine ad omnes primas bonas cogitationes, & motus voluntatis, atque adeo non solum habet locum in infidelibus, & peccatoribus, sed etiam in iustis;* vnde licet non distinguatur à gratia excitãte secundũ substantiã, distinguitur tamen ratione subiecti, quia ex se non supponit hominem in peccato; & proindè licet omnis gratia excitans sit etiam pręueniens, non tamen omnis præueniens est excitans. Desumitur ex Cõcilio Arausicano *can. 25.* Vbi definit nullum posse diligere Deum, aut credere in ipsũ, nisi gratia

gratia eum,& misericordia diuina preueniat. Et ex Tridentino *sess.6.cap.6.* Vbi definit Christum iugiter infundere virtutem in iustificatis,quę semper antecedat,& subsequatur, Vndè etiam Diuus Augustinus *cap.31.de natura,& gratia*,ait; *Præuenit vt sanemur,quia, & subsequitur,vt etiam sanati vegetemur, Præuenit, vt vocemur; subsequitur,vt glorificemur. Præuenit, vt piè viuamus, subsequitur,vt cum illo semper viuamus.* Probatur. Homo, licet sit iustus, indiget gratia ad benè operandum vt definit per Cōcilium Arausicanum *can.11.Quoties enim bona agimus,Deus in nobis,atque nobiscū,vt operemur, operatur.* Ergo gratia, quæ primò mouet etiam iustos ad benè operandum, est præueniens, quia cum non possint exire in actum,nisi à gratia moueantur,gratia ista mouens præuenit omnem motum voluntatis in ordine ad bonum.

34 Dices. Supposita in iustis gratia, & Charitate habituali, est illi debita gratia mouens, nam actui primo, est debita motio in ordine ad actum secundum primo talis gratia non est gratia præueniens. Respondetur negando assumptum. Quia actui primo libero est solum debitus concursus in ordine ad actum secundum, non autem aliqua motio, quæ faciat, quod actus primus exeat in operationem, & incipiat ipsam operationem manuducendo voluntatem ad operandum.

35 Dico tertiò. *Nulla Gratia, quæ non sit excitans secundum substantiam, est propriè præueniens.* Est contra Zumel *tom.3.disp.variar. disp.2.dub.2.& concl. 2.* Probatur. Gratia non constituitur in ratione prçuenientis per id, quod antecedat aliam gratiam, sed per id, quod præueniat voluntatem; hoc autem solum habet gratia, quæ secundum substantiam sit excitatio.

36 Obijcit Zumel ex Diuo Augustino *de natura, & gratia,cap.22.* Vbi loquens de gratia ait, quod *præuenit, vt sanemur,subsequitur vt sanati vegetemur: præuenit vt vocemur,subsequitur vt glorificemur,præuenit vt piè viuamus.* Ergo gratia præueniens importat diuersas gratias. Respondetur negando insequentiam. Quia solum colligitur ex Diuo Augustino, quod gratias præueniens detur in ordine ad diuersos actus.

37 Dico Quartò. *Gratia subsequens est illa, quæ supponit gratiam præuenientem,atque adeo etiam bonum motum voluntatis in ordine ad salutem, & promouet vlterius voluntatem in bonum.* Desumitur ex Diuo Augustino locis supra citatis,& *lib.4. ad Bonifacium cap. 6.* Vbi ait. *Vt perficiamus dictum est, misericordia eius subsequetur me.* Et ex Diuo Fulgentio lib.2. de veritate prędestinationis cap.13. *Tunc salubriter discimus, quid facere debeamus, quando nos gratia prçueniens illuminat, vt sanemur, vt quod illa præueniente discimus, eadem subsequente faciamus.* Probatur. Gratia subsequens dicitur relatiuè ad gratiam antecedentem. Ergo in genere gratiæ actualis debet supponere primam gratiā, atque adeo bonū motum voluntatis. Consequentia patet. Quia cum debeat supponere aliquam gratiam, non potest supponere, nisi primam.

38 Colligitur ex his gratiam subsequentem esse eamdem cum adiuuante, & solum differre in denominatione cum denominetur per ordinem ad gratiam antecedentem.

Quid sit Gratia operans, & cooperans.

SECTIO VII.

39 Dico primò. *Gratia operans non consistit in subordinatione potentiarum ad ipsum Deū.* Est contra Curiel *1.2.quæst.111.tract.de gratia actuali.dub.2.§.6.* Probatur. Potentiæ non magis subordinantur Deo in ordine ad actus gratiæ, quam in ordine ad actus naturales. Ergo gratia operans non potest consistere in hac subordinatione. Confirmatur. Hæc subordinatio est essentialis creaturæ; gratia autem operans cōtingenter se habet respectu creaturæ, & est aliquod speciale donum. Ergo.

40 Dico Secundò. *Gratia operans non est illa, quæ datur respectu actus interioris, & cooperās, quæ datur respectu actus exterioris.* Est contra Durandum *in 2. dist. 26. qu. 3.num.4.* Probatur. Solus actus internus, pręcisso externo, est bonus, & meritorius. Ergo respectu ipsius requiritur vtraque gratia, nam ex Concilio Arausicano *can. 9. Quoties bona agimus, Deus nobiscum, atque in nobis, vt operemur, operatur.*

41 Dico tertiò. *Gratia operans non est illa, quæ datur in ordine ad intentionem finis, & cooperans in ordine ad electionem mediorum.* Est contra Caietanum *1.2. quæst. 111.art. 2.* Sotum *secundo de natura, & gratia. cap. 16.* Probatur. Tam intentio, quàm electio est donum Dei. Ergo vtraque dependet tam ex gratia operante, quam ex cooperante cum vtraque gratia ex Concilio *citato* sit necessaria ad singulos actus bonos.

42 Dico quartò. *Gratia operans non est illa, quę tribuit Charitatem imperfectam, cooperans vero, quæ tribuit perfectam.* Est contra Louam *1.2.disp.27.de gratia.* Probatur. Charitas perfecta, & etiam imperfecta sunt actus boni, & supernaturales. Ergo vterque debet dependere tàm à gratia operante, quàm à cooperante.

43 Dico quintò. *Gratia operans est illa, quæ fit in nobis absque nostro concursu libero, & facit, vt velimus ea, quę concernunt ad salutem; atque adeo secundum substantiam est eadem cum gratia excitante, & præueniēte.* Desumitur ex D. Augustino de natura & gratia cap. 17. *Vt ergo velimus, sine nobis operatur; cum & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur;* & cap.4. de libero arbitrio. *Ipse, vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Probatur. Ideo gratia dicitur operans, quia per se sola operatur, nam vt talis contradistinguitur à cooperante. Ergo debet excludere nostrum concursum liberum, & moralem, nam si antecederet noster concursus, essemus cooperatores.

44 Dico sextò. *Gratia cooperans est illa, quę adiungitur nostro cōcursui morali, quia videlicet pręcedente in nobis Fide, spe desiderio, &c. cooperatur his actibus in ordine ad perducendam voluntatem ad consumationem boni, atque adeo non distinguitur à gratia adiuuante, & subsequente.* Desumitur ex Diuo Augustino *locis citatis.* Probatur. Gratia cooperans supponit gratiam operantem, atque adeo effectum ipsius. Ergo supponit voluntatem præparatam. Ergo supponit concursum voluntatis pręparatę, concursus autem voluntatis præparatę est moralis, nempe desiderium, studium &c. in ordine ad bonum.

45 Dico septimò. *Gratia cooperās nō cōsistit in cōcursu, quo Deus nobiscum concurrit ad operationē.* Probatur. Gratia cooperās non est ipsa operatio bona, sed aliquid, quod est causa illius. Ergo non potest cōsistere in simultaneo cōcursu identificato cum nostra operatione. Antecedēs patet. Quia gratia cooperās datur in ordine ad cooperationē, & mouet voluntatē, vt impleat quod iā desiderat, vnde Conciliū Arausicanū *can. 9. Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur:* operari autē nobiscū, vt operemur, est quid antecedens nostram operationem.

46 Dices. Gratia cooperans est illa, quæ nobiscum operatur; Deus autē per concursum nobiscū operatur. Ergo Respondetur dist. maiorem. Gratia cooperans nobiscum operatur effectiuè, quia videlicet nobiscum efficit operationem, non autem operatur nobiscum formaliter, sicut operatur concursus; quia cum sit idem cum nostra operatione, est cooperatio formaliter.

47 Dices secundò. Nulla gratia pręcedens nostrum cōcursum potest esse cooperans, cum ante ipsum non possit dari nostra cooperatio. Ergo, &c. Respondetur dist. Antecedens, si præcedat omnem nostrum concursum ad quęcunque actū, quo volūtas desideret bonū, conetur &c. concedo, secus autē si supponat, tunc enim gratia est cooperans respectu voluntatis conatus ad bonum, atque adeo

respectu actus voluntatis in ordine ad alium actum.

48 Colligitur ex dictis, quænam sit gratia præparās, est enim illa, quæ ante omnem bonum motum voluntatis tribuitur homini, vt velit, & desideret bonum, atq. adeo constituitur in tali statu, vt sit bene dispositus ad rectè operandum; & ideo non distinguitur à gratia excitante, præueniente, & operante, vnde D. August. *Epist.* 107. *ad Vitalem*, ait. *Hæc et alia testimonia diuina ostendunt, Deū gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, & præuenire in hominibus bonam merita voluntatum, ita vt voluntas per antecedentem gratiam præparetur.*

Hic agendum esset de gratia sufficienti, & efficaci, sed quia obstant Pontificiæ prohibitiones, ideò prætermittuntur tertia, & quarta disputatio, in quibus tota prædicta materia explicabatur.

DE DISPOSITIONE PRO reparatione status superna- turalis.

DISPVTATIO V.

An in iustificatione adulti interueniat actus per modum dispositionis.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Certum esse de fide in paruulis, qui iustificantur per baptismum, non requiri aliquem actū liberum, qui sit dispositio ad recipiendā gratiā, vnde Trid. *sess.* 5. *can.* 13. docet. Paruulos iustificari sine proprio actu credendi, & *sess.* 6. *c.* 5. coarctat dispositiones ad iustificationem adultorum, quia nimirum paruuli non sunt capaces actus liberi.

2 Dicendum est. *Ad iustificationē dari præuiā dispositionem, qua peccator per propriū actum se conuertat in finem supernaturalem.* Est de fide contra Caluinistas, & Lutheranos, qui asserebāt, hominē, dum se præparat ad recipiendā gratiam, peccare mortaliter; Definitur autem in Trid. *sess.* 6. *c.* 5. vbi docet Exordium iustificationis sumi à vocatione, per quā homines à Deo auersi per excitātē, & adiuuātem gratiam disponuntur, & *can.* 3. & 4. definit, hominem aliquid operari, per quod se disponat ad obtinendā gratiam iustificationis. Prob. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiā, vita viuet.* Zach. 1. *Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos.* Apoc. 3. *Si quis mihi aperuerit ianuam, intrabo ad eum.* Ratio est. Quia gratia est quædā participatio diuinæ naturæ, per quā homo trahitur ad amicitiā Dei, ergo sicuti est auersus à Deo ratione peccati, ita debet per proprium actum ad ipsum redire, vt sit subiectum proportionatum.

3 Dicendum secundò. *Hanc dispositionē includere plures actus*, & de fide ex Trid. *sess* 6. *c.* 5. & *can.* 3. Vbi enumerat actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ. Prob. Nō potest perfectè se cōuertere in Deū, nisi per plures actus, ergo nec etiā se disponere ad gratiā. Antecedens patet. Quia non potest detestari peccatum, nisi amet Deū, nisi credat, nec se conuertere ad finem supernaturalem, nisi speret.

4 Dicendum tertiò. *Dispositionem ad gratiam tunc esse perfectam, quando importat contritionem, & dilectionem Dei super omnia, esse verò imperfectam, quando importat solam attritionem, quæ extra sacramentum non est sufficiens.* Prob. Dilectio super omnia est perfecta conuersio in Deum, ergo perfecta dispositio: e contra vero attritio non est perfecta conuersio, ergo nec perfecta dispositio.

5 Ob. Sequeretur, iustificationem non esse gratuitā, sed ex operibus, ergo. Respondetur. Negando sequelam, quia licet præcedat actus vt dispositio, non est tamen meritorius illius, ita vt iustificatio sit debita, vt explicat Tridēt, *sess.* 6. *c.* 8. Instabis. Scriptura excludit omnem nostrum concursum. Ioannis 7. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Lucæ 14. *Compelle eos intrare, ergo.* Respondetur. Intelligi de attractione, & impulsu, quo voluntas voluntariè attrahitur, & impellitur.

6 Instabis secundò. Concilium Arausicanum *can.* 2. & 3. damnat dicentes: Deum expectare voluntatem nostrā, ergo. Respondetur. Concilium loqui de expectatione in ordine ad primam gratiā per modum auxilij: Quia Deus primò excitat, & huiusmodi prima excitatio non fit intuitu alicuius operationis nostræ, vt volebant Pelagiani.

7 Instabis tertiò. D. August. *cap.* 12. *Enchiridij*, habet. *Si propterea dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia ex vtraque fit, idest voluntatę hominis, & misericordia Dei, cur non e contrario dicitur non miserentis est Dei, sed hominis volentis, quia hic misericordia Dei sola non impletur, quod tamē nullus Christianus dicere auderet.* Respondetur D. Augustinum solum velle, quod nostra iustificatio, etiam vt complectitur dispositiones, non sit ęqualiter ex nostra voluntate, & misericordia Dei: Sed quod misericordia Dei præueniens faciat voluntatem operari in ordine ad iustificationem.

8 Colligitur ex dictis. Quod, licet dispositio incipiat à gratia excitante, vt docet Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5. quæ fit in nobis sine nobis, ipsa tamen dispositio est actus noster liber, vt definit idem Trident. *sess.* 6. *cap.* 4. dum ait, nos liberè cooperari gratiæ excitanti: gratia enim excitans mouet voluntatem, quæ cum gratia adiuuante sequitur excitationem.

An homo per vires naturales possit se disponere ad gratiam, seu iustificationem.

SECTIO II.

9 LOquimur de præparatione ad gratiam iustificantem non solum immediatè, sed etiam mediatè, prout scilicet gratia iustificans includit dispositiones proximas. Semipelagiani enim volebant, hominem per vires liberi arbitrij posse se præparare ad recipiendam gratiā actualem per modum auxilij, qua postea proximè disponeretur ad iustificationem, & in hunc errorem videntur incidisse Durand. *in* 2. *dist.* 28. *qu.* 5. Gabriel *qu.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. & *art.* 3. *du.* 2. Sco. *in* 6. *dist.* 17. *q.* 1. §. *Ad solutionem huius quæstionis.* Dum docent, dilectionem Dei naturalem, & pænitentiam naturalem esse dispositionem ad iustificationem, & alij ex veteribus Scholasticis.

10 Dicendum est. *Hominem per suas vires naturales non posse se præparare ad aliquam gratiam recipiendā.* Est de fide definitum contra Semipelagianos à Celestino 1. *epist. ad Episc. Galliæ*, & in Concilio Arausicano *can.* 3 vbi habetur neminem sine gratia posse inuocare gratiā, & *can.* 4. Per gratiam fieri, ne dum vt purgemur à peccatis, sed etiam vt purgari velimus, & *can. vltim.* Hoc salubriter profitemur, *quod in omni bono opere nos incipimus, & postea per misericordiam Dei adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem suum prius inspirat.* Probatur. Ioan. 7. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Thren. 5. *Conuerte nos Domine, & conuertemur.* Prouerb. 7. *Præparatur voluntas ad Dominū.* Ad Philip. 5. *Qui cæpit in vobis, ipse perficiet.* Et ita docent communiter Patres, præsertim Augustinus, dum agit contra Pelagianos, & Semipelagianos. Prosper *contra Collatorem*: Fulgent. *de Incarnatione præsertim cap.* 18.

11 Dicen-

11 Dicendum secundò. *Neque ex viribus naturæ posse dari dispositioně remotam, seu secundum quid ad gratiā, quæ consistit in aliquo bono opere morali.* Est contra Caiet. 1. 2. *qu.* 109. *art.* 6. Medin. *ibid. concl.* 4. Sot. *de natura, & gratia c.* 5. Richard. *in* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 2. & nonnullos alios, qui videntur incidisse in errorem Semipelagianorum; nā Semipelagiani, vt desumitur ex Cass. *collat.* 13. *cap.* 13. Solum volebant quosdā imperfectos conatus liberi arbitrij præcedere gratiā, qui non haberent rationem meriti, sed solum cuiusdā occasionis, & cuiusdam coloris, cuius intuitu Deus conferret gratiam. Probatur: Si præcederet gratiam talis imperfecta dispositio, daretur aliquod exordium bonæ voluntatis antecedens gratiam, quod est contra definitione Celestini Papæ, *Epist. ad Episcopos Galliæ, c.* 11. *&* 12. Rursus sequeretur, quod gratia conferretur per humanam inuocationem contra definitionem Concilij Arausicani *can.* 3. Rursus gratia Dei cōferretur volentibus, desiderantibus, & pulsantibus contra definitionem eiusdem Concilij *can.* 6. ergo non potest ex viribus naturæ dari aliqua dispositio ad gratiam quantumuis remota, & imperfecta. Confirmatur. Inchoans dispositionem, etiam remotè, concurrit ad introducendā formam; Vnde si homo ex proprijs viribus inchoaret hāc dispositionem, præueniret Deum in sua iustificatione, atque adeo initium salutis esset ab homine, & Deus non inciperet, sed tantum perficeret, quod est damnatum in Concilio Arausicano contra Semipelagianos.

12 Obijcitur. Prouerbiorum 16. *Hominis est præparare animam.* Isa. 7. *Expectat Dominus Deus vester, vt misereatur vestri.* Zachariæ 4. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, & alibi habentur similia. Respondetur. Hæc loca loqui de dispositione in ordine ad iustificationem, non autem in ordine ad primum auxilium gratiæ; hæc autem dispositio tribuitur nobis, quia fit concurrente libero arbitrio simul cum gratia, vt explicat Tridentinum, *sess.* 6. *cap.* 5.

13 Obijcitur Secundò: Ex D. Hieronymo 3. *contra Pelagianos*. Vbi ait. *Nostrum esse velle; Dei autem complere, quod volumus.* Respondetur. Nostrum esse velle, sed cum Dei auxilio, Dei autem esse perficere, quia ipse solus producit in nobis gratiam iustificantem.

14 Obijcitur Tertiò. Potest homo naturaliter timere pœnas Inferni, & ex hoc timore dolere de peccato; hic autem dolor est dispositio ad gratiam ergo. Respondetur, distinguendo minorem, est dispositio ad gratiam, si includat saltem virtualiter voluntatem resurgendi à peccato; secus autem si non includat: Quando autem includit, non potest haberi absque gratia, vt constat ex Concilio Arausicano.

Quomodo facienti quod in se est Deus, det gratiam.

SECTIO III.

15 Cum homo non possit naturaliter se disponere ad gratiam, videndum est, quomodo verum sit commune axioma, quod faueenti, quod in se est, Deus det gratiam.

Prima sententia asserit, quod Deus dat gratiam foventi, quod in se est per vires naturales, quatenus cognoscens naturaliter honestū, illud operatur præsertim recurrendo ad Deū, & petendo ab ipso auxiliū in ordine ad salutē, & vult, quod gratia tunc detur infallibiliter. Ita Alens. 3. *par. qu.* 69. *mem.* 5. *ar.* 3. Albert. *in* 2. *dist.* 28. *ar.* 2. Vittoria *Relect. de perueniēte ad vsum rationis pa.* 2. *n.* 14. Med. 2. 2. *quæst.* 109. *art.* 6. *q.* 3. & alij.

16 Impugnatur hęc sententia. Nā opus bonū liberi arbitrij ex viribus naturalibus, licet nō esset meritoriū gratiæ, esset tamen occasio, aut conditio trahens gratiā ex Dei dispositione; hoc autē fuit error Semipelagianorū, vt desumitur ex Cassiano, *collat.* 13. *cap.* 13. vbi ait, *nonnumquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis, vel exigit, vel expectat, ne penitus dormienti, aut inerti otio dissoluto sua videatur dona conferre.* Et rursus. *Ne videatur irrationalis Dei munificentia, gratiam suam sub colore cuiusdam desiderij, ac laboris impertit*; & cap. 14. *Misericordia Dei præsto est occasione sibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblata.* Deinde si præcederent huiusmodi recursus ad Deum, & petitio auxilij, gratia Dei daretur petentibus, desiderantibus, & inuocantibus, quod est contra definitionem Conc. Arausicani, *can.* 6. Vbi ait. *Si quis sine gratia Dei volentibus, desiderantibus, et pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, resistit Apostolo dicenti. Quid enim habes, quod non accepisti?*

17 Dices Semipelagianos exclusisse à viribus naturę auxilia extrinseca Dei, nempe Angelorū custodiam, doctrinam, cohibitionem dæmonis, quod non faciūt hi Doctores. Contra. Quia etiam Semipelagiani admittebant hæc auxilia, vt constat ex Cassiano, *collatione* 13. *cap.* 13. Deinde Concilium excludit illos actus naturales, quos ponunt hi Doctores.

18 Dices secundò. Semipelagianos voluisse, quod liberum arbitrium tantùm valeret ad malum, quantùm valet ad bonum, nec admisisse specialem prouidentiā naturalē in ordine ad bonum. Contra. Quia conueniebant cū Catholicis eo excepto, quod volebāt hominē sine gratia posse quærere Deum, pulsare, & inuocare auxilium gratiæ.

19 Dices tertiò. Semipelagianos negasse simultaneum concursum Dei. Contra. Non constat, quod negauerint, neque ob id damnati sunt, sed quia negabant auxilium gratiæ ad primos motus voluntatis in ordine ad salutem, sicuti negant isti Doctores.

20 Secunda sententia est. Molinæ *in Concordia, disp.* 10. asserentis, quod ex lege infallibili Dei cōfertur gratia facienti, quod in se est, quando liberum arbitriū per vires naturales conatur, aut prōptū est ad conandū in ordine ad fidem amplectendam, vel in ordine ad dolorē de peccatis.

21 Impugnatur. Sequeretur, quod initium salutis esset ex nobis contra definitionem Cælestini Papæ *ad Episcopos Galliæ, cap.* 11. vbi ait, *Beatissimæ, & Apostolicæ Sedis inuiolabiles sanctiones bonæ voluntatis exordia ad Christi gratiam referre docuerunt.* Ille enim conatus esset initium salutis, siquidem ex infallibili lege haberet annexā gratiam. Secundò. Quia etiam Semipelagiani ponebant solos conatus naturales per modum cuiusdam occasionis, & coloris, vt vidimus, præcedere gratiam, & tamen damnati sunt. Denique non potest homo conari in ordine ad fidem, & iustificationem, aut promptus esse ad conandum, nisi desideret fidem, & iustificationē, siquidem ex hoc desiderio deberet conari; vnde gratia tribueretur volenti, desideranti, & pulsanti contra allatam definitionem Concilij Arausicani.

22 Tertia sententia est. Herices *tra.* 3. *in* 1. *p. dis.* 27. *c.* 5. Qui vult, quod facienti, quod in se est per vires naturales, detur gratia ex lege infallibili, non quia faciat, sed tantum concomitanter; facere autē, quod in se est, non est aliud, nisi habere affectū naturalē credulitatis circa reuelata, aut dolere de peccatis ex amore naturali Dei, & proponere de cętero non peccare, quod est cōuerti in Deū quasi partialiter, quatenus habet conuersionem naturalem; hi autē actus habent rationem dispositionis materialis in genere physico, vnde nullam dicunt rationem meriti.

23 Impugnatur. Nullus bonus motus voluntatis potest præcedere gratiā, ita vt nō sit ex ipsa, vt constat ex *can.* 7. Cōcilij Arausicani, & ex Epist. Cælestini Papæ *ad Episc. Gall. c.* 12. vbi definitur, quod illi imperfecti conatus, & desideria volūtatis, quæ secundū Semipelagianos erāt occasio, & non meritū non possunt esse sine gratia. Secūdò. Affectum credulitatis, dolor de peccato ex amore Dei naturali, & conuersio naturalis in Deū essent volitio, desiderium, & pulsatio in ordine ad salutem, & non essent ex gratia, quod est contra definitionem Concilij Arausicani 2. *can.* 4. siquidem hi actus, qui ponuntur ex viribus naturalibus, includunt dolorem de peccatis ex amore Dei.

24 Quarta sententia asserit, axioma esse intelligendum, quod operanti bonum naturale morale detur gratia, quatenus tale bonum excludit peccatum, quod de nouo cómitteretur, atque adeò tollit obicem in ordine ad gratiã. Ita Suarez *lib. 3.* de auxilijs, *cap. 2. num. 6.* Lorca 1. 2. *disp. 26.* de gratia, & alij.

25 Impugnatur. Si ex eo, quod homo non committeret nouum peccatum in operando bonum naturale, daretur gratia infallibiliter, esset in potestate ipsius habere gratiam, atque adeò ideò daretur, quia ipsam vellet contra illud Apostoli: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Deinde posset homo operari hoc bonum morale, & excludere peccatum in hunc finem, vt acquireret gratiam, atque adeò gratia daretur per humanam inuocationem, quod est contra definitionem Concilij Arausicani, Can. 3, & faceret per vires naturales aliquod bonum, quod conduceret aliquo modo ad vitam æternam, siquidem conduceret ad tollendum obicẽ gratiæ, ex quo infallibiliter sequeretur assequutio gratiæ contra Canonem septimum Concilij Arausicani.

26 Dicendum est. Tunc solum dari gratiã facienti, quod in se est, quando operatur in virtute alterius gratiæ antecedentis, atque adeo axioma non debet intelligi de prima gratia, sed de gratia subsequenti. Probatur. Quodcumq; opus liberi arbitrij siue perfectum, siue imperfectum præcedens gratiam, facit quod gratia detur ex meritis, atque adeo quod non sit gratia, ergo non potest tale opus præcedere gratiam. Ita arguit Diuus Augustinus *contra Semipelagianos lib. 2. ad Bonifacium cap. 8,* & concludit. *Si enim sine gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum certò erit meritum, cui tamquã ex debito gratiæ veniat adiutorium. At sic gratia Dei non gratis donabitur sed secundum meritum nostrum dabitur.*

27 Dices. Ad gratiam iustificationis præcedunt dispositiones, & tamen adhuc gratis iustificamur ex Concilio Tridentino, *sess. 6. cap. 8.* Ergo adhuc gratia actualis daretur gratis, licet per nos inciperet cupiditas boni. Resp. negando conseq. Quia ideò iustificamur gratis, quia dispositiones præcedentes non possunt aliquid permanens, cui sit annexa exigentia gratiæ habitualis, quæ cum sit participatio diuinæ naturæ, non potest fieri debita ratione operationis humanæ, nec operatio humana esse meritoria cum non sit dignificata in eodem ordine, in quo est gratia. At si præcederet cupiditas boni gratiam actualem, quia talis cupiditas esset motus voluntatis in ordine ad finem, esset in eodem ordine, in quo est actualis gratia, cum hæc quoque sit motio ad eundem finem, & ideò cupiditas boni, vt inceptio talis motionis esset meritum in ordine ad complementum, nam redderet dignum auxilio præ alijs, qui carent tali cupiditate.

An dispositio ad gratiam sit verè causa illius.

SECTIO IV.

28 Supponendum est. Hominem posse iustificari extra Sacramentum per actum contritionis, vt est de fide ex Tridentino *sess. 14. cap. 4.* vnde Scriptura passim promittit gratiam, & remissionem peccati verè pœnitentibus in illo momento, quo pænituerint. Vnde difficultas est, an in tali casu contritio, seu dilectio Dei super omnia, ita sit vltima dispositio ad gratiam, vt etiam sit vera causa illius in genere materiali morali, non enim determinat physico modo animam, vt illi sit physicè debita gratia.

29 Dico primò, *Dari aliquam vltimam dispositionẽ ad gratiam, cui sit infallibiliter connexa infusio gratiæ.* Ita D. Tho. *1. 2. qu. 113. art. 5.* Caietanus, & Medina ibidem. Sotus de natura, & gratia *lib. 2. cap. 9.* Suarez, *lib. 8. de gratia cap. 9.* Lorca 1. 2. *disp. 31.* de gratia, & alij. Probat. Scriptura promittit gratiam illi, qui se conuerterit ad Deum, Isaiæ 55. *Reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Hierem. 3. *Conuertimini, & sanabo auersiones vestras.* Hierem. 18. *Si conuertamini salui eritis.* Ergo gratia est annexa infallibiliter conuersioni ad Deum tamquam vltimæ dispositioni. Confirmatur. Tridentinum *sess. 6. can. 6.* docet, iustificationem consequi dispositionem hominis, & *sess. 14. cap. 4.* docet dispositionem reconciliare Deo hominem antequam Sacramentum Pænitentię suscipiatur, ergo.

30 Dico secundò. *Hæc dispositio non solũ est in ordine ad gratiã sed etiã ad remissionem peccati.* Est contra Vasquez 1. 2. *disp. 111, cap. 4.* Probatur. Scriptura homini se disponenti non solum promittit gratiam, sed etiam remissionem peccati. Isaiæ 55. *Reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, quia multus est ad ignoscendum.* Ezech. 18. *Conuertimini, & non erit vobis in ruinam impietas.* Vnde Tridentinum sess. 6. cap. 7. docet, ad hanc dispositionem sequi etiam remissionem peccatorum. Et ratio est, quia remissio peccati est effectus formalis gratiæ sanctificantis, cum ex natura sua expellat peccatum; & ideò remissio peccati non potest antecedere infusionem gratiæ.

31 Dices. Remissionem esse effectum dispositionis, quando est perfecta. Contra: dispositio non expellit maculam, vnde Tridentinum ponit dilectionem Dei, & contritionem inter dispositiones, ad quas consequitur remissio peccati.

32 Dico tertiò. *Hæc dispositio est per se causa moralis in genere materiali, ita vt præparet subiectum, & determinet Deum.* Probatur. Gratia iustificans est connexa cum dispositione. Ergo dispositio est per se causa materialis moralis, cum non possit interuenire alia connexio. Hinc datur gratia secundum mensuram dispositionis, vt docet Tridentinum *sess. 6. cap. 7.*

33 Dico quartò. *Hæc vltima dispositio est causa gratiæ, quatenus ex natura sua cõtinet in voto sacramentum pænitentiæ.* Est de fide ex Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi docet, contritionem reconciliare hominem Deo, quatenus in ipsa includitur votũ Sacramenti Pænitentię. Probatur. Est detestatio peccati, & propositum non peccandi vlterius, atque adeò implendi præceptum confessionis sacramentalis, ergo votum, seu propositum confitendi includitur in ipsa.

34 Obijcit Vasquez contra secundam conclusionem. Esse liberum à peccato conducit ad recipiendam gratiam: ergo remissio peccati antecedit infusionẽ gratiæ, nam illa sunt priora, quæ conducunt ad alia. Respondetur negando assumptum. Nam esse liberum à peccato est effectus gratię, quia illam recipit, vt liberetur, & ideo liberatio non conducit ad recipiendam gratiam.

35 Instat. Subiectum debet prius esse vacuum forma priori, quam recipiat oppositam, ergo debet prius tolli peccatum, quam ponatur gratia. Respondetur. Antecedens ad summum valere, quando forma expellenda est positiua, quia tunc occupando capacitatem subiecti potest impedire formam introducendam, secus autem, quãdo est priuatiua, sicuti est peccatum, nam tunc relinquit capacitatem expeditam.

An vltima dispositio ad gratiam sit effectiuè ab ipsa.

SECTIO V.

36 Sensus est. An gratia iustificans, quatenus habet annexam charitatem, causet effectiuè suam vltimam dispositionem, quæ consistit in dilectione Dei super omnia, & in contritione.

Prima sententia est affirmatiua. Ita Caietanus 1. 2. *q. 113. art. 6. & 8.* Medina *ibidem.* Sotus *lib. 2. de natura, & gratia cap. 18.* Val. 1. 2. *disp. 8. qu. 8. pun. 4.* Vasqu. *disp. 211. cap. 2.* & communiter Thomistæ.

Probant

Probant. Scriptura tribuit hanc dispositionem gratiæ iustificanti. Ad Galatas 3. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur, &* 1. Ioannis 4. *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*, ergo Secundò. Concilium Arausicanum *can.4.& 6.* docet Præparationem ad gratiam fieri in nobis per infusionem spiritus Sancti, ergo. Tertiò. Si talis dispositio non esset effectiuè à gratia, non esset meritoria de condigno gloriæ, quod tamen est falsum. Quartò. Causæ sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere, ergo potest habitus in genere efficienti causare suam dispositionem; & dispositio causare habitum in genere materiali. Sic quando aer aperit fenestram, ingressus ipsius est causa aperitionis in genere efficientis, & aperitio est causa ingressus aeris in genere materiali. Quintò, Sequeretur quod homo inimicus Deo haberet circa ipsum actus perfectissimos; nam vt principium huius dispositionis esset inimicus Dei.

37 Secunda sententia est negatiua. Ita Durandus *in 2. dist.11. quæst.1.* Paludanus *dist.14. quæst. 3. conclusione 2.* Richardus *artic.6. quæst.1.* Scotus *quæst. 2. articul.2.* Gabriel *quæst, 2. articul.1.* Suarez *libr.8. de gratia cap. 12.* Lorca 1. 2. *disp.28. de gratia*, & alij.

38 Dicendum est. *vltimam dispositionem ad gratiam non esse effectiuè ab ipsa*. Probatur: Non potest idem esse prius, & posterius secundum existentiam respectu eiusdem; sed si dispositio ad gratiam esset ab ipsa effectiuè, esset prior, & posterior secundum existentiam respectu gratiæ, ergo. Maior patet. Quia esse prius dicit esse independens, & esse posterius dicit esse dependens; implicat autem, quod idem sit dependens, & independens secundum eamdem rationem respectu eiusdem. Minor probatur. Quia dispositio, si esset à gratia effectiuè, esset posterior existentia ipsa gratia, & rursus quia concurreret in genere causæ materialis, esset prior existentia eadem gratia, quia existentia intrinsecè imbibitur in conceptu causæ actu causantis. Confirmatur. Gratia Iustificans datur secundum mensuram dispositionis, vt docet Tridentinum, *sess.6. cap.7.* ergo non potest dispositio esse effectiuè à gratia, alioquin idem daretur secundum mensuram sui ipsius: siquidem dispositio, vt proueniens à gratia; esset secundum mensuram gratiæ, & rursus gratia esset secundum mensuram dispositionis.

39 Respondent primò. Dispositionem ad gratiam, quæ præcedit duratione ipsam gratiam non esse ab ipsa, sed tantùm illam, quę est in eodem instanti simul cum ipsa gratia; & non antecedit causalitate gratiā. Contra, vltima dispositio est causa gratiæ; hæc autem est illa, quæ est simul cum gratia in eodem instanti, antecedens causalitate ipsam gratiam.

40 Respondens secūdò. Dispositionem, quę est effectiuè à gratia, non disponere ad esse gratię, sed tantùm ad receptionem. Contra. Gratia non potest causare dispositionem, nisi eleuet voluntatem, ergo prius supponitur recepta, quam causet.

41 Respondent tertiò. Gratiam habere diuersos gradus, nempe alium, quo sanat animam, vt possit elicere cōtritionem, & alium, quo iustificat. Dispositionem autem causari à gratia, vt sanat animam, & disponere ad ipsam, vt iustificat. Contra. Gratia non prius informat secundum vnum gradum, quam secundum alium, nec mouet ad aliquem actum prius, quam secundum suam entitatem informet animam, ergo cum dispositio causet gratiam in ordine ad informationem, non potest esse à gratia considerata secundum quamlibet rationem.

42 Respondent quartò. Dispositionē non esse ad gratiam, sed ad remissionem peccati. Contra. Quia Tridentinum, *sess.6. cap.7.* docet, ad hanc dispositionem consequi iustificationem, quę non est sola remissio peccatorum, sed etiam innouatio ipsius hominis, ergo hæc dispositio est etiam causa remissionis peccatorum, & cum remissio peccatorum fiat per infusionem gratiæ, debet dispositio præcedere talem infusionem.

43 Respondent quintò. Contritionem, seu dilectionem Dei non esse dispositionem ad gratiam, vt est à gratia; sed vt est à libero arbitrio. Contra. Actus est dispositio secundum suam propriam rationem specificam; secundum hanc autem est etiam à gratia. Confirmatur. Contritio est a gratia, & libero arbitrio eadem actione, ergo habet eamdem prioritatem, vel posterioritatem quoad existentiam respectu gratiæ iustificantis.

44 Respondent sextò. Dispositionem esse materialiter a gratia, non verò formaliter sub ratione dispositionis. Contra, dispositio non potest esse materialiter a gratia, nisi gratia informet subiectum, ergo adhuc informatio, & existentia gratiæ esset prior dispositione, et econtra, dispositio secundum suam entitatem, atque adeo etiam materialiter esset prior existentia ipsa gratia.

45 Respondent septimò. Dispositionem esse effectiuè ab habitibus, qui sunt connexi cum gratia, & disponere ad ipsam gratiam. Contra. Habitus non sunt priores existentia ipsa gratia, ergo erunt posteriores existentia ipsa gratia, ergo etiam dispositione, siquidem dispositio est prior existentia eadem gratia.

46 Dices octauò. Dispositionem causari a gratia physicè: causare verò gratiam moraliter. Contra. Adhuc esset prior existentia, & posterior ipsa gratia. Esset posterior, quia causaretur ab ipsa: esset prior, quia non potest moraliter causare gratiam, nisi existat, ergo cum vt iam existens causat gratiam moraliter quoad existentiam, erit prior existentia ipsa gratia.

47 Ad primum negatur assumptum. Ad probationem resp. Quod fides quæ per dilectionem operatur, est illa, quæ habet annexum actum Charitatis antecedentem habitum; Deus autem dicitur nos præuenire in dilectione; quia præuenit per gratiam excitantem. Ad secundum. Præparationem ad gratiam fieri per infusionem Spiritus Sancti, quatenus infunditur nobis gratia excitans, & adiuuans, non autem gratia habitualis. Ad tertium quidquid sit, An vltima dispositio sit meritoria de condigno primę glorię; sicut meritoria, sufficit, quod sit in eodem instanti, in quo est status iustificationis. Ad quartum distinguitur antecedens. Causę possunt in diuerso genere esse sibi inuicem causæ, quando non debent inuicem dependere quoad existentiam; secus autem, si dependeant, vnde causa aperitionis fenestræ non est ingressus aeris, sed impulsus ab ipso causatus, aperitio verò fenestræ non est causa positiua ingressus, sed tantum vt remouens prohibens. Ad quintum. Hominem inimicum posse habere actus perfectissimos circa Deum, si non maneat inimicus, sed transeat ad statum amici: dum autem elicit actum dilectionis Dei super omnia fit in eodem instanti amicus Dei.

An homo debeat disponi ad iustificationem per actum fidei.

SECTIO VI.

48 Caluinus, atque alij heretici volunt, ad iustificationem requiri fidem promissionum, qua homo certò, & firmiter credat, se esse iustificatum, ita vt qui non habet hanc fidem, nec sit fidelis, nec iustificatus.

49 Dico primò. *Ad iustificationem requiritur actus fidei supernaturalis, quo homo disponatur*. Est de fide, & ex Tridentino *sess.6. capitul.5. & can. 3.* Probatur: Ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet, quia Deus est, & inquirentibus se remunerator sit*. Ad Romanos 5. *Iustificati ergo ex fide*. Marci vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Ratio est, quia fides est fundamentum tendendi in Deum vt finem supernaturalem, & ideo cum iustificatio sit vnio amicitiæ inter hominem, & Deum, debet præcedere actus fidei tanquam fundamentum.

50 Dico secundò. *Hæc fides est actus intellectus circa*

des eſt initium,& fundamentum iuſtificationis, vt explicat Tridentinum *ſeſſ.6.cap.8*, & eodem modo intelligendi ſunt etiam Patres; adhibent autem particulam taxatiuam dicendo,ſolam fidem iuſtificare,vt ſignificent,ſolam fidem eſſe fundamentum iuſtificationis, & vt excludant ea,quæ ſunt extra ſtatum fidei, vt ſunt opera naturæ, & legis, non autem ea, quæ fundantur in fide, & ad ipſam conſequuntur.

De diſpoſitione timoris, & ſpei.

SECTIO VIII.

64 INter actus voluntatis,qui concurrunt ad iuſtificationem,vt diſpoſitio,Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.6*, enumerat Timorem,& ſpem; hic autem timor non eſt timor filialis, qui oritur ex Charitate,ſed ſeruilis, quia (vt inquit Concilium) eſt timor diuinæ iuſtitiæ.

65 Supponendum eſt Hunc timorem eſſe vtilem, non autem vitioſum, & malum contra Luteranos, & Caluiniſtas,vt definit Tridentinum *ſeſſ.6. can.8.* & *ſeſſ. 14. cap. 4.* & *can. 5.* vnde Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini expellit peccatum*; eſt autem diſpoſitio in quantum retrahit à peccato.

66 Supponendum ſecundò. Hunc timorem non eſſe diſpoſitionem abſolutè neceſſariam,vt docent communiter, quia in tantum eſt diſpoſitio, in quantum inſeruit ad habendam conſtitutionem, hæc autem poteſt haberi ſine iſto timore.

67 Supponendum tertiò. Alterum actum voluntatis eſſe ſpem,ad Ad Romanos 8.*Spe ſalui facti ſumus*.1.Ioan. 3.*Qui habet ſpem,ſanctificat ſe*.Ratio eſt,quia iuſtificatio, cum non poſſit fieri ſine Dei miſericordia, debet à Deo ſperari.

68 Supponendum quartò. Præcipuum obiectum materiale huius ſpei eſſe remiſſionem peccatorum, & auxilia obtinenda per Chriſtum, quæ ſunt neceſſaria pro iuſtificatione,vt docet Tridentinum *ſeſſ.6.cap.6.* Vnde non eſt remiſſio peccati obtenta,vt volunt Caluiniſtæ,& Luteraniſ;eſt enim contra rationem ſpei tendere in id, quod poſſidetur. Difficultas autem eſt, An actus ſpei ſit de lege ordinaria abſolutè neceſſarius ad iuſtificationem.

69 Prima ſententia eſt negatiua. Ita Petrus Soto *lectione x. de pænitentia*. Dominicus Soto 2. *de natura, & gratia capitul.13*. Valentia 1. 2. *diſput. 8. quæſt. 5. puncto 4*. Turrianus *diſputat. 3. de diſpoſitione ad iuſtificationem dub. 1.*

Probant. Tridentinum eodem modo loquitur de ſpe, ac de timore; timor autem non eſt abſolutè neceſſarius. Secundò ſufficit conuerſio in Deum, hæc autem poteſt haberi ſine ſpe,quia amor Dei ſuper omnia non pendet intrinſecè à ſpe, ſed tantum ab actu fidei.

70 Secunda ſententia eſt affirmatiua. Ita Lorca 1.2. *diſput.33. de gratia num.3*.Suarez 8. *De gratia capitul.19, num. 3.*

71 Dicendum eſt. *Spem eſſe abſolutè neceſſariam de lege ordinaria ad iuſtificationem*. Deſumitur ex Trident, *ſeſſ.14. capitul. 4*. Loquens de attritione ait. Præparare ad remiſſionem peccati, ſi coniungatur cum ſpe diuinæ miſericordiæ, vnde ſequitur, quod ſi non coniungatur, non præparat.Probatur: Eſt neceſſaria conuerſio in Deũ vt in eum, qui nobis ex offenſa reconciliandus ſit, ergo eſt neceſſaria ſpes. Conſequentia probatur; Quia non poſſumus nos conuertere in Deum, vt nobis reconcilietur, niſi ſperemus veniam, & remiſſionem offenſæ.Confirmatur. Eſt neceſſaria fides de obtinenda remiſſione peccati per gratiam Chriſti, vt definit Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.6.* ergo etiam ſpes de remiſſione obtinenda, quia actus intellectus non eſt propter ſe vltimò neceſſarius,ſed propter actum voluntatis correſpondentem.

72 Ad primum negatur aſſumptum. Quia *canone 3.* relinquit timorem, non autem ſpem; nec eſt eadem ratio de timore,& ſpe,nam timor non importat aliquem acceſſum ad Deum,ſed tantum receſſum à malo,qui tamen poteſt haberi per alios actus. Ad ſecundum negatur minor. Quia non poteſt voluntas ſe conuertere, niſi etiam veniam ſperet, vnde opus eſt, quod præcedat ſemper cogitatio de obiecto ſpei.

73 Inſtabis.Poteſt quis ex ſolo timore moueri ad attritionem, quæ ſufficit ſimul cum ſacramento ad iuſtificationem, ergo tunc non erit neceſſaria ſpes. Reſpondetur; negando aſſumptum. Quia attritio eſt cum ſpe veniæ, vt docet Tridentinum *ſeſſ.14. cap.4.*

De cæteris diſpoſitionibus concurrentibus ad iuſtificationem.

SECTIO IX.

74 TRidentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.* enumerat tres alios actus,vt diſpoſitiones ad iuſtificationẽ,nempe dilectionem Dei, deteſtationem peccati per actum contritionis,ſeu pænitentiæ,&propoſitum emendandi vitam. Circa dilectionem difficultas eſt; An ſit amor amicitiæ, an verò concupiſcentię.

75 Prima ſententia aſſerit, ſufficere amorem concupiſcentię. Ita Vaſquez 1. 2. *diſp.203, c.9.* & *diſp.210.c.2.*

Probat. Tridentinum de hoc amore ait, quod per ipsũ incipimus diligere Deum,vt ſignificet, eſſe amorem imperfectum, ergo ſufficit amor concupiſcentiæ. Secundò Concilium non addit particulam (ſuper omnia) ergo non eſt amor amicitiæ. Tertiò. Eſt amor correſpondens ſpei, quo Deus diligitur vt fons iuſtitiæ; hic autem eſt amor concupiſcentiæ.

76 Secunda ſententia aſſerit eſſe neceſſarium amorem amicitiæ,ſeu dilectionem Dei ſuper omnia. Ita Curiel 1.2. *quæſt.113. art.4.* §.4.Lorca *diſp.33. de gratia* Suarez *lib.8. de gratia cap. 20.* & deſumitur ex Diuo Th.1. 2.*q.113. art.5. & ſequentibus.*

77 Dicendum eſt. *In iuſtificatione per ſacramenta non requiri dilectionem Dei ſuper omnia, ſed tantum extra ſacramenta.* Prima pars eſt certa ex Tridentino, *ſeſſ.14. cap.4.* vbi definit,ſufficere attritionem, non debet autem amor eſſe magis perfectus, quam ſit pænitentia.Secunda pars probatur; Diſpoſitio ad iuſtificationem extra ſacramenta debet eſſe perfecta conuerſio in Deum; ſola autem dilectio ſuper omnia eſt perfecta cõuerſio.Maior patet. Nam tenemur diligere Deum ſuper omnia; vnde ſi non diligimus,non conuertimur ad ipſum ſicuti debemus. Confirmatur. Amor concupiſcentiæ eſt ex motiuo proprij boni, itaut reciprocetur in amantem, ergo per ipſum non conuertimur in Deum.

78 Ad primum.Trindentinum loqui de inceptione dilectionis quoad tempus,quia loquitur de initio dilectionis & de illo tempore, quo homo ex aduerſo fit conuerſus in Deum. Ad ſecundum. Non opus fuiſſe addere particulam,(ſuper omnia,) quia loquitur de illa dilectione, qua homo tenetur diligere Deum, tenetur autem diligere ſuper omnia. Ad tertium. Amorem correſpondentem ſpei, quo Deus diligitur vt fons iuſtitiæ, eſſe etiam amorem ſuper omnia, quia vltimò terminatur ad Deum propter ipſum Deum;nam licet attingat Deum vt bonum noſtrum & conſequenter reciprocetur in nos ipſos, non tamen ſiſtit in nobis, ſed etiam attingit nos ipſos propter Deum.

An tam dilectio, quam contritio ſint actus neceſſarij pro diſpoſitione ad iuſtificationem.

SECTIO X.

79 PRima ſententia aſſerit, requiri vtrumque actum explicitè Ita Canus *relectione de Pænitentia.p. 3.§. de Charitate*. Sotus *Lec.4. de Pænitentia.*

Probant

Probant. Scriptura, & Concilium Tridentinum requirunt vtrumque actum, ergo.

80 Secunda sententia asserit, sufficere dilectionem, si fiat sine contritione, non autem contritionem sine dilectione. Ita Scotus *in 4. dist. 14. qu. 2.* Alensis *4. par. qu. 17. memb. 2.* Caietan. *tom. 1. opusculorum tract. 4. qu. 1.* Lorca *1. 2. disp. 33. de gratia*, & alij.

Probant 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, & ita etiam loquuntur PP. præsertim Augustinus *cap. 7. de vera, & falsa pænitentia*, & *21. de ciuit. cap. 27.* Secundo: peccatum auertit à Deo, ergo non potest haberi sufficiens dispositio, nisi per formalem conuersionem, atque adeò per dilectionem. Tertiò. Remissio peccati non fit nisi homo restituatur ad amicitiam Dei; non restituitur autem, nisi per amorem. Quarto. Amor Dei comparatur ad odium peccati, vt intentio finis ad electionem mediorum, non potest autem esse electio, nisi præcedat intentio. Quinto: charitas est actus perfectissimus, ergo non potest virtualiter contineri in alio actu, ergo cum sit necessaria dilectio, erit necessaria dilectio formalis.

81 Tertia sententia asserit, sufficere tam dilectionem seorsim à contritione, quàm contritionem seorsim à dilectione. Ita Paludanus *in 4. dist. 14. quæst. 3.* Gabriel *qu. 1. ar. 2. concl. 5.* Sotus *qu. 2. art. 5.* & *de natura, & gratia cap. 6. & 17.* Suarez *8. de gratia cap. 20. num. 11.*

82 Dico primo. *Sola dilectio absq; contritione explicita est sufficiens dispositio.* Probatur. Fieri potest, quod apprehendatur Deus, vt diligibilis super omnia, & nihil cogitetur de peccato, cum hoc sit obiectum diuersum. Ergo si tunc eliciatur dilectio, habebitur iustificatio, quia dilectio habet inseparabiliter annexam gratiam. Ioann. 18. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* Prima Ioann. 3. *Scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus.*

83 Dico secundo. *Est possibilis actus contritionis, qui sit virtualiter dilectio Dei ex motiuo diuinæ bonitatis, absque præuio amore explicito.* Probatur. Potest quis cogitare de peccato, vt est offensa Dei, vt quid displicens ipsi, ergo tunc ex motiuo diuinæ bonitatis, ratione cuius Deus non meretur offendi, detestari peccatum absque præuio amore explicito.

84 Dico tertio. *Hic actus contritionis se solo est sufficiens dispositio absque præuio amore.* Probatur. Scriptura promittit remissionem peccati verè pœnitentibus absq; eo, quod fiat mentio de amore. Ezechielis 33. *Si auerterit se peccator ab iniustitia sua, nō recordabor amplius.* Psalmo 35. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ergo cum intuitu pænitentiæ præcisè promittatur remissio, debet contritio esse sufficiens dispositio. Vnde Tridentinum *sess. 14 cap. 4.* loquens de iustificatione, quæ fit extra Sacramenta, asserit fieri in virtute contritionis, nec meminit de dilectione. Confirmatur. Contritio separat perfectè à peccato, ergo constituit subiectum proportionatum ad recipiendam gratiam, & continet virtualiter conuersionem in Deum.

85 Ad fundamentum primæ sententiæ. Scripturam, & Tridentinum requirere aliquando amorem seorsim à contritione; & aliquando contritionem seorsim ab amore, vt constat ex dictis, & ideo hi actus singuli seorsim sufficiunt, quia se ipsos virtualiter includunt; Neque sequitur, quod sufficiat fides implicita, quia hæc non potest fundare actus necessarios pro iustificatione.

86 Ad primum secundæ sententiæ Scripturas, & Patres intelligi de dilectione vel formali, vel virtuali. Ad secundum negatur consequentia. Quia sufficit virtualis conuersio, quia hæc tollit auersionem à Deo, & sufficit ad fundandam amicitiam, quæ restituitur per gratiam habitualem, vnde patet ad tertium. Ad quartum negatur assumptum, nam odio habere peccatum non est medium ad diligendum Deum.

Instabis. Odium est circa obiectum secundarium charitatis, obiectum autem secundarium non potest attingi seorsim à primario. Respondetur. Non posse attingi seorsim à primario motiuo, benè tamen posse attingi seorsim à primario materiali, & vt *Quod*.

Ad quintum negatur consequentia. Quia contritio est actus secundarius charitatis, & ideo potest virtualiter continere dilectionem Dei.

87 Quæres. An propositum emendādi vitam debeat esse explicitum. Respond. Negatiuè, sed sufficere implicitum, vt docent communiter cum Diuo Thoma *3. par. q. 87. art. 1.* Quia saluatur perfecta auersio à peccato cum solo virtuali proposito emendandi vitam; hoc autem virtuale propositum continetur tam in dilectione Dei super omnia, quàm in contritione.

DE REPARATIONE STATVS supernaturalis, seu de iustificatione.

DISPVTATIO VI.

An iustificatio, seu reparatio sit effectus positiuus gratiæ.

SECTIO I.

1 IVstificatio dicitur à iustitia, prout est virtus quædam vniuersalis complectens omnes virtutes, & importans vniuersalem rectitudinem; hæc autem iustitia alia est habitualis, alia actualis, quæ consistit in rectitudine operationum, & ab vtraque dicitur iustificatio.

2 Supponendum primo. Iustitiam tam actualem, quàm habitualem esse duplicem, Humanam, seu acquisitam, & diuinam, seu infusam. Humana est illa, quæ morali modo habetur, vnde ad Romanos 4. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed nō apud Deū.* Diuina vero est illa, quæ habetur ex dono Dei, & per ipsam constituimur iusti apud ipsum, vnde ad Roman. 10. *Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* In præsenti autem sumitur iustificatio, vt deriuat à iustitiā infusa; nam iustificatio naturalis modo non habet locum, eo, quod cùm homo ex sua institutione sit destinatus in finem supernaturalem, non potest esse iustus, nisi sit benè ordinatus ad ipsum, atque adeo nisi habeat iustitiam supernaturalem; & ideò naturalis solum haberet locum in pura natura.

3 Supponendum secundò. Iustificari in scriptura non solum significare declarationem, qua quis declaratur iustus iuxta illud ad Romanos 8. *Deus, qui iustificat, Quis est qui condemnet*, sed etiam fieri iustum iustitia Dei: ad Romanos 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*; & rursus. *Vt sit ipse iustus iustificans eum, qui est ex fide*, & cap. 4. *Redempti in eo, qui iustificat impium*; & cap. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituuntur multi.* Vnde non possunt Hæretici præsertim Caluinistæ, & Luterani negare hanc iustificationem reperiri in Scriptura.

4 Supponendum tertiò. Iustificationem definiri à Tridentino *sess. 6. cap. 4* Translatio *ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionem filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Saluatorem mundi*: in qua definitione explicatur & causa effectiua, & meritoria nostræ iustificationis, & licet procedat de iustificatione, quæ fit per baptismum, com-

plectitur

plectitur tamen omnem aliam iustificationem; vnde secundum terminos scholasticos potest tradi eadem definitio, nempe *Iustificatio est translatio hominis à statu peccati ad statum supernaturalem gratiæ*. Difficultas autem est, an hæc iustificatio importet solam remissionem peccatorum, an verò etiam aliquem effectum positiuum gratiæ.

5 Dicendum est. *Iustificationem non importare solam remissionem peccatorum, sed etiam positiuum effectum gratiæ, quo homo fiat iustus*. Est de fide contra Caluinum, & Luterum definitum in Tridentino *seß.6.cap.11.* Si quis *dixerit hominem iustificari sola remissione peccatorum exclusa gratia, & Charitate, anathema sit*. Probatur. In iustificatione interuenit regeneratio, & renouatio hominis, & quædam viuificatio, ablutio, & sanctificatio: Ad Titum 3. *Secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti*; & 1. Corinthiorum 9. *Hæc aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis*. Hæc autem non possunt saluari per solam extrinsecā remissionem peccatorum, sed requirunt aliquem effectum positiuum in ipso homine. Confirmatur. Sola remissio peccatorum non potest habere incrementum, quia totaliter acquiritur per primam iustificationem; iustificatio autem potest habere Apocalypsis 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc*, ergo.

6 Obijcies. Actorum 15. *Per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, à quibus non potuistis in lege Moysi iustificari*. Ergo iustificatio consistit in sola remissione. Respond. Nego consequentiam, quia intelligitur de remissione, vt de facto fit, quæ includit positiuam sanctificationem, & eodem modo explicanda sunt alia similia loca Scripturæ.

An gratia sanctificans sit inhæsiua, an vero imputatiua.

SECTIO II.

7 HAEretici asserunt, iustitiam, qua iustificamur non esse nobis intrinsecè inhærentem, sed esse extrinsecam iustitiam Christi, aut Dei, quæ nobis imputatur, & à qua denominamur iusti. Ita Caluinus, Lutherus, & sequaces, & in hunc errorem incidit etiam Piglicus *in controuersia de fide, & operibus*.

8 Dicendum est. *Iustificationem non fieri per iustitiam Christi, aut Dei nobis imputatam, sed per iustitiam nobis intrinsecè inhærentem*. Est de fide definitum in Tridentino *seß.6. cap.7. & canone 11.* vbi habetur. *Si quis dixerit hominem iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum seclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque ipsis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iustificamur esse tantum extrinsecum fauorem Dei, anathema sit*. Probatur. Ad Ephesios 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*. Ioan. 11. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Hæc autem innouatio non potest fieri sine aliqua intrinseca gratia; sicuti neq; etiam potest Deus de nouo habitare in nobis, nisi per communicationem alicuius noui doni; vnde 1. Ioann. 3. *videte, qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus*. Confirmatur. Per iustificationem euadimus membra illius corporis, cuius caput est Christus. 1. Corinth. 11. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*. Ergo debemus habere vitam non solum in capite, sed etiam in nobis ipsis; cum hoc sit de ratione mēbrorum viuorum: hæc autem vita non est alia, quàm gratia sanctificans, qua sumus iusti.

9 Dices. Ex his colligi, dari aliqua dona, non tamen, quod per ipsa homo iustificetur. Contra. Scriptura tribuit iustificationem gratiæ vt causæ formali. Ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, & cap 5. *Gratia autem ex multis delictis in iustificationem; si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationem iustitiæ accipientes in vita regnabunt*. Vnde Augustinus cap. 9. de spiritu, & littera. *Iustitia Dei, inquit Apostolus, manifestata est; non dixit iustitia hominis, sed iustitia Dei; non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificauit illum* ergo.

10 Dicendum secundò. *Licet in iustificatione interueniat fauor extrinsecus Dei, & extrinseca condonatio, & iustitia Christi, cuius intuitu iustificamur, non sunt tamen causa formalis nostræ iustificationis*. Est de fide ex Tridentino *seß.6.cap.7.* Vbi assignans causam formalem iustificationis, ponit tantum iustitiam Christi, qua verè iusti sumus. Probatur. In iustificatione interuenit iustitia intrinseca, vt patet ex dictis: ergo non est necessaria aliqua alia forma extrinseca.

11 Dices. Hæc iustitia non potest iustificare sine meritis Christi. Ergo debet imputari merito Christi. Resp. distinguendo consequens. Debet imputari merito Christi vt causæ meritoriæ iustificationis, non autem vt causæ formalis: vnde solum sequitur, quod iustitia non detur sine meritis Christi, non autem, quod non iustificet sine ipsis.

12 Obijciunt hæretici contra primam conclusionem. In scripturis iustitia Christi dicitur iustitia nostra. Prima Corinth. 1. *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. Respondetur. Dici nostram iustitiam, quia est causa illius, & quia satisfecit pro nobis: vnde ad Roman. 3. habetur, per obedientiam Christi multos constitui iustos, quia satisfaciendo pro nobis meruit nobis iustificationem, & eodem modo intelligendæ sunt aliæ similes scripturæ.

13 Obijciunt secundò. Ad Corinth. 3. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*. Ergo eodem modo, quo Christus habuit peccatum, nos habemus iustitiam, habuit autem tantum peccatum imputatiuum. Respondetur negando consequentiam. Quia Apostolus non loquitur cōparatiuè, sed tantum assignat finem, ob quem Deus fecit pro nobis Christum peccatum; dicitur autem, Christus pro nobis peccatum factus. Tum quia assumpsit carnem in similitudinem peccati, vt habetur ad Romanos 8. Tum quia fuit hostia pro peccato: hostia autem dicitur peccatum Oseæ 8. Tum quia fuit ipsi imputatum nostrū peccatum quoad satisfactionem, non quoad malitiam; efficimur autem iustitia Dei non formaliter, aut imputatiuè, sed similitudinariè, & participatiuè.

14 Obijciunt tertiò. Ad Romanos 4. Vbi de Abraham dicitur: *Credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam*, ergo. Respondetur. Loqui de fide intrinseca, non autem de extrinseca Christi: Fides autem intrinseca reputatur ad iustitiam, quia acceptatur vt dispositio ad gratiam.

15 Obijciunt quartò. Nulla humana iustitia potest esse perfecta, & exactè respondere legi. Psalmo 42. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Isaiæ 64. *Facti sumus vt immundi homines*. Ergo iustitia intrinseca non potest iustificare. Respondetur negando consequentiam. Quia licet iustitia nostra non habeat totam perfectionem, quam potest habere, quia tamen dicit rationē formalem iustitiæ, est sufficiens, vt possit iustificare apud Deum, vnde Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*; & 1. Ioan. 2. *Qui seruat verbum eius, in hoc verè charitas Dei perfecta est*.

16 Obijciunt quintò. Reconciliatio cum Deo tribuitur Christo. 2. ad Corinthios 5. & ad Romanos 3. *Quē proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*:

sius; ergo. Respondetur. Tribui iustitiæ Christi, non formaliter, sed effectiuè; Quia Christus fuit mediator huius reconciliationis.

An in iustificatione verè remittatur culpa.

SECTIO III.

17 NEgant hæretici, peccata dimitti, & volunt tantum tegi, quia videlicet non amplius imputantur. Ita Caluinistæ, & Luterani.

Probant. Psalmo 30. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Secundò. Si quando Deus dicitur non imputare peccatum, infunderet iustitiam, quando dicitur imputare peccatum, infunderet peccatum, quod dici non potest.

18 Dicendum est. *In iustificatione peccatum verè dimitti, & deleri.* Est de fide definitum in Trident. *sess.6. cap.7.* & traditur communiter à Patribus Augustino *cōtra duas epistolas Pelagij cap.13.* Gregorio *Lib.9. epist. 59.* Ambrosio *lib.6. in Lucam initio.* Chrysostomo *homil 2. in psalm. 50.* Bernard. *epist. 190.* Probatur. Iustificatio significatur nomine dealbationis, ablutionis, dilectionis, & alijs huiusmodi, quæ important destructionem peccati. Psal. 50. *Asperges me Domine, & mūdabor; lauabis me, & super niuem dealbabor. Cor mundum crea in me Deus.* Psal.9. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur*: 2. Corinth.6. *Hæc quidem aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Ezech. 38. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Isaiæ 45. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas.* Ergo verè tollitur peccatum. Confirmatur. Sequeretur, quod homo verè non iustificaretur, sed fictè; atque adeò esset simul amicus Dei, quia iustificaretur, & etiam inimicus, quia reuera remaneret peccatum.

19 Ad primum respondetur. Tegere significare deletionem peccati, vt colligitur ex verbis antecedentibus; nam si remittitur, debet deleri: deinde quia quod tectum est respectu Dei, nullo modo est, quia nihil est ipsi occultum. Ad secundum negatur consequentia. Vt enim Deus non imputet peccatum, debet ipsum per gratiam delere, alioquin non potest non odisse; vt autem imputet, sufficit, si ponatur per voluntatem creaturæ.

An gratia iustificans sit actus, vel habitus.

SECTIO IV.

20 PRima sententia asserit, gratiam iustificantem esse habitum, sed hoc non esse de fide, sed tantum opinionem probabilem. Ita Scotus 2. *de natura, & gratia cap.19.* Bannes 2. 2. *quæst. 23. artic. 2.* Medina 1. 2. *qu. 110. art.2.* & alij.

21 Secunda sententia asserit, esse de fide, gratiam iustificantem esse habitum in paruulis, & adultis, qui per sacramenta cum sola attritione iustificantur; non esse autē de fide, quod in alijs sit habitus, sed tantum opinionem probabilem. Ita Vasquez 1. 2. *disp.103. cap.3.*

Probat. Scriptura tribuit iustificationē dilectioni Dei. Ioan.14. *Si quis diligit me Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c.* & 1. Pet 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Secundò. Quia hoc etiam desumitur ex Patribus Augustino *cap.42. de natura, & gratia*, vbi ait. Charitatem esse perfectissimam iustitiam. Et *cap. 2. de moribus Ecclesiæ.* Dei charitate nos iustificari, & similia habet Gregorius *hom.3. in Euang.* Chrisost. *homil.7. in secundam ad Timoth. 3.* Actus charitatis subijcit hominem Deo vniendo voluntatem ipsius cū eo, vt cum amico; & virtualiter, & quoad propositum est omnis iustitia. Ergo sufficit ad iustificandum. Quartò. Actus charitatis vnit perfectiori modo cum Deo, quā habitus, ergo cum habitus charitatis sit forma iustificās, multo magis ipse actus iustificabit.

22 Tertia sententia asserit, quod absolutè sit de fide, gratiam iustificantem esse habitum. Ita Bellarminus *Lib. 2. de iustificatione cap. 15. & 16.* Valentia 1. 2. *disp.4. quæst.3. punc.9.* Lorca *disp.25. de gratia memb. 1.* Suarez *Lib.10. de gratia cap. 8.* Vega *Lib. 7. in Tridentin. cap.24.* & alij.

23 Dico primò. Est de fide, quod gratia iustificans sit aliquid habituale. Probatur ex Tridentino *sess.6. cap.7.* Vbi vniuersaliter definit, Deum iustificare per formam inhærentem animæ: hæc autem forma non potest esse aliquis actus, vt constat in infantibus, qui non sunt capaces talis actus, ergo erit habitus, & ideo *sess. 5. can. 5.* definit, per baptismum tolli adæquatè peccatum, & indui nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, ita vt baptizati sint puri, & immaculati, & hæredes Regni Dei.

24 Dices. Concilium loqui de iustificatione adultorū, quando dicit fieri per formam inhærentem, nam *sess. 6. cap. 5.* ait. *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis*, &c. Contra. Ideo ibi restringit iustificationem ad adultos, quia loquitur de dispositione ad ipsam, quæ solum habet locum in adultis, ergo. Deinde *cap.7. sess. 6.* Vocat gratiam iustificationis, quæ confertur adultis, primam stolam, quam accipimus pro illa, qua Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Iesum donatam, & subdit, quod hanc stolam candidam, & immaculatam iubemur statim renati conseruare, vt eā proferamus ante tribunal Christi: illud autem solum conseruatur, quod habitualiter permanet.

25 Secundo probatur. *Sess.6. cap.7.* distinguit gratiam iustificationis à dispositione, quæ fit per fidem, spem, & charitatem, quod etiam facit *can.3.* ergo iustificatio non consistit in ali quo actu, quia, si consisteret, deberet esse aliquis ex illis tribus. Confirmatur *can. 32.* definit, non posse iustificatum permanere in accepta iustitia sine speciali auxilio Dei, & *can. 23.* Iustificatos posse gratiam amittere, & *can.24.* Acceptam iustitiam conseruari per bona opera, & augeri: hæc autem non possunt verificari, nisi gratia iustificans sit habitualis.

26 Dico secundò. *Actus ex natura sua est insufficiens, vt iustificet, atque adeo nec de potentia Dei absoluta potest homo iustificari per solum actum.* Est contra Vasqu. citatum. Probatur. Actus ordinat hominem secundum vnam tantum operationem. Ergo non sufficit ad iustificandum, quia iustificatio debet ponere ordinem permanentem, quo homo vniuersaliter ordinetur secundum exigentiam finis supernaturalis. Confirmatur. Tantus debet esse ordo iustificationis, quanta est deordinatio peccati: peccatum autem nedum importat deordinationem in aliqua operatione, sed etiam habitualem, quæ consistit in macula relicta per peccatum. Confirmatur secundo. Si actus posset iustificare, etiam de facto iustificaret, quia non posset non exhibere suum effectum formalem.

27 Dices. Sicut per peccatum relinquitur macula, quæ est aliquid habituale, ita etiam per actum bonum posse relinqui aliquid habituale, quod permanenter iustificet. Contra. Primò. Actus potest relinquere aliquid priuatiuum, non autem aliquid positiuum, quo homo ordinatur. Secundo. Ordo iustificationis ita respicit finem supernaturalem, vt faciat ipsum debitum, & constituat hominem ordinatè se habentem permanenter respectu talis finis, atque adeò faciat filium Dei, ergo non sufficit aliquid, quod relinquatur per habitum, sed requiritur forma positiua permanens, qua homo constituatur in statu supernaturali.

28 Dices secundò. Tam actum, quàm habitum de facto iustificare, sed diuerso modo, sicuti etiam humanitas Christi

Chriſti ſanctificatur ab vnione hypoſtatica, tum etiam à gratia habituali. Contra. Sequeretur, quod gratia, quæ conſequeretur hos actus, non eſſet peccatorum remiſſio, & renouatio interioris hominis, quia iam ſupponeret hominem renouatum, quod eſt contra Tridentinum *ſeſſ.6. cap.7.*

29 Ad primum. Scripturam tribuere iuſtificationem dilectioni Dei tanquam diſpoſitioni, non autem tanquã formæ; vel etiã aliquando ex charitate colligere à poſteriori iuſtificationem. Ad ſecundum PP. eodem modo eſſe intelligendos; Charitas autem dicitur perfecta iuſtitia non iuſtificans, ſed rectificans operationes iuxta illud: *Plenitudo legis eſt dilectio*. Ad tertium. Charitatem ex eo, quod vnit cum Deo, diſponere ad iuſtificationẽ; non autem tribuere ſtatum diuinum, nec conſtituere filiationem Dei. Ad quartum diſtinguitur conſequentia. Suppoſito, quod charitas non ſit diſtincta à gratia, tunc iuſtificat non vt charitas eſt, ſed vt ſibi identificat gratiam, quæ eſt participatio diuinæ naturę, & ideo non licet arguere ab habitu charitatis ad actum ipſius.

An gratia iuſtificans ſit vnus ſimplex habitus.

SECTIO V.

30 PRima ſententia aſſerit, eſſe collectionem plurium habituum. Ita Vega *lib.5. in Tridentinum cap. 3.* Sotus *lib. 2. de natura, & gratia cap.18.*

Probant. Tridentinum *ſeſſ.6. cap.7.* docet, hominem iuſtificari per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, ergo. Secundò. Scriptura tribuit iuſtificationem modo vni, modo alteri habitui videlicet fidei, ſpei, & charitati. Tertio. Homo in iuſtificatione conſtituitur iuſtus in ordine ad Deum, ſecundum omnem rectitudinem. Nullus autem habitus ſe ſolo importat omnem rectitudinem. Quartò. Iuſtitia iuſtificans debet tribuere facultatem ad benè operandum; hoc autem non poteſt præſtari ab vno ſimplici habitu.

31 Secunda ſententia aſſerit, ſufficere vnicum habitum. Ita Suarez *lib. 7. de gratia cap. 9.* Bellarminus *lib. 2. de iuſtificatione cap.16.*

32 Dico primò. *Sola gratia ſanctificans eſt ſufficiens forma pro iuſtificatione, etiam ſi diſtinguatur à charitate.* Deſumitur ex Diuo Thoma 1. 2. *quæſt.111. art.2.* Probatur. Gratia ſanctificans ſe ſola eſt participatio diuinæ naturæ, atque adeo ſufficit ad conſtituendum ſtatum diuinum, & filiorum Dei; ergo ſola poteſt iuſtificare cum iuſtificatio non ſit aliud, quàm translatio de ſtatu peccati ad ſtatum filiorum Dei. Confirmatur. Sola eſt formalis, & eſſentialis terminus regenerationis, cum ſola ſe habeat per modum naturæ, ſeu principij radicalis, atque adeò ſola importat nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, ergo.

33 Dico ſecundo. *Ad integritatem iuſtificationis requiruntur omnes virtutes, ſiue ſint identificatę cum charitate, & gratia, ſiue realiter diſtinctæ.* Ita Diuus Thom. 1. 2. *quæſt. 113. art. 1.* Probatur. Iuſtificatio cum tota ſua integritate importat integrum ſtatum diuinum, & adoptionem filiorum Dei. Ergo omnes virtutes, quia integritas huius ſtatus exigit vires ad omnes actus, qui ſunt ſecundum exigentiam finis ſupernaturalis. Confirmatur. Vt iuſtificatio ſit perfecta, & integra, debet ponere omnes vires in anima, & completam rectitudinem habitualem: omnis autem virtus eſt aliquod incrementum huius ordinis, & rectitudinis.

34 Dices. Sola charitas perfectè diſponit in ordine ad finem ſupernaturalem, ergo ſola ſufficit. Reſpondetur. Perfectè diſponere virtualiter, quatenus continet eminenter omnes virtutes, non autem formali modo.

35 Dico tertiò. *Si charitas diſtingueretur à gratia, non ſufficeret pro eſſentiali iuſtificatione.* Probatur. Eſſet virtus purè operatiua, ergo non tribueret ſtatum diuinum neque adoptionem filiorum Dei: atque adeo non tribueret principalem effectum formalem iuſtificationis.

36 Ad primum reſpondetur probare tantum, quod in iuſtificatione præter gratiam infundantur etiam dona; non autem, quod cauſa formalis iuſtificationis ſit collectio plurium habituum. Ad ſecundum. Scripturam tribuere iuſtificationem modo fidei, modo ſpei, modo charitati non tamquam formæ, quæ coaleſcat ex pluribus habitibus, ſed tamquam diſpoſitioni. Ad tertium, & quartum procedere tantum de iuſtificatione integraliter accepta.

An gratia iuſtificet ex natura ſua, an verò requiratur etiam extrinſeca Dei acceptatio.

SECTIO VI.

37 PRima ſententia aſſerit, eſſe neceſſariam extrinſecam Dei acceptationẽ, ita vt gratia non iuſtificet formaliter ex natura ſua, ſed tantũ conſtituat hominẽ obiectũ illius amoris, quo Deus diligit omnia exiſtentia, non autem illius ſpecialiſſimi, quo Deus ordinat ad beatitudinem, niſi accedat acceptatio ipſius Dei. Ita Ariminenſis *in 1. diſt.17. qu.1. art.1.* Gabriel *art.1. & 3.* Ochamus *in 4. qu.3.* Scotus *diſt.1. quæſt.6.* & *diſt. 16. quæſt. 2.* Medina *codice de pænitentia qu.12.*

Probant. Tridentinum *ſeſſ.6. cap. 7.* ſolum docet in iuſtificatione dari gratiam cum remiſſione peccatorum: non autem, quod gratia iuſtificet ex natura ſua. Ergo. Secundo. Gratia opponitur tantum priuationi phyſicę ſui ipſius, quæ non eſt formaliter peccatum, cum ſit ab ipſo Deo deſtituente gratiam, ergo ex natura ſua non iuſtificat.

38 Secunda ſententia aſſerit, ex natura ſua iuſtificare. Ita Diuus Thomas 1. 2. *quæſt.109. artic. 7.* Sotus 2. *de natura, & gratia cap. 18.* & *in 4. diſt.15. quæſt.1. ar.2.* Richardus *diſt.17. art.4. quæſt.4.* Aureolus *quæſt. 1. artic.2.* Capreolus *quæſt.1. art. 3. ad argumenta Gregorij contra primam, & ſecundam concluſionem.* Suarez *lib.7. de gratia cap. 12.* Turrianus *opuſculo de forma ſanctificante diſp.1. dub.8.*

39 Dico primo. *Gratia ex natura ſua formaliter iuſtificat.* Probatur. Gratia eſt illa, qua formaliter renouamur, & qua verè iuſti nominamur, & ſumus, ex Tridentino *ſeſſ.6. cap.7.* non eſſemus autem verè iuſti per gratiam, niſi nobis veram iuſtificationem intrinſecam tribueret, atque adeo ex natura ſua iuſtificaret. Confirmatur. Iuſtificatio eſt translatio de ſtatu peccati ad ſtatum filiorum Dei. Ergo cum iſta gratia ſit terminus iuſtificationis, debet ex ſe importare ſtatum filiorum Dei, quod fieri non poteſt, niſi ex natura ſua iuſtificet. Confirmatur ſecundo. Iuſtificatio habet pro termino regenerationem noui hominis. Ad Titum tertio. *Qui ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Ergo debet dari aliqua forma, quæ ſit terminus formalis huius regenerationis: quod fieri non poteſt, niſi gratia ſit forma regeneratiua, atque adeo ex natura ſua iuſtificans.

40 Dico ſecundo. *Extrinſeca condonatio Dei trahitur neceſſariò à gratia ex natura ſua, ita vt eo ipſo, quod Deus infundit gratiam, condonet etiam peccatum, quatenus habet rationem offenſæ.* Probatur. Iuſtificare infundendo gratiam, eſt adoptare in filium, & acceptare in amicum, quia eſt facere ſubiectum dignum beneuolẽtia diuina: ergo importat etiam condonationem offenſæ, quia non poteſt eſſe idem ſimul dignus diuina beneuolentia, & amicus, & indignus, & inimicus.

41 Ad primum. Ex auctoritate negatiua nihil colligi, deinde ſatis clarè deſumitur ex Concilio Tridentino, quod gratia ex natura ſua iuſtificet, vt conſtat ex dictis. Ad 2. Quidquid ſit an gratia opponatur tantum

priuatiuè physicæ priuationi sui ipsius, adhuc tamen affert secum talem effectum formalem, qui sufficit ad iustificandum, nempe tribuendo rectitudinem veluti substantialem, & per modum naturæ, atque adeo constituendo filium Dei.

42 Instabis. Non apparet, quomodo gratia possit tribuere ex natura sua ius ad regnum cæleste, & constituere filium adoptiuum Dei, ergo. Antecedens patet. Quia in creatis nulla datur qualitas, quæ habeat vim constituendi aliquem filium regis, sed adoptio consistit tantum in extrinseca acceptatione. Respondetur negando assumptum. Quia gratia ex intrinseca sua natura est participatio diuinę naturæ, & est terminus illius amoris, quo Deus amat hominem vt suum amicum, & ideo habet hanc vim.

An gratia ex natura sua expellat peccatum.

SECTIO VII.

43 Aliud est ex natura expellere peccatum, & aliud ex natura sua iustificare: Nam secundum dicit, quod gratia sit formalis iustitia, qua quis constituatur iustus independenter ab extrinseca Dei condonatione, primum vero dicit etiam, quod ex natura habeat contrarietatem adæquatam cum peccato.

44 Prima sententia asserit ex natura sua non expellere peccatum, quia non habet cum ipso oppositionem, sed tantum ab extrinseca ordinatione Dei. Ita Scotus *in* 4. *distinction.* 16. *quæst.* 2. §. *Respondet.* Gabriel *distinct.* 14. *quæst.* 1. *articul.* 2. Richardus *in* 3. *distinct.* 31. *articul.* 1. *quæst.* 1. Corinth. *disput.* 21. *de habitu Charitatis dub.* 8. *conclus.* 3. Curiel 1. 2. *quæst.* 113. *articul.* 2. *dub.* 2. §. 9. *ad* 4. & communiter Scotistæ.

Probant. Bonitas finita ex natura sua non potest expellere malitiam infinitam, ergo nec bonitas gratiæ finita malitiam peccati infinitam. Secundò. Peccatum actuale non expellit physicè gratiam, ergo nec etiam habituale, cum non sit peius peccato actuali. Tertiò. Peccatum habituale non est priuatio gratiæ, alioquin omnia peccata habitualia essent eiusdem rationis, ergo non potest gratia opponi peccato habituali vt priuationi. Quarto. Gratia non est voluntaria conuersio in Deum, ergo non potest opponi conuersioni, quam dicit peccatum cum hæc sit voluntaria. Quintò. Tridentinum, *sess.* 6. *cap.* 7. distinguit remissionem peccati à iustificatione, seu infusione gratiæ, dum ait, Iustificationem non esse solam remissionem peccati, sed etiam sanctificationem: non distingueretur autem, si gratia ex natura sua expelleret peccatum.

45 Secunda sententia asserit, expellere peccatum ex natura sua ob oppositionem, quam habet cum ipso. Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 113. *artic.* 1. 2. *&* 6. Aureolus *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 2. Capreolus *art.* 3. *ad argumenta Gregorij contra primam conclusionem.* Vasquez 1. 2. *disput.* 204. *capit.* 3. 4. *&* 5. Lorca *disp.* 16. *de gratia* Suarez 7. *de gratia cap.* 12. Turrianus *disp.* 1. *de forma sanctificante dub.* 8. *&* 9. & alij.

46 Dicendum est. *Gratiam ex natura sua excludere peccatum seclusa qualibet Dei acceptatione.* Probatur. Tridentinum, *sess.* 5. *can.* 3. damnat dicentes, non tolli per gratiam, quæ in Baptismo confertur, totum id, quod habet veram, & propriam rationem peccati. Si autem gratia ex natura sua non expelleret peccatum, non tolleretur per gratiam, quia particula. *Per*, importat vim expulsiuam, non autem solam concomitantiam. Confirmatur. Ex vi gratiæ formaliter induimus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, ergo cum expulsio peccati sit exuere veterem hominem, ex vi gratiæ expellitur, quia nouus homo expellit veterem hominem.

47 Dices. Expelli per gratiam non præcisè, sed quatenus habet annexum extrinsecum fauorem Dei. Contra, Vetus homo ex eo præcisè exuitur, quod nouus induitur: nouus autem homo non est fauor extrinsecus, quia est id, quod secundum Deum creatum est. Secundò. Concilium subdit. Eos, qui acceperunt talem gratiam, esse puros, immaculatos, innocentes, &c. ergo debent habere intrinsecam puritatem, quod fieri non potest nisi gratia ex natura sua expellat peccatum.

48 Respondent secundò. Per gratiam non intelligi gratiam habitualem, sed quodlibet donum, atque adeo posse intelligi extrinsecam gratiam remissionis. Contra. Intelligit de illa gratia, per quam induentes nouum hominem, efficimur puri, innocentes, ac Deo dilecti. ergo.

49 Respondent tertiò. Particulam, *Per*. Non semper importare causalitatem formalem, vnde etiam peccatum dicitur remitti per misericordiam Dei. Contra. Semper importat aliquam causalitatem, & Concilium explicat causalitatem formalem, ergo opponit peccato vt nouum hominem veteri homini.

50 Probatur secunda Conclusio. Gratia ex natura sua habet effectus formales oppositos effectibus peccati, ergo ex natura sua habet oppositionem cum peccato. Antecedens probatur: Constituit hominem filium Dei per participationem diuinæ naturæ; facit hæredem regni Cælestis; facit dignum speciali amore, conuertit ad Deum habitualiter: viuificat animam, sanctificat, & mundat. Peccatum vero tollit ab homine filiationem Dei, & facit seruum Diaboli; priuat hereditate Cælesti, reddit indignum amore Dei: auertit ab ipso, est mors animæ, est iniquitas maculans animam; hi autem effectus ita opponuntur effectibus gratiæ, vt sint priuationes ipsorum.

51 Ad primum, peccatum non habere infinitatem. Deinde quidquid sit de hoc, potest bonitas finita tollere malitiam infinitam, quando talis infinitas fundatur in priuatione eiusdem bonitatis; quia sublato fundamento, tollitur etiam, quod in ipso fundatur. Ad secundum. Quidquid sit de modo, quo peccatum habituale expellit gratiam, negatur consequentia. Quia sufficit, si gratia habeat naturalem oppositionem cum peccato habituali, & ipsum ex natura sua expellat, habet autem hanc oppositionem, vt constat ex dictis. Ad tertium negatur assumptum. Quia peccatum habituale importat etiam priuationem gratiæ: neque sequitur, omnia peccata habitualia esse eiusdem rationis, quia dicunt ordinem ad peccatum actuale, ratione cuius diuersificantur. Ad quartum negatur consequentia. Quia peccatum habituale non est in se formaliter voluntarium; sed tantum quatenus consurgit ex actuali voluntario, vnde sufficit conuersio habitualis in Deum, quæ dicat ordinem ad actualem conuersionem voluntatis, vt ipsum expellat. Ad quintum. Tridentinum ita docuit, vt explicet effectum adæquatum gratię, quæ non solum sanctificat, sed etiam remittit peccatum, non autem, quia sanctificatio non expellat etiam peccatū.

An de potentia absoluta possit gratia conseruari in homine actualiter peccante.

SECTIO VIII.

42 Supponendum est contra Lorcam 1. 2. *disp.* 40. *de gratia.* Nō posse in primo instanti, in quo homo peccat, permanere gratiam de potentia ordinaria, nam in illo primo instanti fit iniustus, & obiectum odij diuini; vnde non potest simul, & semel esse iustus, & obiectum amoris, qui opponitur tali odio, hic autem amor semper perseuerat, quousque gratia perseuerat, cum ab ipso dependeat in conseruari: vnde difficultas est, An de potentia absoluta possit conseruari gratia in eo, qui actualiter peccat.

53 Prima Sententia est affirmatiua. Ita Ochamus *in* 4. *quæst.* 3. Scotus *dist.* 16. *quæst.* 4. Richardus *distinct.* 31. *articul.* 1. *quæstion.* 1. Ariminensis *in* 1. *distinction.* 17. *quæst.* 1. *articul.* 2. Durandus *quæstion.* 10. Medina

1. 2. *quæst.*

1. 2. *quæst*. 110. *art*. 4. Curiel *quæst*. 113. *art*. 2. *dub*. 3. §. 2. Lorca *disp*. 4. *de gratia*. Suarez *lib*. 7. *de gratia cap*. 19. & communiter omnes Scotistæ.

54 Probant. Non adest repugnantia physica inter gratiam, & peccatum actuale, cum actuale peccatum consistat in priuatione gratiæ; Nec etiam moralis, quia licet peccatum reddat indignum gratia, non tamen cogit Deū ad ipsam destruendam, ergo. Secundò. Non est de ratione peccati actualis, vt excludat gratiam; sed solum vt possit excludere, ergo. Tertiò. Effectus physicus gratiæ est constituere hominem dilectum à Deo speciali modo; effectus verò peccati actualis est auertere à Deo, & conuertere ad creaturam; non adest autem contradictio, quod quis amet eum, à quo non amatur. Quartò. Si per impossibile daretur creatura rationalis, cui esset connaturalis illa inclinatio ad finem supernaturalem, quæ habetur ratione gratiæ; posset peccare, quia esset defectibilis, & tamen, si peccaret, non esset necessarium, quod annihilaretur; immo esset impossibile, quod annihilaretur in eo instanti, in quo peccaret, ergo peccatum actuale potest esse simul cum gratia. Quintò. Habitus virtutis potest conseruari cum actu vitij oppositi, ergo etiam gratia cum peccato actuali.

55 Secunda sententia est negatiua. Ita Capreolus *in* 1. *dist*. 17. *quæst*. 2. *art*. 3. Sotus *de natura & gratia libr*. 2. *capit*. 18. & *in* 4. *distinct*. 15. *quæst*. 1. *artic*. 2. Asturicensis *de gratia Christi in fine proemij* Vasquez 1. 2. *disp*. 204. *cap*. 4. & 5. Montesinus 1. 2. *quæst*. 113. *art*. 2. *quæst*. 7. §. 2. Coquetus *lib*. 3. *de gratia sanctificante disput*. x. *cap*. 2. & desumitur ex Diuo Thoma 1. 2. *quæst*. 113. *articul*. 1. *in corpore*.

56 Dicendum est. *Non posse Deum conseruare gratiam in eo, qui mortaliter actualiter peccat*. Probatur: Idem non potest esse obiectum amoris, & odij oppositi eidem amori, ergo non potest cōseruari gratia in homine actualiter peccante. Antecedens patet. Quia non potest voluntas simul se copulare cum obiecto, & se auertere ab ipso auersione opposita eidem vnioni. Consequentia probatur. Quia homo per peccatum se constituit obiectum odij oppositi illi amori, quo Deus infundendo gratiam diligit iustos, & per gratiam constituitur obiectum amoris oppositi tali odio. Confirmatur. Actus voluntatis, quo Deus confert gratiam, est amor, quo diligit in ordine ad finem supernaturalem, ita vt talis finis fiat debitus; homo autem, cum peccat, odio habetur à Deo in ordine ad eumdem finem, qui ipsi fit indebitus; implicat autem, Deum amare, & odio habere in ordine ad eundem finem; & quod simul finis sit debitus, & indebitus.

57 Dices. Constituere obiectum talis amoris esse effectum secundarium gratiæ, & ideo posse à Deo impediri. Contra. Gratia est effectus primarius amoris, & obiectum primarium ipsius, quia producitur ab ipso, ergo implicat talis āmor sine tali obiecto, ergo cum nō possit dari gratia sine tali amore, nec etiam poterit dari, nisi constituat tale obiectum. Secundò. Constituere amabile est effectus primarius bonitatis, ergo implicat communicari alicui subiecto talem bonitatem, & non communicari talem amabilitatem.

58 Dices secundò. Hoc valere de gratia, quando est in homine morali modo, hoc est intuitu meritorum Christi: non autem, quando est in ipso tantum physico modo secundum suam entitatem. Contra. Quocunque modo sit in homine est speciale bonum ipsi communicatum, ergo cum implicat bonum communicari à Deo, & non ex vi amoris correspondentis tali bono; posita gratia homo debet amari tali amore, qui correspondeat tali bono, ergo adhuc simul diligeretur, & odio haberetur.

59 Ad primum negat. assumptum. Nam adest repugnātia physica penes rationem obiectiuam amoris, & odij, vt constat ex dictis. Ad secundum negatur assumptum ob repugnantiam contradictoriam, quæ consurgeret posita gratia cum actuali peccato. Ad tertium; effectum peccati

Thomus Secundus.

esse reddere indignum amore Dei: effectum autem gratiæ esse reddere dignum, quæ contradictoria sunt, vt constat ex dictis. Ad quartum. Posita tali creatura esset impeccabilis, quia haberet rectitudinem sibi intrinsecam. Ad quintum negatur paritas. Quia actus vitij, & habitus virtutis opposita non fundant contradictionem.

An de potentia absoluta gratia, & peccatum habituale possint esse simul.

SECTIO IX.

60 Prima sententia est affirmatiua, ita Scotus *in* 2. *dist*. 37. §. *Ad quæstionem*. Medina 1. 2. *q*. 113. *art*. 3. *dub. penultimo*. Curiel *in cap*. 2. *epistolæ* 2. *Diui Petri num*. 182. Suarez *lib*. 7. *de gratia cap*. 20. & alij, qui tenent posse esse simul cum peccato actuali.

Probant. Deus potest vincere repugnantiam, quam habet gratia cum peccato habituali, cum non opponantur tamquam actus vitales contrarij, nec tamquam habitus, & priuatio, quia licet de facto peccatū includat priuationē gratiæ, tamē priuatio materialit. se habet ex eo, quod homo sit ordinatus ad finē supernaturalē; peccatum verò consistit solum in habitudine ad actuale peccatum. Secundo. Ad remissionem peccati non sufficit sola gratia, sed requiritur etiam voluntas Dei condonantis peccatum; potest autem Deus infundere gratiam, & non condonare peccatum, ergo. Tertiò. Potest Deus alicui dare gratiam, & non Spiritum Sanctum, nec ex meritis Christi; tunc autem gratia non sanctificaret, nec expelleret peccatum.

61 Secunda sententia asserit, implicare, ita ij, quos *sectione præcedenti* citauimus pro secunda sententia, & præterea Lorca 1. 2. *disp*. 40. *de gratia*.

62 Dicendum est. *Gratiam etiam de potentia absoluta non posse esse simul cum peccato habituali*. Probatur. Peccatum habituale de facto importat formaliter priuationem gratiæ. Ergo non potest stare simul cum ipsa. Antecedens probatur. Tota illa priuatio in peccato habituali se habet formaliter, quæ est priuatio ordinis, & rectitudinis habitualis respectu vltimi finis: nām peccatum consistit formaliter in deordinatione, & auersione ab vltimo fine: priuatio autem gratiæ est priuatio ordinis, & rectitudinis habitualis respectu vltimi finis supernaturalis. Confirmatur. Gratia, & peccatum habituale habent effectus priuatiuè oppositos, ergo non possunt esse simul. Antecedens probatur. Gratia facit hominem habitualiter conuersum ad Deum, debitè ordinatum, gratum, & acceptum Deo, amicum, & filium Dei, sanctum, mundum, dignum vita æterna, & habentem ius ad ipsam. E contra peccatum facit hominem habitualiter auersum à Deo, inordinatum, inuisum, Deo inimicum, seruum diaboli, maculatum, iniustum, immundum, indignum vita æterna, ita vt careat iure ad ipsam. Confirmatur secundo. Peccatum est mors animæ secundum suum effectum primarium: Gratię autem ex vi sui effectus primarij viuificans animam, quia primario est participatio diuinæ naturæ, ergo.

63 Respondet Suarez. Non sequi effectus contradictorios, sed quasi contrarios ex diuersis rationibus, & fundamentis, quæ possunt esse simul de potentia absoluta. Contra. Aliqui effectus sunt purè contradictorij, vt esse iustum, & esse iniustum: esse mundum, & immundum; viuum, & mortuum, & alia huiusmodi, quorum vnus dicit intrinsecè negationem oppositi; ergo. Secundo. licet ex diuersis capitibus interueniant diuersi effectus ex vtraque parte positiui. Vnus tamen habet intrinsecè annexam negationem alterius, vt esse conuersum ad creaturam, & auersum à Deo, ergo.

64 Respondet secundò. Gratiam sanctificare, si non impediatur; in tali autem casu impediretur à peccato, quia perfecta sanctitas ne dum dicit

C 2 perfe-

perfectionem positiuam, sed etiam exclusionem iniquitatis. Contra. Sanctitas, & Iniquitas opponuntur priuatiue, ergo eo ipso, quod in aliquo ponitur Sanctitas, excluditur iniquitas, gratia autem est formaliter, & simpliciter Sanctitas.

65 Respondet tertiò. Gratiam facere dignum gloriæ dignitate connaturalitatis: peccatum vero indignum indignitate meriti, & ideo non se habere contradictoriè.

Contra. Peccatum, non solam demeretur gloriam, sed etiam reddit subiectum incapax, ergo tollit etiam dignitatem connaturalitatis. Confirmatur. Dignitas connaturalitatis importat ordinem debitum ad finem supernaturalem; peccatum autem tollit hunc ordinem.

66 Respondet. quartò. Gratiam, licet ex natura sua faciat amicum, non tamen necessitare Deum ad remissionē peccati, vnde, si non remittit, non consumatur amicitia, sed tantum subiectum fit dignum, cui condonetur offensa. Contra. Sequeretur, quod homo esset simpliciter inimicus Dei, quia esset ipsi inuisus ratione peccati, & esset simpliciter amicus; quia, ne dum esset dignus illo amore, quo Deus diligit iustos, sed etiam amaretur tali amore, quia faceret ipsum dignum tali amore, dum gratiam cōmunicaret; quando autem Deus communicat bonum, amat illo amore, qui correspondet bono communicato, siquidem amare Dei est communicare bonum.

67 Ad primum negatur assumptum. Quia gratia, & peccatum habituale opponuntur priuatiue, vt constat ex dictis. Ad secundum negatur assumptum. Nam non requiritur alia voluntas condonans peccata præter illam, quæ dat gratiam. Ad tertium negatur similiter assumptum, Quia gratia est ratio formalis, per quam Spiritus Sanctus inhabitat in nobis, & hęc ratio adhuc sanctificaret, etiamsi non daretur ex meritis Christi, vt constat in Angelis iuxta opinionem eorum, qui asserunt non habuisse gratiam ex meritis Christi.

An peccatum possit remitti absque mutatione intrinseca peccatoris.

SECTIO X.

68 Prima sententia est affirmatiua. Ita Scotus *in 4. dist. 16. quæst. 2.* Gabriel *q. 1. ar. 1. & 2.* Ocham. *quæst. 9.* D. Bonauentura *dist. 17. p. 1. art. 1. quæst. 1.* Alensis *4. p. q. 17. mem. 4. art. 6. dub. 1.* Ferrariensis *3. contra gentes cap. 157.* Curiel 1. 2. *quæst. 113. articul. 3. dub. 2. §. 2.* & alij.

Probant. Potest Rex per solam acceptationem extrinsecam acceptare aliquem ad suam beneuolentiam, à quo sit offensus, ergo etiam Deus. Secundò. Gratia tollit peccatum in virtute extrinsecæ condonationis, ergo poterit sufficere etiam sola extrinseca condonatio. Tertiò. Esse in peccato non est aliud, nisi esse destinatum ad pœnas: sola autem voluntate Dei potest tolli hęc destinatio. Quartò. Gratia, & peccatum non opponuntur immediatè, sed datur status medius puræ naturæ, ergo ad tollendum peccatum sufficit extrinseca remissio, per quam homo restituatur in statu purę naturæ.

69 Secunda sententia asserit in quatuor casibus posse remitti peccatum sine intrinseca mutatione. Primò. In homine condito in puris naturalibus. Secundò. In homine ordinato ad finem supernaturalem, sed sine habitibus infusis supernaturalibus. Tertiò. In eo, in quo, dum actualiter peccat, Deus conseruaret gratiam habitualem. Quartò. Si post peccatum non remaneret debitum perpetuum ex ordinatione diuina habendi, & recuperandi gratiam. Ita Suarez *lib. 7. de gratia cap. 23.* Tertius tamen casus, quem ponit, est impossibilis, vt constat ex dictis.

Probat. Nulla mutatio potest esse absolutè necessaria præter illam, quæ fit per gratiam habitualem; hæc autem non est necessaria in his casibus, quia remissio peccati nō fieret per talem gratiam, sed peccatum remitteretur ex sola extrinseca condonatione. Secundò. Actus peccatoris non potest esse necessarius, vt sit retractatio peccati, alioquin non posset fieri iustificatio per solam gratiam habitualem, nec requiritur retractatio, vt peccatum sit remissibile, cum ex natura sua sit tale, ergo. Tertiò. Per id, quod retractatur peccatum, non tollitur, vt patet in sola attritione extra sacramenta, ergo actus retractationis non est per se necessarius, vt sine ipso non consistat remissio. Quartò. Peccatum, postquam est transactum, relinquit solam offensam Dei, supposito, quod non inducat priuationem gratiæ, vt in casibus allatis, offensa autem potest tolli per solam extrinsecam condonationem.

70 Tertia sententia asserit, peccatum nullo pacto posse tolli absque mutatione intrinseca peccatoris. Ita Durandus *in 4. dist. 17. quæst. 1. num. 7.* Sotus *distin. 15. quæst. 1. articul. 2.* Richardus *articul. 3. quæst. 7.* Caietanus 1. 2. *quæst. 113. articul. 2.* Medina *ibidem*. Lorca *disput. 37. de gratia* Vasquez *disp. 206. cap. 2.* Turrianus *disp. 3. de forma sanctificante dub. 1. & 2.*

71 Dico primò, *Non potest de potentia absoluta remitti peccatum sine intrinseca mutatione peccatoris.* Probatur. Peccatum relinquit post se maculam, quæ consistit in priuatione debiti ordinis, & pulchritudinis animę, quæ in pura natura importaret priuationem ordinis naturalis: in homine vero eleuato importat etiam priuationem gratiæ, ergo non potest tolli peccatum sine mutatione intrinseca, nam non potest auferri priuatio, nisi per formam oppositam. Confirmatur. Stante eleuatione hominis ad finem supernaturalem non potest Deus facere, quin gratia sit debita ex ordinatione diuina, alioquin vellet contradictoria: & absolutè non potest facere, ne ordo debitæ rectitudinis sit debitus, ergo absolutè non potest tolli peccatum, nisi inducatur ordo debitus secundum exigentiam status. Confirmatur secundò. Non potest fieri transitus de denominatione ad oppositum, nisi fiat mutatio in fundamento denominationis: fundamentum autem, quo quis denominatur peccator, non est voluntas Dei nolentis remittere peccatum, sed quid inordinatum ex parte peccatoris: nam voluntas Dei nolentis remittere peccatum non facit, sed supponit peccatum, atque adeo, ex eo quod cesset talis voluntas, non cessat peccatum, ergo non sufficit extrinseca condonatio, vt tollatur fundamentum huius denominationis.

72 Dico secundò. *Neque peccatum originale potest tolli absque mutatione intrinseca peccatoris.* Est contra Vasquez *citatum*. Probatur. Peccatum originale maculat animam, priuat debita rectitudine, & est mors animæ, atque adeo importat effectus priuatiuos: effectus autem priuatiui non possunt tolli à subiecto sine intrinseca mutatione ipsius.

73 Dico tertiò. *Neque peccatum actuale potest remitti absque mutatione intrinseca peccatoris.* Probatur: Implicat, actualiter peccantem non esse intrinsecè peccatorem permanente eodem actu, ergo implicat peccatum esse remissum, & peccatorem non esse iniustum, nisi intrinsecè mutetur.

74 Dices. Posse denominari iustum ab actu Dei remittentis peccatum. Contra. Adest forma intrinseca dans oppositam denominationem, atque adeo impediens denominationem extrinsecam, ergo. Secundò. Deus non potest habere hunc actum, nisi mutando peccatorem, quia non potest amare peccatorem, dum actu peccat. ergo

75 Dico quartò. *In statu puræ naturæ sufficeret mutatio intrinsecè naturalis.* Est contra Vasquez, & Turrianum *citatos*. Probatur: Sufficit illa mutatio, per quam inducitur totus ille ordo, qui opponitur deordinationi inductæ per peccatum, totus autem hic ordo in pura natura esset naturalis, alioquin non posset re-

mitti

mitti peccatum, nisi fieret eleuatio ad statum supernaturalem.

76 Obijciunt. Peccatum etiam in statu puræ naturæ auerteret à Deo, vt fine supernaturali. Ergo non sufficeret mutatio naturalis, quia per hanc non posset homo conuerti ad Deum vt finem supernaturalem. Respondetur distinguend. antecedens. Auerteret radicaliter, quatenus tolleret fundamentum conuersionis supernaturalis; non autem formaliter; vnde sufficeret sola conuersio radicalis, quæ consistit in rectitudine naturali.

77 Obijciunt secundò. Sequeretur, quod etiam de facto sufficeret mutatio naturalis, quia peccatum est eiusdem rationis. Resp. neg. sequelā. Quia in pura natura peccatum non priuaret rectitudine supernaturali, sicuti modo priuat, vnde esset diuersæ rationis.

78 Ad primum primæ sententiæ negatur consequentia. Quia Rex potest mutari intrinsecè, atque adeò diligere obiectum, quod prius non diligebat nulla facta mutatione in ipso; Deus autem non potest mutari, & ideò non potest diligere de nouo, nisi mutetur obiectum. Ad secundum negatur assumptum. Siquidem gratia tollit peccatum virtute propria. Ad tertium negatur etiam similiter assumptum. Quia peccatum importat etiam intrinsecam maculam. Ad quartum negatur consequentia. Quia de facto non potest homo à statu peccati transire ad statum puræ naturæ stante ordinatione diuina; deinde, etiam si posset transire, non posset id fieri absque mutatione intrinseca, per quam acquireret rectitudinem naturalem.

79 Ad primum secundæ sententię negatur assumptum. Nam etiam in illis casibus est necessaria mutatio intrinseca, vt inducatur rectitudo habitualis, quæ tollitur per peccatum. Ad secundum negatur consequentia. Quia, licet de potentia absoluta non sit necessaria retractatio peccati, est tamen necessaria mutatio ponens debitam rectitudinem; & ideò si alio pacto non potest poni, est necessaria retractatio; non vt per ipsam peccatum fiat remissibile, sed vt fiat in homine necessaria rectitudo. Ad tertium distinguitur consequens. Actus retractationis non est necessarius, vt forma mundans à peccato, & conceditur. Non est necessarius vt inferens intrinsecam mutationem, ex qua consurgat debita rectitudo, & negatur; nam in eo casu, in quo remitteretur peccatum absque infusione gratiæ, non posset haberi rectitudo sine tali actu. Ad quartum negatur assumptum. Quia licet peccatum non induceret priuationem gratiæ, vt in illis casibus, induceret tamen aliquam maculam, & ideo transacto actu non remaneret sola offensa Dei.

An de potentia absoluta possit adultus iustificari per solum habitum absque proprio actu.

SECTIO XI.

80 PAruulos iustificari in Baptismo per solum habitum absque proprio actu, certum esse de fide ex Tridentino *sessione quinta, canone quinto*, & desumitur etiam ex Scriptura, quatenus docet, hominem in Baptismo regenerari, vnde solum difficultas remanet de adultis.

81 Prima sententia est negatiua. Ita Scotus *in 4. distinct. 15. articul. 2.* Petrus Scotus *lect. 4. de pœnitentia*, & alij.

Probant. Moralis deordinatio relicta per peccatum non potest tolli, nisi retractetur. Ergo est necessarius proprius actus retractationis.

Secundò. Deus non potest remittere peccatum, nisi diligendo; non potest autem diligere peccatorem, nisi conuertat eius voluntatem in se ipsum, quia non potest diligi, nisi sit bonus, & non potest fieri bonus, nisi se conuertat in Deum. Tertiò. Quamdiu manet affectus ad peccatum, non potest tolli peccatum: manet autem, quamdiu non retractetur peccatum. Quartò. peccatum habituale dicit essentialem ordinem ad actuale, ergo non potest tolli, nisi per rectitudinem habitualem, quæ dependet ab actuali.

82 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Richardus *in 4. distinct. 15. quæstion. 1. articul. 6.* Vasquez *prima secundæ, disput. 217. capit. 3.* Curiel *quæst. 113. artic. 3. dub. 2. §. 2.* Suarez 7. *de gratia cap. 21.* Turrianus *disp. 3. de forma sanctificante dub. 10.* & alij.

83 Dicendum est. *Deum posse iustificare per solum habitum gratiæ, absque proprio actu peccatoris.* Probatur. Potest infundere gratiam alicui absque eo, quod eliciat aliquem actum, vt si infunderet dormienti. Ergo potest iustificare absque actu. Antecedens patet. Quia homo est capax gratiæ, & peccatum non potest resistere infusioni, cum priuatio non resistat formæ. Consequentia probatur. Quia posita forma in subiecto non potest non exhibere suum effectum formalē. Confirmatur. Macula non est voluntaria formaliter, sed tantum quia resultat ex actu voluntario. Ergo potest tolli sine concursu voluntatis, cum non dependeat in esse à voluntate peccatoris.

84 Dices. Hominem ratione peccati non retractati esse incapacem gratiæ. Contra. Non est incapax physicè, cum peccatum non mutet esse physicum naturæ, nec etiam moraliter, quia hæc incapacitas moralis non esset aliud, nisi indignitas, quæ non reddit incapacem, nec potest impedire infusionem gratiæ: ergo. Confirmatur. Peccatum non ponit aliquid positiuum in anima. Ergo nec aliquid, ratione cuius fiat incapax.

85 Dices secundò. Subiectum non esse capax gratiæ, nisi per actum disponatur, & tollatur opposita dispositio. Contra. Actus non ponit aliquid, quod perseueret perseuerante gratia habituali. Ergo non ponit dispositionem necessariam pro capacitate subiecti. Confirmatur. Quia gratia ex natura sua non requirit talem dispositionem, vt constat in paruulis.

86 Dices tertiò. Gratiam non tribuere suum effectum formalem, nisi interueniat actus. Contra. Posita forma in subiecto capaci, implicat non poni effectum formalem, qui non potest impediri à quocunque contrario, sed ad summum potest impediri introductio formæ, deinde in paruulis gratia tribuit suum effectum formalem absque eo, quod interueniat actus, ergo.

87 Ad primum negatur assumptum. Quia moralis deordinatio relicta per peccatum est habitualis, & ideo tolli potest per ordinem habitualem, qui importatur à gratia.

Ad secundum negatur minor. Quia vt Deus diligat peccatorem, sufficit, si in ipso deleat peccatum per gratiam, qua peccator fit obiectum diligibile.

Ad tertium negatur minor. Quia post peccatum actuale remanet solum effectus habitualis ad peccatum, qui tollitur eo ipso, quod infunditur gratia.

Ad quartum negatur consequentia. Solum enim sequitur, quod non possit tolli peccatum, nisi per rectitudinem habitualem, quæ dicat ordinem ad actualem non vt antecedentem, sed vt subsequentem; hæc autem rectitudo habitualis est ipsa gratia.

An contritio, & charitas actualis expellat ex natura sua peccatum.

SECTIO XII.

88 PRima sententia est affirmatiua, asserens, expellere per modum formæ physicè incompossibilis cū peccato. Ita Richardus *articulo quarto*. Iansonius *in concordia, capite* 48. Casalius *part. secunda de quadripartita iustitia, cap.* 2. Stapletonius *lib.* 3. *de iustificatione, capit.* 8.

Probant. Per conuersionem ad Deum tollitur auersio ab ipso, ergo peccatum. Secundò. Peccatum non est magis potens, vt auertat à Deo, quàm amor, & contritio, vt conuertat: nam maior est bonitas amoris, quàm sit malitia peccati, ergo. Tertiò. Peccatum formaliter remittitur per id, quod homo fiat amicus Dei: fit autem per charitatem, quæ est essentialiter amicitia. Quarto. Priuatio conformitatis ad legem, in qua consistit peccatum, tollitur per conuersionem ad Deum, quia per ipsam homo conformatur legi, ergo. Quinto. Sanctitas consistit in coniunctione cum Deo, vt vltimo fine, hæc autem coniunctio habetur per actum charitatis.

89 Secunda sententia asserit, non expellere ex natura sua peccatum, sed tantum facere debitam remissionem ex iustitia, quæ tamen non est rigorosa iustitia, quia supponit gratiam, à qua prouenit contritio, seu amor. Ita Scotus *in* 4. *distinctione* 15. *quæstion.* 1. *articulo* 2. Sotus *distinct.* 19. *quæstione prima, articulo secundo ad primum*. Richardus *distinction.* 17. *artic. primo, quæstion.* 7. Caietanus *tertia parte, quæstione prima, art.* 2. *dub. primo circa solutionem secundi*. Bannes *prima par. quæst.* 21. *art.* 4.

Probant. Vbi interuenit iustitia, vbi interuenit promissio sub conditione operis; Deus autem promisit remissionem peccati sub conditione conuersionis ad ipsum: Ezechielis 18. *Si impius egerit pænitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor*. Prima Ioannis primò. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & iustus, vt remittat*. Secundo. Pænitentia est species iustitię, quę habet pro obiecto peccatum, vt compensabile per proprios actus, ergo.

90 Tertia sententia est absolutè negatiua, asserens cōtritionem, & amorem esse tantum dispositionem ad remissionem peccati. Ita Suarez *disputation. quarta de Incarnatione, sectione octaua*. Cumel, *prima secundæ. quæstione* 113. *articulo quinto, disputat. secunda, conclusione sexta*. Ragusa *disputatione quinta de Incarnatione*, §. 2. Cabrera *tertia parte, quæstione prima, articulo secundo, disputatione* 13. §. 3. & 4. Albertinus *coroll.* 18. *ex primo principio complexo, punct.* 5.

91 Dico primò. *Contritio, aut amor non expellit peccatum ex natura sua, vt forma physica*. Probatur. In iustificatione habetur remissio peccati ex Concilio Tridentino *sess. sexta, capit.* 7. Contritio autem non est iustificatio, sed dispositio ad ipsam ex eodem Concilio, *capit.* 6. *eiusdem sessionis*, & *sessione* 14. *cap.* 4. Vbi definit, contritionem præparare animam ad remissionem peccatorum. Confirmatur. Per contritionem ita disponitur peccator, vt gratis remittatur peccatum, vt decernit Tridentinum *sessione* 6. *capit.* 9. non remitteretur autem, si ipsa contritio formaliter expelleret.

92 Dices. Intelligi de contritione, vt est à libero arbitrio, non autem, vt est à gratia. Contra. Tridentinum loquitur de contritione, pro vt est dispositio, vt talis autem est a gratia ex eodem citato loco.

93 Dico secundò. *Remissio peccati non est debita ex iustitia etiam fundata in gratia antecedenti homini contrito*. Ita communiter Patres Ambrosius *primo de pænitentia capite quarto*. Expectat *conuersionem nostram vt reuertamur & ipsi ad gratiam: Expectat lachrymas, vt profundat pietatem suam*. Fulgentius epist. 7. cap. 7. *Sicut Deus per iustitiam damnat auersum, ita per misericordiam saluat conuersum*. Similia habet Chrysostomus *homil.* 26. *in Genesim*. Hieronymus *epistol.* 46. & 48. Probatur: Scriptura docet, remissionem peccati esse nouum beneficium, & gratis fieri. Ad Romanos 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*. Vnde Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 8. Declarat nos gratis iustificari, quia nihil eorum, quæ præcedunt nostram iustificationem, illam promerentur. Isaiæ 55. *Reuertatur ad Deum, & miserebitur eius*. Prouerbiorum 38. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*.

94 Dices. Remissionem peccati esse gratiam, quia contritio fundatur in gratia. Contra. Tridentinum negat esse ex iustitia; sed gratis fieri, quia nihil eorum, quę præcedunt iustificationem, ipsam promerentur; hoc autem non esset verum, si ex iustitia tribueret contritioni, non esset merces, sicuti est gloria.

95 Dices secundò. Dici gratiam, quia non adest iustitia inter vnum, & aliud opus Dei, atque adeò nec inter contritionem, prout est opus Dei, & remissionem peccati.

Contra. Tridentinum excludit omnino meritum etiam illud, quod est donum Dei, & opus ipsius, nam supponit non posse esse meritum, nisi sit donum Dei, ergo. Deinde *canone* 4. definit, pænitentiam, & cæteras dispositiones ad iustificationem non posse esse, nisi ex gratia, & tamen his dispositionibus docet non promereri iustificationem, ergo.

96 Dices tertiò. Per iustificationem intelligi etiam auxilia, quibus homo ad gratiam disponitur, & ideò gratis fieri, quia hæc auxilia gratis dantur, & gratis remittitur debitum carendi his auxilijs. Contra. Concilium Tridentinum *capit.* 8. docet, neque fidem, neque opera, quæ præcedunt iustificationem, ipsam promereri, ergo non intelligi de iustificatione, vt dicit etiam auxilium, quia fides est dispositio, & prouenit ex his auxilijs.

97 Dices quartò. Remissionem fieri gratis, quia licet homo satisfaciat per contritionem, non tamen est debita remissio peccati, quatenus est malum peccantis, licet sit debita, quatenus est offensa Dei. Contra. Satisfatio tendit ad ponendam ęqualitatem, & ad soluendum debitum ergo si facit debitam remissionem offensæ, facit etiam debitam remissionem peccati, vt est malum peccantis, quia est placatiua Dei offensi. Secundo: offensa Dei, vt talis est, est malum etiam peccantis, quia reddit Deum ipsi iratum, & obligat ad pœnam æternam, ergo.

98 Dices 5. Iustificationem fieri gratis, quatenus tollit deordinationem habitualem, non autem quatenus tollit deordinationem, quę erat in peccato actuali, quo Deus fuit offensus. Contra. Non potest permanere actualis offensa cum amicitia Dei; eo ipso autem, quod infunditur gratia, & homo fit amicus Dei, non potest intelligi, quod non sit etiam remissa offensa, atque adeò sublata deordinatio peccati.

99 Ad primum primæ sententiæ. Per conuersionem ad Deum, quæ consistit in contritione, tolli auersionem actualem, non autem habitualem, respectu cuius contritio est tantum dispositio. Ad secundum negatur assumptum. Quia peccatum relinquit maculam, quæ est priuatio participationis diuinæ naturæ; contritio autem non potest aliquid relinquere, ratione cuius tollatur deordinatio habitualis. Ad tertium distinguitur minor. Homo fit amicus Dei per charitatem habitualem coniunctam cum gratia; non autem per actualem, quæ solum est dispositio ad amicitiam. Ad quartum. Peccatum actuale consistere in priuatione conformitatis ad legem, non autem habituale: vt autem homo iustificetur, debet tolli habituale. Ad quintum. Sanctitatem non consistere in

qua-

quacunque coniunctione cum Deo, sed in coniunctione consortium diuinæ naturæ.

100 Ad Primam Secundæ Sententiæ. Tunc interuenire iustitiam, quando interuenit promissio per modum pacti; Deus autem non promisit remissionem peccati per modum pacti peccatori contrito, sed tantum declarauit suum propositum. Ad secundum. Pœnitentiam non esse partem iustitiæ subiectiuam, sed tantum potestatiuam, & non continere perfectam recompensationem iniuriæ, & ideo non facit debitam ex iustitia remissionem peccati.

An possit remitti vnum peccatum mortale sine alio.

SECTIO XIII.

101 SVpponendum est. Certum esse de fide; de lege ordinaria non remitti vnum peccatum sine alio, quia vt habetur in Tridentino *sess. 6. cap. 7.* Iustificatio est translatio de statu peccati ad statum filiorum Dei: Ita iustificati fiunt mundi, & puri; Vndè difficultas est de potentia absoluta.

102 Prima Sententia est affirmatiua. Ita Scotus *in 4. dist. 14. quæst. 1.* & cęteri, qui putant gratiam ex sua natura non expellere peccatum.

Probant. Potest Deus condonare vnum peccatum, sine alio. Ergo.

Secunda Sententia est negatiua. Ita D. Thomas *3. part. quæst. 86. art. 3.* & alij communiter.

103 Dicendum est. *Non posse remitti vnum peccatum mortale sine alio.* Probatur. Vnum peccatum sufficit, vt homo sit auersus à Deo, iniustus, immūdus, inimicus Dei, obsolutum odij. Ergo si Deus remitteret vnum peccatum sine alio, sequerentur omnes contradictiones; quæ sequuntur si gratia, & peccatum essent simul.

104 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum. Quia condonatio est actus amoris, qui facit obiectum diligibile; non potest autem esse diligibile tali amore remanente aliquo peccato.

DE FORMA REPARATIVA status supernaturalis, seu de gratia Sanctificante.

DISPVTATIO VII.

An gratia sanctificans, vt quid inhęrens animæ faciat hominem Deo gratum.

SECTIO I.

1 DIctum est in superioribus, hominem iustificari per aliquid inhærens per modum habitus; nunc autem videndum est. An etiam fiat gratus Deo per aliquid sibi inhęrens, ita vt illa forma, quæ sanctificat, reddat etiam Deo gratum.

Negant hæretici, pręsertim. Chemnitius, & Caluinistæ, & in hunc errorem incidit etiam Pighius *lib. 5. De libero arbitrio.*

2 Probant. Apud Scripturam hominem esse Deo gratum nihil aliud significat, quàm esse obiectum benignæ, & gratuitæ affectionis, vt Genesis 6. *Noe Inuenit gratiam coram Domino.* Lucæ 1. *Inuenisti gratiam apud Deum.* Ergo forma dans esse gratum est Dei beneuolentia. Secundò. Forma, qua vnus homo est gratus alteri, est beneuolentia illius, à quo amatur. Ergo etiam apud Deū. Tertiò. Sequeretur, aut sine hac forma non posse nos esse gratos, quod tamen est falsum, quia potest Deus aliquem acceptare ad gloriam, nihil ipsi infundendo. Aut cum hac forma, nō posse nos esse gratos Deo, quod etiā est falsum, nam hæc forma posset poni in peccatore: Confirmatur. Si hæc forma poneretur in lapide, deberet reddere gratum Deo ipsum lapidem, quod tamen est falsum. Quartò. Quando Deus odit peccatorem, nihil in ipso producit. Ergo neque quando amat iustum. Quintò. Talis gratia non est necessaria ad salutem, cum sufficiant actus supernaturales, quibus credimus, speramus, & diligimus, & obseruantia præceptorum, pro his autem sufficit gratia actualis.

3 Dicendum est. *Dari gratiam habitualem nobis inhærentem permanenter contradistinctā ab actibus; qua sumus grati Deo.* Ita communiter, præsertim D. Thomas *1. 2. quæst. 110. art. 1.* & traditur communiter à Patribus Dionisio *cap. 2. de Calesti hierarchia.* Ireneo *lib. 5. ca. 6.* Cypriano *lib. 2. epistola 2. Ad Donatum.* Ambrosio *lib. 6. hexameron. cap. 8.* Basilio *lib. De Spiritu Sancto cap. 27.* Augustino *lib. 1. De peccatorum meritis cap. 9.* Probatur. Secunda Corinthiorum 1. *Vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignum Spiritus in cordibus nostris.* Ad Ephesios 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Prima Ioannis 2. *Vnctionem, quā accepistis ab eo, maneat in vobis,* & cap. 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen eius manet in eo.* Ad Titum 2. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.* Ergo datur aliquid permanens in nobis, quo signati sumus, & vndè habemus ius ad hæreditatem cælestem; & per quod renascimur tanquam filij Dei, & vngimur Spiritu sancto; hæc autem significant gratiam, qua Deo grati sumus, & ab ipso dilecti. Confirmatur. Deus diligit iustos amore speciali distincto ab eo, quo amat bona naturalia etiam in peccatoribus, vt passim habetur in Scriptura. Ergo debet habere speciale obiectum. Ergo cum tale obiectum non supponatur, quia non est aliquod bonum, quod non sit à Deo communicatum, debet ex vi huius amoris constitui à Deo, atque adeo debet in iustis produci aliquod bonum terminans hunc amorem, atque constituens gratos respectu Dei.

4 Obijcit Durandus *in 1. dist. 17. quæst. 1.* Prius est, Deum amare hominem, quàm infundere aliquod donum. Ergo potest amare nihil conferendo, nam prius potest esse sine posteriori, Resp. Esse prius prioritate causalitatis, & ideo, cum amor sit efficax, non potest esse sine suo termino, quia implicat causam causare, & non adesse effectum.

5 Obijcit secundò Ochamus. Potest Deus facere aliquem acceptum ad gloriam, & sibi carum, ex eo præcisè quod decernat dare gloriam ergo. Respōdetur. Quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam. Quia Deus amat iustos, vt de præsenti dignos amore ipsius: Vndè de præsenti debent habere aliquid, quo sint digni tali speciali amore.

6 Obijcitur tertiò. Ex hoc tantum sequitur, quod Deus efficiat in nobis aliquod donum, non autem, quod tale donum sit permanens. Ergo. Respondetur negando sequellam. Quia obiectum debet proportionatè correspondere amori; Vndè sicut amor est permanens etiam terminatiuè, ita etiam iusti debent esse permanenter digni amore.

7 Ad primum negatur consequentia. Quia esse obiectum benignæ affectionis importat aliquod bonum proportionatum tali affectioni. Ad secundum negatur assumptum. Quia vnus homo est gratus alteri ratione alicuius excellentiæ, quam in se habeat. Ad tertium. Negatur vtraque sequella. Quia esse gratum dicit esse obiectum complacentię, atque adeo importat aliquam bonitatem; Vndè esse speciali modo gratum dicit specialem bonitatem, hæc autem bonitas, qua iusti speciali modo sunt grati, non

ti, non potest poni in peccatore remanente peccato, vt dictum est in superioribus: vndè ad Confirmationem negatur sequella. Quia hæc forma non potest informare lapidem cum in ipso non sit capacitas proportionata, ita vt possit fieri illa communicatio, quæ requiritur inter subiectum, & formam, vt consurgat effectus formalis. Ad quartum. Negatur consequentia. Quia est dispar ratio de amore, & odio, nam amor est communicatiuus boni, odium vero destructiuum subiecti. Ad quintum Negatur assumptum loquendo de potentia ordinaria; nam per gratiam habitualem homo acquirit ius ad hæreditatem Dei, & dignificat proprias operationes, ita vt sint meritoriç. An autem sit de fide, dari hanc formam habitualem reddentem hominem gratum, constat ex ijs, quæ diximus de forma iustificante.

An gratia habitualis sit formalis participatio diuinæ naturæ.

SECTIO II.

8 QVælibet perfectio creata est quædam participatio diuini esse, vel virtualis, vt sunt ea, quæ virtualiter continentur in Deo; Vel formalis, licet secundum diuersum modum essendi, vt sunt perfectiones simpliciter simplices; Vndè quęstio non procedit de hac participatione, sed de illa participatione, quę secundum aliquam proportionalitatem sit ipsa diuina natura, ita vt aliquo pacto Deificet. Ratio dubitandi est, quia diuina natura est ens per essentiam. Ergo imparticipabilis.

9 Dicendum est. *Gratiam esse participationem secundum quamdam proportionem, & analogiam diuinæ naturæ*. Ita Diuus Thomas 1.2. *qu.* 110. *art.* 2. *Ad secundum*. Curiel *art.* 3. *dub.* 1. §. 2. Turrianus *disp.* 1. *De gratia habituali dub.* 2. *& sequentibus*. Coquetus *lib.* 1. *De gratia sanctificante. disp.* 9. *cap.* 2. & alij communiter. Probatur, Secunda Petri 1. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*; Esse autem consortem diuinæ naturæ est habere aliquam participationem illius, & de hac participatione explicant hunc locum Athanasius *oratione secunda contra Arrianos*, Augustinus *Epist.* 102. *ad Honoratum. cap.* 4. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 2. *Thesaurium, cap.* 3.

10 Dices. Hunc locum explicari à Diuo Dionisio *cap.* 3. *de Cælesti hierarchia*, & ab alijs de participatione Eucharistiæ; vel etiam de Incarnatione, vt à Leone Papa *sermone primo de Natiuitate*. Contra. Quia idem locus Scripturæ potest habere plures sensus litterales, & quod hic locus habeat prædictum sensum colligitur ex ipso contextu. Confirmatur. Per gratiam regeneramur in filios Dei. Ad Titum 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. Ioannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Filiatio autem importat participationem naturæ ipsius Patris ab eo communicatam.

11 Dices. Per gratiam nos constitui filios adoptiuos, vndè non est necessaria participatio naturæ. Contra Adoptio in filios potest cadere tantum supra eos, qui participant eandem naturam, vndè homo non potest adoptare equum. Ergo cum homo non participet naturam diuinam, non potest adoptari in filium Dei, nisi ipsi aliquo modo communicetur natura diuina.

12 Dicendum secundò. *Hanc participationem non esse solum moralem, sed etiam physicam*. Probatur. Ex vitali participatione habetur regeneratio interna, qua homo regeneratur secundum vitam spiritualem gratię. Ergo per formam physicam, quæ sit physica participatio talis vitæ.

Ad Rationem dubitandi negatur consequentia. Quia potest participari analogica participatione.

Sub qua ratione natura diuina participetur per gratiam.

SECTIO III.

13 PRima Sententia asserit, gratiam esse participationem diuinæ naturæ, vt dicit gradum intellectualem. Ita Curiel 1.2. *quæst.* 110. *art.* 6. §. 16. Coquetus *lib.* 1. *de gratia sanctificante. disp.* 9. *cap.* 2. *conclusione.* 3. Suarez *lib.* 7. *de gratia cap.* 1. *num.* 30.

Probant. Gratia est principium radicale operationum intellectualium supernaturalium, & etiam natura diuina, vt dicit intellectualitatem, est principium earumdem operationum in Deo. Ergo gratia est participatio illius secundum hanc rationem.

14 Secunda Sententia vult esse participationem diuinæ naturæ, vt dicit ipsum esse per essentiam. Ita Asturicensis *De gratia Christi in Proemio ante primam quæstionem*. §. *Gratia per se primo*. Probat. Gratia dat esse absolutum, & sine limitatione prima Corinthiorum 15. *Gratia Dei sum id, quod sum*, hoc autem est proprium entis per essentiam. Secundò. Gratiæ conueniunt proprietates entis per essentiam, nam ex natura sua est immutabilis, indefectibilis, & æterna, cum sit radix vitæ æternę, & beatitudinis, quæ est ex natura sua indefectibilis. Ergo. Tertiò. Natura diuina est essentialiter ens per essentiam. Ergo non potest gratia esse participatio illius, sit participatio entis per essentiam.

15 Dico primò. *Gratia non est participatio diuinæ naturæ vt dicit intellectualitatem*. Probatur. Tum quia intellectualitas non est formale constitutiuum diuinæ naturæ. Tum quia non contradistinguitur ab actuali intelligere, vt suis locis diximus. Tum quia supernaturalitas intellectualis, quæ potest à creatura participari, est lumen gloriæ.

16 Dico secundò. *Gratia neque est participatio diuinæ naturæ vt est ens per essentiam, ita vt dicat eamdem formalem rationem cum diuerso modo essendi*. Probatur. Ratio entis per essentiam non est participabilis secundum eandem rationem. Ergo gratia non potest esse talis participatio. Antecedens patet. Quia participatio est destructiua illius, quod formaliter dicit, cum reddaț dependens, & limitatum.

17 Dico tertiò. *Gratia est participatio diuinæ naturæ, vt dicit plenitudinem essendi, secundum tamen quandam proportionem, & analogiam, ita vt non dicat eamdem rationem essendi formalem, sed diuersam, similem tamē proportionaliter*; hoc autem ita debet intelligi, quod gratia in via, quæ est imperfecta, & veluti dispositio ad perfectam, sit talis participatio radicaliter, & per modum seminis; in patria vero, vbi gratia habet esse perfectum, sit hæc participatio completo modo. Probatur. Gratia est principium, & fundamentum beatitudinis formalis, ita vt in via sit radix ipsius, & in patria se habeat per modum naturæ, in qua fundentur operationes beatificæ. Ergo est participatio analogica diuinæ naturæ, vt dicit plenitudinem essendi. Consequentia probatur. Plenitudo essendi in Deo est radix, & fundamentum omnis perfectionis ipsius. Ergo, cum in gratia contineatur veluti in fundamento perfectio omnis supernaturalis, quam potest habere beatus, importabit plenitudinem essendi secundum quandam proportionem, seu radicalem participationem cuiuscunque boni, quod in beatitudine communicatur Beato.

18 Ad fundamentum. Primę Sentent. Gratiam esse quidem principium radicale operationum intellectualium supernaturalium; ex hoc autem sequitur, quod sit participatio diuinę naturę, vt dicit plenitudinem essendi, secundum quam rationem etiam ipsa est tale principium.

9 Ad Primum Secundę Sententiæ negatur assumptum. Ad pro-

Ad probationem ✓. Apostolum velle tantum explicare, quod ex beneficio Dei habeat totum id, quod habet: non autem quod habeat esse illimitatum. Ad secundum negatur assumptum. Nam gratia non est magis indefectibilis, quam sint cætera entia supernaturalia, atque adeo solum, quia conseruatur ab extrinseco, sicut etiam Beatitudo non habet ab intrinseco indefectibilitatem, sed tantum exigit ab extrinseco conseruari. Ad tertium negatur sequella. Quia vt natura diuina sit participabilis, sufficit si possit participari secundum aliquam sui rationem, quę non repugnet creaturæ.

An gratia distinguatur à Charitate.

SECTIO IV.

20 SVpponendum est. In iustificatione infundi simul cum gratia habitum Fidei, spei, & Charitatis, vt de fide est ex Tridentino, *sess. 6. cap. 7.* fides autem, & gratia sunt habitus distincti realiter, vnde Tridentinum *sess. 6. can. 18.* definit, fidem non semper amitti, quando amittitur gratia per peccatum. Rursus gratia distinguitur etiam a spe, nam in peccatore amissa gratia remanet spes, cum non deperdatur, nisi per actus desperationis: Vnde solum difficultas est. An gratia distinguatur etiam à Charitate.

21 Supponendum secundò. De hac distinctione nihil posse colligi ex Scriptura, quia licet aliquando significet gratiam, & Charitatem esse distinctas, loquitur tantum de Charitate actuali, seu de ipso actu dilectionis: immo aliquando significat esse indistinctas, vt dum Charitati tribuit effectus gratiæ. Similiter nec etiam ex Concilijs, aut Patribus desumi potest hæc distinctio, quia dum admittunt dona distincta à gratia, loquuntur vel de cæteris habitibus supernaturalibus, vel de ipsis actibus.

22 Prima sententia asserit, distingui realiter. Ita Diuus Thomas 1. 2. *q.* 110. *art.* 3. Caietanus, & Medina *ibidem*. Curiel §. 1. Capreolus *in 2. dist. 26. q. vnica art. 1.* Diuus Bonauentura *q. 5.* Coquetus *lib. 1. de gratia sanctificante disp. 5 cap. 2.* Suarez *lib. 6. de gratia*, cap. 12. & communiter Thomistæ.

Probant. Virtus est dispositio proportionata naturæ subiecti, ergo cum Charitas sit virtus in ordine ad finem supernaturalem, debet supponere in subiecto statum supernaturalem, vt sit conueniens dispositio ipsius. Secundò. Inclinatio in finem supponit naturam proportionatam fini, ergo cum Charitas sit inclinatio in finem supernaturalem, debet supponere gratiam, quæ se habeat per modum naturæ proportionatæ fini supernaturali. Tertiò. Charitas est proximè operatiua, ergo non potest esse prima forma dans esse supernaturale. Quartò. Charitas debet se communicare non solum potentijs, sed etiam substantiæ animæ, ergo est necessaria gratia distincta à Charitate. Quintò. Gratia expellit formaliter peccatum habituale, quod est in essentia animæ, ergo est distincta à Charitate, quæ est in voluntate.

23 Secunda sententia asserit, esse eumdem habitum simul cum charitate. Ita Scot. in 2. *dist. 17. q. vnica.* Richardus *dist. 26. quæst. 1. artic. 1.* Durandus *quæst. 1.* Maior *ibidem*. Gabriel *quæst. vnica articul. 2. conclusione 4.* Bassolis *distinct. 28. quæst. 1.* & communiter Scotistæ.

24 Dicendum est. *Gratiam non distingui realiter à Charitate, sed in eadem entitate reperiri virtutem operatiuam Charitatis, & rationem formalem gratiæ, prout est participatio diuinæ naturæ, ita vt secundum hanc rationem perficiat essentiam animæ, secundum autem aliam rationem perficiat voluntatem.* Hæc conclusio sequitur ex eo, quod potentiæ non distinguātur realiter ab anima, & possunt applicari eædem rationes proportionaliter. Desumitur hæc conclusio ex Scriptura 1. Corinthiorum 9. *Nunc autem manent fides, spes, Charitas tria hæc,* si autē gratia esset distincta à Charitate, non manerent sola tria hæc, sed etiam ipsa gratia. Desumitur etiam ex Tridentino, *sess. 6. cap. 7.* vbi, cum docuisset, causam formalem nostræ iustificationis esse iustitiam, qua interius renouamur, declarans postea, quænam sit hæc iustitia, subdit. *Id tamen hac impij iustificatione fit, dum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, vnde in ipsa iustificatione hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & Charitatem.* Desumitur etiam ex Diuo Augustino de natura, & gratia cap. 42. *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia,* & Tract. *9. in Epistolam 1. Ioannis* docet, Charitatem esse pulchritudinem animæ, & Cap. 12. *& 13. De moribus Ecclesiæ*; esse formam sanctificātem animam. Probatur: Gratia est forma, qua quis fit iustus habitualiter, atque adeo habet rectitudinem in actu primo, ergo est essentialiter Charitas. Consequentia probatur: Charitas in actu secundo est actualis rectitudo iuxta illud Apostoli. *Plenitudo legis est dilectio*, ergo rectitudo habitualis, & in actu primo erit Charitas habitualis, & in primo. Confirmatur. Gratia est illa, qua renascimur, & regeneramur in vitam spiritualem, ergo est intrinsece Charitas. Consequentia probatur: Charitas in actu secundo est vita in actu secundo iuxta illud, *Qui non diligit manet in morte.* 1. Ioannis 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*, ergo. Vita habitualis, & in actu primo erit Charitas habitualis, & in actu primo.

25 Ad primum negatur consequentia. Quia ex eo, quod Charitas sit virtus, sequitur solum, quod debeat supponere subiectum proportionatum virtualiter distinctum; vnde supponit gratiam reddens subiectum proportionatum, qua est à se ipsa virtualiter distincta. Ad secundum negatur antecedens: Quia inclinatio in finem est intrinseca naturæ, & ideo cum Charitas sit inclinatio in finem supernaturalem, est intrinseca gratiæ, quæ se habet per modum naturæ in ordine supernaturali. Ad tertium negatur consequentia. Quia forma dans esse habet sibi identificatas proprias virtutes operatiuas. Ad quartum negatur consequentia, Quia, cum potentiæ non distinguantur realiter ab anima, Deus potest communicari per eamdem entitatem tum potentijs, tum etiam substantiæ. Ad quintum negatur consequentia. Quia gratia, licet indistincta à Charitate correspondet substantiæ animæ, & ideo potest ab ipsa expellere peccatum.

26 Obijcit. Fides, & spes distinguuntur realiter à gratia, ergo etiam Charitas. Respondetur: negando consequentiam. Quia est dispar ratio, neque enim sunt virtutes connaturales gratiæ, sicuti est Charitas: vnde nec ipsam essentialiter supponunt, sicut supponit Charitas.

An gratia habeat annexas virtutes.

SECTIO V.

27 CErtum est habere connexas virtutes theologales ex Tridentino, *sess. 6. cap. 7.* vnde solum difficultas est de Cardinalibus, & cæteris moralibus sub ipsis contentis, quæ sunt virtutes supernaturales.

38 Prima sententia est negatiua. Ita *Scotus in 3. dist. 36. quæst. vnica.* Durandus *dist. 35. quæst. 2.* Lichetus *dist. 33. quæst. vnica.* Bassolis *quæst. 2. art. 3.* Gabriel *in 3. dist. 4. quæst. 1. art. 2. & 3.* Ochamus *q. 3.* Henricus *quodlib. 6.* quæst. 12. & communiter Scotistæ.

Probant. Vel habent eadem obiecta cum virtutibus moralibus, & tunc erunt virtutes naturales: vel diuersa, & tunc non erunt virtutes, quia acquisitæ sufficienter perficiunt in ordine ad materiam moralem. Secundò. Actus harum virtutum possunt esse propter finem supernaturalem ex solo imperio Charitatis, ergo ex hoc capite non sunt necessariæ virtutes supernaturales. Tertiò. Iustificatio sufficienter completur per virtutes Theologales, ergo non sunt necessariæ morales supernaturales. Quartò. Hæ virtutes non semper infunduntur in iustificatione, vt constat

stat in adultis, qui baptizantur, in quibus nullum apparet vestigium harum virtutum, cum nec facilè operentur; nec sentiant affectus moderatos, & permaneant vitia opposita; si autem darentur, semper infunderentur. Quintò. Non possunt hę virtutes esse in appetitu, quia non attingũt honestatem supernaturalem; nec etiam in voluntate, quia deberent esse in eodem subiecto, in quo sunt acquisitæ. Ergo, cum non possint habere subiectum, nec etiam sunt admittendæ.

29 Secunda Sententia est affirmatiua. Ita D. Thomas 1.2.*quæst*.5.*art*.3.& *quæst*.63.*art*.3. Caietanus, Medina, Corradus *ibidem*. Aluarez *disp*.109. Loua *disp*.17.*de virtutibus*. Vasquez *disp*.86.*cap*. 5. Capreolus *in* 3. *dist*. 36. *quæst*.*vnica art*. 2. & 3. Paludanus *quæst*. 1. *art*. 2. Richardus *art*.1.*quæst*.2. Suarez 6. *De gratia cap*.9. Coquetus *lib*.1. *De gratia sanctificante*. *disp*. 15. *cap*. 3. & alij communiter, & opposita sententia ab aliquibus censetur erronea, communiter tamen dicunt esse minus probabilem. Quia, quando Concilium Viennense, vt refertur in Clementina. *Ad nostrum*. De *summa Trinitate*. Decernit eligendam esse vt probabiliorem illam opinionem, quæ asserit simul cum gratia infundi etiam virtutes, intelligit de infusione, quæ fit in Baptismo, & de virtutibus theologalibus; nam aliqui tunc temporis asserebant, quod in Baptismo remittebatur quidem paruulis peccatum, non tamen infundebantur gratia, & virtutes.

30 Dico primò. *Datur aliqua virtus super naturalis per se infusa per modum habitus in ordine ad actus virtutum moralium*. Probatur. Obiecta virtutum moralium sunt attingibilia supernaturali modo ex motiuo supernaturali. Ergo sunt attingibilia per habitus supernaturales. Cõseq. patet. Quia motiuum supernaturale specificat actum, & habitum supernaturalem secundum substantiam. Anteced. prob. Obiecta harum virtutum subordinantur vltimo fini supernaturali, siquidem ordinatè se habent ad ipsum. Ergo participant virtutem motiuam ab ipso, quia media, & fines, qui subordinantur, mouent in virtute finis vltimi.

31 Dico secundò. *Hæc virtus supernaturalis non est distincta à virtute charitatis, ita vt Charitas contineat in sua virtute etiam actus virtutum moralium*. Desumitur ex D. August. Epist. 29. *Et vt generaliter, breuiterque complectar, quam de virtute habeam motionem, quod ad rectè viuendum attinet, Virtus est charitas, qua id, quod diligendum est, diligitur*. Et Epist. 52. ad Maced. *Quamquam & in hac vita virtus non est, nisi diligere, quod diligendum est. Id eligere prudentia est. Nullis inde auerti molestijs, fortitudo est, nullis illecebris temperantia est, nulla superbia, iustitia est*. Et de moribus. Eccles. cap. 15. id plenè explicat. *Namque illud quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quattuor virtutes, quarum vtinam ita sit in mentibus vis, vt nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, vt temperantia sit amor integrum se præbens ei, quod amatur. Fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur. Iustitia amor soli amato seruiens, & propterea rectè dominans. Prudentia amor ea, quibus adiuuatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cuiuslibet, sed Dei esse diximus, idest summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ; quæ definire etiam sic licet, vt Temperantiam dicamus esse amorem Dei sese integrum, incorruptumque seruantem. Fortitudinem amorem omnia propter Deum facilè perferentem. Iustitiam amorem Deo tantum seruientem; & ob hoc benè imperantem veteris, quæ homini subiecta sunt. Prudentiam amorem benè discernerem ea, quibus adiuuantur in Deum ab ijs, quibus impediri potest*. Et cap. 22. eiusdem operis similiter habet. *Amor namque ille; de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur*. Et Epist. 29. *Quid autem est pietas, nisi Dei cultus: & vnde ille colitur, nisi charitate*. Et Epist. 120. cap. 18. de gratia noui rectam. Ad Honorat. *Porro pietas cultus Dei est; nec colitur ille, nisi amando*. Et lib. Musices Cap. 15. & 16. & lib. 1. De libero arbitrio. cap. 13. id probat inductione, & alibi passim similia habet.

32 Probatur. Voluntas habet vires naturales ad eliciendos hos actus in ordine naturali, & virtutes acquisitæ solum inseruiunt ad facilius operandum. Ergo charitas habet vires ad hos actus in ordine supernaturali; quia charitas dicit proportionaliter in ordine supernaturali; quia dicit voluntas innaturalis. Confirm. Quando aliqua virtus potest in aliquod obiectum vniuersale, potest etiam in omne particulare, & secundarium contentum sub ipso. Ergo cum charitas possit in finem supernaturalem vniuersalem, poterit etiam in omnes particulares ipsi subordinatos, qui ratione vltimi finis sũt attingibiles, præsertim cum honestas ipsorum sit honestas participata ab honestate prima increata. Ergo poterit elicere actus harum virtutum, cum habeant pro obiecto fines subordinatos vltimo fini.

33 Confirmatur secundò. Charitas ita tendit in Deum, vt omnia ordinet ad ipsum, tanquam ad illum, propter quem omnia sunt amabilia. Ergo charitas seruat debitum ordinem in omnibus agendis; quia cum ratione ipsius voluntas seruet debitum ordinem ad vltimum finem, amat, quicquid vult cum debita subordinatione ad vltimum finem, quod est seruare debitum ordinem in agendis. Ergo ex vi ipsius possunt exerceri actus omnium virtutum. Consequentia ista prob. Tunc exercetur actus virtutis, quando voluntas amplectitur obiectum virtutis ordinato modo. Quando autem vult obiectum virtutis cum debita subordinatione, amplectitur ipsum ordinato modo, atque adeo exercet actum virtutis. Confirm. tertiò. Virtus est, quæ reddit habentem benè affectum, & opus eius benè afficit ex Arist. 2. *Ethicor. cap*. 6. Et ideo reddit voluntatem rectam. Ergo, cum opus voluntatis sit diligere, faciet, vt diligat, quod diligendum est, & eo modo, quo diligendum est. Ergo talis virtus reddet rectam voluntatem, circa tale obiectum, & faciet, quod diligat eo modo, quo diligendum est. Sed hæc omnia præstat de se charitas. Ergo. Min. prob. Reddit rectam voluntatem, quia ponit in ipsa debitum ordinem respectu vltimi finis, & respectu cæterorum, & facit, quod diligat omnia diligibilia eo modo, quo diligenda sunt. Hinc D. August. De gratia Christi. cap. 21. *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas, quam scriptura nobis esse declarat ex Deo*. ex Apost. 1. Ad Chorinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam. &c.*

34 Ad 1. resp. Habere diuersa obiecta motiua, neque hinc fit, quod non sint virtutes, sed quod sint tales in ordine superiori, sicuti etiam ratio motiua est superioris ordinis. Ad 2. Neg. assumpt. Quia cum actus sunt ex motiuo supernaturali, debent eliciuè prouenire à virtute supernaturali. Ad Tertium. Negatur assumptum. Quia iustificatio importat statum supernaturalem perfectum, & integrum, atque adeo requirit vires supernaturales ad omnes actus supernaturales. Ad Quartum. Negatur assumptum. Nam semper, sicuti infunditur Charitas, infunduntur etiam hæ virtutes, cum sint cum ipsa identificatæ. Ad probationem. Non conferre sensibilem facilitatem, quia non tollunt impedimentum, ex quo prouenit difficultas, vt sunt Fomes, Concupiscentiæ, &c. Neque etiam moderantur affectus, nec habitus vitiosos expellunt, quia sunt ipsa Charitas, quæ formaliter non opponitur concupiscentijs, & habitibus vitiosis: Sic etiam in ordine naturali virtus naturalis ad eliciendos hos actus non expellit vitia. Ad Quintum. Negatur secunda pars antecedentis. Nam subiectum harum virtutum, est voluntatis, formale enim obiectum pertinet ad voluntatem, cum sit aliqua ratio boni honesti.

An gratia habeat annexa dona supernaturalia Spiritus Sancti.

SECTIO VI.

35 Distinguuntur dona à virtutibus, quia important extraordinarium modum operandi, videlicet ex speciali motione Spiritus Sancti, per quam homo potius agitur, quam agat; habitus vero virtutum habent consuetum modum tendendi, videlicet ex motu proprio operantis, & eiusdem deliberatione.

36 Prima Sententia est affirmatiua. Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. *&* 3. Caietanus, Medina *ibidem.* Aluarez *disp.* 117. Diuus Bonauentura *in* 3. *dist.* 34. *art.* 1. *quæst.* 1. Richardus *ibidem.* Albertus *art.* 1. Suarez 6. *De gratia. cap.* 10. Coquetus 1. *De gratia sanctificante. disputat.* 15. *cap.* 3.

37 Probant. Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ,* &c. quod, licet de Christo intelligatur, extenditur tamen etiam ad cęteros iustos, quia participant eamdem gratiam sanctificantem; Vnde etiam Ioannis. 14. *Apud vos manebit, & in vobis erit;* Requiescere autem importat habitum. Secundò. Diuus Gregorius 1. *Moralium. cap.* 28. Distinguit dona à virtutibus. Ergo: tertiò. Quò mouens est nobilior, eò nobiliori modo debet homo disponi, vt sequatur motum ipsius. Ergo, cum per virtutes disponatur ad sequendum motum rationis, debet per alios habitus disponi ad sequendum motum Spiritus Sancti: quartò. Actus donorum distinguuntur specie ab actibus virtutum, cum habeant diuersum modum tendendi. Ergo debent etiam prouenire à diuersis habitibus.

38 Secunda Sententia est negatiua; asserit enim, sufficere virtutes habituales. Ita Scotus *in* 3. *dist.* 34. *quæst. vnica* §. *Ad Instar.* Maior *quæst.* 1. Gabriel *art.* 2. *concl.* 1. Almainus *quæst. vnica.* Ochamus *in* 4. *quæst.* 3.

39 Dicendum est. *Non dari dona Spiritus Sancti habitualia, quæ sint habitus distincti à virtutibus, sed sufficere ipsas virtutes.* Probatur. Actus donorum non habent diuersa obiecta ab obiectis virtutum. Ergo non sunt à diuersis habitibus. Antecedens probatur. Non habent diuersa motiua, quia omnis bonitas obiectiua supernaturalis aut est vltimi finis, aut eorum, quæ sunt ad finem; bonitas autem horum omnium correspondet virtutibus theologicis; bonitas verò eorum, quæ sunt ad finem, correspondet virtutibus moralibus. Ergo non remanet aliqua bonitas supernaturalis, quæ possit esse motiuum habitus distincti à virtutibus. Confirmatur. Dona habitualia non sunt necessaria, vt homo disponatur ad recipiendam motionem Spiritus Sancti. Ergo non sunt admittenda. Antecedens probatur. Hæc dispositio non potest esse passiua, cum motio in eo tantum consistat, quod Spiritus Sanctus vtatur viribus intrinsecis hominis; Nec potest esse actiua, quia pro hac sufficit virtus elicitiua horum actuum, quæ habetur per habitus virtutum.

40 Ad Primum. Conceditur totum. Quia non probat, quod ista dona sint habitus distincti à virtutibus; sed solum, quod sint habitus. Ad Secundum. D. Gregorium loqui de donis actualibus; non autem de habitualibus. Ad Tertium. Negatur consequentia. Quia virtutes disponunt ad vtrumque motum. Ad Quartum. Negatur assumptum. Quia actus donorum, & virtutum sunt circa idem obiectum, & ex eodem motiuo, & solum differunt in modo tendendi, quia actus virtutum procedunt cum deliberatione; actus donorum sine deliberatione, quia non homo vtitur habitu virtutis, sed Spiritus Sanctus. Sic etiam eadem virtus voluntatis potest operari libero modo, & agi à Spiritu Sancto, vt contingit in inspirationibus, & pijs affectionibus.

DE CAVSIS FORMAE reparatiuę status supernaturalis, seu gratiæ Sanctificantis.

DISPVTATIO VIII.

A quo gratia Sanctificans producatur.

SECTIO I.

1 Certum est. Gratiam sanctificantem, cum sit quid creatum, habere suas causas, de causa autem formali nulla est difficultas, cum consistat in essentia ipsius, vndè remanet difficultas de Causa finali, efficienti, & materiali.

Supponendum est Causam finalem esse Gloriam Dei, gloriam Christi, & vitam ęternam ipsius iustificati, vt docet Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. hi autem fines sunt inter se subordinati, ita vt vita ęterna sit propter gloriam Christi, & Gloria Christi propter gloriam Dei, ideo autem nostra iustificatio debuit ordinari ad Gloriam Christi, quia cum Christus fuerit constitutus caput omnium hominum, debent omnia, quæ sunt ex influxu ipsius, reduci in gloriam eiusdem, vt auctoris talium bonorum; Quod autem pertinet ad causam efficientem, certum est, creaturas aliquas esse causas instrumentales, vt sunt Sacramenta, & ideo difficultas superest solum de Causa efficienti principali.

2 Dico primò. *De facto nulla creatura potest concurrere vt causa principalis ad producendam gratiam.* Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 1. & communiter. Probatur. Scriptura tribuit iustificationem Deo vt proprium opus ipsius; Isaiæ 53. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum,* & ita docent. Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. & Diuus Augustinus 1. *de Peccatorum meritis cap.* 10. Ergo nulla creatura potest concurrere vt causa principalis, quia opera Dei non sunt ab alio, nisi ab ipso.

3 Dico secundò. *Nulla creatura, licet eleuata, & in quocunque ordine sit, potest producere gratiam in genere causæ principalis.* Deluminatur ex illo Iob. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Quasi dicat; Impossibile est, quod aliquis mundetur à peccato, nisi mundetur à Deo. Probatur. Gratia est participatio diuinæ naturę constituens filium Dei, & adoptans ipsum ad hæreditatem cœlestem. Ergo à solo Deo potest produci. Consequentia probatur. Causa principalis creata non habet vim communicandi diuinam naturam, cum illam in se non contineat; nec vim adoptandi in filium Dei, siquidem adoptio potest esse tantum effectus ipsius adoptantis. Ergo.

4 Obijcitur. Creatura concurrit in genere causæ principalis ad vltimam dispositionem gratiæ, nempe ad contritionem, & dilectionem Dei super omnia; Agens autem concurrens ad vltimam dispositionem, est causa principalis formæ. Respondetur. Omissis varijs responsionibus, quæ solent afferri; voluntatem concurrere quidem principaliter ad hanc dispositionem, sed vt eleuatam; eleuatio autem non commensuratur naturæ ipsius, sed agenti producenti immediatè formam, & ideo productio gratiæ non tribuitur voluntati, quia tunc solum productio formę tribuitur disponenti, quando actio dispositiua est commensurata naturæ disponentis, atque adeo est ordinata ad commu-

communicandam propriam naturam disponentis. Deinde dispositio ad gratiam non disponit physico modo, ita vt faciat formam debitam connaturalitate physica, sed tantum disponit moraliter; disponenti autem moraliter non tribuitur productio physica formæ, cum sit in diuerso genere.

5 Obijcitur secundò. Ezechielis 38. *Si auerterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam viuificabit.* Respondetur. Per hoc & alia similia loca significari cooperationem liberi arbitrij in dispositione ad gratiam, vndè sensus est quod se viuificabit dispositiuè.

6 Obijcitur tertiò. Gratia est participatio diuinæ naturæ. Ergo est etiam participatio diuinæ virtutis. Ergo poterit producere aliam gratiam. Respondetur. Negando consequentiam. Quia virtus productiua gratię necessariò fundatur in ipsa natura diuina, nam participatio naturæ potest esse tantum ab ipsa natura, cum nihil sit communicatiuum illius, quod in se non habet. Deinde adoptare in filium potest esse tantum ab ipso adoptante; virtus autem productiua gratiæ est virtus adoptatiua, & ideo ita est propria Dei, vt non possit reperiri in aliquo ente creato.

An gratia creatur.

SECTIO II.

7 Prima Sententia est negatiua. Ita Caietanus 1.2. *quæst.* 112. *art.* 1. Medina *ibidem.* Lorca *disput.* 24. *De gratia.* Coquetus *lib.* 2. *De gratia sanctificante. disp.* 4. *cap.* 2. Suarez *lib.* 8. *De gratia cap.* 2. & ferè communiter Recentiores.

Probant. Gratia inhæret animæ ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 7. Ergo dependet à suo subiecto, quod autem dependet à subiecto educitur de potentia illius. Secundò. Productio actuum gratiæ, vt visionis beatæ nō est creatio. Ergo neque infusio gratiæ; quia ratione supernaturalitatis iam non requiritur creatio. Tertiò. Gratia non desinit per annihilationem. Ergo nec incipit per creationem.

8 Secunda Sententia asserit, gratiam creari. Ita D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 26. *artic.* 1. *quæst.* 4. Scotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. Gabriel *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. Capreolus *art.* 3. *Ad argumenta Scoti contra tertiam conclusionem.* Richardus *art.* 4. *quæst.* 1. Paludanus *quæst.* 1. Argentinas *art.* 3. Ferrariensis 4. *contra Gentes. cap.* 57. & alij communiter præsertim ex Thomistis.

9 Notandum primò. In anima non adesse potentiam passiuam naturalem ad gratiam, sed tantum capacitatem; alioquin ratione talis potentiæ exigeret gratiam vt sibi debitam, & connaturalem; capacitas autem non sufficit ad eductionem; nam quod educitur, debet potentialiter contineri in eo, à quo educitur; vndè ad eductionem non sufficit, quod obiectum concurrat sustentando, nam sustentari possunt etiam ea, quæ extrinsecus adueniunt, & non extrahuntur de potentia subiecti.

10 Notandum secundò. Creationem posse sumi vel vt dicit præcisam eductionem ex nihilo; vel vt terminatur ad aliquod subsistens; certum est autem, gratiam non posse fieri per creationem secundo modo acceptam, eo quod non sit natura subsistens.

11 Notandum tertiò. Fieri ex nihilo ex sua formali ratione non excludere subiectum concurrens vt sustentatiuum; sed tantum, quod non præcedat aliquid in ipso secundum aliquam passiuam potentialitatem; ex qua extrahatur de termino, qui producitur. Ratio est. Quia *Ex nihilo.* importat terminum. *A Quo;* Vndè sufficit, quod id, quod fit, non præcedat secundum aliquod esse potentiale, ita vt de hoc esse potentiali transeat ad esse actuale.

12 Dicendum est. *Gratiam creari, ita vt verè fiat ex nihilo.* Desumitur ex Scriptura quatenus vtitur nomine creationis ad explicandam productionem gratiæ. Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Secunda Corinthiorum. 5. *Vt simus in Christo noua creatura.* Ad Ephesios 2. *Creati in bonis operibus.* Probatur. Si gratia non crearetur deberet esse in potentia naturali subiecti, aut in potentia obediētiali; neutrum autem dici potest. Ergo minor probatur. Non Primum, alioquin daretur agens naturale potens illam educere, & esset debita naturæ, atque connaturalis. Non Secundum. Quia potentia obedientialis est tantum mera capacitas, nec continet modo potentiali id, quod recipit; Deinde cum sit ipsamet entitas rei, adhuc in esse creaturæ contineretur potentiali modo ipsa gratia, atque adeo exigentia ipsius, quia quælibet natura exigit fieri in actu secundum id, quod continet potentiali modo.

13 Ad Primum. negatur, quod omne id, quod dependet à subiecto, educatur, nam adhuc requiritur, quod potentiali modo contineatur in ipso. Ad Secundum. Negatur consequentia. Quia actus supernaturales non proueniunt ab extrinseco; sicuti gratia, sed continentur in potentia creaturæ. Ad Tertium. Petere principium, esset enim probandum quod non desinat per annihilationem; neque hoc probatur ex eo, quod remaneat subiectum; Nam, si Deus destrueret animam rationalem informantem corpus, remaneret subiectum, & tamen illa destructio esset annihilatio.

Quodnam sit subiectum gratiæ.

SECTIO III.

14 Supponendum est. Gratiam non posse conuenire nisi naturæ intellectuali, quia cum sit quædam participatio diuinæ naturæ tribuens adoptionem in filium Dei, & ius ad hæreditatem cælestem, & hi effectus repugnent creaturæ non intellectuali, repugnat etiam ipsi communicāti gratiam. Difficultas autem est, An sit in essentia vt in subiecto, An vero in aliqua potentia.

15 Prima Sententia asserit, esse in voluntate vt in subiecto. Ita D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 1. Coninch *disp.* 2. *de actibus supernaturalibus in appendice ad dubbium octauum;* & ij, qui non distinguunt gratiam realiter à Charitate, quos supra adduximus.

Probant. Gratia est necessaria vt principium benè operandi. Ergo debet esse in subiecto operatiuo. Secundò. Effectus gratiæ conueniunt etiam Charitati, vt constituere filios Dei Ioannis 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Reddere gratum, & dilectum Dei Ioannis 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo;* Reddere Deum in nobis inhabitātem. Prima Ioannis 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo;* Remittere peccatum. Prima Ioannis 3. *Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus.* Ergo debet esse in eodem subiecto, in quo est Charitas. Tertiò. Gloria correspondet gratiæ vt vltima perfectio ipsius. Ergo potest habere idem subiectum. Ergo cum gloria sit in potentijs, etiam gratia est in ipsis. Quartò. Sequeretur, quod fides informaretur à gratia, priusquam informaretur Charitas, quia est in intellectu, qui prius coniungitur cum essentia animæ, quam coniungatur voluntas. Ergo etiam actus fidei esset meritorius ante omnem actum Charitatis.

15 Secunda Sententia asserit, esse in essentia animæ, vt in subiecto. Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 110. *art.* 4. Caietanus, Medina, Curiel *ibidem.* Suarez 6. *De gratia cap.* 12. Turrianus *disp.* 1. *De gratia habituali, dub.* 9. Coquetus *lib.* 3. *De gratia sanctificante disp.* 1. *cap.* 3. & alij, qui distinguunt gratiam realiter à Charitate.

17 Dicendum est. *Gratiam inesse essentiæ animæ, vt perfectionem ipsius.* Probatur. Gratia ex vi sui conceptus non est virtus operatiua, sed se habet per modum naturæ. Ergo non est perfectiua potentiæ in ratione potentiæ, atque adeo non est in ipsa, vt in subiecto. Antecedens probatur. Quia non est in ordine ad aliquem specialem actum, & speciale obiectum, sed fundat virtutes, quæ corrspon-

respondent potentijs, & se habet per modum vitæ radicalis, & est illa per quam formaliter homo regeneratur in filium Dei, quæ omnia spectant ad rationem naturæ.

18 Ad Primũ. Resp. Gratiam habitualem esse principiũ radicale benè operandi, non autem formale, & ideò debet correspondere essentiæ, nõ autem potentiæ. Ad Secundũ. Effectus gratiæ tribui etiam Charitati, Quia vel sunt idẽ habitus; vel saltem inseparabiliter cõnectuntur; vndè gratia trahit secum cõsequutiuè effectus Charitatis, & cõtra. Ad Tertiũ. Gloriam correspondere gratiæ vt perfectionẽ ipsius non immediatè, sed mediante lumine gloriæ, quod est veluti potentia gratię; & ideo non debent habere idem subiectum: Sic nec actus intellectionis est in essentia animę, licet sit perfectio ipsius, sed in intellectu. Ad Quartum Negatur consequentia quidquid sit de antecedenti; nam actus fidei non potest esse meritorius, nisi imperetur à voluntate, atque adeò à Charitate, vt enim sit meritorius debet supponere exercitium libertatis.

19 Ex his colligitur. Quod sicut potentiæ identificantur cum anima, vt modo supponimus, ita eadem entitas, in qua identificantur Gratia, & Charitas, potest correspondere tum essentiæ animæ, tum potentijs. Vndè vna entitas subiectabitur in alia, & vt gratia perficiet essentiam animæ, vt Charitas verò perficiet voluntatem.

DE AVGVMENTO STATVS supernaturalis, & eiusdem conseruatione, seu perseuerantia.

DISPVTATIO IX.

An & quomodo gratia habitualis augeatur.

SECTIO I.

1 SVpponendũ est. Homines iustos non esse æquales in gratia, vt est de fide cõtra Lutherũ, qui volebat, omnes esse ęquales, putans iustificari per extrinsecã iustitiã Christi. Ad Ephes. 4. *Vnicuique nostrũ data est gratia secundum mensurã donationis Christi.* Vnde Trident. *sess. 6. cap. 3.* definit, in iustificatione tribui gratiam secundum dispositionem vniuscuiusque.

2 Dico primò. *Gratia de facto in iustis augetur.* Est de fide ex Trident. *sess. 6. can. 24. & 32.* vbi damnat dicentes, gratiam non augeri per bona opera. Probatur Ecclesiastici 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Prouerbiorum 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum viæ.* Ad Ephesios. 4. *Veritatem facientes in Charitate crescamus.*

3 Dico secũdò. *Gratia augetur ratione bonorũ operũ.* est de fide ex Trident. cit. Prob. Ad Colossenses 1. *Vt ambuletis dignè Deo in omni opere bono fructificantes, & crescentes.* Ratio est. Quia sicuti homo per actus bonos se disponit ad gratiam, ita etiam per eosdem fit dignus, vt Deus conferat maiorem gratiam.

4 Dico tertiò. *Hoc augmẽtum fit per nouam entitatem gratiæ intrinsecè inhærentẽ permanẽter.* Prob. Trid. *sess. 6. c. x.* habet. *Eũtes de virtute in virtutẽ renouamur de die in diẽ*; hæc autem renouatio fit per entitatem gratię à Deo infusa, vt ibidem docet Concilium.

5 Ob. Habitus infusi se habent per modum potentiæ, actus autem non augent potentias, ergo. Resp. Negando conseq. Quia actus non augent potentiam effectiuè; possunt tamen augere meritoriè, quando habitus sunt supernaturales, licet se habeant per modum potentiæ, quia non fluunt ab anima, sed extrinsecus aduenient.

6 Ob. secũdò. Hoc augmentum nõ est necessariũ, vt homo fiat sanctior, cum possit fieri per solos actus, sicut peccator fit magis iniustus per solos actus, non autem quia magis priuetur gratia, ergo. Resp. Negando assũptũ, & ad probationẽ hominẽ fieri magis iniustũ multiplicãdo peccata, quia priuatio gratiæ acquirit maiorẽ extensionẽ moralem, cum fiat debita ex pluribus titulis, seu peccatis.

An gratia augeatur per omnes actus bonos.

SECTIO II.

7 CErtũ est apud omnes, augeri per actus Charitatis, qui sunt magis intensi, quã habitus, à quo procedunt; vnde solum difficultas est de actibus remissis æqualis, aut maioris intentionis cum habitu, & de actibus aliarum virtutum.

8 Prima Sententia est absolutè negatiua. Ita Durandus *in 1. dist. 17. quæst. 8. num. 7.* D. Bonauentura *in 2. dist. 40. art. 2. quæst. 3.* Bannes *2. 2. quæst. 28. art. 2.*

Probant. Nõ meretur augmẽtũ gratię, qui tepidè vtitur acceptis, ergo 2. Actus, qui non est magis intẽsus, non est proportionatus ad augẽdũ habitũ, vt patet in naturalibus.

9 Secũda Sent. docet omnes actus mereri augmẽtũ gratiæ, non tamen dari, nisi quando homo postea se disponit per actus intensiores; & si non se disponat, tribui tãtum in termino vitæ. Ita Richardus *in 1. dist. 17. art. 2. qu. 3.* Capreolus *in 4. dist. 14. q. 2. art. 3.* Coquetus *lib. 1. De gratia sanctificãte. disp. 18. c. 2.* Caietanus *1. 2. q. 114. ar. 8.* Scotus *in 4. dist. 22. q. 1.* qui tamen vult nunquã dari tale augmẽtũ in hac vita, sed solum in Patria, & cõmuniter Thomistæ.

Probant. Deus infundendo habitum supplet efficiẽciam actuum, quam non habent. Ergo solum infundit quando actus sunt tales, vt possent augere habitũ, si haberent efficientiã. Secũdò. Deus nõ infundit gratiã, nisi secũdũ mensurã dispositionis. Ergo nõ infũdit, nisi actus excedat habitũ, ita vt magis disponat. Tertiò. Tot gradus gratiæ darẽtur, quot sũt gradus in intẽtione actuum. Ergo si gratia augeretur per omnes actus, fieret infinitũ augmẽtũ. Quartò. Ex eo, quod aliquis diù viueret, posset fidei sanctior, etiamsi remissè operaretur, & excedere illum, qui intensissimè operaretur, & subiret martyrium.

10 Tertia Sententia asserit, gratiam augeri per omnes actus, & hoc augmentum statim dari. Ita Maior *in 4. dist. 22. quæst. 1.* Gabriel *dist. 14. qu. 3. art. 3.* Vasquez *1. 2. disp. 220. c. 5.* Lorca *disp. 51. De gratia. dub. vlt.* Suarez *9. De gratia. cap. 3.* & ferè communiter recentiores.

11 Dico primò. *Iusti etiam per actus remissos merentur augmẽtum gratiæ eo pacto proportionaliter, quo merentur per actus intensiores.* Probatur. Ex Trident. *sess. 6. can. 24. & 32.* Iustificati per bona opera merentur augmẽtum gratiæ, actus autem remissi sunt bona opera iustorũ. Confirmatur. Actus remissi sunt eiusdem rationis cũ actibus intensis, & solum differunt accidentaliter secũdũ magis, & minus. Ergo habent eamdem rationẽ meriti, & solum differunt, quod sint magis, vel minus meritorij.

12 Dico secundò. *Hoc augmentum statim datur.* Probatur. Trident. *sess. 6. c. 10.* ex diuersis locis Scripturæ cõfirmat hoc augmẽtum. Ergo de facto datur, vt impleatur promissio diuina. Conseq. prob. Quia Scripturæ nõ aliud requirũt per hoc augmẽto, nisi quod ponatur opus bonũ.

13 Dico tertiò. *Hoc augmentũ acquiritur per actus omnium virtutum.* Probatur. Tridentin. *sess. 6. c. 10.* docet, hoc augmentum haberi per obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, & *can. 22.* per omnia opera, quæ fiunt per gratiam, ergo. Confirmatur. Matth. 9. *Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.* Ergo actus aliarum virtutum sunt meritorij vitæ æternæ, atque adeo etiam gratiæ.

14 Dico quartò. *Gratia augetur per istos actus moraliter acceptos in ratione meriti, ita vt tãtũ sit augmẽtum proportionaliter, quãtus est valor operũ.* Probatur. Actus est causa augmenti gratiæ, in quantum est meritorius illius; est autem meritorius ratione valoris moralis.

15 Ad Primum primæ Sententię. Negatur assumptum. Quia operari cum tanta, vel tanta intentione non pendet ex nobis, sed ex gratia excitante, & adiuuante.

Ad Secundũ. Negatur assumptum si loquamur de proportione morali; quidquid sit de proportione physica, nam, vt actus augeat habitum meritoriè, sufficit si quocunque modo habeat valorem, cum non debeat supra ipsum exercere aliquam efficientiam.

16 Ad Primum secundæ Sententiæ. Negatur assumptũ. Ad secundum. Antecedens valere de prima infusione gratiæ; non autem de secunda, quæ non datur intuitu dispositionis, sed intuitu meriti, atque adeo secundum mensuram ipsius. Ad tertium. Negatur assumptum. Quia gratia non correspondet esse physico actus, sed valori morali. Ad quartum. Licet plures actus remissi possint æquiualere vni intento, non tamen posse æquiualere actui heroico, cum hic sit altioris ordinis quò ad valorem moralem.

An quilibet iustus possit perseuerare, si velit.

SECTIO III.

17 CVm perseuerantia nihil aliud sit, quam permanentia in gratia, ideo dependet ab obseruantia mandatorum, & bonis operibus; Vndè difficultas est. An talis perseuerantia sit possibilis iusto ex vi auxilij ordinarij, quod tribuitur iustificatis.

18 Dicendum est. *Iustificatum habere auxilium sufficiens ad perseuerandum, nisi ponat obicem, ita vt tale auxilium sit annexum statui iustificationis*, Est de fide ex Concilio Arausicano *can.* 25. & ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 13. Probatur. Quia ex eodem Tridentino Deus perficit bonum opus, quod cepit, nisi nos ipsius gratiæ defuerimus. Ergo posse perseuerare habetur à gratia, quæ tribuitur iustificatis, nisi tali gratię ipsi defuerint. Confirmatur, Prima Corinthiorum 13. *Fidelis Deus, qui non patitur, vos tentari supra id, quod potestis*. Ergo si homo iustus succumbit tentationi, prouenit ex defectu ipsius.

19 Ob. Auxilia, quæ tribuuntur iustis, non sufficiunt ad conseruandam gratiam, ergo. Resp. Non sufficere, si voluntas resistat, quia tunc non habent annexa auxilia subsequentia; sufficiunt tamen, si non resistat.

20 Ob. secundò. Vel potentia perseuerandi est physica, vel moralis. Si Primum, non poterit homo perseuerare, quia requiritur etiam moralis. Si Secundum, Ergo saltem aliquis perseuerabit cum his auxilijs, atque adeo perseuerantia non erit speciale donum. Resp. Ex parte actus primi esse physicam, & moralem, ex parte verò motionis non esse completam nec physicè, nec moraliter; & ideo perseuerantia est speciale donum; non est autem completa, quia voluntas ponit obicem, nec recipit vlteriores motiones diuinas.

An perseuerantia sit speciale donum.

SECTIO IV.

21 DIco primò. *Perseuerantia simpliciter pro lungo tempore vsque ad finem vitæ, est speciale donum*. Est de fide ex Concilio Arausicano *can. x.* & ex Tridentino *sess.* 6. *can.* 22. Vbi habet. *Si quis dixerit iustificatum vel sine speciali auxilio, vel sine auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*. Probatur. Scriptura tribuit perseuerantiam speciali prouidentiæ Dei, Matthæi 24. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos breuiabuntur*. Prima Corinthior. 1. *Qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine*. Ioannis 17. *Pater sanctæ serua eos in nomine meo, quos dedisti mihi*. Ergo perseuerantia est speciale donum. Ratio autem est. Quia perseuerantia est specialissimus effectus prædestinationis, & requirit auxilium efficax pro singulis occasionibus.

22 Dico secũdò. *Perseuerantia vsque ad mortem etiam pro breui tempore est speciale donum Dei*. Ita D. Augustinus *De bono perseuerantiæ per totum*, & alibi sæpè, & desumitur ex Concilijs *citatis*, quæ loquuntur de omni perseuerantia vsque ad mortem. Probatur. Talis perseuerantia est propria tantum prædestinatorum. Ergo est speciale beneficium.

23 Dico tertiò. *Perseuerantia pro aliquo tempore, etiã si non sit finalis, est speciale beneficium*. Probatur. Etiam pro illo tempore est necessaria gratia efficax pro singulis occasionibus. Ergo est speciale beneficium.

24 Dico quartò. *Conseruatio gratiæ vsque ad mortem, atque adeo perseuerantia absque vlla cooperatione hominis, vt contingit in infantibus, est speciale donum*. Desumitur ex illo Sapientiæ 4. *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum illius*; & traditur à Diuo Augustino. *De bono perseuerantiæ c.* 17. Probatur. Quia gratia tali pacto conseruata est effectus prædestinationis; sicuti etiam, quod Deus disposuerit, quod accidente morte iuxta dispositionem naturalem adfuerit etiam dispositio supernaturalis de iustificatione, ergo.

25 Dico quintò. Donum perseuerantiæ complectitur tum protectionem Dei extrinsecam, tum etiam intrinsecam, quæ consistit in auxilijs gratiæ. Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 109. *artic.* 10. Probatur. Quia vtraque protectio concurrit ad euitandum peccatum, & facit, quod infallibiliter vitetur.

26 Obijcies. Iustificatus habet speciale auxilium. Ergo ad perseuerandum non indiget speciali dono. Resp. Negando consequentiam; quia illa auxilia non sunt semper efficacia.

27 Obijcies secundò. Si quis statim moriatur post iustificationem coniunctio gratiæ cum morte prouenit à causis naturalibus. Ergo perseuerantia non est speciale donum. Respondetur. Negando assumptum. Quia talis coniunctio prouenit ex prouidentia supernaturali, nam Deus videns, quod secundum dispositionem naturalem homo est moriturus in tali tempore, superaddit prouidentiam supernaturalem, per quam facit, vt habeat gratiam in puncto mortis.

28 Obijcies tertiò. Paruuli non possunt peccare. Ergo non sunt capaces perseuerantiæ, quia perseuerantia habet locum solum in eo, qui potest cadere. Resp. Non sunt capaces perseuerantiæ per propriam operationem; sunt tamen capaces prout perseuerantia dicit permanentiam in gratia.


29 Obijcies quartò. Est debitum auxilium amicitiæ cum Deo ad sui conseruationem, cum de ratione amicitiæ sit firmitas, ergo cum auxilia debita statui iustificationis non sint speciale donũ, nec etiam erit perseuerantia. Resp. Esse debitum ad sui conseruationem auxilium sufficiens; & ideo non est speciale donum; non est autem debitum auxilium efficax.

30 Quæres. In quo differat perseuerantia à confirmatione in gratia. Aliqui volunt in nullo differre, sed confirmationem solum addere reuelationem de perseuerantia; Communiter tamen volunt, confirmationem in gratiam in eo differre, quod exerceetur per protectionem Dei magis specialem, & per auxilia abundantiosa. Videtur etiam importare quendam habitualem ordinem potentiarum, quo ita disponantur, vt voluntas sit moraliter indefectibilis, & habeat specialem inclinationem ad bonum.

SACRA MORALIS DOCTRINA

DE OPERATIONIBVS HVMANAE NATVRAE

Ad statum Supernaturalem eleuatæ cæterisque ipsas concernentibus Ad Scholasticæ Lecturæ Methodum explicata.

1 VM natura sit principium motus in eo, in quo est primo, & per se, natura quoque intellectualis est principium proprij motus in eo, in quo est. Quia autem omnis natura est principium illius motus, qui tendit ad perfectionem, & commodum suppositi, ideo natura intellectualis cum sit capax vltimi finis, & perfectibilis per ipsum est principium motus in finem tanquam sibi proprium. Hic vero finis est Deus vt Beatificatiuus; ideo cum auxilijs gratiæ ab intrinseco se mouet ad ipsum. In hoc autem motu, si seruatur debitus ordo, consurgit rectitudo operationis, & honestas, seù virtus; si verò non seruatur, consurgit malitia, seù peccatum; & ideò consurgunt veluti passiones huius motus Bonitas, & malitia; Itaque cum Theologia sit multiplex specie, vt suo loco dictum est, habetur specialis pars, quæ considerat naturam intellectualem, vt motu sibi proprio, cuius obiectum materiale est ipsa natura intellectualis. Formale verò mobilitas ipsius in finem.

Ex reuelatis namque plura habemus de huiusmodi motu, & ideo possumus ex ipsis deducere plures conclusiones Theologicas concernentes hunc motum. Quia verò consideratur iste motus, vt ponendus in actu ab ipsa natura intellectuali, ideo obiectum formale est, quid operabile, atque adeo hæc pars Theologiæ est practica ex suo obiecto formali.

DE MOBILITATE NATVRAE intellectualis in finem.

DISPVTATIO X.

An sola natura intellectualis possit se mouere in finem,

SECTIO I.

2 MOuere se in finem importat aliquam virtutem, per quam mouens habet ex se ipso posse se dirigere in finem ponendo ordinem debitum, atque adeò actiuè se habet ad differentiam illius, quod mouetur in finem, quod passiuo modo se habet, & conuenit rebus omnibus, quatenus à Deo ordinatæ sunt in finem iuxta illud Prou. 16. *Omnia propter semetipsũ operatus est Dominus.*

3 Dico primò. *Creatura intellectualis potest se mouere formaliter in finem*; ita communiter cum Arist. 1. *Eth. c. 1.* vbi id supponit tanquam per se notum; & est de fide. Ps. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem*; Probatur. Natura intellectualis præconcipit finem secundum rationẽ finis, vt est aliquid propter se expetibile, & habet dominium supra proprias operationes, ita vt eas regulet, quomodo libuerit. Ergo potest ipsas ordinare in finem.

4 Dico secundò. *Soli naturæ intellectuali conuenit posse se mouere in finem formaliter.* ita D. Aug. q. 3. ex 83. & communiter. Probatur mouere se in finem est imprimere ordinem ad finem in propria operatione, atque adeo dicit apprehensionem finis sub ratione finis, & ordinis mediorum ad ipsum; hoc autem conuenit tantum naturæ capaci rationis, quia est solum quid intelligibile.

5 Ex his colligitur bruta non se mouere in finem formaliter, sed tantum materiali modo, quatenus attrahuntur à conuenientia obiecti; vnde non attingunt finem sub ratione finis; nec ordinem mediorum ad ipsum: sed tantum cõnexionem sensibilem mediorum cum bono sensibile; quia cum sit sensibile, est intra obiectum potentiæ sensitiuæ.

6 Colligitur secundò. Amentes, & qui non habent perfectum vsum rationis, non operari propter finem formaliter; quia non apprehendunt perfecto modo finem, & ordinem mediorum ad ipsum: sed tantum bonum conueniens.

7 Obijcitur. Bruta appetunt proprium commodum. Ergo, & Beatitudinem sibi propriam, seù bene se habere in se ipsis. Respondetur negando consequentiam quia aliud est appetere proprium comodum; & aliud Beatitudinem; nam Beatitudo dicit statum, seù permanentiam, atque adeo ordinem, secundum rectam exigentiam. Bruta autem non percipiunt hunc ordinem, nec possunt acquirere statum permanentem, quia solum appetunt benè se habere sensibiliter, quod non potest esse permanens.

8 Obijcitur secundò. Bruta versantur circa media, nam quærunt cibum ad expellendam famem; Aues conficiunt nidum forma, & mensura proportionata; fugiunt quæ sunt noxia. Ergo, &c. Respondetur. Versari circa media materialiter, & vt habent connexionem sensibilem cum bono sensibili. Vnde canis ligatus, cui panis apponitur, apprehendit bonum panis, & ruptionem vinculi, vt habet connexionem sensibilem cum acquisitione panis, & ab vtroque mouetur, vt ab vnico integro obiecto.

9 Instabis. Non apprehendunt media sub ratione honesti, quia honestũ est obiectũ intellectus, neque sub ratione delectabilis, quia multoties contraria sunt delectationi, vt est ruptio vinculi. Ergo sub ratione vtilis, atque adeo sub ratione medij formaliter. Respondetur negando

antecedens. Nam apprehendunt medium, & finem per modum vnius, atque adeo sub ratione delectabilis; & licet interueniat aliquid contrarium delectationi, ex hoc solum fit, quod obiectum non sit purum delectabile; sed habeat annexum aliquid mali.

10 Obijcitur tertiò. Bruta non semper operantur eodem modo; sed aliquando operantur, aliquando non operantur ergo non operantur ex determinatione naturæ, quia quæ operantur tali pacto, semper eodem modo operantur, nec cessat operatio, nisi desit aliquid requisitum. Respondetur negando antecedens. Nam semper eodem modo operantur, quò ad tendentiam in obiectum: diuersitas autem operationis non prouenit ex motione ipsius naturæ: sed quia non semper obiecta sunt eadem, nec eodem modo proposita; & ideo quotiescumque operantur, semper operantur ex determinatione naturæ secundum impressionem factam ab obiectis. Hæc autem diuersitas operandi reperitur etiam in cæteris agentibus naturalibus. Sic sol quædam indurat, quædam liquefacit iuxta diuersitatem subiecti.

Per quas operationes natura intellectualis possit remouere in finem.

SECTIO II.

11 QVia natura intellectualis est mobilis in finem, vt intellectualis est, ideo se mouet per illas operationes, quæ ipsi conueniunt, vt talis est, nempè per operationes intellectus, & voluntatis. Concurrit autem operatio intellectus, & mensura actus voluntatis; & operatio voluntatis, vt formalis motus, atque adeo ex vtraque consurgit integer motus.

12 Supponendum est. Operationes naturæ intellectualis duplici modo esse proprias ipsius. Primo secundum substantiam, & tales sunt omnes operationes intellectus, & voluntatis. Secundo modo ratione modi tendendi, qui ideo est proprius naturę intellectualis, quia procedit cum perfecta cognitione, & dominatiuo modo.

13 Supponendum secundò. Naturam intellectualem non posse se ordinare in finem, nisi secundum operationes, quæ habent modum proprium tendendi ipsius; cum enim debeant ab ipsa recipere ordinem ad finem, oportet, quod perueniant ex perfecta cognitione, & sint sub ipsius dominio. Difficultas autem est, quænam sint istæ operationes, quæ etiam in homine humano modo se habent.

14 Prima Sententia Vult esse illas, quæ nedum sunt liberę, sed etiam deliberatæ; putat enim, dari actus liberos, qui non sint deliberati, vt sunt illi, qui fiunt in somnis, aut abstinentibus, ex pueris ante vsum rationis, ita Molina 1. *par. q.* 14. *art.* 13. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 23. *dub.* 6. *&* 7. & alij.

15 Secunda Sententia asserit, esse idem liberè operari, & cum deliberatione; vndè vult operationes liberas esse proprias naturæ intellectualis quò ad modum tendendi, ita D. Thomas 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. Caietanus, & Conradus *ibidem.* Vasquez *dub.* 2. Pesantius *disp. vnica.* Curiel *dub.* 1. §. 2. Montesinus *in notat. circa art.* Salas *tractat.* 1. *disp* 4. *sect.* 1. & alij.

16 Tertia Sententia Asserit, illas esse proprias quò ad modum tendendi, quæ fiunt ex perfecta cognitione, etiam si quò ad exercitium sint necessariæ. Ita Azorius *lib.* 1. *cap.* 1. *q.* 3. Suarez *disp.* 2. *de fine hominis. sect.* 2. *num.* 2.

17 Notandum primò. Naturam intellectualem antequam operetur, nedum habere iudicium practicum de prosequendo, vel fugiendo obiecto; sed iudicium etiam approbatiuum, vel reprobatiuum circa tendentiam in obiectum, quo pensatis omnibus intellectus iudicatiuo modo decernit circa tendentiam in obiectum.

18 Notandum secundò. Hoc iudicium non esse in pueris amentibus, & dormientibus, quia consurgit ex perfecta consideratione obiecti, & circumstantiarum; & fit ab intellectu, quatenus se eleuat ad operandum supra illam impressionem, quæ fit ab obiectis medijs sensibus, & à se ipso independenter ab eo, quod per sensus repræsentatur, iudicat de prosequutione, vel fuga obiecti.

19 Notandum tertiò. Libertatem aliam esse cum indifferentia, quæ est etiam libertas electionis; aliam verò esse libertatem prosequutionis, seù quò ad modum tendendi; & consistit in eo, quod voluntas tendat in obiectum ex vi iudicij approbatiui, quod facit, vt tendat donatiuo modo, & imprimat operationi determinationem secundum mensuram rationis.

20 Dico primò. *Non solum operationes, quæ procedunt à voluntate indifferenti, & deliberato modo, sed etiam, quæ fiunt sine indifferentia, cum iudicio tamen approbatiuo habent proprium modum tendendi naturæ intellectualis.* Probatur, Iudicium approbatiuum est proprium naturæ intellectualis, & est simul cum facultate discernendi inter honestum, & turpe. Ergo operatio, quæ fundatur in ipso, est propria naturæ intellectualis, quò ad modum tendendi, & proinde talis actus est in ordine ad finem tamquam procedens ex causalitate finis.

21 Dico secundò. *Operationes amentium, puerorum, & dormientium non sunt liberæ.* Ita Aristoteles 3. *Eth. cap.* 2. D. August. 1. *Retractatiuum cap.* 15. D. Th. 1. *p. quæst.* 101. *art.* 2. Probatur. Amentes, pueri, & dormientes non possunt se eleuare ad operandum supra impressionem factam per sensus. Ergo non habent perfectam cognitionem, atque adeo nec liberum arbitrium expeditum. Ergo non possunt operari libero modo.

22 Obijcitur primò. Pueri, & amentes faciunt multa rogati; ergo liberè operantur. Respondetur negando consequentiam. Quia ex eo, quod condescendunt precibus, fit solum, quod operentur ex apprehensione obiecti congrui, quales sunt preces.

23 Obijcitur secundò. Vbi est discursus, ibi est libertas, in pueris autem, amentibus, & dormientibus est discursus. Ergo &c. Respondetur. Vbi est discursus eleuatus supra impressionem sensuum, concedo. Non autem, vbi est discursus sequens impressionem sensuum, vt contingit in amentibus, &c.

24 Obijcitur tertiò. In motibus indeliberatis potest esse minor cognitio; vbi autem est minor cognitio, ibi est maior libertas, nam ex maiori cognitione voluntas magis inclinat. Respondetur. Posse esse minorem cognitionem quò ad speciem, non verò quò ad intensionem; siquidem motus indeliberati proueniunt ex cognitione ex impressione sensuum: non autem ex cognitione eleuata supra talem impressionem. Deinde etiam minor est falsa, quia licet voluntas ex maiori cognitione magis inclinet; inclinat tamen etiam cum maiori libertate, quia ipsa inclinatio est libera, & ideo si crescit secundum rationem inclinationis, crescit etiam secundum libertatem.

25 Obijcitur quartò. Salomon in somnijs postulauit à Deo sapientiam, & sermo eius placuit coram Deo; quod fieri non potuit, nisi liberè operatus sit. Respondetur. Fuisse eleuatum ad liberè operandum; nam illa postulatio fuit fundata in gratia, atque adeo supernaturalis.

An natura intellectualis possit se mouere in finem secundum omnes actus in particulari.

SECTIO III.

26 CErtum est, posse se mouere in finem secundum omnes actus sibi proprios quò ad modum tendendi, qui versantur circa media, siquidem tales actus sunt effectus finis, & voluntas se mouet per ipsos ex intentione finis. Vnde difficultas est de actu intentionis, an nimirum finis exerceat suam causalitatem circa ipsum.

27 Pri-

27 Prima Sententia est negatiua. Ita Ocham *in 2. quæst. 3. artic.* 2. Gabriel *distinct.* 1. *quæst.* 5. *art.* 1. Vasquez 1. 2. *disp.* 3. *cap.* 2. Lorca *sect.* 1. *disp.* 3.

28 Secunda Sententia, vult etiam intentionem finis esse effectum ipsius finis. Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad secundum.* Caiet. Conrad. Medina *ibidem*. Aluarez *disp.* 2. Curiel. *dub.* 2. §. 4. Montesinus *disp.* 1. *q.* 6. Suarez *disp.* 2. *de vltimo fine hominis. sec.* 1. & alij.

29 Notandum primo. Intentionem finis supponere cognitionem finis, vt talis est, atque adeo quod intellectus iudicauerit, esse prosequendum vt finem, quia autem hoc iudicium supponit inquisitionem factam circa obiectum; ideo supponit etiam actum voluntatis imperantem hanc inquisitionem; & quia voluntas non potest imperare, nisi aliquo modo amet illud obiectum, ideo supponit etiam talem amorem; atque adeo intentio non est quilibet amor, sed amor ordinatus ad assequutionem, & supponens simplicem amorem, itaut finis stet in hoc amore non per modum finis, sed per modum appetibilis, & causet finali modo, vt stat in ipso; nam vt voluntas moueatur in finem vt finem, requiritur, vt intellectus eleuetur supra sensum, & iudicet de ipso secundum talem eleuationem.

30 Notandum secundò. Intentionem finis esse duplicem; aliam finis in vniuersali; & aliam finis in particulari. Prior est intentio Beatitudinis in communi, & consequenter ex intrinsecis principijs naturæ; & est primus motus, quo natura secundum suam determinationem se mouet. Vnde August. *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 8. ait. *Aut si volunt* esse beati, *vt veritas clamat, vt natura compellit, qui summè bonus, & immutabiliter beatus Creator indidit hoc &c.* Ex hac autem intentione proueniunt omnes intentiones in particulari, quatenus quidquid intenditur ex intentione beatitudinis proficiscitur.

31 Dico primò. *Intentio finis est propter finem, vt effectus ipsius, itaut natura intellectualis se moueat in finem formaliter per intentionem.* Probatur. Adest effectus finis, qui prouenit à fine sub ratione finis; talis est autem intentio ergo, &c. Minor probatur. Finis causat mouendo voluntatem quatenus stat in cognitione, atque adeò secundum illam rationem, secundum quàm stat in cognitione. Stat autem in cognitione respectu intentionis secundum rationem finis, quia iam intellectus iudicauit, esse prosequendum vt finem.

32 Dico secundò. *Etiam fruitio, & declaratio, & omnes actus circa finem adeptum sunt effectus ipsius in genere finali.* Probatur. Omnes actus, qui sunt circa finem adeptum, proueniunt ex intentione finis formaliter. Ergo sunt effectus illius. Anteced. probatur. Intendens finem intendit assequutionem ipsius, & perfecto modo se coniungere cum ipso. Ergo intendit omnes actus, qui versantur circa finem adeptum, cum omnes pertineant ad perfectam coniunctionem. Ergo hi actus proueniunt ex intentione finis.

33 Dico Tertiò. *Actus circa malum, vt odium sunt effectus finis.* Probatur. Hi actus sunt actus secundarij, & supponunt amorem boni; ideò enim fugimus malum, quia priuat aliquo bono, quod se habet vt finis. Ergo causantur ex intentione finis, quatenus intentio finis facit, quod voluntas se retrahat ab omni eo, quod impedit assequutionem.

34 Obijcies. Finis est id, cuius gratia aliquid fit, & ipse non est gratia alterius. Intentio autem finis non est gratia finis, cum non sit ex alia intentione. Respondetur. Negando min. Quia intentio finis, vt sit gratia finis, sufficit, si eliciatur ex aliquo amore finis. Deinde si intentio est finis in particulari, est ex intentione finis in vniuersali.

35 Obijc. secundò. Finis non causat, nisi vt est in intentione. Ergo intentio præ supponitur ad causandum. Respondetur. Non causat, nisi, vt est in intentione, hoc est intentionali modo existens in cognitione; non autem, vt est in intentione voluntatis.

36 Obijcies tertiò. Finis, & media sunt correlatiua in ratione causę, & effectus. Ergo cum intentio finis non habeat rationem medij, nec etiam potest esse effectus. Respondetur Esse correlatiua in exequutione, itaut media sint causa, & finis effectus. In intentione autem correlatiuum finis vt causæ non sunt media, sed actus voluntatis procedentes ab ipso, nempe intentio, electio, &c.

Quomodo Natura intellectualis possit se mouere circa media.

SECTIO IIII.

37 Certum est, se mouere circa media per electionem, &c. Difficultas autem est, quomodo moueatur.

Supponendum est bonum esse triplicem, vt docet Arist. 2. *Ethic. cap.* 3. Nempè honestum, quod est connaturale obiectum appetitus rationalis, & idem est, ac bonum morale. Delectabile, & est id, quod congruit appetitui sensitiuo. Et vtile, quod conducit ad aliud assequendum: & ideo non attingitur, nisi vt medium, vnde consurgit difficultas, quia cum vtile non possit exercere causalitatem finis, neque etiam potest terminare motum voluntatis vt finis, & è contra. Nec etiam potest terminare vt medium, quia obiectum adæquatum voluntatis est bonum, in quo potest quiescere.

38 Prima Sententia asserit, media vt media posse habere rationem causæ finalis. Ita Gabr. *in prim. distinct.* 38. *quæst. prima artic. primo*, & alij. Probatur. Causalitas finis consistit in motione voluntatis; voluntas autem mouetur à medijs ob vtilitatem, quam habent 2. Voluntas determinatur ad eligendum potius hoc medium, quàm illud, & non à fine, nàm finis est assequibilis per vtrumque. Ergo ab ipso medio.

39 Secunda Sententia asserit, nullum medium participare causalitatem finis. Ita Vasquez *prima secundæ disp.* 4. *cap.* 2. Lorca *sect. prim. disputat.* 5. Salas *tractat. primo disputat.* 6. *sect.* 2. *concl.* 3. & alij. Probatur. Arist. 2. *Physicor. text.* 29. docet, quod finis non est gratia alterius; & 8. *Ethicor. caput.* 3. Vtile non esse finem. Ergo, &c. Secundò. Finis, est id, in quo sistit appetitus; non sistit autem in medijs. Ergo, &c. Tertiò. Deus ordinat vnam creaturam mediante alia ad se ipsum. Ergo haberet pro fine creaturam intermediam, si media haberent rationem finis.

40 Tertia Sententia docet, causalitatem finis conuenire tantum fini, qui est vltimus in aliqua serie; rationem verò termini, quæ in fine reperitur, conuenire etiam medijs intermedijs. Ita Suarez *disp.* 1. *de vltimo fine hominis. sect.* 4. Probatur. Medium remotum non ordinatur ad finem, nisi mediante proximo. Ergo est propter proximum. Ergo proximus habet rationem termini.

41 Quarta Sententia vult, medium intermedium esse verè finem respectu eorum, quæ ad ipsum ordinantur. Ita Medina 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. *ad secundum.* Aluarez *disp.* 6. Curiel *dub.* 2. §. 8. Montesin. *disp.* 2. *qu.* 1. & desumitur etiam ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 21. *art.* 1. *ad secundum*.

42 Dico primò. *Media vt media non possunt exercere causalitatem finis.* Probatur. Esse propter se volitum, & non esse propter se volitum sunt contradictoria. Sed finis est propter se volitus, & medium vt medium non est propter se volitum, sed propter finem. Ergo medium vt medium non potest habere rationem finis, cum de ratione finis sit, quod sit propter se volitus.

43 Dico secundò. *Media, quæ habent aliquam bonitatem, secundum quam sunt in se amabilia, possunt exercere aliquam rationem finis, licet non perfectè, quatenus non sunt purus finis.* Probatur. Hæc media ratione suę bonitatis possunt aliquo modo satiare appetitum, & participant aliquam rationem finis simpliciter vltimi. Ergo possunt exercere aliquo modo causalitatem finalem. Quia causalitas finalis fundatur in bonitate satiatiua appetitus, & quæ

quæ sit à summa bonitate, tanquam participatio ipsius.

43 Dico tertiò. *Media secūdū ratione medij exercēt eādem causalitatem, quam exercet finis, itaut ex ipsis, & fine consurgat vnicum integrum subiectum finalizans.* Probatur. Finis attenditur à voluntate vt assequibilis, ergo media integrant cum ipso vnicum obiectum. Consequentia probatur. Quia assequibilitas finis non est præcisè in fine, sed etiam in medijs, cum non sit assequibilis nisi coniunctus cum medijs.

46 Dices. Media posse eligi speciali actu absque eo, quod eodem tempore intendatur finis, ergo tunc non attingentur ratione finis. Respondetur nego consequentiam. Quia semper eliguntur vt assequutiua finis, atque adeo ratione ipsius finis, quatenus habet etiam in ipsis suam assequibilitatem.

46 Ad primum primæ sententiæ negatur minor. Nam voluntas mouetur à fine ad eligenda media. Ad secundum, negatur assumptum. Nam determinatur voluntas à fine, vt eligat potius hoc medium, quam illud, quia finis est meliori modo assequibilis per ipsum: quod si æquali modo assequibilis est, tunc debebit determinari ab alio fine.

47 Ad primum secundæ sententiæ respondetur. Aristotelem solum velle, quod media, vt talia, non possint habere rationem finis. Ad secundum, distinguitur minor. Voluntas non sistit in medijs vt medijs: potest tamen sistere in ipsis aliquo modo, prout habent aliquam spetialem bonitatem. Ad tertium negatur sequella, quia Deus non mouetur à fine, & nulla bonitas creata est propter se amabilis respectu Dei.

48 Ad fundamentum tertiæ sententiæ respondetur. Medium remotum esse propter proximum, si proximum habeat propriam bonitatem, & tunc ne dum habet rationem termini, sed etiam finis, quæ rationes non separantur; quia voluntas non terminatur, nisi à bono propter se expetibili.

An natura Intellectualis possit moueri actu neutro, qui non sit intentio, aut electio.

SECTIO V.

49 PRima sententia est affirmatiua; vult enim, quod possit attingi aliquod obiectum, absq; eo quod attingatur sub ratione finis, aut medij. Ita Salas 1. 2. *tractat.6. disput.* 1. *section.*8. *num.*109. Becanus. *Tractat. de libero arbitrio capit.* 2. *quæst.*8. Probatur. Potest intellectus proponere bonum absque eo, quod proponat amabile, aut propter se, aut propter aliud, ergo tunc actus circa ipsum, nec erit intentio, nec electio.

50 Secunda sententia est negatiua. Ita Caietanus 1. 2. *quæst.*1. *articul.*1. Medina *ibidem*. Vasquez *disput.*32. *capit.*2. & 3. Aluarez *disput.* 41. Montesinus *disput.*12. *quæst.* 3. & alij.

51 Dicendum est. Non posse dari motum voluntatis neutrum, qui non sit circa finem, aut circa media. Probatur. Voluntas non potest terminari ad obiectum, nisi ipsum attingat sub aliqua ratione boni, quando liberè operatur. Vel ergo sistit in tali bonitate; & tunc attingit vt finem, & vt propter se amabile. Vel non, sed ordinatur ad aliud, & tunc attinget medium, ergo &c.

52 Dices. Præscindere ab eo, quod sit propter se, vel propter aliud attingibile. Contra. De facto attingitur sine ordine ad aliud, ita vt attingentia sistat in ipso obiecto alliciente voluntatem, ergo propter se attingitur.

53 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum Quia eo ipso, quod intellectus proponit bonum alliciens voluntatem, & non proponit vt medium ad aliud assequendum, proponit vt propter se amabile, atque adeo non habet locum prædicta præcisio.

An natura Intellectualis possit se mouere motu neutro, qui non sit nec fruitio, nec vsus.

SECTIO VI.

54 PRima sententia est affirmatiua. Ita Scotus *in* 1. *disput.*1. *quæst.*3. Ocham. *quæst.*1. *dub.*1. Aureol. *quæst.*3. *articul.*1. Maior. *conclus.* 3. & alij Scotistæ. Probatur. Potest voluntas creata versari circa obiectum honestum, ita tamen vt non constituat in ipso vltimum finem, neque actu, neque virtute referatur in vltimum finem. Ergo tunc ille actus, neque erit fruitio, cum non respiciat vltimum finem, neque vsus, cum non ponat vltimum finem in creatura.

55 Secunda sententia est negatiua. Ita Ariminens. *in* 1.*distinct.*1. *quæst.* 1. *articul.* 1. Caietanus 1.2. *quæst.*8. *articul.*1. Aluar. *disput.*4. Lorca *disp.* 8. *de actibus humanis*, & alij.

56 Dicendum est. *Non posse dari actum neutrum, qui non sit neque vsus, neque fruitio.* Desumitur ex Diuo Augustino *libr.*1. *de Doctrina Christiana capitul.* 37. vbi loquens de Deo, ait. Non igitur fruitur nobis, sed vtitur; nam si neque vtitur, neque fruitur, non inuenio quemadmodum diligat. Probatur. Vel actus est ordinatus; vel non. Si primum, ergo cum versatur circa Deum, erit fruitio, quia non potest attingi ordinato modo, nisi attingatur vt vltimus finis. Quando verò attingit creaturam, erit vsus, quia non licet attingere creata, nisi in ordine ad earum vltimum finem. Si secundum; ergo erit fruitio: nam in tantum actus est inordinatus, in quantum tendit in obiectum inordinato an ordo fruendo, quod est vtendum.

57 Dices. Non esse inordinatum priuatiuè; sed solum negatiuè, atque adeo non esse vsum, neque fruitionem, sed importare aliquam tertiam rationem. Contra. Omni actui, proprio naturæ intellectualis secundum modum tendendi, est debitus ordo, ergo si illum non habet inordinate, se habet priuatiue, quia caret perfectione sibi debita.

58 Dices secundò. Abstrahere ab eo, quod sit ordinatus, vel inordinatus.

Contra. Non abstrahit ab existentia, ergo neque ab eo, quod sit ordinatus vel inordinatus; nam eo ipso, quod existit, & non habet debitum ordinem, inordinate se habet.

59 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum. Nam eo ipso, quod actus non respicit vltimum finem, aut actu, aut virtute, habet pro fine ipsum elicientem, quia per ipsum intenditur bonum operantis, atque adeo amor sistit in amante vt in vltimo fine, quod est frui creatura.

DE VIRTVTE MOTIVA, QVA natura Intellectualis se mouet in finem, seu libero arbitrio.

DISPVTATIO XI.

An natura intellectualis habeat liberum arbitrium.

SECTIO I.

1 LIberum arbitrium est vis quædam soluta ab omni extrinseco vinculo, per quam potest quis iudicatiuo modo determinare propriam operationem: Vnde opponitur

ponitur causæ materiali, quæ per determinationem sibi impressam est ligata in ordine ad proprias operationes. Hinc autem fit, vt liberum arbitrium procedat dominatiuo modo.

2 Dico primò. *Datur in homine, etiam in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium cum indifferentia ad operandũ.* Est de fide contra Manichæos, & Recentiores Caluinistas. Est à Leone Papa *Epist.91.ad Turibium* contra Priscillianistas ab Innocentio II. & à Concilio Senonensi, & Constantiensi *sess.3.* & demum à Tridentino *sess.6.cap.5. & can.5.* Probatur. Num.20. *In arbitrio viri erit, siue facit, siue non facit.* Iosue 24. *Optio vobis datur; eligite hodie, quod vobis placet.* Gen.4. *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Ratio est. Quia appetitus sequitur cognitionem. Ergo importat illum modum tendendi, qui est virtualiter in cognitione. In cognitione autem intellectiua est virtualiter modus operandi liberè, quia nimirum intellectus ex se format mensuram dictaminis practici, qua reguletur, & determinetur operatio voluntatis, atque adeo initium talis determinationis est ab ipso homine.

3 Obijcit Caluinus Hierem.10. *Scio Domine, quia nõ est in homine via eius, nec est in potestate illius, vt dirigat gressus suos.* Et alibi habentur similia, ergo &c. Respondetur nego consequentiã. Quia intelligitur de directione in ordine ad vltimum finem, ad quem non potest se homo dirigere sine gratia. Est autem Domini gubernare linguam, vt loquatur, sicut exigit vltimus finis, & nomine linguæ intelliguntur omnes operationes.

4 Obijcit secundò. Scriptura docet, quod Deus operatur opera nostra. Ergo non adest liberum arbitrium. Respondetur negando consequentiam. Quia operatur opera nostra quatenus nobiscum cooperetur.

5 Obijcit tertio ex Diuo Augustino lib.6. de hæres. ad literas cap.15. *Conditoris voluntas rerum necessitas est;* & alibi habet similia: ergo non adest liberum arbitrium, siquidem operationes nostræ pendent ex voluntate Dei. Respondetur negando consequentiã. Quia Diuus Augustinus loquitur de necessitate consequenti; nam posita voluntate Dei efficaci, ponitur etiam effectus, sed iuxta modum operandi cuiuscunq; causæ creatæ.

6 Obijcit quarto. Ex eodem cap. 30. Enchirid. *Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum.* Respondetur, secundum Diuum Augustinum perdidisse liberum arbitrium, quatenus factus est seruus peccati, & quatenus est ita captiuus sub concupiscentijs, vt non possit sine gratia liberatrice operari bonum; non autem, quia perdiderit liberum arbitrium quoad potẽtiam physicam: vnde idem Augustinus *contra duas epistolas Pelagij cap. 2.* habet. *Quis nostrum dicet, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate iustitiã.*

7 Dico secundò. *Etiam in statu naturæ lapsæ datur liberum arbitrium in ordine ad opera moralia.* Est de fide. Probatur. Data sunt homini præcepta in ordine ad opera moralia, vt sunt præcepta Decalogi, quæ potest obseruare, Deuter.30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi, hodie non supra te est.* Hierem.32. *Indurastis cor vestrũ, & noluistis obedire.* Ergo homo habet liberum arbitriũ in ordine ad moralia, quia cum præcepta sint in ordine ad moralia, non habent locum, nisi vbi adest liberum arbitrium.

8 Respondet Caluinus. Licet non adsit libertas, præcepta non esse frustratoria, quia data sunt, vt cognoscantur peccata. Contra. Vbi non est libertas in ordine ad moralia, neque etiam potest esse peccatum, vt contingit in infantibus, ergo nec per legem potest innotescere.

9 Respondetur secundò. Non solum data fuisse præcepta, sed etiam promissionem gratiæ, vt intelligamus obseruantiam non esse ex libero arbitrio. Contra. Scriptura ita promittit gratiam, vt etiam requirat cooperationem liberi arbitrij, iuxta illud: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos;* ergo supponit liberum arbitrium.

Respondetur tertiò. Moysem loqui non de obseruantia legis, sed de promissione Euangelij. Contra. Nam antea dixerat. *Si custodieritis præcepta eius, &c.* Ergo loquitur de obseruantia legis.

10 Obijcit Caluinus. Ezech.36. *Dabo cor nouum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Ergo non habet homo liberum arbitrium in ordine ad præcepta. Respondet. negando consequens. Quia solum significatur, quod Deus moueat corda nostra ad benè operandum, & eodem modo intelligenda sunt cætera huiusmodi loca Scripturę. Vt illud 1. Corinthiorum 4. *Quid habes, quod non accepisti?*

11 Obijcit secundo ex Diuo Augustino *de perfectione iustitiæ, cap.9. Quia peccauit voluntas, sequuta est peccatum habendi dura necessitas.* Ergo homo non habet liberum arbitrium in ordine ad moralia, alioquin non haberet necessitatem peccandi. Respondetur, loqui de necessitate consequenti ex suppositione, quod voluntas sit captiua sub cupiditatibus, & ijs assentiatur, non de necessitate physica, quæ se teneat ex parte actus primi liberi arbitrij.

12 Obijc. tertiò. Ex eodem lib.1. Retract. cap.1. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, iam hoc ita peccatum est, vt sit etiam pœna peccati.* Respondetur. Non loqui de impotentia physica, quę excludat liberum arbitrium, sed solum de morali, quæ tamen per gratiam vinci potest.

13 Dico tertiò. *Homini conuenit libertas non solum à coactione, sed etiam à necessitate, ita vt possit ab intrinseco determinare suas operationes.* Est de fide contra eosdem Hæreticos, & definitur in Concilio Arausicano *can. 25.* & Trid. *sess.6. cap.5. & can.4.* Probatur Ezech. 15. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuit ei, dabitur illi.* Ergo cum habeat facultatem eligendi, habet etiam libertatem, ne dum à coactione, sed etiam à necessitate.

14 Obijc. ex Diuo Augustino cap. 105. Enchir. *Neq; culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed neque quam prorsus velle possimus.* Ergo sufficit libertas à coactione. Respond. nenegando consequentiam. Quia Diuus Augustinus tantũ vult, quod possit dari volitio libera absque indifferentia, & potentia ad oppositum, vt contingit in volitione, qua volumus esse beati.

Qualis potentia sit liberum arbitrium?

SECTIO II.

15 Supponendum est contra Henricum *quodlib.1.q.1.* Liberum arbitrium non esse actum, sed potentiã, quia cum sit in ordine ad actus liberos, qui sunt in potestate operantis, est quædam virtus, qua operans potest se determinare ad hos, vel illos actus.

16 Supponendum secundò. Contra Albertum *p.2.summæ quęst.91. memb.1. ad secundum.* Liberum arbitrium non esse naturalem habitum, quia habitus supponit potentiam, & illam determinat ad aliquos actus, quod repugnat libero arbitrio, quia est prima ratio operandi cum dominio proprię operationis, atque adeo antecedens omnem actum.

17 Prima sententia asserit, esse potentiam passiuam, ita vt actus solum recipiatur in libero arbitrio; producatur autem vel à bono cognito, vel ab intellectu, vel à phantasmate. Ita Goffredus *quodlib.6. qu.7.*

18 Secunda sententia vult, esse potentiam actiuam, ita communiter cum D. Tho. *1.par. qu.82. art.4.*

19 Dico primò. *Liberum arbitrium concurrit effectiuè per propriam virtutem ad omnes actus liberos.* Desumitur

sumitur ex Diuo Augustino *lib. 3. de libero arbitrio cap. 2. & 5.* & 1. *Retractation. cap. 9.* Damasceno *libr. 2. de fide cap. 5.* Anselmo *de concep. V. cap. 1.* & ex illo Eccl. 15. *Ad quod volueris, porrige manum*; per quod significatur efficientia libera. Prob. Trid. *sess. 6. c. 5.* definit liberum arbitrium concurrere effectiuè ad opera supernaturalia, ergo habet virtutem operatiuam, per quam operetur, ergo quando operatur naturali modo, operatur per eamdem virtutem. Confirmatur. Actus liber est actus vitalis, nam per ipsum anima se promouet ad proprium bonum cum speciali modo tendendi inclinatiuo, ergo debet esse à speciali principio intrinseco vitæ, atque adeo à libero arbitrio.

20 Dico secundò. *Liberum arbitrium importat virtutem proximè completam in ordine ad suos actus.* Probatur. Facultas, quæ non est proximè completa, non potest exire in actum, ergo cum liberum arbitrium debeat posse se determinare, debet etiam habere virtutem completam, per quam fiat talis determinatio.

21 Obijcit Goffredus. Si liberum arbitrium efficeret omnes actus, essent eiusdem speciei, quia essent ab eodem principio, ergo &c. Respondetur negando sequellam. Quia cum voluntas sit potentia vniuersalis respiciens diuersa obiecta, à quibus mouetur: potest iuxta diuersitatem ipsorum habere diuersos actus specificos ab ipsis.

22 Obijc. secundò. Inter mouens, & motum debet esse distinctio realis. Ergo voluntas non potest mouere se ipsam. Respondetur disting. antecedens. Inter mouens originatiuè, & motum debet esse distinctio realis, quatenus motus debet reduci in aliquod mouens extrinsecum; non autem inter mouens immediatum, & motum. Motus autem voluntatis originatiuè est à fine, qui est quid distinctum ab ipso.

23 Obijc. tertiò. Voluntas est potentia indeterminata, ergo debet ab alio determinari. Ergo passiuè se habet. Respondetur negando Consequentiam. Quia determinatur à se ipso; nam cum sit domina propriæ operationis, potest se determinare, prout vult.

24 Ob. quartò. Vltimum iudicium practicum trahit liberum arbitrium, ergo se habet passiuè. Respondetur. Trahere liberum arbitrium suasiuo modo, & ideo relinquitur voluntati, quod moueat se ipsam.

In quanam potentia consistat formaliter liberum arbitrium.

SECTIO III.

25 PRima sententia asserit consistere formaliter in intellectu, & voluntate, sed magis principaliter in intellectu, in voluntate vero solum secundario. Ita Durandus *in 2. dist. 24. quæst. 3. num. 13.* Probatur. Per intellectum habetur magis principaliter Dominium nostrarum operationum, siquidem voluntas sequitur intellectum vt regulam. Ergo &c. Secundò. Vltimum iudicium est magis in nostra voluntate, quàm sit electio voluntatis, quia voluntas non potest respuere, quod intellectus finaliter iudicat eligendum, ergo &c.

26 Secunda sententia asserit, libertatem esse formaliter in voluntate, in intellectu verò solum radicaliter. Ita Caietanus *1. part. quæst. 83. artic. 3.* Capreolus *in 2. dist. 24. quæst. 1. ad primum contra secundam Conclusionem* Ferrar. *3. contra gentes capitul. 43.* Medina *prima secundæ quæst. 6. articul. 2. ad argumen. contra primam conclus.* Suarez *in Metaphysica disp. 19. sect. 6.* & alij plures. Probatur. Intellectus iudicat de obiecto, perpendit circunstantias; voluntas autem sequens rationem eligit, vel respuit, ergo voluntas est formaliter libera, intellectus verò radicaliter.

27 Tertia sententia ponit libertatem formaliter in voluntate; in intellectu verò nec formaliter, nec radicaliter, quia. Cognitio solum est conditio sine qua non, ita Henricus *quodlib. 1. quæst. 16.* Scotus, *in 2. distinct. 25. quæst. 1.* Gabriel *distinct. 25. quæst. 1. articul. 2.* Ocham. *quæst. 19. post tertiam conclusionem*. Probatur. Nomen radicis importat veram causam; intellectus autem non est vera causa, quia non concurrit physice ad actum liberum.

28 Quarta sententia vult, libertatem consistere formaliter, & indiuisibiliter in intellectu, & voluntate, ita vt constituant simul vnum principium, quod sit liberum arbitrium. Ita Magister *in 2. distinct. 24.* Aureolus *quæst. 1.* Diuus Bonauentura *articul. 1. quæst. 3.* Nauaretus *1. p. quæst. 19. contr. 11. §. 2. post tertiam Conclusionem*.

29 Dico primò. *Libertas non conuenit intellectui seorsim à voluntate.* Desumitur ex PP. quatenus communiter non cognoscunt libertatem, nisi vbi est volentes; & præsertim ex Diuo Augustino *epistola 89. ad Hilar.* & passim *De gratia, & libero arbitrio*. Probatur. Si intellectus precisè est liber, potest elicere actus voluntatis; hoc implicat. Ergo. sequella probatur. Si esset liber, se deberet determinare ad hoc potius iudicium, quam ad illud, atque adeo deberet præferre vnum iudicium alteri, quod est eligere; & electio est actus voluntatis. Ergo &c. Confirmatur. Actus intellectus essent capaces bonitatis, & malitiæ; vnde posset aliquis peccare ante consensum, quod implicat; cum peccatum sit auersio voluntatis ab vltimo fine.

30 Dico secundò. *Liberum arbitrium consistit in voluntate, sed intrinsece completa per actum rationis dictātis de obiecto, ita vt voluntas sit liberum arbitrium tamquam primum principium: actus verò rationis vt illud, quo vltimo completo in ratione liberi.* Desumitur ex D. Thoma *1. 2. quæst. 17. art. 1. ad 2.* vbi ait. *Radix libertatis est voluntas sicut subiectum: Sed sicut causa est ratio: ex hoc enim voluntas libere potest ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni, & ideo philosophi definiunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione iudicium, quasi ratio sit causa libertatis.* Probatur. Iudicium rationis facit formaliter, quod liberum arbitrium possit procedere dominatiuo modo, ergo complet ipsum in ratione liberi arbitrij. Antecedens probatur. Procedere dominatiuo modo est esse exemptum ab omni extrinseco vinculo, quo determinatur ad operandum, sed actus rationis facit formaliter, quod sit exemptum, & possit determinare propriam operationem, tum quia ratio est mensura, secundum quam determinat; tum quia voluntas est potentia cæca, quæ non est sufficiens, vt faciat potius hanc, quàm illam determinationem; tum quia ratio dat formaliter voluntati vim directiuam, & ab ipsa primo refundatur mensura in operationem tamquam ab idea; tum quia voluntas ex vi rationis continet virtualiter illam determinationem, quæ est in operatione; tum quia cum voluntas sit indifferens ad hos, vel illos actus, determinatos à ratione vt speciali modo contineat per modum virtutis causatiuæ hos, & alios actus determinatos.

31 Ex his colligitur. Liberum arbitrium non esse aliud, nisi voluntatem, quæ tamquam potentia identificata cum intellectu recipit actum ipsius, & illo informata habet vim se inclinandi in obiectum iuxta mensuram rationis.

32 Ad primum primæ sententiæ negatur assumptum. Quia ex eo, quod voluntas sequatur rationem, solum fit, quòd intellectus concurrat ad Dominium modo explicato; non autem, quod se solo sit Dominus. Ad secundum negatur assumptum. Quia iudicium non est in nostra potestate ratione intellectus; sed ratione voluntatis, quatenus potest ipsum imperare. Quod autem voluntas non possit respuere, quod finaliter intellectus concludit, non prouenit ex defectu libertatis, sed quia iam voluntas est determinata ad sequendum: vnde dicit impotentiam consequentem.

33 Ad fundamentum secundæ negatur consequentia. Quia ex eo, quod intellectus iudicat &c. non solum est

radix

radix libertatis, sed etiam complet voluntatem in ratione liberi arbitrij.

34 Ad fundamentum tertiæ sententiæ negatur minor. Nam cognitio concurrit ad actum liberum vt mensura, & Idea ipsius, atque adeo physico modo.

Quomodo liberum arbitrium se habeat dominatiuo modo respectu propriæ operationis.

SECTIO IV.

35 Notandum primo, quod, cum voluntas ex natura sua sit determinata ex vi suæ specificationis ad prosequendum bonum, non habet in hoc seipsam determinare secundum specificationem, sed sufficit motio obiecti, vt exeat in actum, sicut sufficit respectu cuiuscunque potentiæ. Duplici autem modo potest exire in actũ vel secundum impressionem obiectorum factam mediante cognitione; & hoc modo naturaliter operatur, & agitur à tali impressione, vel cum eleuatione supra hanc impressionem, vt contingit quando intellectus se eleuat supra impressionem obiectorum, & considerans omnia, & singula format dictamen practicum, quod sit mensura operationis voluntatis, & tunc voluntas vtitur tali mensura pro determinanda operatione, & liberè operatur etiã si operetur secundum determinationem propriæ specificationis; nam adhuc ipsa se mouet ad exercitium actus.

36 Notandum secundo. Modum operandi liberum esse connaturalem voluntati, ita vt ex vi suæ specificationis sit determinata ad liberè operandum; vnde operari naturaliter secundum suam determinationem respectu voluntatis est operari libero modo, quia nimirum sicut potentiæ naturales ex vi suæ specificationis sunt determinatæ ad operandum naturali modo; ita potentia libera ad operandum libero modo.

37 Notand. 3. Quod stante determinatione voluntatis ad prosequendum bonum nõ potest nõ intendere beatitudinem in communi, quia cum dicat omnem rationem boni, & excludat omne malum, non adest, vnde voluntas retrahatur à prosequutione. Vnde talis intentio est connaturalis voluntati, & indita à natura, ita vt natura compellat velle esse beatum, vt docet Augustinus *libr. 13. de Trinitate cap 8.*

38 Notandum quarto. Hanc intentionem Beatitudinis in communi habere modum tendendi liberum, quia licet sit secundum determinationem voluntatis, quia tantum est secundum determinationem, quam habet vt potentia libera, ideo habet in exercitio modum tendendi, quem dicit voluntas in potentia; & ita docet August. *cap. 105. Enchir.*

39 Dico primo. *Intentio beatitudinis in communi licet sit libera, non tamen quæ supponit aliud exercitium libertatis, ratione cuius voluntas se determinet ad ipsum, sed est libera ex vi specificationis voluntatis.* Probatur. Hæc intentio habet in actu illum modum tendendi, quem habet voluntas ex vi suæ specificationis, Ergo sufficit motio obiecti, vt voluntas se determinet ad ipsum, nec requiritur alia præcedens motio voluntatis. Antecedens patet, quia voluntas ex vi suæ specificationis habet modum tendendi liberum. Consequentia probatur. Talis intentio est adæquata intentio voluntatis tendens ad terminum adæquatum, quia extra beatitudinẽ non est aliquid aliud expetibile. Ergo non est opus alia determinatione voluntatis, sed sufficit, quod exeat in actum secundum suam determinationem specificam. Confirmatur. Talis intentio est essentialiter primus motus voluntatis in ordine ad finem se mouentis eo modo, quo potest tendere in finem. Ergo non potest præsupponere alium motum liberum voluntatis.

40 Dices. Voluntatem vt liberam debere ipsam determinare proprium actum; in hoc autem casu non determinat, nam agit secundum impressionem obiecti. Respondetur distiguo minorem. Non determinat secundum specificationem; determinat verò secundum exercitium, quia ex se ipsa se mouet ad hanc intentionem.

41 Dices secundò. Voluntas non dominetur proprijs actibus per suam virtutem operatiuam, quia cum hæc sit potentia, dat vim dominandi, non autem dominium. Ergo hæc intentio aut non est libera, aut si est, supponit alium actum liberum, per quem voluntas dominetur. Respondetur negando sequelam. Quia talis intentio est prima ratio dominandi; actus autem, qui est prima ratio, non indiget alia ratione formali, per quam sit talis. Sic actio non indiget alia ratione, qua fiat. Vnde cum ista intentio sit prima ratio dominandi respectu voluntatis, non est opus alia ratione, per quam voluntas ipsi dominetur.

42 Dico secundò. *Intentio voluntatis circa finem, seu bonum in particulari, & cæteri actus liberi sunt sub dominio voluntatis ratione intentionis beatitudinis in communi, ita vt voluntas ex vi talis intentionis actu ipsis dominatur.* Desumitur ex D. Aug. *Concione secunda in Psal. 32.* vbi habetur. *Quod depellendæ miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis: cum faciant omnes homines, quod vel boni faciunt, vel mali.* Probatur. Intentio beatitudinis in communi est radix cuiuscunque actus liberi. Ergo per ipsam voluntas dominatur omnibus actibus liberis. Antecedens patet. Quia cum omnis prosequutio boni, & fuga mali sit in ordine ad acquirendum statum commodum proprio supposito, est etiam in ordine ad acquirendam beatitudinem, atque adeò voluntas ratione intentionis beatitudinis est radix horum actuum, quia videlicet se mouet ad ipsos, vt compleat per ipsos propriam intentionem. Consequentia probatur. In virtute talis intentionis se mouet secundum omnes actus liberos. Ergo ex vi ipsius habet, quod possit hoc, vel illo pacto determinare suas operationes, prout intellectus ostendit exigi à beatitudine. Ergo ratione talis intentionis exercet dominium, quia Dominium non est aliud, quàm modus, quo voluntas se mouet ad determinandam propriam operationem. Confirmatur. Intentio mouet ad electionẽ ergo intentio vniuersalis beatitudinis mouet ad omnes actus, qui quocunque modo concernunt beatitudinem; ergo ipsa est ratio dominandi respectu omnium actuum.

Quodnam sit formale constitutiuum liberi arbitrij.

SECTIO V.

43 Prima sententia asserit, formale constitutiuum esse indifferentiam. Ita Augustinus *cap. 1. Mor. textu 2.* Medina *prima secundæ q. 6. art. 2.* Suarez *de auxilijs lib. 1. cap. 2. & parte prima de gratia prolegom. 1. cap. 2.* Nazarius *prima parte quæst. 19. art. 10.* Bellarminus *lib. 3. de gratia, & libero arbitrio cap. 1.* Coninch *disput. 2. de actu superuaturali num. 52.* Caietan. *1. 2. qu. 4. art. 2.* Molina *in concordia disput. 2.* & communiter Recentiores cum nonnullis ex veteribus. Prob. Patres, & Concilia ex Scriptura docent, potentiam liberi arbitrij esse potentiam ad opposita, ita vt possit operari, & non operari. Ergo. Confirmatur. Pius V. & Gregorius XIII. damnauerũt has propositiones Michaelis Baij. Quod voluntariè fit, etiam si necessitate fiat, liberè fit. Et sola violentia repugnat libertati hominis: ergo libertas non saluatur absque indifferentia. Confirmatur 2. Trident. *sess. 6. can. 4.* infert nos liberè operari, quia possumus consentire, & dissentire, ergo &c. Secundo. Habere potentiam dominatiuam, & se determinare ad operandum non est aliud, quàm posse agere, & non agere. Ergo cum liberum arbitrium constituatur per hanc potentiam, constituitur per indifferentiam. Tertio. Liberum arbitrium distinguitur à cæteris potentijs, quod positis

sitis omnibus requisitis potest agere,& non agere, ergo per hanc indifferentiam constituitur.

44 Secunda sententia vult, ad liberum arbitrium sufficere indifferentiam, quæ se teneat ex parte iudicij rationis, nec esse necessariam ex parte voluntatis, quia voluntas eo modo fertur in obiectum, quo proponitur ab intellectu; vnde si proponatur non vt necessariò prosequendum, nec etiam necessariò prosequetur. Ita Bannes *1. par. quæst. 19. art. 10, dub. 1.* Zumel *ibidem. in appendice de libero arbitrio.* Aluarez *disput. 126. de auxilijs,* & alij ex Thomistis.

45 Tertia sententia asserit, indifferentiam esse essentialem libero arbitrio, sed solum consistere formaliter in eo, quod voluntas absque vlla coactione cum dominio determinet proprias operationes. Ita Diuus Thomas *in 3. distinct. 18. qu. vn. artic. 2. ad secundum*, vbi docet, liberum arbitrium Christi, etsi determinatum ad vnum, non amittere libertatem, quæ sufficiat ad rationem meriti, & *distinct. 21. articul. 4.* & *quæst. 10. de potentia artic. 2. ad primum,* & *quæst. 22. de veritate arti. 1. ad 7.* & *1. part. quæst. 62. artic. 8. ad 3.* Scot. *quodl. 16.* vbi fusè hoc declarat. Alensis *2. part. quæst. 29. memb. 1. articul. 5.* & *quæst. 72. memb. 2. articul. 3.* Vgo Vittorinus *in summa sententiarum cap. 4.* Richardus Victorinus *de statu interioris hominis capit. 13. & 23.* Magister *in 2. distinct. 7. & 25.* Antissiodor. *lib. 2. summæ tract. 11. quæst. 3.* Diuus Bonauentura *in 2. distinct. 25. circa textum*, & *quæst. 1. articul. 2.* & *distinct. 26. quæst. 1.* Henricus *quodlib. 3. q. 27.* Richardus *in 2. distinct. 25. art. 2. quæst. 1.* Argentinas *in 2. distinct. 23. quæst. 5. art. 1.* & *in 3. distinct. 18. art. 3.* Carthusianus *in 2. distinct. 25. artic. 4.* Marsilius *quæst. 16. articul. 1.* Orbelis *distinct. 25.* Gabriel *in 3. distinct. 18. art. 3.* & alij ex veteribus Scholasticis.

46 Notandum primò. Motionem voluntatis causari primo ab obiecto, quod est primum mouens: vnde voluntas effectiue se mouet proportionaliter ad motionem obiecti. Quia autem obiectum mouet mediante cognitione, ideo modus operandi proximè determinatur à ratione, radicaliter verò ab obiecto.

47 Notandum secundò. Cum obiectum sit duplex, aliud, quod est pure bonum, & aliud, quod habet annexam aliquam rationem mali, determinat etiam duplicem modum operandi, nempe sine indifferentia, quando est purè bonum, quia non consurgit iudicium indifferens, & cum indifferentia, quando habet indifferentiam obiectiuam. Est autem connaturale voluntati vtroq; modo operari, cum sit illi connaturale se determinare secundum dictamen rationis.

48 Notandum tertiò. Ex hoc sequi, quod tota indifferentia voluntatis refundatur in obiectum, quatenus habet indifferentiam obiectiuam; quæ in eo consistit, quod ex vno motiuo sit prosequibile, & ex alio non prosequibile. Vnde indifferentia voluntatis proportionatur indifferentiæ obiectiuè, & ideo debet importare eminenter duplicem virtutem, alteram, per quam contineat vnum actum in ordine ad obiectum propositum sub vno motiuo, & alteram, per quam contineat actum oppositum in ordine ad obiectum propositum sub opposito motiuo.

49 Notandum quartò. Siue voluntas operetur cum indifferentia, siue sine ipsa, dummodo operetur cum perfecta cognitione, interuenit iudicium rationis, non solum dictans de prosequutione, aut fuga obiecti; sed etiam iudicium approbans determinatam tendentiam ad vnam partem, in cuius virtute voluntas se determinat, & imprimit mensuram proprio actui, prout præscribitur à ratione. Ex quo fit, quod actus voluntatis sit virtualiter reflexiuus supra se ipsum, & ideo potest voluntas in virtute talis iudicij habere actum formaliter reflexum, quo velit suam volitionem. Et proinde Diuus Thomas *in 2. distinction. 23. articul. 1. ad quartum* docet, quod in Beatis respectu amoris beatifici datur sempiterna, & libera electio.

50 Dico primò. *Posita indifferentia in iudicio rationis adest etiam in voluntate.* Desumitur ex Tridentino *sess. 6. cap. 4.* quatenus damnat Caluinum, & Lutherum, qui admittentes indifferentiam in iudicio rationis, negabant in voluntate. Probatur. Voluntas sequitur rationem cum essentiali dependentia, ergo ex intrinseca sua ratione potest sequi quamcunque propositionem obiecti, ergo posita indifferentia in ratione, non potest tolli à voluntate.

51 Dico secundò. *Libertas in actu primo consistit formaliter in dominio, quod voluntas habet supra suas operationes,* hoc autem dominium in eo consistit, quod voluntas à se ipsa moueatur, & effectiuè, primo incipiat suam operationem nedum quoad esse, sed etiam quoad determinationem. Ita Nemensius *libro de homine cap. 39. & 40.* Nicetas *lib. 3. Thesau. capit. 1.* Ambrosius *libr. 2. de Iacob cap. 3.* Basilius *sermone de libero arbitrio.* Nissenus *oratione catechetica.* Ireneus *lib. 4. cap. 71.* Damascenus *lib. 2. de fide orthodoxa capit. 7.* Augustinus *lib. 2. de libero arbitrio cap. 3.* vbi ait. *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis, nam nō est nobis liberū, quod in potestate non habemus, nec voluntas esse poterit, si in potestate non est.* Probatur: Liberum arbitrium nihil aliud importat, quam esse exemptum in operando à quocunque vinculo; sed per hoc, quod habet in sua potestate operationem, ita vt ipsam determinet, est exemptum, ergo, &c. Minor. probatur. Nam non habet operationem ligatam per aliquam determinationem prouenientem ab extrinseco, in quo differt ab operationibus naturalibus.

52 Dico tertiò. *Libertas non consistit formaliter in indifferentia, sed potest saluari sine ipsa.* Desumitur ex Diuo Prospero *contra Collatorem capit. 13.* vbi definit liberum arbitrium esse rei sibi placitę spontaneum appetitum, & Diuo Anselmo *lib. 1. Cur Deus homo? cap. 11. 16. & 17.* vbi docet, Christum habuisse libertatem absque indifferentia, & *de libero arbitrio cap. 5.* vbi docet, voluntatem ideo esse liberam, quia sine suo assensu aliena potestate subijci non potest ex Diuo Bernardo *de gratia, & libero arbitrio,* circa initium. *Non enim est consensus, nisi voluntarius, vbi ergo consensus, ibi voluntas; vbi autem voluntas; ibi libertas.* Et insuper docet, quod quidquid voluntas voluntarie facit, libere facit, & quod Angelus Beatus permanet libere bonus, quia non permanet aliqua extrinseca necessitate, sed voluntate ex Diuo Augustino *in Enchir. capitul. 105.* vbi docet, quod voluntas, qua volumus esse Beati, licet sit sine indifferentia, est tamen libera, & idem habet *capit. 46. de natura, & gratia,* & *de gratia Christi cap. 13.* vbi ait. *Præceptum quippe liber facit, qui liberus facit,* & Tractatu 41. in Ioannem *delectet te, & liber es; ibi enim sumus veritates liberi, vbi non delectamur inuissi.*

53 Probatur: Per id formaliter constituitur libertas, per quod habetur modus operandi cōtradistinctus à modo operandi naturali; sed præcisa indifferentia habetur hic modus, ergo &c. Minor probatur. Adhuc voluntas se mouet ab intrinseco cum complacentia obiecti causando determinationem propriæ operationis secundum mensuram rationis, ita vt virtuali modo velit illam operationem; hæc autem non conueniunt modo naturali operandi. Dices. Voluntatem habere hunc modum operandi, etiam quando operatur necessario, & naturali modo, vt in primis motibus. Contra. Quando voluntas operatur naturali modo, non operatur vt eleuata supra impressionem obiecti; nec vtitur mensura formata a ratione; nec virtualiter vult suam operationem, quia non fundatur in iudicio approbatiuo, ergo non operatur libero modo, nec habet sub potestate determinationem propriæ operationis.

54 Secundò. Probatur. Præcisa indifferentia voluntas adhuc procedit dominatiuo modo, ergo liberè. Antecedēs probatur. Tendere dominatiuo modo dicit, quod operatio sit sub potestate; per id autem, quod voluntas vtens mensura rationis determinat operationem, habet illam

sub

...state, si quidem eam facit, vt vult, ergo. Con-...ur. Obiectum secundum indifferentiam obiectiuā ...cificat potentiam liberam, nec actum; ergo vo-...atione indifferentiæ non habet formaliter, quod ...a. Antecedens patet, quia ratione indifferentiæ o...n dicit, quod ex vno capite sit prosequibile, & ex ...;vnde cum interueniant duæ rationes oppositæ, ...possunt vniri in vnam rationem formalem, nec ...ossunt vniri in vnum specificatiuum. Conse-...probatur. Quia voluntas est libera formaliter ex ...cificationis. Confirmatur secundò. Quādo vo-...eratur cum indifferentia, non concurrit ad actū ...rens, quia concurrit solum, vt continet virtua-...m, quem elicit; non autem, vt continet oppo-...uum; & tamen concurrit vt libera, ergo non est formaliter libera ratione indifferentię, cum non concurrat secundum ipsum.

55 Dico quartò. Ex eo, quod voluntas dominatiuo modo operatur, fit, quod habeat indifferentiam in ordine ad obiectum propositum indifferenti modo. Probatur. Ex eo, quod voluntas habet sub dominio propriam operationem, non est ligata ad operandum secundum aliquā certam determinationem, sed potest quamlibet efficere, quæ correspondet attingibilitati obiecti. Ergo quando obiectum est attingibile secundum oppositas rationes, poterit voluntas efficere oppositas determinationes.

56 Ad primum negatur consequentia: quia quando PP. Concilia, & Scriptura docent, quod liberum arbitrium sit ad opposita, solum volunt, quod habeant indifferentiam in ordine ad obiecta indifferentia; non autem, quod libertas formaliter constituatur per indifferentiam. Hæretici enim negabant indifferentiam, & consequenter etiam libertatem, quia, cum indifferentia sit connexa cum libertate, vna sublata tollitur consequutiuè etiam altera. Ad primam confirmationem. Pontificem damnasse illas propositiones, quia Michael Baius volebat, quod omnes operationes voluntatis, etiam primi motus essent liberi, & quod homo in ipsis peccaret, vt colligitur ex 48. & 49. propositione ipsius; vnde loquebatur de necessitate, quæ importabat modum operandi naturalem. Ad secundam confirmationem. Tridentinum ex indifferentia arguere libertatem, quia, vt dictum est, est annexa cum modo operandi libero. Ad secundum negatur assumptum quia habere dominatiuam potentiam est, posse ex se determinare propriam operationem.

57 Instabis. Ille actus nō est in potestate nostra, à quo non possumus abstinere: ergo esse in potestate est posse agere, & non agere. Respondetur distinguo antecedens. Ille actus non est in potestate nostra, à quo non possumus abstinere, si sit actus imperatus alterius potentiæ: secus autem si sit elicitus, nam actus elicitus voluntatis ideo est in potestate nostra, quia volūtas ex se ipsa se mouet, & determinat; & quia non operatur, nisi velit operari. Instabis secundò. Potentia rationalis debet esse ad apposita, ergo &c. Respondetur, debere esse ad opposita, si obiectum sit capax, secus autem, si non sit capax: per id autem, quod obiectum sit capax, vel non sit, non variatur modus operandi potentię.

58 Instabis tertiò. Necessitas, & determinatio ad vnum repugnat libertati. Ergo non potest saluari sine potentia ad opposita. Respondetur cum Scoto *quodlib.16. art.2.* determinationem ad vnum, quæ sit ab extrinseco, repugnare libertati, non autem determinationem ad vnum, quæ sit ex ipsa voluntate. Quia talis determinatio fit ab ab ipsa voluntate; & est quia secundum connaturalē modum operandi ipsius, & adhuc saluatur, quod sit necessitas cadens sub voluntate ab ipsa volita; quatenus sibi cōplacet, & virtualiter vult proprium actum, vnde reducitur ad necessitatem consequentem.

59 Ad tertium negatur assumptum. Nam liberum arbitrium distinguitur à cæteris causis operatiuis, quod procedat dominatiuo modo.

An potentia peccandi pertineat formaliter ad liberum arbitrium.

SECTIO VI.

60 Prima sententia vult, pertinere formaliter tanquā partem ipsius. Ita omnes, qui volunt liberum arbitrium constitui per indifferentiam, & per id, quod sit potentia ad opposita, & specialiter Vasquez *1. par. qu.19. art.10. circa solutionem primi* & *1. 2. disput.129, cap.10.* Duual *tract. de humanis actib. qu.3. art.2.* Raynaudus *1. par. de libert. cap.4. n.7.* & communiter Recentiores. Probatur. Qui peccat, liberè peccat: ergo liberum arbitrium est potentia peccandi. Secundò. Si potestas peccandi non esset pars libertatis, neque esset pars libertatis potestas abstinendi à malo, quia libertas ad vnum contradictoriū inuoluit etiā potestatem ad aliud, vt possit saluari electio, quæ est de ratione libertatis. Tertiò. Tam capacitas male operandi est defectus volūtatis, quā capacitas transeundi ab vno actu ad alium, vt docet Diuus Thomas *quæst.16. de malo, artic.5.* ergo cum ratio defectus non tollat, quin secunda capacitas sit pars libertatis, neque etiam tollet, quod prima capacitas non sit pars eiusdem libertatis. Quartò. Liberum arbitrium est potentia vniuersalis, de cuius ratione est, quod sit ad opposita, ergo cum opposita in ordine ad liberum arbitrium sint malum, & bonum, erit in ordine ad malum, & bonum.

61 Secunda sententia est negatiua. Ita omnes, qui volunt liberum arbitrium nō constitui formaliter per indifferentiam, & specialiter Diuus Bonauentura *in 2. dist.7. art.2. quæst.1. ad secundum, & distinct.25. qu.3.* Marsilius *quæst.16. art.5. proposit. 1.* Richard. *distinct. 43. artic.1. quæst.1.* Capreolus *ibidem.* Bacconus *in 4. dist. 1. quæst.5.* Desumitur etiam ex Diuo Thoma *1. par. qu. 62. artic.8. ad tertium,* vbi docet, pertinere ad perfectionem libertatis, quod possit eligere diuersa seruato ordine finis, & quod eligat diuertendo à fine, seu peccando, pertinere ad defectum libertatis, & concludit, maiorem libertatem esse in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus. Et *in 3. dist.18. q.vn. art.2. ad 5.* docet, Christum non amisisse libertatem, licet fuerit determinatus ad vnum, & non potuerit peccare.

62 Notandum primò. Liberum arbitrium esse potentiā defectibilem, & quia deficere est cadere à propria perfectione in operando, non potest ista defectibilitas esse potentia positiua, quæ inclinat ad deficiendum; tum quia nulla res habet inclinationem ad amittendam propriam perfectionem, tum quia potentia positiua dicit ordinem ad actum positiuum, deficere autē nō est actus positiuus.

63 Notandum secundò: peccatum esse defectum intellectualis creaturæ, vt talis est, quia importat actum carentem debito ordine ad vltimum finem, & ideo peccare erit deficere. Quia autem actus, & potentia commensurantur ad inuicem; ideo potentia peccandi erit potentia deficiēdi, & cōueniet libero arbitrio ex eo, quod est defectibile.

64 Notandum tertiò. Defectibilitatem conuenire vnicuique proportionato modo, vnde causis naturalibus cōuenit posse deficere naturali modo; causæ verò liberè deficere libero modo. Sicut autem in naturalibus deficere dicit, quod causa operetur absque debito ordine, aut non operetur, quando debet operari; ita in causa libera dicet, quod ex libertate operetur absque debito ordine, aut non operetur, quando est operandum; vnde potentia peccandi materialiter, & fundamentaliter erit ipsa virtus voluntatis; formaliter verò erit priuatio debitæ stabilitatis, & permanentiæ in ordine ad operandum.

65 Dicendum est. *Potentiam peccandi neque vt constitutiuum, neque vt partem pertinere formaliter ad liberum arbitrium.* Desumitur ex Diuo Augustino *de correptione, & gratia capitul. 11. Quid enim liberius erit*

erit arbitrio, quando iam non poterit seruire peccato? & concludit. *Prima ergo libertas erat posse non peccare; nouissima autem erit multò maior, non posse peccare*, & idem docet in *Enchirid. cap.* 105. & *libro* 22. *de Ciuitat. Dei capit.* 30. & *de Prædest. Sanctorum cap.* 15. vbi loquens de Christo, ait. *An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tantò libera magis, quantò magis peccato seruire non poterat?* & *lib. prim. operis imperfecti contra Iulianum*. Cum diceret Iulianus. *Liberum est quando potest fieri bonum, & malum*. Instat Augustinus. *Non est ergo liber Dominus, de quo dictum est, negare se ipsum potest; & de quo etiam dixisti, Deus esse non Iustus non potest*. Desumitur etiam ex Diuo Anselmo *cap. primo de libero arbitrio*. Vbi ait. *Libertatem arbitrij non puto esse potentiam peccandi, & non peccandi; quippe si hæc asserit, eius definitio, nec Deus; nec Angeli, qui peccare non possunt, liberum haberent arbitrium*. Deinde respondens obiectioni, quod aliud liberum arbitrium sit hominis, & aliud liberum arbitrium Dei, inquit, quod definitio libertatis debet esse eadem in vtrisque, & concludit, *Nec libertas, nec pars libertatis est potentia peccandi*.

66 Dices. D. Anselmum loqui de libero arbitrio, prout est quid precisum, non autem de libero arbitrio specifico hominis. Contra. Intendit declarare, quod nec etiam in homine potentia peccandi sit pars libertatis, & cõcludit. *Liberior itaque voluntas est, quæ à rectitudine non peccandi declinare nequit, quam illa, quæ potest declinare*. Deinde c. 2. loquẽs de Angelo, & homine qui peccauerũt, ait. *Peccauit autem per arbitriũ suum, quod erat liberũ, sed non per hoc, vnde liberum erat nec per potestatẽ, qua poterat non peccare, & peccato non seruire, sed per potestatem, quam habuit, peccauit, qua nec ad non peccandum libertate iuuabatur, nec ad peccãdi seruitutẽ cogebatur*.

67 Probatur. Potentia peccandi est defectibilitas liberi arbitrij, aut ex ipsa consequitur, ergo cũ liberũ arbitriũ sit potentia, quæ consistit formaliter in perfectione, non potest constitui per imperfectionem, qualis est defectibilitas, & quid consequenter ex ipsa. Confirmatur. Nulla potentia potest fieri extra suum obiectum adequatum. Ergo potentia peccandi non pertinet ad liberum arbitrium, quia obiectum adequatum ipsius est bonum, ita ut impossibile sit, quod eligat, quod non est bonum. Obiectum autem potentiæ peccandi est malum sub ratione mali; Quia sicut peccatum secundum suam specificationem dicit rationem mali, quam habet ab obiecto turpi specificatiuo; ita potentia peccandi, quæ causat turpitudinem actus, debet respicere obiectum turpe sub ratione turpis.

68 Dices. Liberum arbitrium, quando peccatur non tendere in malum vt tale, sed in bonum delectabile. Contra. Bonum delectabile vt tale, non est specificatiuum actus malis, sed prout est turpe, & contra regulas rationis. Ergo cum potentia peccandi respiciat formaliter actum sub ratione peccati, respicit etiam obiectum sub illa ratione, qua specificat actum turpem, atque adeo sub ratione turpis.

69 Ad primum negatur conseq. Quia vt ait Diuus Anselm. *capit.* 2. *de libero arbitrio*. Liberè peccare non est peccare per liberum arbitrium, vt tale est, sed vt defectibile est; quia enim liberum arbitrium, quatenus liberum est, potest retinere, quod voluntas non deficiat, ideo homo liberè peccat. Liberum enim arbitrium est ipsa voluntas, vt stat sub regimine rectæ rationis; & ideo, quando voluntas peccat, non operatur vt liberum arbitrium, quia non operatur vt stat sub tali regimine; sed operatur vt defectibilis absque debita mensura prouenienteà ratione. Ad Secundum negatur sequella. Ad probationem libertatem vnius contradictorij habere annexam libertatem respectu alterius intra idem obiectum, atque adeò intra ordinem ad finem; liberum enim arbitrium dicit facultatem eligendi seruata ordine finis, vt docet Diuus Thomas 1. *par. q.* 62. *art.* 8. *ad tertium*. Alioquin in Deo non esset libertas, qui non potest declinare ad malum.

70 Ad Tertium Negatur consequentia. Quia tàm capacitas peccandi, quàm capacitas transeundi de vno actu ad aliud conuenit libero arbitrio per accidens, vt docet Diuus Thomas ibi *citatus*. nam prima conuenit ratione defectibilitatis. Secunda verò ratione mutabilitatis; & ideo neutra pertinet formaliter ad constitutionem liberi arbitrij; Quia quod conuenit per accidens, non potest esse constitutiuum. Ad Quartum Negatur minor. Quia bonum, & malum non sunt opposita intra obiectum liberi arbitrij, nam malum nullo modo pertinet ad obiectum ipsius, sed tantum eligere, & non eligere seruato ordine finis.

An indifferentia conueniat libero arbitrio positis omnibus requisitis in sensu composito.

SECTIO VII.

71 PRima Sententia docet, conuenire positis tantum ijs requisitis, quæ se tenent ex parte causæ secũdę non autem ijs, quæ se tenent ex parte causæ primæ loquendo in sensu composito, vt est diuinus concursus, & præuia motio, ita Ledesma *cap.* 3. *de auxilijs*. §. *sed ante quam*. Aluarez *disp.* 115. *de auxilijs*, & alij. Probant. Præuia motio est vnum ex prærequisitis, & tamen illa posita à Deo, voluntas in sensu composito non habet potestatem ad actum oppositum, alioquin posset reddere in efficacem diuinam motionem. Ergo, &c.

72 Secunda Sententia docet absolutè, quod positis omnibus requisitis voluntas in sensu composito potest agere, & non agere. Ita Valentia *prima secundæ disputat.* 8. *quæst.* 5. *punct.* 4. §. 4. Curiel *controu.* 2. *in Epistola* 2. *Diuus Petr. numero* 234. Suarez *prolog. primo de gratia. capit.* 3. Hurtad. *disput.* 15. *de anima sect.* 3. & alij.

73 Dico primò. *Indifferentia, quatenus se tenet ex parte principij operatiui, conuenit libero arbitrio positis omnibus requisitis in sensu composito, etiam quæ se tenet ex parte Dei*. Desumitur ex Tridentino *sess.* 6. *canon.* 4. Vbi definit, quod liberum arbitrium à Deo præmotum, potest nedum non consentire, sed etiam dissentire. Probatur. Liberum arbitrium habet indifferentiam ad se determinandum, & non determinandum. Ergo retinet eamdem indifferentiam, quousque se determinet, ita vt solum ratione determinationis illam abijciat. Ergo illam retinet positis omnibus requisitis, quæ se tenent ex parte actus primi. Consequentia prima Probatur. Quia indifferentia non tollitur nisi per determinationem ad vnam partem, secunda consequentia Probatur. Quia requisita, quæ se tenent ex parte actus primi non determinant voluntatem ad vnam partem, alioquin operaretur vt potentia determinata ad vnum.

74 Dico secundò. *Positis omnibus requisitis liberum arbitrium, quantum est ex parte motionis, non habet indifferentiam*.

Probatur. Implicat, quod voluntas simul moueatur ad oppositas partes, vt constat etiam in mobili corporeo. Ergo cum ex parte prærequisitorum, se teneat motio, qua voluntas per iudicium rationis, & affectionem mouetur ad vnam partem, non potest ex parte motionis habere indifferentiam, alioquin simul moueretur etiam ad oppositam partem.

75 Dices. Non moueri antequam se determinet. Contra. Non potest se determinare, nisi alliciatur, & habeat aliquem amorem erga obiectum, & nisi præcedat directio intellectus; hoc autem totum est quædam motio præuia ad determinationem.

76 Dices secundò. Posse voluntatem abijcere hanc motio-

motionem. Cōtra. Ideo potest abijcere, quia habet indifferentiam ex parte principij operatiui: non autem quia habet motionem ad oppositam partem, ergo adhuc non habet indifferentiam ex parte motionis.

77 Ad fundamentum primæ sententiæ. Respondetur negando assumptum, si loquamur de principio operatiuo. Ad probationem negatur sequella. Quia supposita efficacia motionis diuinæ, potentia voluntatis non potest in sēsu composito reduci ad actum quoad oppositam partem quia vt diximus, implicat, quod voluntas simul moueatur ad oppositas partes.

78 Dices. Licet voluntas non possit simul moueri ad oppositas partes, poterit tamen, si habet indifferentiam abijcere hanc motionem, & sic reddere inefficacem. Respondetur negando sequellam. Quia ad abijciendum non sufficit potentia ex parte principij operatiui, sed requiritur etiam motio, quæ non potest haberi. Quia enim motio efficax non potest abijci, nisi superueniat alia motio, à qua vincatur; & quia motio efficax non potest vinci, cum ipsa vincat omnem aliam motionem, ideo ex suppositione implicat, quod abijciatur, quia implicat, quod ipsa vincat omnem aliam motionem, & quod vincatur ab alia.

An detur libertas naturalis sine morali.

SECTIO VIII.

79 Distinguūt aliqui libertatem physicam à morali; & volunt quod physica consistat in dominio supra operationes; morales vero in eo, quod quis possit discernere inter honestum, & turpe.

80 Prima sententia est affirmatiua. Ita Molina 1. *par. quæst.* 14. *art.* 3. *disp.* 2. Vasquez 1. 2. *disput.* 41. *num.* 15. Corneius *tract.* 6. *disp.* 1. *dub.* 2. Hurtadus disp. 15. de anima sect. 9. Victoria *relect. de puero veniente ad vsum rationis part.* 1. *num.* 17. & alij. Probatur. Potest quis inter bonum, & malum sensibile discernere nulla percepta ratione honestatis, vel turpitudinis, ergo habet solum libertatem physicam. Secundò. Potest cognitio proponere obiectum cum indifferentia; & non esse mensura dictans, quid expediat. Hoc autem sufficit pro physica libertate, & non pro morali. Tertiò. Genus moris supponit genus naturæ completæ, ergo cum proprius modus operandi voluntatis sit operari libere, libertas moralis supponit libertatem naturæ.

81 Secunda sententia est negatiua. Ita Raynaudus *in morali discipl. dist.* 2. *quæst.* 2. *art.* 4. *num.* 161. Salas 1. 2. *tract.* 7. *disp.* 7. *sect.* 1. *num.* 7. Durand. *in* 2. *dist.* 38. *q.* 1. Scotus *dist.* 40. *quæst. vnica*.

82 Dicendum est. *Non posse dari libertatem physicam absque morali*. Probatur. Idem est principium libertatis physicæ, & moralis, ergo si datur vnum, datur etiam alterum. Antecedens probatur. Non potest saluari libertas, nisi adsint requisita, vt voluntas possit dominatiuo modo operari. Vnde debet interuenire cognitio sufficiens pro tali modo operandi. Hæc autem sufficit pro libertate morali, quia dirigit, & mensurat operationem, atque ideo ostendit conformitatem, vel difformitatem ad rationem; nā eo ipso, quod est mensura rationis, mensuret operationem rationali modo, atq; adeo secundum exigentiam naturæ rationalis, in quo consistit moralitas.

83 Ad primum distinguitur antecedens. Potest discernere inter bonum, & malum sensibile non percipiendo honestatem, quantum est ex vi instinctus naturalis, & æstimatiuæ; non autem quātum est ex vi rationis; primus modus autem distinguendi conuenit etiam Brutis, in quibus nulla est libertas. Ad secundum negatur assumptum, si loquamur de cognitione intellectiua, quæ sufficiat ad operandum dominatiuo modo, nam talis cognitio semper proponit vt mensura in ordine ad exigentiam naturæ rationalis. Ad tertium negatur assumptum. Quia sicut natura rationalis intra limites naturæ importat rationem, atq; exigentiam operationum secundum rectam rationem; ita etiam dicit modum operandi secundum rationem, qui est modus operandi libere moraliter, atque adeo libertas moralis est eadem omnino cum libertate physica, & naturæ.

An de potentia absoluta possit potentia non libera operari libero modo.

SECTIO IX.

84 Prima sententia asserit, potentiam non liberam, vt est appetitus sensitiuus, posse eleuari ad operandum libero modo. Ita nonnulli Recentiores. Probatur. Omnis potētia potest eleuari ad actum perfectum sui generis, vt patet in intellectu, qui eleuatur ad visionem Beatam, ergo etiam appetitus sensitiuus poterit eleuari ad actum perfectissimum sui generis. Hic autem est actus liber. Confirmatur visio Beata magis excedit intellectum, quàm actus liber appetitum sensitiuum, ergo. Secundò. Posset Deus vnire appetitum sensitiuum cum cognitione intellectiua, itaut operetur in virtute ipsius, ergo poterit operari libero modo.

85 Secunda sententia est negatiua. Ita Suarez *Prolegom.* 1. *de gratia cap.* 4. *num.* 21. Salas 1. 2. *tract.* 3. *disput.* 1. *sect.* 2. *num.* 63. & alij.

86 Dicendum est. *Nullam potentiam, quæ non sit libera, posse eleuari ad operandum libero modo.* Probatur. Implicat potentiam libero modo operari, & non se habere dominatiuo modo, ergo implicat potentiam liberam eleuari ad operandum libero modo. Consequentia probatur. Vt se habeat dominatiuo modo, debet posse ab intrinseco determinare operationem secundum mensuram rationis: vnde ab intrinseco debet dependere a ratione. Hoc autem solum conuenit voluntati, ita vt nulla potentia etiam eleuata possit esse dependens à ratione. Quia eo ipso, quod est dependens, habet pro obiecto bonum rationale, seu honestum, quod est specificatiuum voluntatis, atque adeo est voluntas.

87 Ad primum. Omnem potentiam posse eleuari ad actum perfectissimum intra proprium obiectum seruato modo specifico tendendi, non autem extra propriū obiectum. Si autem potentia non libera eleuaretur ad operandum libero modo, non seruaretur modus tendendi specificus ipsius, & tenderet extra proprium obiectum; siquidem tenderet in obiectum honestum mensuratum per rationem, quod est proprium obiectum voluntatis. Ad Cōfirmationem, visio Beata magis excedit intellectum intēsiuè, non autem extensiuè. Actus autem liber excedit extensiuè potentiam non liberam, quia est extra proprium modum tendendi specificum ipsius. Ad secundum negatur assumptum. Quia appetitus ex suo modo tendendi non potest sequi rationem, quia eo ipso, quod sequeretur, tēderet extra proprium obiectum.

88 Colligitur ex dictis contra Caiet. 1. 2. *q.* 14. *art.* 3. & 4. Non posse dari in appetitu sensitiuo ex coniunctione ad voluntatem imperfectam libertatem, quæ sufficiat ad peccatum veniale, quia nullo modo operatur dominatiuo modo, nec secundum mensuram rationis.

Quando incipiat status vsus rationis.

SECTIO X.

89 Quia exercitium liberi arbitrij pendet à ratione, ideo solū potest habere locū, quando vsus rationis est expeditus, quia si ratio ligatur ab aliquo impedimento, remanet etiā ligatū liberum arbitriū, cū enim determinet proprias operationes per mēsurā rationis; si rōe ligāt aliquo vinculo, ita vt nō posset ex se formare hāc mēsurā rationis, nec etiā volūtas poterit operari libero modo.

90 Prima sententia asserit, statū vsus rationis esse illum, in quo homo discurrit, itaut præbeat assensū conclusioni ex vi præmissarū. Ita Salas 1. 2. *tr.* 1. *disp.* 5. *n.* 13. Impugnatur. Quia Amētes in ipsa sua amētia, & dormiētes discurrunt, vt experientia patet, & tamen non operantur libero modo.

91 Secunda sententia vult, statum vsus rationis esse illum, in quo homo potest habere illas operationes, quæ requirunt totam vim intellectiuam, quia si tota vis intellectiua se potest exercere, adest plenus vsus rationis. Ita Raynaudus *in Morali disciplina distinct. 2. quæst. 2. articul. 4. num. 166.* Impugnatur. Aliquæ operationes speculatiuæ requirunt totam vim intellectiuam, vt contingit in scientijs speculatiuis, & tamen possunt stare absque vsu rationis, qui sufficiat pro libertate, vt contingit in quibusdam amentibus ergo, &c.

92 Tertia sententia docet, tunc adesse vsum rationis, quando intellectus potest discernere honestum, & turpe. Ita Victoria, *Relectione de puero veniente ad vsum rationis parte 1. num. 4.* Vasquez 1. 2. *disput. 45. num. 17.* & alij communiter.

93 Dicendum. *Tunc adesse vsum rationis, quando intellectus potest se eleuare ad operandum supra primam determinationem, quæ fit ab obiecto.* Probatur. Tunc adest vsus rationis, quando vis intellectiua potest se exercere secundum propriam virtutem, & ex se ipsa. Quando autem potest se eleuare ad operandum supra primam determinationem prouenientem ab obiecto, potest se exercere ex se ipsa secundum propriam virtutem, ergo maior patet. Quia tunc est absoluta à qualibet determinatione extrinseca, atque adeo soluta est, ita vt possit ex seipsa formare mensuram operandi. Minor probatur. Quando potest se eleuare supra primam determinationem, tunc tota determinatio operandi est ab ipsa virtute intellectiua, itaut intellectus perpendeat obiectum, & circumstantias, & ex se ipso formet iudicium in ordine ad operandum, ergo tunc ex se ipso se exercet secundum propriam virtutem.

94 Dices. Omnes actus, quos elicit intellectus ita eleuatus, possunt elici etiam à dormiente, & tamen tunc vsus rationis non est expeditus, ergo &c. Resp. Posse elici materiali modo ex determinatione proueniente à parte sensitiua; non autem formali modo, ita vt intellectus ex se ipso promat illos actus. Quia enim remanent in memoria species talium actuum, mediante sensu interno excitantur in dormientibus ob colligationem, quæ est inter potentiam sensitiuam, & intellectiuam, & tunc intellectus habet materiali modo illos actus, vt notat Diuus Augustinus *libr. 10. Confessionum capitul. 3.* concludens. *Nos reperire, nos non fecisse quod tamen in nobis quoquo modo factum esse, dolemus.*

95 Dices secundò. In somno aliquando quis discurrendo inuenit aliquam veritatem, ergo operatur vt eleuatus. Respondetur negando consequentiam. Quia ille discursus fit ab intellectu, ex attractione, & excitatione ab interiori sensu, quoniam proponitur obiectum, & intellectus sequens sensum aliquid amplius circa ipsum obiectum attingit.

96 Colligitur ex dictis. Non posse assignari tempus determinatum, in quo in pueris incipiat vsus rationis, quia cum pendeat ex eo, quod intellectus possit se eleuare supra impressionem sensus, & hæc eleuatio diuerso tempore contingat iuxta diuersitatem temperamenti, etiam diuerso tempore habetur vsus rationis. Regulariter tamen assignatur complementum septennij, in quo a iure præsumitur vsus rationis. Est tamen aduertendum, quod non statim ac incipit vsus rationis, sufficit pro operando libero modo circa quodcunque obiectum; Quia non statim intellectus habet totum suum lumen, sed paulatim perficitur! & ideo non statim potest exercere libertatem circa illa obiecta, quorum perfecta cognitio requirit maius lumen, vt experientia patet.

97 Colligitur secundò. Posse aliquem esse liberum circa vnam materiam moralem, & non circa aliam, vt notat Raynaudus *in disciplin. morali distinct. 2. quæstion. quarta, numer. 163.* vt constat experientia in pluribus amentibus, qui delirant circa aliquam materiam, & circa aliam sapientes sunt; quia nimirum potest quis ita effici ex impressione partis sensitiuæ, quando cogitat de aliqua materia, vt non possit se eleuare ad iudicandum supra partem sensitiuam, & hoc prouenit, quia impressio partis sensitiuæ ita vehemens est, vt liget, & obtenebret intellectum.

DE PRINCIPIO EXTRINSECO motiuo liberi arbitrij.

DISPVTATIO XII.

An finis sit obiectum adæquatum Voluntatis.

SECTIO I.

1 SVpponendum est, vt docent communiter cum Aristotele 3. *Ethic. capitul.* 4. & Diuo Augustino *libr. 13. de Trinitat. cap.* 3. Diuo Thoma 1. 2. *quæst. 8. articul.* 1. contra nonnullos Nominales. Voluntatem non posse tendere in malum sub ratione mali, quia voluntas per suam inclinationem importat motum, quo inclinatur in obiectum. Quia autem motus tendit ad quietem ideo voluntas mouetur, vt quiescat in obiecto tanquam in termino sibi conuenienti. Non potest autem esse malum, nam eo ipso quod est conueniens est bonum.

2 Supponendum secundò. Neque malum posse esse obiectum terminatiuum prosequutionis, ita vt, quando voluntas fertur in ipsum propositum vt bonum, terminetur ad malum, vt malum est; nam malum non potest esse terminus quietatiuus voluntatis, & cum specificet fugam, non potest terminare actum oppositum fugæ.

3 Supponendum tertiò. Neque voluntatem posse terminare in impossibile cognitum vt tale, etiam velleitate inefficaci. Quia etiam actus inefficax dicit motum animæ volentis se copulare cum obiecto satiatiuo; dum autem intellectus apprehendit impossibile vt tale, cognoscit non esse satiatiuum. Deinde impossibile non habet rationem specificatiuam prosequutionis, quę tantum est sola bonitas.

4 Prima sententia asserit, finem esse obiectum adæquatum voluntatis, itaut media sint tantum obiectum per accidens. Ita Medina *prima secundæ, quæstion.* 1, *articul. primo.* Conradus *ibidem.* Probatur. Media non sunt appetibilia, nisi ratione finis, ergo solum per accidens. Secundò. Idem medium inuariatum modo potest esse obiectum, modo non, ergo est obiectum per accidens.

5 Secunda sententia vult, finem non esse obiectum adæquatum sed tantum primarium, media verò obiectum minus principale. Ita Vasquez *prima secundæ disputat. 1. capitul. secundò.* Montesinus *disputat. 12. quæstion. secunda.* Probatur. Media ratione propriæ vtilitatis possunt terminare specialem actum voluntatis, nempe electionem, ergo pertinent ad obiectum voluntatis.

6 Tertia sententia vult, finem esse obiectum formale voluntatis, media verò materiale. Ita Suarez *in Metaphysica disputat. 23. sectione. 6. numer.* 11. Aluarez *prima secunda disputat. prima conclusione* 3. Probatur. Ablato fine aufertur appetibilitas mediorum, ergo habent totam suam appetibilitatem a fine, ergo sunt tantum obiectum materiale.

7 Dico primò. *Obiectum adæquatum voluntatis est finis,*

finis, ita vt voluntas non possit tendere in aliud extra ipsum. Probatur. Illud est obiectum adæquatum voluntatis, quod participat adæquatè rationem motiuam ipsius; sed solus finis participat, ergo. Maior patet. Nam obiectum adæquatum vel est formale, & tunc non excedit rationem formalem obiectiuam, itaque adeo motiuam. Vel est materiale, & tunc non excedit id, quod participat rationem formalem obiectiuam, cum non sit attingibile, nisi vt stat sub ratione formali. Minor probatur. Ratio motiua formalis voluntatis est tantum illa, quæ allicit voluntatem, ergo cum finis alliciat, quatenus finis, illi soli conueniet ratio motiua.

8 Dico secundò. *Media sunt obiectum voluntatis, vt sunt determinata per finem, atque simul cum ipso constituunt vnum integrum obiectum*. Desumitur ex Diuo Thoma *prima secundæ quæst. 1. articul. secundo*, vbi docet, media non esse appetibilia, nisi quatenus finis est volitus in ipsis. Probatur. Media non sunt appetibilia, nisi vt media, ergo solum, vt dicunt aliquam participationem finis, & sunt sub determinatione ipsius. Consequentia probatur. Media dicunt ipsum finem, quatenus causali modo continent ipsum. ergo

9 Ad primum primæ sententiæ negatur consequentia. Quia cum media sint per se sub determinatione finis, sunt per se appetibilia. Ad secundum. Medium posse fieri de bono non bonum hic & nunc; non autem ex natura sua, quia cum semper sint media, semper stant sub determinatione finis.

10 Ad fundamentum secundæ sententiæ. Media possunt terminare actum specialem voluntatis, quia sunt diuersum obiectum materiale; non autem quia sint diuersum appetibile contradistinctum à fine, cum dicat eamdem appetibilitatem.

11 Ad fundamentum tertiæ sententiæ. Ablato fine aufertur appetibilitas mediorum, quia media sunt tantum appetibilia, vt stant sub determinatione finis.

An finis, & Bonum sint idem formaliter.

SECTIO II.

12 PRima sententia est negatiua. Ita Durandus *in 2. distinct. 54. quæstion. 7.* Curiel *prima secundæ quæst. prima articul. primo dub. 2. §. 4. & 6.* Probatur. Vna persona diuina amatur ab alia vt bona, & non vt finis, quia cum sint inter se æquales, vna non potest esse finis alterius, ergo. Secundò. Bonum latius patet, quam finis, nam etiam conuenit medijs, ergo. Tertiò. Potest quis concipere aliquod bonum, & dubitare, an sit medium, vel finis. ergo

13 Secunda sententia vult, esse idem formaliter, si finis accipiatur in actu exercito, prout finalizat. Ita Caietanus *prima secundæ quæstion. 5. articul. 4.* Aluarez *disputat. 1.* Martinez *quæstion. 1. articul. 1. dub. 2.* & alij Thomistæ.

14 Tertia sententia vult, esse idem fundamentaliter non autem formaliter. Ita Ferrariensis *primo contra gentes capitul. 37.* Suarez *in Metaphysic. disputat. 10. section. prima numer. 18.* Vasquez *prima secundæ disp. 3. cap. 3.* & alij.

15 Notandum primò. Bonitatem posse considerari absolutè, & respectiuè. Primò modo est illa, qua res est bona in se ipsa, & congruo modo se habet; secundo modo importat conuenientiam ad alterum, quæ fundatur in bonitate absoluta.

16 Notandum secundò. Bonum esse conueniens appetitui, non quia sit conueniens ipsi appetitui, alioquin non posset quis moueri à bono ad amandum amore amicitiæ, cum talis amor non habeat pro obiecto, quod est bonum amanti, sed quod est conueniens alteri. Sed dicitur conueniens, quia est secundum regulas appetitionis, quatenus potest attingi ab appetitu secundum regulas, quibus dirigitur.

17 Dico primò. *Bonum absolutum, & finis non sunt idem formaliter, sed fundamentaliter*. Probatur. Finis non se habet absoluto modo, sed dicit ordinem ad voluntatem, vt ad eam, quam potest mouere; bonum verò absolutè se habet absoluto modo, quia facit, quod res in se ipsa congruo modo se habet. ergo

18 Dico secundo. *Bonum respectiuum, & finis sunt idem formaliter*. Probatur. Finis, vt talis importat vim motiuam voluntatis, ergo est idem formaliter cum bonitate respectiua. Consequentia probatur. Bonitas respectiua est conueniens vt terminus, & allicit appetitum, vt in se ipsa quiescat, ergo dicit formaliter vim motiuam voluntatis.

19 Ad primum. Vnam personam diuinam amari ab alia, quatenus habet bonitatem absolutam, quæ est bonitas essentiæ, & est finis vltimus: non autem, quia dicat aliquam bonitatem relatiuam. Ad secundum negatur assumptum. Quia media non sunt bona, nisi quatenus participāt rationem finis vt constat ex dictis. Ad tertium negatur consequentia. Quia quando quis dubitat, an bonum sit finis, an vero medium, dubitat de obiecto materiali, & de re, quę est bona; non autem de formali.

An detur finis vltimus primo mouens voluntatem.

SECTIO III.

20 FInis vltimus alius est secundum quid, qui est tantū vltimus in aliquo ordine; & alius simpliciter, qui non solum non ordinatur ad aliud, sed etiam omnia ordinantur ad ipsum.

21 Dico primo. *In quacunque serie, & ordine datur aliquis finis vltimus secundum quid, ita vt omnia, quæ sunt in illo ordine, dirigantur ad ipsum*. Ita communiter cum Aristotele *primo Ethic. capitul. 7.* Probatur. Posita aliqua serie vel datur aliquid propter se expetibile, & non propter aliud in eadem serie; vel non. Si primum; ergo datur finis vltimus. Si secundum, ergo quæ sunt in illa serie non possunt esse obiectum voluntatis, quia voluntas non potest aliquid velle, nisi adsit, quod propter se moueat ad volendum, atque adeo nisi adsit, quod sit appetibile ratione sui, & non ratione alterius.

22 Dico secundò. *Datur etiam finis simpliciter vltimus, ad quem Creatura intellectualis se dirigat secundum omnes suas operationes, atque ideo, qui sit vltimus, & vniuersalis*. Ita communiter cum Aristotele *primo Ethic. capitul. secundo & 7.* Diuo Ambrosio *libr. secundo officiorum*. Diuo Augustino *libr. 19. de Ciuitate Dei capitul. 1. & libr. primo de Doctrina Christiana capitul. 23.* & *libr. de beata vita* Diuo Dionysio *capitul. 10. de diuinis nominibus*. Probatur. Datur subordinatio in finibus, ergo deueniendum est ad aliquem finem, qui sit primus, & vniuersalis. Anteced. patet tum quia experimur nos habere diuersos fines, & vnum ordinari ad alium. Tum quia fines creati habent participatam bonitatem, quæ in mouendo dependet ab imparticipata; quia cum sit participata, non est propter se vltimo expetibilis. Consequentia etiam patet. Quia in causis essentialiter subordinatis non datur processus in infinitum, alioquin nulla causaret, nam omnes in tota collectione essent depēdentes, & nulla possēt incipere mouere.

23 Dices. Ex hoc solum sequi, quod detur finis vltimus; non autem, quod sit vnus. Contra. Vt tollatur processus in infinitum,

infinitum, sistendum est in aliquo fine, qui in mouendo sit omniũ primus, ergo in vno vniuersali. Qui cũ sit omnino primus, debet habere à se ipso virtutẽ motiuã. Finis autẽ, qui non est vniuersalis, habet ab alio virtutem motiuam, nam habet solam partem virtutis in ordine ad aliquas operationes; finis autem qui habet partem virtutis, illam habet ab alio, atque adeo est dependens in causando.

24 Dico tertiò. *Hic finis vltimus est ipse Deus*. Est de fide. Probatur Prouerb. *16. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*. Apocalip. primo. *Ergo sum alpha, & omega; principium, & finis*. Ratio est. Quia solus est totale bonum continens omnem rationem bonitatis; atque adeo mouet independenter à quocunque alio.

25 Dico quartò. *Vt Creatura intellectualis rectè se dirigat in finem, debet intendere finem, qui ex natura sua sit simpliciter vltimus*. Ita D. Augustinus *libr. 4. contra Iulianum, capitul. 3.* Probatur. Vt appetitus ordinatè se habeat, talis debet esse ordo in appetendo, qualis est in appetibilibus; Quia ordo appetibilium mensuratur à ratione, quæ est prima regula appetendorum. Sed omnia appetibilia ita sunt ordinata, vt omnia tendant ad finem simpliciter vltimum ex natura sua, ergo

26 Obijcies. In numeris potest dari processus in infinitum, ergo etiam in finibus, nam sicut in numeris constituitur ordo numeralis, ita in finibus ordo finalis. Respondetur distinguendo antecedens. Potest dari processus in infinitum à minori ad maius, quia numerus potest semper augeri, & minor non dependet à maiori; non autem potest dari processus in infinitum à superiori ad inferiorem: vnde negatur consequentia. Quia fines inferiores dependent in mouendo à superioribus; & ideo deueniendum est ad primum. Deinde fines superiores, licet non dependeant in mouendo ab inferioribus, dependent tamen in assequutione, & ideo nec etiam ex hac parte potest dari processus in infinitum, sicut datur in numeris.

27 Obijcies secundò. In tota collectione fines licet sint singuli expetibiles ratione alterius, tota tamen collectio erit appetibilis propter se, ergo non implicat processus in infinitum. Respondetur negando antecedens. Quia etiam propter se expetibile debet fundari in aliqua bonitate independenti; hæc autem bonitas non esset aliqua ex ijs, quæ sunt in finibus seorsim à cæteris cum quælibet sit expetibilis ratione alterius; nec aliqua tertia bonitas consurgens ex coadunatione omnium finium; tum quia non faciunt vnum per se; tum quia si consurgeret, & esset independens, etiam esset vltimus finis subordinans sibi alios fines.

An finis vltimus debeat semper mouere ad operandum.

SECTIO IV.

28 SVpponendum est. Operationem posse esse in ordine ad vltimum finem tripliciter. Primò formaliter, quando expressè dirigitur ad ipsum. Secundò virtualiter, quando interuenit aliquod, in cuius virtute ordinetur. Tertiò. Habitualiter, quando operans, habet in se habitum respicientem finem, vt directiuum operationis ad ipsum. Vt autem interueniat motio finis, non sufficit ordinatio habitualis, quia tunc habitus nihil operatur.

29 Supponendum secundò. Ordinationem virtualem in finem contingere multipliciter primò. Quando fit in virtute alicuius actus antecedentis, qui fuerit expressa intentio finis. Secundò. Quando non in virtute intentionis, sed in virtute alicuius electionis in ordine ad finem ordinatur, vt cum vnum medium eligitur propter aliud. Tertiò. Quando obiectum, quod eligitur ex natura sua ordinatur ad finem, vt sunt opera bona supernaturalia, quæ ex natura sua ordinantur ad Deum. Quarto. Quando, id, quod voluntas vult, concernit aliquo modo ad finem. Difficultas autem est; an omnis operatio ita debeat dirigi in finem, vt sit ex præcedenti intentione vltimi finis, atque ideo ex præcedenti motione ipsius.

30 Prima sententia est negatiua. Ita Scotus *in 4. distinction. 49. quæstion. 1. §. Ex his sequitur*. Medina 1. 2. *quæst. 1. articul. 6.* Aluarez *disput. 8.* Salas *tractat. 1. disput. 8. section. 1.* Vasquez *disput. 6. capitul. 2.* Curiel. *quæst. 1. articul. 6. dub. vnico*. Suarez *in Metaphysic. disput. 24. section. 16. num. 16.* & alij. Probatur. Talis intentio non adest semper, quando appetuntur bona particularia; & quando præcessit, non potest influere, cum non adsit nec in se, nec in sua virtute, ergo secundò. Bonum particulare sufficit ad mouendam voluntatem, ergo non est necessaria alia intentio, & motio finis vltimi. Tertiò. Potest intellectus cognoscere bonum particulare non cognito bono in communi, ergo etiam voluntas humana ab ipso moueri. Quartò. Potest voluntas aliquod velle, quod contrarietur vltimo fini, vt cum Christianus vult peccatum, quod scire pugnaret assequutioni vltimi finis hic, ergo actus non potest esse ex motione vltimi finis.

31 Secunda sententia asserit, intentionem vltimi finis, prout dicit beatitudinem in communi, debere præcedere omnem actum, atque adeo voluntatem debere præmoueri ab huiusmodi fine. Ita Diuus Thom. 1. 2. *quæst. 1. articul. 6. ad 3.* Caietanus *ibidem*. Montesinus *disput. 4. quæstion. 2.* Lorca *disputat. 8. de beatitudine* Ferrar. 3. *Contra gentes, capitul. 17.* Durandus *in 2. distinct. 38. quæst. 4.* Capreolus *in 1. dist. 1. quæst. 3. articul. 3. conclus. 1.* & alij.

32 Dico primò. *Motio vltimi finis, seu beatitudinis in communi, saltem vt fundata in cognitione imperfecta, debet præcedere necessariò omnem actum voluntatis*. Desumitur ex Boetio *libr. 3. de consolatione pros. 2.* Diuo Dionysio *capitul. 4. de diuinis nominibus*. Diuo Augustino *libr. 13. de Trinit. capitul. 5.* & *libr. 13. de Ciuitat. capitul. 3.* & *Tractat. de Epicureis capitul. 4.* & *De moribus Ecclesiæ capitul. 3.* & *Concion. 2. in Psalm. 32.* vbi habet. *Considerate hoc paululum in hominibus omnibus, qui male faciunt. Beati semper esse volunt; futurum facit; quæris, quare? propter famem, propter necessitatem, ergo ne miser sit, malus est, & ideo miserior est, quia malus est. Depellendæ ergo miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis causa faciunt omnes homines, quidquid vel boni faciunt, vel mali; semper ergo beati esse volunt siue malè viuentes, siue bonè viuentes.* Probatur. Quando voluntas prosequitur bonum, vel illud prosequitur vt vltimo terminans appetitum, & vt adæquatum satiatiuum, ita vt nihil vlterius remaneat desiderandum, vel non. Si primum, ergo actus est circa vltimum finem, quia solus vltimo terminat, & adæquatè satiat. Si secundum; ergo appetit ipsum, vt vlterius ordinabile ad aliud, atque adeo propter vltimum finem, ergo ad hunc actum præsupponitur intentio adæquati satiatiui, seu beatitudinis in communi, atque adeo motio ipsius, quia debet tandem sisti in completo satiatiuo propter quod sit vltimò volitum omne bonum amatum. Confirmatur. Bonum determinatum non sanat adæquatè appetitum, ergo adhuc remanet desiderium maioris boni, ergo intentio beatitudinis in communi, quia sola potest satiare omne desiderium. Confirmatur secundò. Fines non vltimi mouent in virtute vltimi, ergo non possunt mouere voluntatem, nisi sit mota ab vltimo, quia mouere in virtute vltimi est mouere ex intentione ipsius.

33 Dico secũdò. *Motio, & intentio vltimi finis in particulare nõ debet præcedere necessariò omnẽ actũ*. Prob.

Plure s

Plures non cognoscunt vltimum finem, in particulari nēpe Deum, nec determinatè constituunt beatitudinem in aliquo determinato obiecto, ergo in his non potest pręcedere motio, & intentio vltimi finis in particulari.

34 Dices. Homo in omni sua operatione quęrit complere sua desideria. Ergo cum solus Deus possit complere debet moueri ex intentione ipsius in omni sua operatione. Respondetur negando consequentiā. Quia cum Deus non compleat desideria, nisi prout dicit omnem rationem boni, ideo sufficit, si interueniat intentio omnis boni præscindendo ab eo, quod sit in hoc, vel illo subiecto.

35 Ad primum negatur assumptum. Quia licet talis intentio non percipiatur, quia homo non reflectit, adhuc tamen adest, quia semper intenditur bonum particulare, vt pars illius boni, quod desideratur. Ad secundum distinguo antecedens, Bonum particulare sufficit ad mouendam voluntatem cum dependentia à beatitudine in communi; non autem absque tali dependentia, & ideo debet præcedere motio beatitudinis in communi. Ad tertium negatur assumptum. Quia cum intellectus cognoscat bonum particulare, vt inadęquatum satiatiuum, cognoscit vt partem beatitudinis in communi, atque ideo simul ipsum cognoscit. Ad quartum negatur assumptum. Si procedat de beatitudine in communi; nam peccans adhuc illam intendit, sed illam quærit, vbi non est, & ideo contrariatur verò fini vltimo in particulari.

36 Colligitur ex dictis. Requiri aliquam intentionem, quæ aliquo pacto attingat operationem, vt operatio ordinetur in vltimum finem, quæ vel sit mediante aliquo actu connexo cum ipsa operatione; vel mediante directione vniuersali, quæ dirigat omnes operationes, quæ sunt in aliquo tempore, vel in aliquo negotio exercendæ, cum quælibet operatio dirigatur virtualiter, vt pars contenta in toto, vel aliquo alio modo.

An finis vltimus terminet, & moueat ad omnes actiones morales.

SECTIO V.

37 Loquimur de fine vltimo in particulari, & respectu operationum, quæ malæ sunt; nam certum est, bonum esse ex ratione ipsius, & terminari ad ipsum.

Prima sententia asserit, actiones peccaminosas ordinari in Deum, etiam vt sunt à creatura, non absolutè, sed secundum quid, ita Medina *prima secundæ quæstion. prima, articulo sexto, conclusione quinta*. Suarez *disputatione tertia de beatitudine, sectione sexta, num. primo.* Probatur. Peccator appetit aliquod bonum, quod non potest obtineri sine Deo, & appetit aliquam participationem diuinæ bonitatis, ergo secundum quid ordinat suam operationem in Deum.

38 Secunda sententia est negatiua. Ita Aluarez 1. 2. *disput.9.* Vasquez *dip.6. cap.3.* Montesinus *disp. 2. qu. 4.* Curiel *quæst.1. artic.6. §.2.* Lorca *disp.8. de. Beatitudine*.

39 Dico primò. *Actus mali secundum esse physicum, & vt subsunt mensuræ, quam habent à causa prima: sunt propter vltimum finem in particulari.* Probatur. Deus est causa efficiens horum actuum, cum concurrat ad esse physicum, & semper operatur propter se ipsum, vt finem, ergo, &c.

40 Dico secundò. *Actiones malæ, vt sunt ex directione creaturæ, neque secundum esse positiuum ordinatur in vltimum finem in particulari.* Probatur. Per has operationes homo se auertit ab vltimo fine. Ergo non diriguntur in ipsum, quia auersio excludit directionem etiam secundum esse positiuum, alioquin si esse positiuum ordinaretur, Actio non esset mala, quia non careret debito ordine.

41 Dico tertiò. *Si quis ex ignorantia dirigat in Deum actionem peccaminosam, neque adhuc refertur in ipsum.* Probatur. Ordo ad vltimum finem repugnat cum ipsa, cum sit essentialiter auersio ab ipso, ergo non est capax talis directionis.

42 Ad fundamentum in oppositum respondetur negando consequentiam. Quia ex eo, quod peccator desiderat bonum, quod non potest obtinere sine Deo, fit quod velit Deum, vt medium ad ipsum obtinendum; ex eo vero, quod appetit aliquam participationem diuinæ bonitatis fit, quod appetat beatitudinem in communi, quia non appetit sub ratione talis participationis formaliter, sed tantum materialiter.

An possit quis intendere plures vltimos fines.

SECTIO VI.

43 Finis vltimus consideratur in abstracto, vt dicit adæquatum satiatiuum appetitus præscindendo ab eo, quod sit in hoc, vel in illo subiecto; & in hoc sensu certum est, quod non potest quis intendere plures vltimos fines, sicut nec finis potest multiplicari; potest etiā considerari in concreto, vt est in subiecto determinato, & in hoc sensu procedit difficultas.

44 Dico primò. *Non potest quis sibi constituere plures vltimos fines simpliciter, ita vt simul ab ipsis moueatur.* Ita communiter cum Diuo Thoma *prima secundæ, quæstione secunda, articulo primo*. Probatur. Amare duos fines simpliciter vltimos est amare singulos propter se vltimò, vt adæquatè satiatiuos. Ergo impossibile est illos amare. Consequentia probatur. Eo ipso, quod amatur vnus vt adæquatus appetitum, non relinquitur desiderium pro alio, alioquin si relinqueretur, prior non adequaret appetitum, ergo.

45 Dico secundò. *Neque etiam sub disiunctione possunt intendi plures fines simpliciter vltimi*. Probatur. non possunt intendi sub disiunctione, nisi habeant diuersam bonitatem, nam si haberent eundem, non essent plures, sed vnus. Ergo. Nullus potest intendi, vt vltimus, quia eo ipso, quod dicerent diuersam bonitatem, aliqua bonitas esset in vno, quæ non esset in alio, ergo nullus esset adæquatum satiatiuum.

46 Obijcies. Potest esse dubium, in quo consistat beatitudo; tunc autem quis potest velle omnia illa bona, in quibus solet poni. Ergo intendit plures fines vltimos. Respondetur negando consequentiam. Quia ipse intendit omnia illa bona, vt integrantia vnum finem.

47 Obijcies secundò. Peccans ponit vltimum finem in bono commutabili. Ergo cum possit simul facere plura peccata, poterit habere plures fines vltimos. Respondetur negando consequentiam. Nam in singulis obiectis ponit vltimum finem inadęquatè.

48 Obijcies tertiò. Potest quis peccare, & simul facere aliquid propter Deum, ergo tunc habebit duplicem finem vltimum. Respondetur negando antecedens. Quia implicat, quod peccet actu, & operetur etiam propter vltimum finem, cum non possit simul esse auersus, & conuersus. Vnde in illo casu Deus non erit finis vltimus simpliciter, sed tantum finis secundum quid.

49 Obijcies quartò. Cum quis iustificatur, prius conuertitur in Deum per actum contritionis, quàm recipiat gratiam, atque adeo prius quàm auertatur à Creatura, in qua posuit finem vltimum, ergo tunc habet plures fines vltimos, nempe Deum, & Creaturam. Respondetur, nego secundam partem antecedentis. Quia cum contritio sit con-

uersio in Deum tollit Conuersionem ad creaturas, quia per ipsam retractatur; vnde in eodem instanti, in quo est contritio, adest etiam Iustificatio.

50 Obijcies Quintò. Potest existens in peccato mortali amare Deum super omnia amore naturali, ergo tunc habebit pro fine vltimo Deum, & creaturam. Respondetur, quidquid sit de possibilitate. Antecedens negando consequentiam. Nam talis amor, si esset possibilis, includeret virtualem obseruantiam totius legis naturalis, atque adeo auersionem à creatura vt vltimo fine: vnde tolleret conuersionem ad Creaturam.

An possint simul intendi plures vltimi fines negatiuè.

SECTIO VII.

51 Finis dicitur vltimus negatiuè, quando licet sit ordinabilis ad alium finem, non tamem ordinatur. Certum est autem, posse simul intendi plures vltimos fines negatiuè respectu aliorum finium particulariū, cum quolibet possit intendi, sicut est appetibile. Fines autem particulares habent suam appetibilitatē independēter ab aliis finib. particularib. Rursus certū est etiā, posse simul intēdi plures vltimos fines negatiuè respectu vltimi finis simpliciter in particulari, quia non semper omnia referuntur in Deum, vt contingit in peccantibus: vnde difficultas est, an possint intendi respectu vltimi finis in communi, atque adeo etiam respectu ipsius appetentis, vt finis Cui intenditur beatitudo.

52 Dicendum est. *Non posse dari simul plures fines vltimos respectu vltimi finis, prout dicit beatitudinem in Communi, loquendo tamen de finitur negatiuè.* Probatur. Non possunt hi fines esse tales ex natura sua, nec ex determinatione appetentis, ergo nullo modo possunt intendi. Prima pars antecedentis patet. Quia fines particulares ordinantur ex natura sua ad vltimum. Secunda. Probatur. Appetens non potest habere pro vltimo Termino hos fines, siquidem non apprehenduntur vt totale satiatiuum, ergo non potest determinare, quod sint vltimi separando à beatitudine in communi.

53 Dices. Appetitum non tendere vlterius in illo genere, quia finis particularis est bonum totale illius generis. Contra. Finis particularis non habet in suo genere totalem vim motiuam, quia mouet dependenter ab vltimo fine, & tamquam medium ordinatum ad ipsum, ergo necessariò debet appetitus tendere vlterius in illo genere, cum non possit sistere, nisi reperiat vltimum satiatiuum.

54 Obijcies. Idem mobile non potest simul moueri ad diuersa loca, ergo nec voluntas in diuersos fines. Respondetur negando consequentiam. Quia fines non sunt incompossibiles, cum sint inuicem subordinati alteri tertio; diuersa verò loca sunt incompossibilia.

55 Obijcies secundò. Idem effectus non potest habere plures causas totales eiusdem ordinis, ergo nec voluntas potest moueri à duplici fine non subordinato. Respondetur negando consequentiam. Quia effectus non est capax plurium influxium totalium, cum quilibet det totum esse, voluntas verò est capax plurium finium particularium, quia nullus est totalis, sed partialis, & inadæquatus.

DE PRINCIPIO DIRECTIVO Motus naturæ intellectualis, seu Cognitione,

DISPVTATIO XIII.

An voluntas indigeat necessario directione Cognitionis.

SECTIO I.

1 Ex dictis constat. Voluntatem debere moueri ab obiecto; & quia in voluntate est duplex differētia altera, quoad specificationem, qua efficere potest actus oppositæ speciei, & alia quoad exercitium, qua potest agere, & non agere, ideo moueri debet ab obiecto in ordine ad vtramq; indifferentiam. Hinc autem fit, quod obiectum prout dicit certam mensuram obiectiuam, correspondeat indifferentiæ quoad specificationem; prout verò dicit rationem finis, correspondeat indifferentiæ quoad exercitium.

2 Supponendum est obiectum non mouere voluntatem, nisi mediante cognitione, atque adeo ipsa mediante coniungitur cum voluntate in ratione motiua. Hinc prout dicit certam mensuram obiectiuam coniungitur cum voluntate mediante dictamine rationis, quod est regula, & mensura operandi, prout vero dicit rationem finis, mouet voluntatem ad actu operandum mediante iudicio dictante, quid hic, & nunc sit operandum. Difficultas autem est, an directio cognitionis, ita sit necessaria, vt neque de potentia absoluta possit sine ipsa voluntas operari.

3 Dicendum est. *Actum voluntatis ita dependere necessariò à cognitione, vt nec de potentia absoluta possit haberi absque ipsa*, ita communiter cum Aristotele 3. *de anima text. 46.* D. August. 10. *de Trinit. capit.* 1. Diuo Thoma 1. 2. *quæst.* 1. *articul.* 1. contra Paluadnum *in* 4. *distinct.* 49. *quæst.* 1. *articul.* 2. Probatur voluntas non potest operari modo sibi proprio, nisi moueatur ab obiecto, ergo nisi mediante cognitione. Consequentia probatur. Non potest moueri ab obiecto nisi proponatur per cognitionem: vnde non fertur quocumque modo in obiectum, sed vt stat in apprehensione, & ideo potest amare malum, quando in apprehensione habet rationem boni, ergo non potest moueri ab obiecto, et operari, nisi in virtute cognitionis.

4 Obijcies ex Diuo Dionysio *cap.* 1. *de diuinis nominibus*, vbi docet, eos qui per amorem Deo vniuntur habere ignorantiam ipsius, & *cap.* 1. *de mystica theologia*. Perfectionem vnionis cum Deo esse per euacuationem omnis scientiæ, ergo. Respondetur Diuum Dionysium solum velle, quod amor Dei perfectus excludat cognitionem, quæ solet regulariter cognosci à viatoribus, quia non potest prouenire ex virtute ipsius; non autem, quod excludat omnem cognitionem.

Quomodo cognitio concurrat ad actum voluntatis.

SECTIO II.

5 Prima sententia negat, concurrere effectiuè, sed esse tantum conditionem. Ita Scotus *in* 2. *distinct.* 25. *quæst.* 1. Capreolus *articul.* 3. Ferrar. 1. *contra gentes capit.* 44. Suarez *in Metaph. disp.* 13. *sect.* 7. Medina 1. 2. *quæst.* 9. *articul.* 1. Vasquez *disput.* 3. *cap.* 4. Lorca *disp.* 11. *de actibus Humanis.* Aluarez *disput.* 45. Montesinus

sinus *disp.*13.*qu.*4.& alij plures, qui citant etiam D.Tho. pluribus in locis; in quibus tamen solum docet, quod intellectus non concurrat efficienter ad actum voluntatis, non autem, quod non concurrat cognitio. Probatur. Intellectio non potest esse causa instrumentalis, cum sit nobilior cognitione, nec causa principalis, quia cum in via, & in patria sint diuersæ cognitiones, amor quoque esset diuersus. Secundò: vis effectiua volútatis adæquat inclinationem ipsius; inclinatio autem respicit omnem actum. ergo etiã vis effectiua, atq; adeo sufficiet pro omni actu.

6 Secunda sententia asserit, concurrere effectiuè. Ita Caietanus 1.*p. quæst.*27. *art.*3. & *quæst.*80. *art.* 2. Medina 1.2. *quæst.*10. *art.*3. Arimineo. *in* 2. *dist.*25. *quæst.* 1. Gabriel *art.*3. *dub.*3. Salas 1.2. *tract.*1. *disp.* 5.*sect.*3. & alij. Et desumitur ex Diuo Tho. 1. *par. qu.* 82. *art.*3. *ad* 2. *&* 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 2. *ad* 1. & *qu.* 22. *art.* 2. vbi docet, voluntatem elici per rationem.

7 Notandum primò. Verum, & bonum esse passiones entis inuicem subordinat, ita vt ex eo sit bonum, quia est verum: vnde cum specificent actus intellectus, & voluntatis, hi actus vt proportionato modo se habent ad specificatiuum, erunt inuicem subordinati, ita vt vnus eliciatur ratione alterius.

8 Notandum secundò. Intellectum, & voluntatem esse vnam, & eandem virtutem vitalem, quæ diuerso modo determinat, elicit actus formaliter diuersos, sed subordinatos. Quia cum potentiæ distinguantur per sua obiecta, non possunt adequatè distingui, nisi etiam obiecta formalia adæquatè distinguantur. Ratio autem veri, & boni non distinguntur adequatè, sed solum inadæquatè, vt ostendimus *in metaphys. par.*2. *disp.*. . . .*sect.*. . . .

9 Notandum tertiò. Cognitionem requiri saltem vt aliquod complementum, vt voluntas possit operari: vnde cum intellectus, & voluntas non distinguantur, sequitur, quod eadem virtus vitalis vt determinata per speciem impressam sit intellectus, vt vero determinata per cognitionem sit voluntas.

10 Dicendum est. *Cognitionem esse quoddam complementum potentiæ, quo compleatur in ratione virtutis elicitiuæ voluntatis.* Desumitur ex Diuo Damasceno *lib.* 2. *de fide cap.*12. Nysseno *lib.*4. *phylos.cap.*9. Bernardo *lib. de interiori homine cap.* 63. Augustino 15. *de Trinitate cap.*26. Vbi ait. Quod sicut Verbum est proles intellectus, atque obiecti, sic amor est proles voluntatis, atque verbi, & *cap.*26. docet, voluntatem procedere de cognitione. Probatur. Voluntas de se est indifferens ad hunc, vel illum actum, ita vt non habeat virtutem completam determinatiuam talis, & talis actus. Ergo debet determinari per aliquod determinatiuum; ergo cognitio debet importare hanc virtutem determinatiuam, quia cognitio respicit determinatè hunc, vel illum actum. Antecedens patet. Quia si haberet virtutem completam determinatam, cum sit virtus indiuisibilis, & semper agat secundum eamdem virtutem, semper etiam produceret eodem actus.

11 Dices, voluntatem esse potentiam liberam, quæ potest seipsam determinare ad hunc, vel illum actum. Contra. Non potest se determinare ad hunc, vel illum actum, nisi habeat virtutem determinatam, per quam possit efficere actum determinatum, cum non possit se determinare, nisi secũdum virtutem, quam habet. Ergo si non habet virtutem determinatam in actu primo, nec etiam poterit se determinare in actu secundo.

12 Dices secundò. Determinari ab obiecto mouente finaliter ad hunc, vel illum actum. Contra. determinatio voluntatis est effectiuè ab ipsa. Ergo non potest facere hanc, vel illam determinationem, nisi habeat virtutem determinandi effectiuè, quia virtus indeterminata non potest operari determinato modo; ergo non sufficit motio obiecti.

13 Confirmat. In actu voluntatis datur aliquid, quod virtualiter continetur in cognitione; ergo cognitio complet voluntatem in ratione productiui. Antecedens probatur. Specificatio actus materialis, quæ est in ordine ad obiectum materiale correspondet dictamini rationis, ita vt dictamen dicat virtualiter illam determinationem, quæ est in actu voluntatis, & sit virtualiter inclinatio in obiectum. ergo continet virtualiter, quod dicit actus voluntatis eo pacto, quo est complens artificem in ratione causatiui continet formam rei artificiatæ.

14 Dices. Hanc commensurationem actus voluntatis cum cognitione haberi ex eo, quod voluntas operatur secundum præscriptionem rationis. Contra. Non potest voluntas efficere illam determinationem, quam ratio præscribit, nisi habeat virtutem effectiuam illius; præcisa autem cognitione non habet, quia non magis respicit vnam, quàm aliam. Deinde si præscriptio rationis redundat in actum voluntatis, ergo ratio illam influit.

15 Ad primum negatur secunda pars antecedentis. Cognitio enim concurrit vt complementum in genere causæ principalis. Ad probationem. Actum amoris seu charitatis non diuersificari, nisi etiam diuersificetur habitus, per quem elicitur. Deinde cum actus charitatis in via non beatificet, debet dici probabiliter, quod sit diuersus. Ad secundum distinguitur minor. Inclinatio voluntatis, atque adeò virtus ipsius respicit omnes actus sub ratione communi, non autem sub ratione determinata, & ideo debet compleri per cognitionem, vt respiciat actum determinatum.

16 Obijcies, si cognitio concurreret effectiuè ad actum voluntatis, principium, *Quo*, productiuum Spiritus Sãcti non esset vnum, hoc autem non potest dici, ergo sequela probatur. Principium, *Quo*, non solum esset voluntas, sed etiam cognitio, ergo. Respondetur negando sequellam. Ad probationem negatur similiter sequella, quia in diuinis non datur ad intra principium, *Quo*, per modum actus primi, sed solum productiones, quæ sunt tales per essentiam, vt in tractatu de Trinitate explicatum est. Proportio autem, quam habent ad voluntatem, & intellectum creatum, in eo constitit, Quod sicut productio termini volũtatis prouenit effectiuè etiã à cognitione, ita in diuinis spirare actiuum exigat radicari essentialiter in productione intellectus, & in cognitione, ita vt illam supponat in ratione productionis, & originis, & proinde non multiplicatur spiratio actiua, sicut nec plurificatur productio voluntatis ex eo, quod proueniat ex voluntate completa per cognitionem. Vnde etiam spiratio passiua habet vnicum principium, *Quo*, per modum tamen actualis productionis nempe spirationem actiuã. Si autẽ admittã principiũ, *Quo*, per modũ actus primi, adhuc principium, *Quo*, Spiritus Sancti erit vnum, nempe voluntas completa per cognitionem, quia principium, *Quo*, non est voluntas quomodocunque, sed vt fæcunda; est autem fæcunda vt allecta per obiectum, atque adeo ratione cognitionis. Sic etiam principium, *Quo*, filij est vnum licet sit intellectus completus per essentiam, vt habet rationem speciei impressæ fæcundatiuæ. Nec fit, quod Spiritus Sanctus procedat per intellectum, quia cognitio non est intellectus, sed terminus; sed solum, quod procedat per verbum, ita vt qua verbum sit principium Spiritus Sancti.

An ad actum voluntatis sufficiat simplex apprehensio.

SECTIO III.

17 Prima sententia asserit, quod licet regulariter interueniat iudicium, & multoties sit necessarium, sola tamen apprehẽsio sufficiat ad aliquos actus. Ita Scotus *in* 2. *dist.*6. *quæst.*1. *in respons. ad arg.* Gabr. *quæst.* 1. *art.*3. *dub.*2. Maior *quæst.*1. Marsil. *qu.*16. *art.*1. Montesinus 1. 2. *disp.*13. *quæst.*3. Vasquez *disp.* 44. *cap.* 2. Gomeius *tract.*1. *disp.*1. *dub. vlt.* & alij.

Proba-

Probatur. Appositus sensitiuus potest moueri ex sola apprehensione obiecti, cum non semper interueniat æstimatiua, vt in ijs, quæ habent solum tactum. Ergo etiam appetitus rationalis. Secundò. Sola apprehensio proponit obiectum; proposito autem obiecto voluntas potest operari. Tertiò. Voluntas aliquando fertur simplici affectu circa impossibile; tunc autem non interuenit iudicium rationis iudicans esse possibile, aut conueniens, ergo &c.

18 Secunda sententia vult esse necessarium iudicium, quando voluntas mouetur ad quærendum bonum; non autem quando mouetur, vt quiescat in ipso iam adepto, quia præsentia obiecti præstat id, quod præstaret iudicium. Ita Ferrar. 1. *contra gentes cap.* 102.

19 Tertia sententia asserit, simplicem apprehensionem sufficere pro solis actibus indeliberatis, ita Aluarez *disp.* 56. & alij Recentiores Thomistæ. Probatur. Voluntas naturaliter inclinatur in bonum. Ergo statim, ac proponitur, tendit in ipsum per effectum indeliberatum, ergo non est necessarium iudicium. Secundò. Iudicium rationis est conclusio syllogismi practici, atque adeo requirit deliberationem, ergo non est necessarium ad actum indeliberatum.

20 Quarta sententia asserit, esse necessarium iudicium rationis semper. Ita Medina 1. 2. *qu.* 9. *art.* 1. Martinez, *dub.* 7. Suarez *disp.* 6. *de voluntate, sect.* 5. *n.* 4. & desum. ex Aristotele 3. *de anima text.* 46.

21 Dicendum est. *Primam apprehensionem nunquam sufficere, sed semper requiri iudicium rationis, etiam ad actus indeliberatos.* Probatur. Obiectum voluntatis est bonum sub ratione conuenientis, ergo voluntas non potest moueri in ipsum, nisi in virtute iudicij. Consequentia probatur. Quia obiectum debet proponi tamquam id, quod est conueniens; statim autem ac proponitur vt conueniens, proponitur iudicatiuo modo. Confirmatur. Voluntas est potentia cæca, ergo non sufficit quod ipsi proponatur obiectum, sed etiam debet proponi, quod sit faciendum circa ipsum, alioqui posset ex se præcisè facere aliquam determinationem, quæ non ostenderetur ab intellectu, atque adeo non esset cæca.

22 Ad primum primę sententię negatur assumptum. Ad probationem. Appetitum sensitiuum semper moueri ex vi iudicij sensitiui, quod est in æstimatiua, etiam in omnibus animalibus, in quibus est solus tactus. Ad secundum negatur assumptum. Quia sola apprehensio non proponit obiectum sub ratione conuenientis. Ad tertium negatur minor. Quia voluntas non potest ferri in impossibile quocunque affectu, nisi proponatur sub ratione possibilis; tunc autem adest iudicium, quo obiectum iudicatur conueniens.

23 Ad primum tertię sentētię distinguitur consequens. Statim ac proponitur bonum modo conuenienti, voluntas tendit in ipsum, concedo. Secus autem, si non proponatur; vt autem proponatur sufficienter requiritur iudiciū. Ad secundum distinguitur antecedens. Iudicium practicū est conclusio Syllogismi practici materialiter, non autem formali modo, quasi semper sit necessarium, quod interueniat actualis deductio.

An cognitio necessaria ad actum voluntatis debeat esse practica.

SECTIO IV.

24 Prima sententia vult, requiri cognitionem practicam ad solos actus deliberatos, non autem ad necessarios, & simplicem affectum. Ita Vasquez 1. 2. *disp.* 44. *cap.* 4. Aluarez *disp.* 16. Montesinus *disp.* 13. *quæst.* 2. Lorca *disp.* 10. *de actibus humanis difficult.* 2. & alij Recentiores præsertim ex Thomistis. Probatur. Deus habet amorem sui ipsius; non autem cognitionem practicam. Ergo pro actu voluntatis non est ex genere suo necessaria cognitio practica. Secundò. Visio beata est principium amoris beatifici, & tamen non est practica, ergo, &c. Tertiò. Actus simplicis complacentiæ est inefficax, ergo potest esse cum sola cognitione speculatiua.

25 Secunda sententia asserit, semper requiri iudicium practicum. Ita Valentia 1. 2. *disp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 1. *qu.* 4. Suarez *disp.* 6. *de voluntate sect.* 5. *num.* 6. & desumitur ex D. Tho. 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. *ad* 2. vbi docet, quod intellectus specificatiuus non mouet voluntatem, sed solū practicus, quod etiam desumitur ex Aristotile 3. *de anima, text.* 46.

26 Dico primò. *Ad actum voluntatis non semper requiritur cognitio, quæ sit practica in ordine ad obiectum.* Probatur. Non omne obiectum voluntatis est operabile; ergo non requiritur semper cognitio practica in ordine ad ipsum. Consequentia probatur. Quia non potest esse practica in ordine ad obiectum, nisi obiectum sit operabile.

27 Dico secundò. *Ad omnem actum voluntatis requiritur cognitio, quæ sit practica in ordine ad ipsum actum.* Probatur. Cognitio est mensura actus, ergo est practica respectu ipsius. Antecedens patet. Quia cognitio saltem directiuo modo determinat specificationem actus. Consequentia probatur. Mensura de suo formali importat cognitionem practicam, quia voluntas illa vtitur, prout ostendit modum operandi, atq; adeò ipsi conformat propriam operationem, ergo. Confirmatur. Vt voluntas operetur, nedum proponi debet obiectum sub ratione conuenientis absolutè, sed etiam sub ratione conuenientis hic, & nunc pensatis omnibus circumstantijs: ergo requiritur cognitio practica, quia talis propositio nedū dicit, quod cognitio speculetur obiectum, sed etiam applicat appetitui, & ostendit, quod hic, & nunc conueniens sit, quod voluntas vniatur cum ipso.

28 Ad primum negatur consequenti. Quia cognitio Dei est eminentissimo modo practica in ordine ad amorē Diuinum, quia ostendit, Deum, vt summum bonum, esse amādū à se ipso. Ad secundū negatur secūda pars antecedentis. Quia licet visio beata sit speculatiua in ordine ad obiectum, est tamen practica in ordine ad amorem. Siquidem dictat, Deum esse amandum. Ad tertium negatur consequentia. Quia actus inefficax importat aliquam copulationem voluntatis cum obiecto, & ideo requirit cognitionem practicam.

An voluntas determinetur à iudicio practico rationis.

SECTIO V.

29 SVmimus iudicium practicum pro eo, quod dictat aliquid faciendum, vel non faciendum præscindendo ab eo, quod tale iudicium habeat, vel non habeat rationem imperij; & ideo quęritur, an detur aliquod iudicium, quo posito voluntas in sensu composito ita determinetur, vt non possit ipsum respuere.

30 Prima sententia est affirmatiua. Ita recentiores Thomistæ, præsertim Nauarretus 1. *par. qu.* 19. *controu.* 10. Zumel *in disp. varijs disp.* 4. *de voluntate hominis sect.* 4. Probatur. Si voluntas posset recedere à iudicio intellectus, posset etiam operari sine ipso; hoc autem implicat, ergo. Secundò. Voluntas est potentia indeterminata, ita vt non possit operari, quandiu intellectus consultat, ergo debet determinari à iudicio rationis. Tertiò. Nisi determinetur à iudicio, posset existente recto iudicio facere actus malos, quod est falsum, quia actus malus prouenit ex errore, iuxta illud Prouer. 10. *Errant omnes, qui operantur malum.* Quartò. Conclusio, seu singulare iudicium additum iudicio vniuersali, facit, vt voluntas continuò operetur *ex* 7. *eth. cap.* 3. ergo voluntas necessariò sequitur tale iudicium.

31 Secunda sententia est negatiua, ita Bellarminus *lib.* 4. *de gratia cap.* 16. Valentia 1. 2. *disp.* 2. *qu.* 4. *punct.* 1. Suarez

Suarez *disp.6. de voluntate sect.6.* Ruiz *disp.34. de sciētia Dei, sect.3. & sequ.* Montesinus 1.2. *disp.17. qu.3.* Vasquez 1. 2. *disp.49. cap.4.* & alij.

32 Notandum primò. Intellectum ex principijs vniuersalibus formare regulas particulares, quibus hic, & nunc concurrentibus talibus circumstantijs dirigat voluntatem iuxta exigentiam operationis particularis; vnde quando obiectum proponitur cum indifferentia, format opposita determinata, quibus dictat de obiecto iuxta opposita motiua, quæ se tenent ex parte ipsius.

33 Notandum secundò. Quod cum intellectus, & voluntas sint potentiæ subordinatæ, operante vna, operatur etiam altera proportionaliter; vnde quando intellectus habet dictamen indifferens pro vtraque parte, consurgit etiam in voluntate simplex affectus naturalis inefficax, erga vtramque partem, non tamen determinato modo se habet, quia illa dictamina non sunt absolutè efficacia.

34 Notandum tertiò. Quod præter iudicium dictatiuum, quod est completa mensura operandi, datur etiam aliud iudicium finaliter conclusiuum, quo intellectus cōcludit, esse operandum, vt notat etiam D. Tho. 1.2. *qu.* 1. *art.*1. *& art.*3. *& art.* 5. *in resp. ad* 1. Huiusmodi autem iudicium se habet per modum actualis motionis mouentis voluntatem ad operandum; quia enim voluntas nō potest operari nisi dependenter ab intellectu, non solum requirit dictamen rationis ostendens quomodo sit operandum, sed etiam conclusionem iudicatiuam, per quam moueatur ad operandum, vt nimirum operetur, quia intellectus iudicat esse operandum.

35 Notandum quartò. Iudicium intellectus, quod est mensura operandi, antecedere causalitate autem voluntatis per modum actus primi, quia videlicet est illa mensura, secundum quàm determinetur actus voluntatis. Iudicium verò conclusiuum non antecedit causalitate per modum actus primi, sed per modum motionis: atque adeo in eodem instanti, in quo est tale iudicium, adest etiam consensus voluntatis dependens à tali iudicio tamquam ab actuali motione.

36 Dico primò. *Iudicium rationis, quod est mensura operandi ita determinat voluntatem quo ad specificationem, vt quando obiectum est indifferens, non determinet ad vnicam solam partem, sed ad vtramque.* Probatur. Intellectus proponit obiectum cum indifferentia, ergo cum determinatione ad vtramque partem. Cons. probat. Quia quando proponitur, prosequitur suam propositionem vsq; ad illum terminum, in quo voluntas habet omnia requisita per modum actus primi ad operandum. Ergo ita proponit, vt cum indifferentia, atque adeo cum dictamine ad vtramq; partem compleat propositionem.

37 Dico secundò. *Non potest dari iudicium, quod dictando præcedat causalitate per modum actus primi actū voluntatis, & ipsam determinet ad vnicam partem, quando obiectum est indifferens.* Probatur. Si voluntas determinetur ab hoc iudicio ad vnam partem, ita vt non relinqueretur locus pro opposita parte, non haberet dominium supra propriam operationem. Ergo non potest determinari, quia non potest tolli libertas ipsius. Sequela probatur. Ex eo, quod habet dominium supra propriam operationem, quando obiectum est indifferens, potest in vtramque partem. Ergo si ita determinetur, vt non possit in vtramque partem, tollitur dominium ipsius. Confirmatur. Tota determinatio, quam importat iudicium, est in ratione dictaminis, ergo non potest determinare ad vnam partem. Consequent. probatur. Quia licet dictet de vnica parte, non tamen excludit aliud iudicium dictans de opposita, ergo non determinat voluntatem ad vnam partem, quia vt determinaret, deberet excludere iudicium de opposita parte.

38 Dices. Hoc iudicium importare solum necessitatem consequentem, quia est in potestate voluntatis ipsum abijcere. Contra. Voluntas non determinatur ab ipso iudicio, siquidem potest ipsum prosequi, vel abijcere; aut si determinetur, actus adhuc procedit à principio, quod non habet potentiam dominatiuam.

39 Dices secundò. Hoc iudicium non habere efficaciam nisi ex motione voluntatis, quia ipsorum mouet ex eo, quod voluntas vult, quod moueat, & ideo non tollere dominium à voluntate. Contra. Sequeretur aut processus in infinitum, aut quod nulla esset libertas in volitione. Nam si hoc iudicium haberet efficaciam ex actu voluntatis, debet præsupponi talis actus in voluntate, quia ipsi tribuat efficaciam. Ergo hic actus est ex alio iudicio, & sic procedetur in infinitum, aut est sistendum in aliquo actu, qui non sit ex tali iudicio, atque adeo tale iudicium non erit necessarium, aut est concedendum tale iudicium, quod non habeat efficaciam ex actu voluntatis; & tunc tale iudicium se determinat voluntatem, tollit etiam dominium ipsius.

40 Dico tertiò. *Iudicium vltimò conclusiuum non cōpetitur secum aliud iudicium oppositum vltimò conclusiuum.* Probatur. Intellectus non potest simul habere iudicia contradictoria respectu eiusdem; sed si haberet oppositum iudicium conclusiuum, haberet iudicia contradictoria, ergo. Minor patet, quia per vnum iudicium concluderet, obiectum esse prosequendum, & per oppositum concluderet, non esse prosequendum.

41 Dico quartò. *Iudicium conclusiuum determinat voluntatem suasiuo modo per modum actualis motionis.* Probatur. Voluntas ex natura sua sequitur intellectum, ita vt non possit operari, nisi prout ab ipso præscribitur, ergo si intellectus se habeat determinato modo, etiam voluntas erit determinata suasiuo modo ex vi determinationis intellectus, quatenus per modum suasiuæ motionis mouet ipsam voluntatem. Sed per iudicium conclusiuum intellectus se habet determinato modo, quia concludit post deliberationem, quid sit faciendum, vel non faciendum, ergo &c. Prima consequentia probatur. Quia iudicium conclusiuum non ostendit quomodo sit operandum, quia supponit iam ostensum per aliud dictamen rationis; sed determinat iudicatiuo modo quid sit faciendum. Rursus hoc iudicium respectu voluntatis habet vim persuasionis, ergo actualis motionis, siquidem per suasio actualiter mouet.

42 Ad primum negatur sequela. Nam voluntas reddit à dictamine rationis in virtute alterius dictaminis. Ad secundum negatur cons. Quia cum voluntas habeat dominium supra proprium actum, potest se effectiuè determinare, & ideo non habet determinari per modū actus primi à iudicio rationis, sed sufficit, quod determinetur persuasiuo modo per modum actualis motionis. Ad tertium negatur sequela. Quia non potest præcedere à iuditio rationis, nisi in virtute alterius iudicij: & ideo existente recto iudicio, nón potest facere actus malos, nisi superueniat iudicium prauum; vt autem nōn determinetur à iuditio rationis, sufficit, si possit recedere ab ipso in virtute alterius iudicij.

Ad quartum. Si conclusio singularis addatur iudicio vniuersalis, voluntas statim operatur aut in vnam, aut in aliam partem, & ideo solum fit, quod voluntas sequatur iudicium cum indifferentia, non autem quod ab ipso determinetur ad vnam partem.

An voluntas mediante ratione moueatur ab appetitu sensitiuo.

SECTIO VI.

43 Certum est, voluntatem moueri ab appetitu sensitiuo, vt experientia patet in motibus gaudij, doloris &c. Et est de fide ex illo ad Rom.7. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quod autem non possit mouere imperando, docent communiter cum D. Tho. 1. 2. *qu.* 77. *art.* 1. & sequitur ex principijs

principijs fidei. Quia si appetitus imperaret voluntati, non posset voluntas ipsi resistere; vnde non peccaret, si non resisteret. Difficultas autem est quomodo moueat voluntatem.

44 Prima sententia docet, mouere immediatè ratione simpatię. Ita Medina 1.2. *quæst.9. art.* 2. Conradus *qu.* 22. *art.*3. Salas *tract.*5. *disputat.* 1. *sect.* 4. *numer.* 40. Valentia *disp.*2. *quæst.*4. *punct.*3. Auersa *quæst.*9. *art.*3. Probatur. Qui habet rectum iudicium potest peccare ex concupiscentia. Hoc autem non esset possibile, nisi concupiscentia moueret immediatè voluntatem. Secundò. Voluntas est magis, vel minus prompta ad sequendos motus sensibiles, prout passiones partis sensitiuæ magis, vel minus præualent ratione complexionis. ergo. Quia appetitus mouet immediatè voluntatem. Tertiò. Voluntas mouet immediatè appetitum sensitiuum non mutando iudicium sensus, ergo etiam appetitus mouet immediatè voluntatem.

45 Secunda sententia asserit, voluntatem non moueri ab appetitu, nisi mediante iudicio rationis. Ita Caietanus 1. 2. *quæst.*9. *art.* 2. Aluarez *ibid.* Martiuez *dub.* 1. Vasquez *disp.*37. *cap.*2. Lorca *disput.* 12. *de actib. humanis.* Montesinus *disp.*13. *qu.*3. Et desumitur ex Diuo Thoma 1. 2. *quæst.* 9. *art.*2. & *qu.*10. *art* 3.

46 Dicendum est. *Appetitum sensitiuum non posse mouere voluntatem, nisi mediante iudicio rationis, quatenus facit, quod iudicium assentiatur inclinationi sensitiuæ, & proponat voluntati prosequutionem, vel fugam eiusdem obiecti.* Probatur. Voluntas ita essentialiter dependet à cognitione intellectiua, vt nec de potentia absoluta possit ferri in incognitum, ferretur autem in incognitum, si moueretur immediatè ab appetitu sensitiuo, ergo. Sequella minoris probatur. Quia tunc tendentia voluntatis in obiectum non esset ex vi propositionis eiusdem obiecti facta per intellectum.

47 Ad primũ negatur assumptũ quia si adsit rectũ iudicium, numquam concupiscentia mouebit voluntatem; & ideo, vt moueat, debet superuenire iudicium practicum. Ad secundum. Voluntatem esse magis, vel minus propensam ad sequendos motus sensuales iuxta diuersitatem complexionis, non ratione simpatiæ, sed quia iudicium rationis trahitur à parte sensitiua, atque adeo iudicat secundum inclinationem ipsius. Ad tertium negatur assumptum. Quia appetitus sensitiuus habet pro obiecto bonum sensibile modo sensibili propositum; & ideo nisi proponatur per cognitionem sensitiuam modo sensibili, non poterit operari defectu propositionis obiecti.

DE MOTV VOLVNTATIS, seu voluntario.

DISPVTATIO XIV.

Quid sit voluntarium.

SECTIO I.

1 VOluntarium sumitur dupliciter; obiectiuè, & formaliter. Obiectiuè dicit id, quod est obiectum voluntatis. Formaliter verò importat aliquid se tenens ex parte voluntatis. Est autem de fide, dari voluntarium. Psalm. 118. *voluntariè sacrificabo tibi*. Cum.n. detur voluntas, debet dari etiam actus tendens voluntario modo. Rursus voluntarium formale est duplex, nempe elicitum, & imperatum. Elicitum, quod propriè est voluntarium, dicit actum voluntatis immediatè prouenientem ab ipso. Imperatum verò est tale per denominationem ab actu elicito, quatenus illi substat, & importat illos actus, qui eliciuntur ex imperio voluntatis: vnde, quia voluntas potest per vnum actum imperare alium actum à se ipsa eliciendum, potest aliquis actus esse voluntarius elicitus, & simul etiam voluntarius imperatus.

2 Dicendum est. *Voluntarium esse id, quod prouenit à principio intrinseco cum perfecta cognitione dirigente.* Ita Diuus Thomas *prima secundæ, quæstione sexta, articulo primo* dum ait, voluntarium esse, cuius principium est intra cum cognitione finis, & Aristoteles *tertio eth. capite primo* dum inquit. *Id profecto sponte quispiam videbitur agere, cuius pincipium est in ipso agente sciente singula, in quibus est actio.* Probatur. Illud est voluntarium, quod importat propriũ modum operandi voluntatis, sed huiusmodi est, quod prouenit à principio intrinseco cum cognitione dirigente, ergo. Minor patet. Nam voluntas habet hoc proprium, quod non habeat suas operationes in se ipsa determinatas secundum esse virtuale, sed ipsa eas determinet; ergo sunt speciali modo à principio intrinseco, cum non determinaretur ab aliquo extrinseco agente; has autem operationes non potest determinare, nisi in virtute cognitionis dirigentis.

3 Colligitur ex his. Quomodo cognitio concurrat ad voluntarium; influit enim tamquam mensura actiua in mensuram passiuam, & ideo actus intellectus non sunt voluntarij, quia non fiunt ab ipso secundum aliquam mensuram, quæ præcedat in operando.

4 Colligitur secundò. Hanc cognitionem non debere necessario proponere obiectum cum indifferentia; nam indifferentia non influit in rationem voluntarij, sed solum cognitio secundum rationem mensuræ, & ideò quo perfectior est cognitio, eò perfectius est voluntarium.

5 Colligitur tertiò. Hanc cognitionem debere esse singulorum, vt ait Aristoteles, hoc est finis, & circunstantiarum, quæ debent amplè sumi, prout amplectuntur omnes conditiones etiam accidentales, tam ex parte actus, quam ex parte obiecti, & operantis.

6 Colligitur quartò. Omnem actum elicitum à voluntate, esse voluntarium, quia semper procedit à principio intrinseco cum cognitione: vnde etiam actus supernaturaliter sunt voluntarij, cum voluntas concurrat secundum suam virtutem eleuatam.

7 Colligitur quintò. Ea omnia esse inuoluntaria obiectiuè, quæ non sunt cognita: vnde in eodem actu potest esse aliquid voluntarium, & aliquid inuoluntarium, Quia voluntas non mouetur nisi ex vi cognitionis; & ideo non potest moueri ad id, quod non est in cognitione, potest tamen aliquid esse voluntarium interpretatiuè quatenus est connexum cum voluntario formali, & voluntas ita est disposita, quod si proponeretur ipsi explicitè, vellet explicitè.

8 Colligitur sextò. Voluntarium diuidi in necessarium & liberum, non tamquam subiectum in accidentia, quia sunt rationes intra genus voluntarij, nec tamquam genus in species, quia non interueniunt rationes differentiales inuicem incompossibiles; sed diuidi secundum diuersos gradus subordinatos, quia voluntarium liberum dicit totum id, quod dicit voluntarium necessarium, & insuper proprium modum tendendi, Quod enim actus sit necessarius, nihil aliud dicit, nisi quod non sit ex perfecta cognitione, & plena aduertentia: vnde solum importat negationem alicuius perfectionis.

9 Obijcies. Pœna damni in damnatis est à principio intrinseco cum cognitione, & tamen non est voluntaria ergo, &c. Respondetur. Pœnam damni obiectiuè sumptam quæ consistit in priuatione Beatitudinis, non esse voluntariam; formaliter autem sumptam, prout dicit tristitiam resultantem ex tali priuatione, esse à principio intrinseco, & voluntario, quia voluntas voluntariè tristatur de amisso bo-

so bono, cum intellectus iudicet esse tristandum, ita vt non possit aliter iudicare.

An voluntarium perfectum sit idem cum libero.

SECTIO II.

10 PRima Sententia est affirmatiua. Ita Medina 1. 2. *quaest.6.art.2.* Conradus *ibidem.* Salas *tractat.3. disp.1.sect.2.ad 4.* Lorca *sect.2.de actibus humanis. q.6. disp.1.* Vasquez *disp.23.cap.4.*& alij. Prob. Illud est perfectius voluntarium, quod est magis à principio intrinseco, & à cognitione. Tale autem est liberum, quia voluntas magis se mouet, & fit cum maiori deliberatione. Secundò. Operari cum libertate est modus proprius voluntatis, & perficit voluntatem in ratione voluntatis. Ergo importat perfectiorem rationem voluntarij. Tertiò. Modus operandi à principio intrinseco cum determinatione ad vnū est modus operandi naturae, ergo non voluntarius. Ergo quando voluntas operatur cum hac determinatione, non operatur perfectè voluntariè.

11 Secunda Sententia est negatiua. Ita Suarez *disput. 1. de voluntario.sect.3.numer.11.* Aluarez 1.2. *quaestione 6. artic.2.disput.32.* Martinez *dub.2.* Corneius *tract.4.disp. 1.dub.5.conclusione 2.*& alij.

12 Dico primò. *Datur perfectum voluntarium, quod non sit liberum libertate indifferentiae.* Probatur. Processio Spiritus Sancti habet omnem perfectionem in ratione voluntarij, & amor beatificus est perfectè voluntarius, & tamen non sunt cum indifferentia. Ergo &c.

13 Respond. Processionem Spiritus Sancti esse perfectissimam ratione subiectae materiae, & ratione obiecti, atque adeò entitatiuè, non autem in ratione voluntarij; & ideo nō significari perfectè ratione volūtarij. Contra. Est perfectissima in sua ratione quidditatiua, quae in eo consistit, quod sit à principio intrinseco, nempè voluntate cum perfectissima cognitio. Ergo est perfectissima in ratione voluntarij.

14 Respondent secundò. Amorem Beatificum non esse perfectè à principio intrinseco, quia voluntas necessitatur ab obiecto. Contra. Obiectum non mouet, nisi mediante cognitione. Ergo cum cognitio ex genere suo faciat, quod actus voluntatis sit à principio extrinseco non obstat motio obiecti, quin sit voluntarius.

15 Respon. tertiò. Amorem beatificum non esse voluntarium, quia visio Beatifica non proponit obiectum cum indifferentia. Contra. Quia haec responsio petit principium. Quaeritur enim, an detur voluntarium perfectum absque indifferentia. Deinde ideo est necessaria cognitio ad voluntarium, vt tollat ignorantiam; nam autem, vt proponat obiectum cum indifferentia. Ergo sufficit, si tollat ignorantiam in ordinem ad vnicam partem.

16 Respondetur quartò. Amorem Beatificum non esse à voluntate vt se mouente, sed vt mouetur à natura, & ideo non esse voluntarium. Contra. Quando voluntas operatur vt mota à natura, non operatur ex praeuia cognitione perfecta; in amore autem beatifico voluntas se mouet ex vi perfectae cognitionis.

17 Dico secundò. *Perfectum voluntarium est idem cū libero quò ad modum tendendi, ita vt non possit saluari absque tali libertate.* Desumitur ex D. Prospero *Contra Collatorem.cap.3.* vbi definit, Liberum arbitrium rei sibi placitae spontaneum appetitum; voluntarium autem perfectè est appetitus maximè spontaneus; & ex D. Anselmo *lib. cur Deus homo cap. 16.* vbi loquens de Christo ait. *Quoniam hoc à se ipso habuit, vt scilicet velle non posset (mori) non necessitate, sed libera potestate animam suam posuit.* Bernardo lib. de gratia, & de libero arbitrio. *Porrò quod voluntas protulit, ex voluntate fuit, Quod ex voluntate fuit, iam nōe x necessitate, sed voluntariè, si autem voluntarium, & liberum.* Augustino in Psalm. 134. *Hoc enim libera voluntate facit, quando amas, quod laudas: non enim ex necessitate, sed quia placet.* Probatur. Illud liberum est, quod est in nostra potestate; vnde Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 3. *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate; porrò quia est in potestate libera est nobis: hoc enim est nobis liberum, quod in potestate habemus.* Sed voluntarium perfectum absque indifferentia est in nostra potestate. Ergo est idē cum libero. Minor probatur. voluntarium perfectum est à voluntate ex se ipsa se determinante, & virtuali modo est reflexè volitum. Ergo est in nostra potestate. Vnde Augustinus citatus subdit. *Nec voluntas esse poterit, si in potestate non est.* & libro 3. de libero arbitrio cap. 3. *Non enim possum aliud sentire, esse in nostra potestate, nisi cum quod volemus, facimus; quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est; ea enim prorsus nullo internallo mox, vt volumus prestò est.*

18 Ad primum negatur min. Quia voluntas non magis se mouet, quando operatur cum indifferentia, nam semper tota motio; & determinatio est effectiuè ab ipsa, & cognitio, quando est perfectior, plus influit, quàm quando est cum deliberatione, quia influit secundum mensuram suae perfectionis. Ad secundum. Operari cum libertate quò ad modum tendendi esse proprium voluntatis, & perficere voluntarium, quod autem sit cum indifferentia, prouenit ex conditione obiecti. Ad tertium. Modum operandi cum determinatione ad vnum esse modum operandi naturae; quando talis determinatio est ab extrinseco; non autem, quando ab ipsa potentia operante, vt contingit in voluntate.

An voluntarium sit proprium naturae intellectualis.

SECTIO III.

19 PRima Sententia asserit, conuenire. Brutis, sed imperfecto modo. Ita D. Thom. 1. 2. *quaest. 6. art. 2.* Caietanus, Aluarez, Curiel, Lorca *ibidem.* Montesinus *disp.9.quaest. 2.* Vasquez *disp.26.num. 31.* Suarez *disp.1. de voluntario.sect.6.num. 3.* Probatur. In Brutis sunt operationes; quae prouenunt à principio intrinseco cum cognitione, & appetitus est quaedam participatio voluntatis, cum moueat alias potentias; & sicut appetitus dicitur de voluntate, ita etiam voluntas dicitur aliquo modo de appetitu. Ergo etiam actus participabit rationem voluntarij.

20 Secunda Sententia asserit esse proprium naturae intellectualis. Ita Valentia 1.2. *disputat.2.quaest.1.punct.2.* & alij.

21 Dico primò. *In Brutis reperitur spontaneum secundum aliquam rationem.* Ita Aristoteles 3. *Eth. cap. 1. & 2.* Probatur. Appetitus fit in actu ex motione obiecti mediante cognitione sensitiua: ita vt se moueat per intrinsecum principium vitae ex allectione obiecti. Ergo talis motus est spontaneus, cum proueniat ex spontanea tendentia potentiae.

22 Dico secundò. *In Brutis non reperitur voluntarium secundum aliquam rationem.* Probatur. Voluntarium conuenit voluntati ex vi suae specificationis in ordine ad suū obiectum formale. Ergo non potest conuenire appetitui sensitiuo: Quia actus qui conuenit potentiae secundum propriam specificationem ipsius, ita sunt propriae talis potentiae. Sicut est specificatio, & ideo non possunt alteri conuenire. Antecedens patet. Quia voluntarium prouenit à voluntate, vt voluntas est.

23 Ad fundamentum in oppositum distinguitur antecedens

cedens. In brutis sunt operationes prouenientes à principio intrinseco non se determinaie, sed ab extrinseco determinaio, quia cognitio sensitiua non sufficit, vt possit ab intrinseco adhiberi tamquam mensura operationis; nec appetitus est sufficiens ad se determinandum, cum non sit reflexiuus supra proprios actus. Voluntarium autem debet esse à principio intrinseco se determinãte; hinc nec appetitus est voluntas, sed solum habet aliquam similitudinem cum ipsa.

An possit dari voluntarium absque actu intellectus.

SECTIO IV.

24 Certum est, non posse dari voluntarium formale sine actu intellectus, quia voluntas non potest operari, nisi in virtute cognitionis dirigentis; vnde quęstio prouenit de voluntario obiectiuo, an semper requiratur actus cognitionis terminatus ad ipsum.

25 Prima sententia asserit, non esse necessariam actualem cognitionem, sed sufficere aut virtualem, aut interpretatiuam. Ita Salas 1. 2. *tract.3.disp.1.sect.5.* Curiel *qu.6. artic.3. dub.1.* Montesinus *disp.9. qu.4.* Comeius *tract.4. disp.1. dub.8.* & alij. Probatur. Datur omissio purè voluntaria per inaduertentiam vincibilem, vnde reprehenditur à scriptura, vt in illo Psal.77. *Non sunt recordati die, qua redemit eos de manu inimici.* Ergo datur voluntarium absque actuali cognitione. Secundò. Actus, qui exercetur potest esse voluntarius, etiamsi non sit cognitus. Ergo etiam omissio, cum ipsa quoque sit in potestate nostra. Tertiò. Quando cognoscitur obiectum quod est libero modo attingibile, & nullus actus exercetur, omissio est voluntaria, licet non cognoscatur; sic licet nauta non cogitet de submersione nauis, quando tamen debet cogitare, submersio est voluntaria, ergo.

26 Secunda sententia asserit non posse dari voluntarium absque actu intellectus ad ipsum terminato. Ita Buridanus 3. *eth. qu.9.* Angestus *cap. 6. moral. text. 1.* Almeinus *tract.1. moral.*

27 Dico primò. *Non potest dari voluntarium obiectiuum directum, siue positiuum, siue negatiuum sine cognitione directè terminata ad ipsum.* Probatur. Ideo aliquid est voluntarium obiectiuè, quia subest voluntario formali. Ergo vt sit voluntarium directè, debet directè subesse, non potest autem directè subesse, nisi actus intellectus ad ipsum directè terminetur, nam in tantum subest, inquantum per cognitionem proponitur voluntati.

28 Dico secundò. *Ad voluntarium obiectiuum indirectè requiritur cognitio ad ipsum indirectè terminata.* Probatur. Cognitio est mensura voluntarij; ergo obiectum eo pacto est voluntarium, quo attingitur à cognitione. Ergo vt aliquid sit indirectè voluntarium, debet indirectè attingi.

29 Dico tertiò. *Ad voluntarium in causa requiritur cognitio directè terminata ad causam, vt causa est.* Probatur. Voluntarium debet esse à cognitione ipsius. Ergo vt aliquid sit voluntarium in causa, debet esse cognitum in ipsa causa. Antecedens patet. Quia sicuti cognitio alterius proponit aliud obiectum, ita facit, quod voluntas possit tantum circa tale obiectum volũtarie se habere.

30 Dices. Sufficere cognitionem virtualem, vel interpretatiuam. Respondetur. Non sufficere, quia cum principium voluntarij debeat actu causare, debet actu existere in se ipso. Cognitio autem virtualis, aut interpretatiua non existit in se ipsa.

31 Ad primum distinguitur antecedens. Datur omissio voluntaria per inaduertentiam, quæ sit voluntaria in causa, non autem in seipsa; tunc autem supponitur cognita in ipsa causa, & hęc reprehenditur à scriptura. Ad secundum negatur consequentia. Quia omissio non est voluntaria formaliter, sicut est actus voluntatis; sed obiectiue, & ideo non potest esse voluntaria, nisi sit cognita. Ad tertium negatur assumptum. Si omissio non sit cognita saltem in causa; vnde submersio nauis in tantum est voluntaria nautæ, in quantum illam cognoscit in causa; nam cognoscit, se debere cogitare de regimine nauis, ex cuius omissione potest sequi submersio.

An possit dari voluntarium absque omni actu voluntatis.

SECTIO V.

32 Prima sententia est affirmatiua; vult enim, quod si obiecto proposito voluntati, quæ possit agere, & non agere, non agat, ipsum prosequendo, aut fugiendo, sed negatiue se habeat, consurgat voluntarium. Ita Pesantius 1. 2. *qu.6.art.5.* Lorca *ibid.* Curiel *dub.1. sect.3.* Montesinus *disp.9. sect.4.* Comeius *tract. 4. disput.1. dub.7.* Valentia *disp.2. qu.1. punct. 1.* Salas *tr.3. disp.1. sect.3.* Suarez *in methaphys. disput.19. sect.4.* & *disp.1. de voluntario, sect.5.* & alij Recentiores, qui citant plures ex veteribus, qui tamen solum asserunt, quod voluntas se habeat voluntario modo, si per actum positiuum decernat, se habere negatiue. Probatur. Datur peccatum puræ omissionis, vt si quis aduerteris, se teneri ad præceptum seruandum, negatiue se habeat, ergo &c. Secundò. Voluntas est libera ad volendum, & non volẽdum, ergo potentiam libere cessari ab omni actu. Tertiò. Si proposito obiecto Deus neget concursum ad omnem actum alium, præterquam prosequutionem, ita tamen, vt voluntas non necessitetur ad prosequendum, tunc voluntas ex libertate sua poterit non elicere talem actum, ergo dabitur voluntarium absque omni actu. Quartò. Si non daretur voluntarium absque omni actu, posset dari præceptum, quod non posset violari, vt si Deus præciperet, quod voluntas eliceret aliquem actum indeterminate, tunc pręceptum non posset violari per purãm omissionem, quia non datur nec per actum positiuum; nam eo ipso, quod voluntas haberet actum positiuum impleret præceptum, ergo. Quintò. Voluntas potest immediate in opposita nempe volitionem, & nolitionem, ergo poterit etiam immediate in contradictoria.

33 Secunda sententia asserit, semper requiri aliquem actum; Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.11. art.1.* Medina, & Conrad. *ibidem* Caietanus *1. par. quæst.63. art. 5. in fin.* Alensis *2. par. quæst.30. memb. 2. & 10.* Baccon *in 2. dist.44. art.3.* Diu. Bonauentura *dist.35. dub.1. litterali.*

34 Dicendum est. *Ad saluandam rationem voluntarij requiri aliquem actum positiuum, saltem quo voluntas decernat, se habere negatiuè.* Probatur. Voluntarium formale dicit exercitium voluntarij in potentia: ergo dicit actum positiuum. Consequentia probatur. Tum quia exercitium est actus secundus potentiæ, tum quia tale est exercitium qualis est potentia. Confirmatur. Proposito obiecto voluntati adhuc voluntas est indifferens. Ergo vt adsit voluntarium, debet dari actus positiuus. Consequentia probatur. Quia voluntatium requirit determinationem in voluntate, & sublationem indifferentię. Indifferentia autem non tollitur, nisi per proprium actum voluntatis.

34 Dices. Dari etiam exercitium negatiuum, quod consistit in non productione actus. Contra. Non potest dari exercitium, nisi potentia fiat in actu, & non potest fieri in actu, nisi ponat extra se, quod continet virtualiter; continet autem virtualiter solum actum positiuum. Confirmatur. Proposito obiecto voluntas non est in actu exercito ex vi propositionis. Ergo vt sit, non sufficit, quod non producat, sed saltem debet suspendere productionem, atque debet exercere actum suspendendi.

35 Dices secundò. Voluntatem determinari, quia in secundo signo potest promere actum, & ex libertate sua

non

non promit. Contra. Voluntas non se determinat nisi ex vi potestatis dominatiuæ, quam habet supra proprios actus: & determinatio est quidam motus vitalis ipsius. Ergo non potest se determinare, nisi per actum positiuum.

36 Dices tertiò. Determinari per id, quod vrgeat obligatio operandi. Contra. Obligatio est aliquid extrinseca voluntati, & antecedit exercitium ipsius; ergo non potest determinare voluntatem, quia non determinatur nisi per actum sibi proprium. Rursus quod non operetur est aliquid negatiuum, nec potest per se ipsum determinare voluntatem.

37 Dices quartò. Determinare ratione voluntarij interpretatiui, quia cum voluntas debeat operari; & non operetur, censetur voluntariè non operari. Contra. Voluntarium interpretatiuum fundatur in voluntario formali. Ergo si non adest aliquis actus positiuus, in quo fundetur talis interpretatio, non potest adesse voluntarium interpretatiuum, sed illud negatiuè se habere nullo pacto erit voluntarium, quia nullo pacto erit volitum.

38 Ad primum negatur consequ. Quia peccatum purę omissionis est cum actu positiuo, quo voluntas decernit omittere. Dicitur autem pura omissio, quia nō fit aliquid positiuum directè contra præceptum. Ad secundum neg. assumptum. Nam voluntas ex sua libertate potest solum suspendere omnem actum. In tali autem casu interuenit actus positiuus, quo vult negatiuè se habere. Ad tertium negatur secunda pars antecedentis. Quia in illo casu voluntas nullam haberet potentiam expeditam ad omittendum, siquidem deficiente concursu Dei, sicut voluntas non haberet facultatem ad operandum, ita neq; ad omittendum. Quia per eandem est omissio libera, per quam est operatio, & ideo esset tantum non agens, vt contingeret in causa naturali, si Deus suspenderet concursum ad operandum. Ad quartum negatur sequ. Quia adhuc illud præceptum posset violari per actum positiuum; nam pręceptum exigit actum sub ratione obsequij, & obedientiæ saltem virtualis: actus autē, quo quis nollet obedire quãuis positiuus, esset in illo casu transgressiuus præcepti, quia contineret in obedientiam oppositam virtuti morali, quæ præciperetur. Ad quintum negatur conf. Quia cum ex contradictorijs alterum sit negatiuum, non datur ad ipsum immediatè aliqua potentia.

An possit dari voluntarium omissionis absque obligatione.

SECTIO VI.

39 Certum est, omissionem non posse esse voluntariam, nisi voluntas possit operari; nam eo ipso quod non potest, neque etiam potest voluntariè se habere. Rursus certum est etiam requiri, vt non operetur, vnde difficultas est, an etiam requiratur, quod teneatur operari.

40 Prima sententia asserit, esse necessariam obligationem operandi; ita Lorca 1. 2. *disp.* 2. *de actib. humanis.* Caiet. *qu.* 6. *art.* 3. Conrad. *ibid.* Medina *ibid.* & *quæst.* 71. *art.* 5. Corneius *tract.* 4. *disp.* 5. *dub.* 10. & alij. Prob. Quando quis non tenetur, voluntas non est causa illius omissionis, nec aliquo pacto procedit ab ipsa; ergo non est voluntaria. Secundò. Quando non adest obligatio, omissio non est bona, nec mala. Ergo nec voluntaria, quia quod procedit à voluntate, aut est bonum, aut est malum, quia est conforme, vel disforme rectæ rationi. Tertiò. Præcisa obligatione non adest aliquid, quo omissio fiat voluntaria, ergo. Quartò. Si quis occideretur à latronibus, quia non daret pecuniam, non esset causa propriæ mortis. Ergo omissio dandi pecuniam non esset voluntaria, alioquin esset causa propriæ mortis, quia voluntariè omitteret.

41 Secunda sententia asserit, non esse necessariam obligationem, vt omissio sit voluntaria: ita Angestus *cap.* 6. & 7. *moral.* Almainus *tract.* 1. *moral. cap.* 1. Palat. *in* 2. *dist.* 35. *quæst.* 1. Valentia 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 1. *ad* 2. Salas *tract.* 3. *disp.* 1. *sect.* 4. Montelin. *disp.* 9 *sect.* 4. Aluarez *disp.* 34. Vasquez *disp.* 24. *cap.* 3. Suarez *disp.* 1. *de voluntar. sect.* 5. *num.* 8.

42 Dico primò. *Supposito, quod possit dari voluntariū absque omni actu, omissio non esset voluntaria ex eo, quod vrgeret obligatio non omittendi.* Probatur. Obligatio se tenet ex parte actus primi, & antecedit omnem determinationem voluntatis, cum respiciat actum secundū exercendum. Ergo non potest determinare voluntatem ad rationem voluntarij, quia talis determinatio pertinet ad actum secundum, & debet esse à principio intrinseco.

43 Dices. Posita obligatione omissionem censeri moraliter voluntariam. Contra. Voluntarium morale educitur in physicum, ergo vbi non est physicum, nec etiam est morale. In foro autem exteriori in tantum talis omissio præsumitur voluntaria, inquantum præsumitur actus internus volens omittere.

44 Dico secundò. *Potest dari omissio voluntaria absq; obligatione ad non omittendum, vt quando interuenit actus positiuus voluntatis, aut præsens, aut antecedens cum debita aduertentia.* Probatur. Omissio, quæ est directè volita, est directè voluntaria. Ergo quando est indirectè volita, erit indirectè voluntaria. Potest autem esse indirectè volita, vt cum quis vult aliquid incompossibile cum eo, quod omittitur.

45 Dico 3. *Omissio non est imputabilis, nisi adsit obligatio non omittendi.* Prob. Peccatum est contra legem, ergo supponit obligationem, ergo omissio non erit imputabilis, nisi adsit obligatio non omittendi.

46 Obijcies. Qui potest iniuriam depellere à proximo, & non depellit, in vitio est, vt habet ex cap. *Negligent.* 2. *qu.* 3. Ergo non requiritur obligatio, vt omissio imputetur. Resp. neg. conf. Quia intelligitur de eo, qui potest & tenetur depellere iniuriā, vel ex iustitia, vel ex charit.

47 Obijcies secundò. Potest omissio alicuius mali esse meritoria, etiam si non adsit obligatio omittendi. Ergo etiam omissio boni potest esse culpabilis, etiamsi non adsit obligatio. Resp. neg. conf. Quia omissio mali semper est ex aliquo præcepto, cum omne malum sit prohibitum & ideo, si concurrant debitæ conditiones, erit meritoria. Econtra autem non adest præceptum faciendi quodlibet bonum, & ideo si omittatur præcisa obligatione non fiet contra præceptum, atq; adeò omissio non erit culpabilis.

48 Ad primum negatur assumptum. Nam præcisa obligatione potest omissio esse indirectè volita, & hoc pacto prouenire à voluntate. Ad secundum negatur minor, quia omissio fit bona, vel mala seclusa obligatione ratione finis appositi, ex quo indirectè procedit. Ad tertium negatur assumptum. Quia procedit in falso supposito, nempe quod detur voluntarium absque omni actu. Ad quartum distinguitur maior. Si præuideatur futura occisio, negatur; secus autem, si non præuideatur. Quando enim præuidetur, eo ipso, quod omittit dare pecuniam, est causa indirecta occisionis. An autem peccet. Respondetur affirmatiuè. Quia tenetur adhibere media necessaria ad conseruandam propriam vitam, præsertim quando consistunt in bonis temporalibus, quæ debent iuxta ordinem charitatis postponi propriæ vitæ. In tali autem casu dare pecuniam latronibus, esset medium necessarium ad conseruationem vitæ, quamuis esset iniustitia ex parte latronum.

An vt effectus sequens ex omissione sit voluntarius, requiratur obligatio vitandi talem effectum.

SECTIO VIII.

49 PRima sententia asserit, requiri obligationem ad vitandum effectum, qui sequitur ex omissione, vt sit voluntarius. Ita Caietanus 1. 2. *quæst. 6. artic. 3.* Medina *ibidem.* Aluarez *disp. 35.* Montesinus *disput. 9. quæstion. 5.* Vasquez *disput. 24. cap. 3.* Lorca *sect. 1. de actibus humanis disput. 2.* Comeius *tract. 4. disp. 1. dub. 9.* & alij.

Probat. Si quis non teneatur impedire damnum proximi, & non impediat, cum possit impedire, non tenetur ad restitutionem; teneretur autem, si tale damnum esset voluntarium. Secundò. Sequeretur, quod peccatum esset voluntarium Deo, quia potest impedire, & non impedit. Tertiò. Effectus positiuus sequens ex omissione, non reducitur in voluntatem vt in causam physicam, nec vt in causam moralem, ergo non est voluntarius. Antecedens probatur. Quia cum omissio sit quid negatiuum, non potest voluntas influere mediante omissione. Rursus cum voluntas non teneatur vitare talem effectum, non esset causa moralis ipsius.

50 Secunda sententia est negatiua, ita Salas 1. 2. *tract. 3. disp. 1 sect. 4.* Suarez *disp. 1. de volunt. sect. 5.* Corduba *quæst. 23. dub. 9. notat. 1.* Auersa 1. 2. *quest. 6. sect. 7.* & alij.

51 Dico primò. *Quando omissio non est connexa cum effectu, ita vt effectus non sequatur ex ipsa ex natura rei, sed ex alijs causis, tunc præcisa obligatione effectus non est voluntarius, etiam si omissio sit voluntaria.* Probatur. Effectus non est volitus, nec in se, nec in causa, ergo non est voluntarius. Antecedens patet. Quia supponitur quod non sit directè volitus; in omissione verò non potest esse volitus, cum non habeat connexionem cum ipsa ex natura rei.

52 Dico secundò. *Quando effectus non connectitur ex natura sua cum omissione posita obligatione impediendi ipsum sit voluntarius ex omissione.* Prob. Ratione obligationis tenetur quisque ponere impedimentum, ergo si non ponit, dum aduertit, se debere ponere, implicitè vult talem effectum, ergo est voluntarius in causa.

53 Dico tertiò. *Quando effectus ex natura rei est connexus cum omissione eo ipso, quod omissio est voluntaria, est etiam voluntarius effectus præcisa quacunque obligatione.* Probatur. Connexorum est eadem ratio, & reputantur pro vno, & eodem. Ergo si effectus est ex natura rei connexus cum omissione, eo ipso, quod omissio est voluntaria, est etiam voluntarius effectus ratione talis connexionis. Confirmatur. Quando negatio est causa negationis, etiam affirmatio est causa affirmationis, sed negatio connexionis effectus cum omissione est causa, quod non sit voluntarius præcisa obligatione, ergo affirmatio connexionis erit causa, quod sit voluntarius.

54 Ex dictis colligitur. Quod præcisa obligatione impediendi effectum sequentem ex omissione in foro externo non imputaretur, etiam si alioquin esset voluntarius; quia præcisa obligatione non tenetur quis aduertere; & ideo præsumitur inuoluntarius; in foro tamen interno, si sit malus, semper ad culpam imputatur, quia omne voluntarium culpabile est, si sit malum.

55 Obijcies. Præcisa obligatione impediendi effectum non est effectus voluntarius moraliter, sed tantum physicè; ergo neque in foro interno imputatur. Resp. neg. assumptum. Quia talis effectus est à voluntate, vt stat sub regula, secundum quam debet dirigere suas operationes, atque adeo prouenit ab ipsa vt à principio morali.

56 Ad primum dist. minor. Si esset voluntarium causatiuè, teneretur ad restitutionem; secus autem si sit voluntarium permissiuè, aut secundum complacentiam; nam obligatio restituendi non oritur nisi ex damno illato, aut non impedito, quando ex iustitia adest obligatio impediendi. Ad 2. neg. sequ. Quia peccatum non sequitur ex natura rei ex eo, quod Deus aliquod omittit facere. Ad 3. neg. assumpt. Nam effectus reducitur in voluntatem tamquam in causam physicam, non vt in causam moralem, quia ex natura rei sequitur ex omissione, & ratione connexionis sequitur, quod sit volitus eo ipso, quod est volita omissio. Ad probationem respondetur. Non esse necessarium influxum, quia non est voluntarius formaliter, sicut est actus voluntatis, vt requiratur influxus, sed est tantum voluntarius obiectiuè; & ideo sufficit, quod terminet voluntatem.

An ad voluntarium in causa requiratur obligatio tollendi causam.

SECTIO IX.

57 VOluntarium in causa est illud, quod consequitur ex aliqua causa siue positiua, siue negatiua, quæ sit voluntaria obiectiuè. Est autem duplex aliud, quod potest præuideri; & aliud, quod non potest præuideri. Quod autem potest præuideri, aut actu præuidetur, aut non præuidetur. Rursus quod non præuidetur, aut debet præuideri, aut non debet præuideri. Est autem certum, quod id, quod non potest præuideri, non potest esse voluntarium, cum non possit esse volitum. Similiter etiam nec potest esse voluntarium ob eandem rationem, quod potest præuideri, sed non præuidetur. Si tamen debuit præuideri, & non fuit præuisum ex negligentia vincibili, imputatur ad culpam, si sit malum in foro interno.

58 Dico primò. *Nullus effectus siue positiuus, siue negatiuus potest esse voluntarius, siue moraliter, siue physicè, nisi in causa præuideatur.* Probatur. Nisi præuideatur causa non est voluntaria secundum rationem causæ, ergo effectus nõ erit voluntarius in causa, quia intantum est voluntarius, in quantum est volitus in ipsa causa.

59 Dico secundò. *Quando causa est per se, & adæquata, aut si sit inadæquata, & præuidetur concursus aliarum concausarum, tunc effectus est voluntarius si causa sit voluntaria.* Probatur. In tali casu voluntas concurrit ad effectum, quantum est ex se, quia vult causam. Ergo effectus est volitus in ipsa, atque adeo est voluntarius.

60 Dico tertiò. *Si causa sit per accidens, aut per se inadæquata absque concursu aliarum concausarum, tunc effectus non est voluntarius etiam si causa sit voluntaria.* Probatur. Non intenditur causa sub ratione causæ. Ergo effectus non est volitus in ipsa, atque adeo non est voluntarius. Anteced. patet. Quia causa per accidens, aut inadæquata non est de se sufficiẽs ad inferendum effectũ.

61 Dico quartò. *Quando causa est volita in ordine ad effectum, etiam si sit per accidens, nec inferat, de se effectum, est tamen voluntarius.* Probatur. Effectus tunc cadit sub intentionem, ergo est voluntarius. Antecedens patet. Quia causa quomodocunque se habeat, semper est volita propter effectum.

62 Obijcies. Etiam si effectus sit connexus per accidẽs cum causa, cognoscitur tamen futurus, posita tali causa. Ergo est voluntarius. Respondetur distinguendo antec. Cognoscitur ex vi talis causæ negatur. Cognoscitur futurus aliunde, & per accidens, conceditur; & ideo non sequitur, quod sit voluntarius in causa.

63 Ex dictis colligitur. Non requiri obligationem tollendi causam, vt effectus sit voluntarius in ipsa, sed sufficere si causa sit volita, vt talis est. Vt tamen imputetur ad culpam, requiritur obligatio tollendi causam. Nam eo ipso, quod effectus est malus, etiam causa est mala, & ideo fugienda loquendo

quò

quò ad forum internum, aut si sit per accidens, adest obligatio non volendi ipsam, vt causa est; sed solum potest intendi, vt inseruiens alteri fini. In foro autem externo effectus non imputatur, nisi secundum leges, quib. regitur forum externum, ad sit obligatio tollendi causam.

64 Colligitur secundò. Non adesse obligationem tollendi causam, quando est per accidens, & non est mala, etiam si inde sequatur effectus malus; quia sicuti talis effectus non vitiat causam, ita nec reddit prohibitam. Sic potest quis arcere pluuiam à proprio prædio, etiam si inde sequatur inundatio alieni prædij.

DE MODO, QVO VOLVNTAS mouetur,

DISPVTATIO XV,

Quomodo voluntas se habeat in suo motu quoad specificationem.

SECTIO I.

1 IN motu voluntatis distinguitur ratio naturalis, & ratio necessarij. Ratio naturalis dicit, quod motus sit ex commensuratione ad intrinseca principia, vt docet D. Tho. 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. vnde adhuc stat cum ipsa libertate, quia voluntas habet suum motum liberum cum commensuratione ad intrinseca principia. Ratio verò necessarij dicit, quod motus ita conueniat, vt non possit non conuenire, vt docet idem D. Tho. *artic. sequenti*. Vtraq; autem ratio importat determinationem ad vnum, sed diuerso modo; nam ratio naturalis importat determinationem ad vnum secundum speciem; ratio verò necessarij dicit determinationem ad vnum secundum exercitium.

2 Supponendum est. Determinationem ad vnum siue secundum speciem, siue secundum exercitium, atq; adeo rationem naturalis, & necessarij posse considerari dupliciter, vel ex parte potentiæ, vel ex parte actus. Primo modo dicit, quod potentia sit tantum apta efficere tales actus determinatos. Secundo modo dicit, quod actus sit determinatus in virtute potentiæ. Iuxta autem nostra principia hæc sola posterior determinatio tollet modum tendendi liberum, non autem prima; nam adhuc talis determinatio relinquit actum in potestate voluntatis: nam voluntas adhuc se mouet ab intrinseco ex seipsa, & secundum mensuram cognitionis determinat propriam operationem, ita vt determinatio primo incipiat effectiuè ab ipsa. Difficultas autem in præsenti est de determinatione priori modo sumpta: an videlicet voluntas ex parte potentiæ moueatur, vt determinata quoad specificationem.

3 Prima sententia asserit, quod voluntas circa nullum obiectum versetur naturaliter. Ita Ocham *in quar. quæstione vltima*. Maur *distinctione* 49. *quæstione septim.* Gabriel *in primo disputatione prima, quæstione vltima*, & alij. Probatur. Modus tendendi naturaliter opponitur modo tendendi libero. Ergo cum voluntas sit potentia libera, semper tendet libero modo. Secundò. Potentia naturalis non est libera in aliquo actu, ergo nec potentia libera naturaliter procedit in aliquo actu.

4 Secunda sententia docet, voluntatem velle aliquid naturaliter quò ad specificationem nempe beatitudinem in communi, ita Diuus Thomas *prima secundæ quæstione* 12. *articul.* 1. Caietanus, Medina, Conradus *ibidem*. Ferrariens. *tertio contra gentes, capit.* 82. Sotus *in quarto distinctione* 49. *quæstione secunda, articulo primo*. *Thomus Secundus*. Vasquez 1. 2. *disputat.* 39. *capit. secundo*. Lorca *disputat.* 15. *membr.* 2. Montesinus *disputat.* 14. *quæst. prima*, & alij.

5 Dico primò. *Voluntas fertur naturali modo quò ad specificationem in bonum in communi, & fælicitatem in vniuersali*. Probatur. Bonum in communi est adæquatum obiectum formale, ita vt voluntas non posset ipsum odire sub ratione boni. Ergo amor circa ipsum est naturalis quoad specificationem. Consequentia probatur. Quia si non esset naturalis, & determinata ad vnum, deberet voluntas posse odisse, atque adeo deberet interuenire motiuum odij, seu malum, quod implicatur.

6 Dico secundò. *Voluntas fertur quoad specificationē naturaliter in beatitudinem in particulari secundum se consideratam*. Ita D. Tho. 1. *par. qu.* 82. *art.* 2. & 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 2. Probatur. Beatitudo in particulari secūdum se est summum satiatiuum voluntatis, & non habet aliquam rationem mali annexam. Ergo non potest terminare actum odij. Ergo actus amoris circa ipsam est naturalis, & determinatus

7 Dices. Beatitudinem in particulari posse habere annexam aliquam rationem mali, quia excludit aliqua bona naturalia, & est obtinenda cum labore. Contra. Ergo non proponitur sub ratione beatitudinis secundum se, sed sub aliqua ratione extrinseca, quia cū secundū se sit summum bonum, & adæquatum satiatiuum voluntatis, non potest habere aliquam rationem mali, nec relinquere desiderium in voluntate vlterioris boni.

8 Dices secundò. Beatitudinem in particulari proponi per fidem, & ideo non posse mouere voluntatem ad actū determinatum, Contra. Adhuc proponitur sub omni ratione boni. Ergo si mouet voluntatem, potest tantum mouere ad actum determinatum secundum speciem.

9 Obijcies. Si voluntas tenderet naturaliter in beatitudinem in particulari, tenderet etiam naturaliter in media, quod est falsum. Sequella probatur. Eo modo, quo quis appetit finem, appetit etiam media, ergo. Respondetur negando sequellam. Ad probationem dicitur, quod eo modo appetuntur media, quo appetitur finis, quando sunt absolutè necessaria, & in particulari; secus autem quando non sunt, & potest assumi vnum, aut alterum medium,

10 Dico tertiò. *Voluntas fertur naturaliter quo ad specificationem in proprium suppositum, & proprium esse secundum se consideratum*. Probatur. Naturaliter fertur in beatitudinem in communi, ergo etiam in proprium suppositum. Consequentia probatur. Proprium suppositum est fundamentum beatitudinis, & eo ipso, quod quis vult beatitudinem, vult etiam proprium suppositum, quia vult beatitudinem propter ipsum beatificandum.

11 Obijcies. Potest quis desiderare non esse. Ergo non amat necessariò proprium suppositum quoad specificationem. Respond. posse desiderare non esse, non sub ratione non essendi, sed sub ratione boni, quatenus quis apprehendit ob fugiendum malum esse sibi bonum, non esse: vnde adhuc amat proprium suppositum, dum illi desiderat bonum.

12 Dico quartò. *Voluntas fertur naturaliter quò ad specificationem in illas perfectiones, quæ pura conueniūt appetenti, seu quæ sunt ipsi naturales, & perficiunt proprium esse, vt intelligere, &c.* Est contra Suarez *disput.* 19. *in metaph. sect.* 8. Desumitur autem ex Aristotele 1. *metaph. cap.* 1. Quatenus docet, quod omnes homines naturaliter desiderant scire. Probatur. Voluntas amat naturaliter quò ad specificationem, quod potest proponi solum sub ratione boni; Tales autem sunt hæ perfectiones, ergo &cæt. Minor probatur, Quia secundum se totas sunt absolutè conuenientes, & connaturales.

13 Obijcies. Hæ perfectiones sunt bona particularia, ergo voluntas est indifferens circa ipsas quoad speci-

ficationem. Respondetur. Sunt bona particularia necessaria ad beatitudinem, concedo; Non necessaria, nego. Voluntas autem est indifferens circa bona particularia, quę non sunt necessaria ad beatitudinem.

14 Ad primum distinguitur anteced. Modus operandi naturaliter opponitur modo operandi libero, prout dicit determinationem ad vnum, nego; prout dicit, quod Actus sit determinatus in virtute causæ, ita vt non pertineat ad ipsam illum determinare, concedo. Voluntas autem, licet determinata quoad specificationem adhuc determinat proprium actum, quia talis determinatio solum dicit, quod voluntas possit se determinare quo ad vnam partem. Ad secundum negatur consequentiam. Quia plus requiritur ad operandum liberè, quàm ad operandum naturaliter: & ideo potentia, quæ potest operari liberè, potest etiam operari naturaliter: sed non è contra. Deinde operari naturaliter non sumitur in præsenti, vt contradistinguatur ab operari liberè, sed vt contra distinguitur ab operari cum indifferentia.

An voluntas tendat in aliquod obiectum quoad exercitium absque indifferentia.

SECTIO II.

15 Certum est, nullum actum esse simpliciter, & absolutè necessarium quoad exercitium, sed ad summum ex aliqua suppositione, quia dependet ab obiecto, quod potest proponi, & non proponi, quod vult D. Tho. 1. 2. *qu.* 10. *art.* 2. dum docet, quod voluntas nō necessitatur quoad exercitium ab aliquo obiecto, quia potest intellectus non cogitare de quocunque obiecto; vnde difficultas procedit ex suppositione, quod obiectum congruenter proponatur. Est autem certum apud omnes, quod voluntas tendit naturaliter, & absque indifferentia quoad exercitium in summum bonum clarè visum, quia cum includat omnem rationem boni, & excludat omnem rationem mali, & attingentia ipsius afferat voluntati perfectam quietem, non adest aliquod motiuum, ratione cuius possit voluntas suspendere exercitium actus & ideo non habet indifferentiam; quia, quando non adest indifferentia ex parte obiecti, & motiui, nec etiam adest ex parte voluntatis: & ideo difficultas remanet in ordine ad alia obiecta.

16 Prima sententia asserit, voluntatem non attingere naturaliter, seu absque indifferentia, quoad exercitium aliquod obiectum, dum est in via. Ita Capreolus *in primo distinct.* 1. *quæstion.* 3. Scotus *in quarto distinct.* 49. *quæstion.* 10. Sotus *quæstion.* 2. *articulo primo.* Conrad. 1. 2. *quæst.* 10. *artic.* 2. Vasquez *disputat.* 39. *capitul.* 7. Aluarez *disputat.* 46. & *disput.* 7. *de auxilijs*, Montesinus 1. 2. *disput.* 14. *quæst.* 3. Lorca *disp.* 15. *de actibus humanis*, & alij. Probatur. Exercitium actus circa quodlibet obiectum potest proponi sub ratione molesti. Ergo voluntas non est determinata ad ipsum quoad exercitiū, cum possit respuere.

17 Secunda sententia asserit, voluntatem esse determinatam quoad exercitium saltem simplicis complacentiæ circa beatitudinem in communi. Ita Paludanus *in* 4. *dist.* 49. *quest.* 7. *art.* 2. Durandus *quæst.* 8. Ferrar. 3. *contra gentes cap.* 6. & alij.

18 Dico primò. *Voluntas est determinata quò ad exercitium ad actum amoris circa proprium suppositum.* Probatur. Si voluntas posset suspendere exercitium talis amoris, vel moueretur à ratione boni, vel à ratione mali. Si primum, ergo desiderat proprio supposito bonum, atque adeo ipsum amat, quia desiderare bonum alicui est ipsum amare. Si secundum, ergo adhuc desiderat bonum proprio supposito, quia fugit, quod est ipsi malum; fuga enim mali prouenit ex amore boni oppositi.

19 Dico secundò. *Si beatitudo in communi proponatur voluntati, non potest suspendere amorem circa ipsam.* Probatur. In tantum posset non amare, inquantum exercitium actus posset proponi sub ratione mali; sed non potest proponi, ergo. Minor probatur. Quando actus non se habet per modum obiecti, sed tantum vt, *quo*, non mouet voluntatem nisi ratione obiecti, circa quod versatur: ergo cum in casu nostro ex parte obiecti nulla sit ratio, quæ moueat ad cessandum ab actu, non aderit motiuum cessandi.

20 Dico tertiò. *Proposita beatitudine in particulari, licet voluntas possit ipsam non amare consideratam secundum aliquam conditionem particularem, non tamen potest non amare secundum se consideratam, vt dicit summum bonum.* Probatur. Ideo Deus clarè visus determinat voluntatem quoad exercitium, quia proponitur sub ratione omnis boni, sed etiam vt talis proponitur per fidem, ergo.

21 Dices. Summum bonum clare visum habere maiorē efficaciam. Contra. Determinatio quoad exercitium non prouenit ab efficacia motionis, sed ex determinatione motiui, quando videlicet est tale, vt non adsit ratio mouens ad oppositum. Ergo, quando motiuum est tale ex natura sua siue clarè, siue obscurè proponatur, eodem modo mouebit, & determinabit.

22 Dices secundò. Summum bonum clarè visum manifestari secundum omnem rationem boni, & ideo determinare voluntatem quoad exercitium, qui non adest, vnde arceatur. Contra. Ideo determinat, quando clarè videtur, quia proponitur vt adæquatum satiatiuum; sed etiam per obscuram cognitionem proponitur vt tale, ergo.

23 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur assūptum, quatenus procedit de exercitio actus circa obiecta prędicta; quia secundum se non habet aliquam rationem mali; nam actus neque placet, neque displicet nisi ratione obiecti, cum se habeat vt, *quo*, & ab ipso specificetur; vnde si obiectum non habet aliquam rationem mali, neque etiam habet actus.

An stante iudicio indifferenti possit voluntas à Deo necessariò moueri.

SECTIO III.

24 POsse Deum necessitare voluntatem auferēdo perfectam cognitionem, aut aliud requisitum ad liberè operandum, certum omnino est, quod voluerunt Veteres Scholastici, quando docent, posse Deum necessitare voluntatem. Sed difficultas est, an relinquendo omnia requisita ad liberè operandum, possit illam necessitare.

25 Prima sententia est affirmatiua. Ita Valentia 1. 2. *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 3. Bellarminus *lib.* 4. *de gratia, & libero arbitrio cap.* 11. Suarez *prologom.* 1. *de gratia cap.* 4. & 5. & alij Recentiores.

Probatur. Hæretici, qui dicebant, Deum semper necessitare voluntatem, non tollebant indifferentiam iudicij. Patres verò, qui eos impugnāt, non dicunt, voluntatem non posse necessitari salua indifferentia iudicij, sed supponunt adhuc posse necessitari, negant verò, Deum necessitare, ergo. Secundò. Trident. *sess.* 6. *can.* 4. requirit in voluntate potestatem resistendi motioni diuinæ; non autem damnat hæreticos ex eo, quod modus necessitandi sit impossibilis, ergo potest necessitari voluntas saluis requisitis ad liberè operandum. Tertiò. Patres docent, Deum non inferre vim voluntati; ergo supponunt quod possit necessitatem inferre, sed non inferat, alioquin dicerent, non posse inferre. Quartò. Deus est omnipotens, & ideo potest mutare voluntatem, quando, & vbi voluerit, vt docet Augustin. cap. 95. Enchir. Ergo etiam eo modo, quo voluerit, ergo poterit necessitare.

26 Secunda sententia est negatiua. Ita Bannes 1. *par. q.* 19. *artic.* 10. *dubio* 1. Cumel *ibid. in appendice de libero arbitr.*

arbitr. Aluar. *disp.* 126. *de auxil.* & cæteri Recent. Tho.

27 Dico primò. *Positis omnibus requisitis ad liberè operandum, non potest Deus necessitare voluntatem per aliquam motionem, quę pertineat ad actum secundum.* Probatur. Actus est liber, quando prouenit à potentia, quæ se determinat per propriam virtutem, & dominatiuo modo. Posita autem quacunque motione, quæ se teneat ex parte actus secundi, saluat hoc totum, ergo. Minor probatur. Quia motio spectans ad actum secundum non immutat actum primum voluntatis: ergo voluntas habet suam virtutem dominatiuam expeditam, ergo si operatur, dominatiuo modo operatur.

28 Dico secundò. *Stante pleno iudicio rationis voluntas non potest necessitari à Deo per aliquid impressum, quod se habeat per modum actus primi, supposito, quod voluntas operetur per suam intrinsecam virtutẽ.* Probatur. Intantum hoc impressum necessitaret voluntatem inquantum tolleret indifferentiam, & determinet ad vnũ. Sed positis omnibus requisitis ad liberè operandum, non potest determinari ad vnum, si obiectum sit indifferens, ergo. Minor prob. Quidquid imprimitur, non immutat intrinsecam virtutem voluntatis, neque tollit indifferentiam iudicij, sed relinquitur in suo statu. Ergo retinet facultatem ad operandum dominatiuo modo, quia hæc illi conuenit ex vi propriæ virtutis intrinsecæ, & ex vi perfectæ cognitionis.

29 Dices. Hanc qualitatem, quæ imprimitur, esse magis efficacem, itaut vincat virtutem voluntatis intrinsecam. Contra. Voluntas adhuc per suam virtutem efficit actũ. Ergo debet habere illã expeditã. Rursus operetur ex vi cognitionis, quæ fundat libertatẽ, ergo libero modo.

30 Dico tertiò. *Si voluntas, quantum est ex parte sui, habeat omnia requisita ad liberè operandum, posito quocunque absoluto, & efficaci decreto Dei exequutiuo neq; adhuc necessitabitur, ita vt modus operandi liber conuertatur in necessarium, sed libero modo operabitur.* Desum. ex D. Aug. *lib. 3. de lib. arb. cap. 3.* vbi ait de voluntate loquens. *Si enim necesse est, vt velit, vnde volet, cum voluntas non erit?* Et rursus. *Voluntas igitur nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate: porrò quia est in potestate, libera est nobis.* Et ex D. Bernard. *de gratia, & libero arbitr.* post initium, vbi loquens de consensu voluntatis, ait. *Non cogitur, non extorquetur, est quippe voluntatis, non necessitatis, alioquin, si compelli valet inuitus, violentus est, non voluntarius. Vbi autẽ volũtas nõ est, nec cõsensus, nõ .n. est consensus nisi volũtarius. Vbi ergo cõsensus, ibi volũtas.*

31 Prob. Vel quando Deus efficaci decreto vult talem operationem, vult etiam, quod præcedat à voluntate operante per propriam virtutem, per quam habet, quod libero modo operetur, vel non. Si primum. Ergo non potest facere, quod necessario modo operetur, quia non potest facere, quod potentia, qua talis operetur opposito modo ab eo, quo debet, qua talis est, operari. Sic non potest facere, quod potentia visiua, quatenus visiua est, operetur, & non eliciat actum visionis, sed oppositum, aut alterius speciei: nec quod intellectus, quã determinatus per habitũ fidei ad assensum circa reuelata, eliciat actum dissensus; nec quod voluntas, quatenus allecta à bonitate, eliciat actum odij. Id enim implicat, quod potentia operetur etiã extra suam specificationem, implicat etiam, quod voluntas, quatenus specificata ad operãdum libero modo, operetur necessario modo. Si secundum. Ergo aut nullo modo operabitur, aut operabitur per aliam virtutem, atque adeo non necessitabitur, quatenus voluntas libera est.

32 Dico quartò. *Si voluntas habeat, quantum est ex parte sui omnia requisita ad liberè operandum, non potest Deus facere per quamcunq; motionem, quod operetur per modum principij naturalis determinati ad vnum, sed adhuc sequens determinationẽ motionis libero modo operabitur, & retinebit suam potentiã ad oppositũ.* Prob. Ratio principij determinati ad vnum, & naturalis, & ratio principij operatiui libero modo sunt rationes, quæ se inuicem destruunt, nam primo dicit, quod determinatio operationis non sit in potestate causæ, 2. verò dicit, quod sit in potestate, & sub dominio causæ. Ergo cũ Deus non possit coniungere, quæ se inuicem destruunt, non potest facere, quod principium determinatum ex se ad operandum libero modo, operetur per modum principij naturalis determinati ad vnũ, quia faceret, quod operatio inde proueniens esset sub dominio operantis, quia esset principium liberum, & non esset, quia operaretur per modum principij naturalis.

33 Dices. Hoc non repugnare, quia volũtas in sensu diuiso habet in potestate propriã operationẽ, & non habet in sensu composito. Contra. Voluntas habens omnia requisita ad liberè operãdũ habet in potestate propriã operationẽ, quatenus illã elicit. Ergo si operaretur per modũ principij naturalis determinati ad vnum, haberet, & non haberet in potestate propriam operationem, quatenus illam eliceret. Ratio autem à priori est, quia motio ex genere suo non immutat naturam subiecti, sed ipsum mouet secundum eius capacitatem; & ideo posita quacunq; motione in voluntate non immutabitur natura ipsius, nec eius modus operandi, sed semper libero modo operabitur dum habet omnia requisita.

34 Ad primum negatur assumptum, quia hæretici non dixerunt, quod voluntas habens omnia requisita ad liberè operandũ necessitaretur à Deo, sed negauerũt facultatẽ liberè operandi. PP. autem docuerunt, voluntatem de facto nõ necessitari à Deo, quia hoc solũ habetur ex scrip. An autẽ possit necessitari, non inquisierunt, quia hoc non faciebat ad propositum quęstionis. Ad 2. neg. cons. quia Trident. solum vult, quod voluntas nõ necessitetur, quãdo mouetur à Deo, quia potest adhuc resistere. An autem possit necessitari, nec inquirit, nec ex hoc, quod possit necessitari, debuit damnare hæreticos, quia non debuit damnare ex ratione naturali, sed ex diuinis script. ex quib. habetur, quod non necessitetur. Ad 3. neg. cons. Quia nõ volet, Deus non infert vim voluntati; ergo potest inferre, & necessitare, positis omn. requis. ad liberè operãdũ. Ad 4. neg. cons. Quia Deus potest solũ mouere volũtatẽ eo modo, quo ex natura sua potest moueri, non potest autem moueri necessario modo, quando habet omnia requisita ad liberè operandum.

DE MOTV VOLVNTATIS IN voluntario, & violento.

DISPVTATIO XVI.

Quid sit violentum.

SECTIO I.

1 Violentum aliud est contra inclinationem naturæ noncognoscitiuę; aliud contra inclinationem naturæ sensitiuæ; & aliud contra inclinationem naturæ rationalis, quod etiam dicitur inuoluntarium; Hoc autẽ inuoluntarium sumitur dupliciter, vel negatiuè, vel positiuè, inuoluntarium negatiuè, si sumatur, prout dicit meram negationem voluntarij, conuenit omnibus operationibus, quæ non proueniunt à principio intrinseco cum cognitione. Si verò sumatur, prout dicit priuationem, dicitur de illo actu, qui ex natura sua potest esse voluntarius, sed ex aliquo defectu non est talis. Inuoluntarium verò positiuè est illud, quod positiuè est contra inclinationem voluntatis siue innatam, siue elicitam.

2 Dico primò. *Violentum est illud, quod est à principio extrinseco nihil conferente passo.* Ita Aristoteles *tertio eth. capitulo primo*, & Diuus Thomas *prima secundæ, quæstione sexta, artic.* 4. Probatur. Eo ipso, quod est à principio extrinseco, & passum nihil confert, est con-

est contra inclinationem naturalem, qua principium intrinsecum inclinatur ad suum actum, ergo erit violentū.

3 Dico secundò. *Ad rationē violenti non sufficit, quod passum se habeat merè negatiuè, sed debet habere positiuam resistentiam.* Ita Scotus *in* 4. *dist*.29. *qu*. 1. Montelinus 1. 2. *disp*.9. *qu*.1 Vasquez *disput*. 25. *cap*.2. Salas *tract*.3. *disp*.1. *sect*.1. & alij. Probatur. Violentum debet esse contra naturalem inclinationem, ergo debet interuenire contrariatus, atque adeo resistentia, qua naturalis inclinatio resistat ratione tendentiæ ad proprium terminum.

An violentum sit solum contra inclinationem actiuam.

SECTIO II.

4 Prima sententia asserit, debere esse contra inclinationem actiuam. Ita Vasquez 1. 2. *disp*. 25. *cap*. 3. & alij. Probatur. Si sufficeret, quod esset contra inclinationem passiuam, sequeretur, quod aer esset violenter tenebrosus, quia habet inclinationem ad lucem, quod tamen est falsum. Secundò. Humanitas Christi esset violenter cum personalitate verbi, quia habet inclinationem passiuam ad proprium, quod similiter est falsum.

5 Secunda sententia asserit, sufficere, si sit contra inclinationem passiuam. Ita Martinez 1.2. *quæst*.6. *art*. 1. Montelinus *disput*.9. *quæst*.1. Aluarez *disp*.28. Corneius *tract*.4. *disp*.2. *dub*.1. Suarez *disp*.2. *de vol. sect*.2. Probatur. Aristot.3. *eth. cap*.1. definit violentum in ordine ad illud, quod agit, aut patitur sub disiunctione; ergo sufficit, quod sit aut contra inclinationem actiuam, aut contra passiuam.

6 Dico primò. *Contra potentiam passiuam indeterminatam, atque adeo contra inclinationem materiæ primæ non potest dari violentum.* Probatur. Non potest dari aliquid, quod sit contra intrinsecam inclinationem potentiæ passiuæ indeterminatam; ergo nec aliquid, quod sit ipsi volentum. Antecedens patet. Quia potentia passiua indeterminata non magis inclinatur ad vnum, quā ad aliud, sed indifferenter se habet respectu omnis receptibilis. Confirmatur. Materia prima non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid aliud, sed omnia in potentia; ergo cum sit in potentia ad omnia, dicit inclinationem ad omnia, atque adeo non potest ab aliquo violentari.

7 Dices. Materiam posse simul recipere plures formas incompossibiles, & ita violentari. Contra. Vel habet capacitatem ad illas simul recipiendas, vel non. Si primum; ergo non violentatur, quia recipit id, quod ex intrinseca sua ratione potest recipere, & appetit. Si secundum; ergo non poterit recipere.

8 Dices secundò. Posse violentari, si priuetur omni forma. Contra. Si priuaretur omni forma, non interueniret aliquid contrarium inclinationi naturali, sed tantum negatio actus, ergo non interueniret violentia.

9 Dico secundò. *Neque respectu cuiuscunque inclinationis purè passiuè potest dari violentia.* Probatur Quod patitur violentiam, debet contra niti, vt ait Aristoteles 2. *eth. cap*.7. Inclinatio autem purè passiua non potest contra niti, quia ordinatur tantum ad patiendum, & semper aliquid confert recipiēdo, & substentando, ergo.

10 Dico tertiò. *Respectu inclinationis passiuæ determinatæ per aliquam formam resistitiuā potest dari violentia.* Prob. Potest agere contra talem resistentiam, & mutare statum connaturalem subiecti. Ergo tunc subiectum patitur violentiam.

11 Ad primum primæ sententiæ negatur sequela. Quia aer respectu lucis merè passiuè se habet, & violentia non consistit in aliquo negatiuo, sed in aliquo positiuo. Ad secundum negat sequela. Quia humanitas Christi non vnitur cum personalitate verbi contra propriam naturā, sed solum supra propriam exigentiam. Et ideo talis vnio non est contra inclinationem passiuam.

12 Ad fundamentum secundæ sententiæ negatur cons. Quia Aristoteles loquens de principio passiuo, contra quod potest esse violentia, intelligit de subiecto determinato per aliquam formam ad resistendum.

An possit esse violentia in agendum.

SECTIO III.

13 Prima sententia asserit, agens posse violentari nedum quoad carentiam actionis, sed etiam quoad ipsum agere. ita Salas 1. 2. *tr*. 3. *disp*. 2. *sect*.2.

Probatur. Potest agens agere contra propriam inclinationem, vt cum intellectus errat, ergo tunc violentatur.

14 Secunda sententia asserit, agens posse violentum pati quoad actiones imperatas. ita Montelinus 1.2. *disp*. 2. *qu*.1. & alij. Probatur. Cum quis mouet brachium alterius contra ipsius voluntatem, tunc motus est violentus potentiæ motiuę, cum sit contra imperium voluntatis, ergo.

15 Tertia sententia asserit, quod agens nullo modo potest in agendo violentiam pati; ita Caiet. 1. 2. *q*.6. *ar*. 5. Suarez *disput*. 2. *de voluntario sect*. 2. Probatur. Agens inclinat ad agendum, & non potest impediri nisi deficiat aliquod requisitum. Ergo siue agat, siue non agat semper se habet iuxta suam inclinationem.

16 Quarta sententia asserit, posse violentiam pati in cessatione ab actione: ita Durand. *in* 2. *dist*.23. *quæst*.9. Medina 1. 2. *qu*.6. *art*. 5. Valentia *disp*. 2. *qu*.2. *punct*. 3. & alij.

17 Dico primò. *Agens siue principale, siue instrumētale non potest violentari in eo, quod agat.* Probatur. Licet interueniat aliqua violentia in applicatione agentis, semper tamen actio est ab intrinseco principio, nempe ab intrinseca virtute. Ergo non potest esse violenta. quia opposito modo se habet, nam violentum debet esse à principio extrinseco. Vnde nec actio imperata potest esse violenta potentiæ, a qua fit, cum adhuc sit à principio intrinseco.

18 Dico secundò. *Potest dari violentia quoad carentiam actionis*. Probatur. Positis omnibus requisitis ad operandum, potest actio impediri, vt cum lapis detinetur, ne descendat deorsum. ergo tunc actio violenter impeditur.

19 Dico tertiò. *Si causa prima suspendat concursum, non sequitur violentia ex eo, quod causa non agat.* Probatur. Causa secunda non habet vim ad operandum, nisi concurrente prima. Ergo nec inclinationem. Ergo si tunc non ageret, non esset contra ipsius inclinationem.

20 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur assumptum. Quia intellectus dum errat, tendit in falsum sub ratione veri, & ideo operatur secundum propriam inclinationem.

21 Ad fundamentum secundæ sententiæ negatur antecedens. Quia motus brachij est ab ipso, vt ab instrumento, & vt tale dicit inclinationem ad omne id, cui deseruire potest.

22 Ad fundamentum tertię sententiæ negatur assumptum. Quia potest agens impediri etiam ratione extrinseci impedimenti.

An Creatura possit violentiam pati à Deo.

SECTIO IV.

23 Quæstio procedit de creatura præcisa voluntate, de qua est specialis difficultas. Et prima sentētia est affirmatiua, ita Ferrar. 2. *contr. gent. cap*. 100. Durand. *in* 2. *dist*.25. *qu*. 8. Vasquez 1. 2. *disp*. 25. *cap*. 4. Monte-

Montesinus *disp.* 10. *quaest.* 2. & alij. Probat. Potest Deus facere aliquid contra inclinationem Creaturæ. Vnde de facto detinet Dęmones violenter in loco pœnarum, ergo. Secundò. Eadem est capacitas Creaturæ respectu Dei, & respectu agentis naturalis, ergo. Si est capax violentiæ respectu agentis naturalis, erit etiam capax respectu Dei.

24 Secunda sententia est negatiua. Ita D. Thom. 1. *par. qu.* 103. *art.* 8. *ad* 3. Caietanus *qu.* 82. *art.* 1. Conradus 1. 2. *qu.* 6. *art.* 4. Aluarez *disp.* 37. & alij.

25 Dico primò. *Si Deus operetur supplendo causationem causæ secundæ, potest inferre violentiam.* Probatur. In tali casu operatio habet eamdem mensuram, & modum tendendi, ac si esset à causa secunda. Ergo potest esse violenta, non secus ac actio causæ secundæ.

26 Dices. Non esse violentam, quia creatura non resistit. Contra. Resisteret tali actioni, si esset à causa secunda. Ergo etiam dum est à Deo, cum sit secundum eamdem mensuram.

27 Dico secundò. *Quando Deus operatur, vt causa prima modo sibi proprio, non potest inferre violentiam creaturis.* Probatur. Creatura est essentialiter sub pleno Dominio Dei. Ergo non potest pati violentiam ab ipso. Consequentia probatur. Eo ipso, quod est sub pleno dominio Dei, habet naturalem inclinationem ad omne id, quod Deus potest facere circa ipsam. Ergo quidquid Deus facit, erit secundum inclinationem. Ergo non erit violentum. Hinc D. August. *lib.* 26. *contra Faust. cap.* 3. inquit. *Deus autem Creator, & conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit, id enim erit cuique naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis numerus, motus, & ordo naturæ.*

28 Dices. Subiectionem conuenire creaturis seruatis regulis suæ naturæ, & ideo non in ordine ad quodlibet. Contra. Subiectio non debet esse minor, quia sit potentia Dei, alioquin non esset plena subiectio, quia secundum aliquid subtraheretur. Ergo naturali modo subijcitur in ordine ad omne id, quod Deus potest facere.

29 Dices secundò. Hanc subiectionem non importare naturalem inclinationem, & ideo non includere violentiam. Contra. Inclinatio non est aliud, quam ordinatio ad aliud congenita ipsi naturæ. Sed creatura ratione essentialis subiectionis habet ordinem sibi congenitum ad omne id, quod Deus facere potest, ergo. Confirmatur. Licet non haberet inclinationem, saltem haberet non repugnantiam, & capacitatem. Ergo non contraniterentur, atque adeo non paterentur violentiam.

39 Obijcies. Si ratione subiectionis haberent inclinationem ad omne id, quod Deus facere potest, haberent inclinationem ad dona supernaturalia, atque adeo non essent supernaturalia, quia essent secundum naturalem inclinationem. Resp. negando sequ. Quia aliud est, quod habeant ad supernaturalem inclinationem ad exercitium dominij Dei; & aliud, quod habeant ad supernaturalia dona. Quando enim Deus exercet suum dominium infundendo dona supernaturalia, tunc dona supernaturalia se habent materiali modo, & substernuntur dominio tanquam termino formali inclinationis creaturæ, & ideo nō sunt termini nisi materiales talis inclinationis, & veluti per accidens; per se autem sunt semper supernaturalia, quia eleuant creaturam ad statum non debitum.

31 Ad primum negatur assumptum. Si loquamur de Deo operante vt causa prima modo sibi proprio. Et ad probationem respondetur. Dæmones pati violentiam ratione voluntatis, de qua modo non loquimur, & mediantibus causis secundis particularibus. Ad secundum negatur assumptum. Si consideretur Deus, vt agens modo sibi proprio.

An voluntas possit violentiam pati quoad actus imperatos aliarum potentiarum.

SECTIO V.

32 Sumitur modo actus imperatus specificè, nam reduplicatiuè non potest esse violentus cum sit ex imperio voluntatis.

33 Dico primò. *Voluntas potest violentiam pati quò ad actus imperatos.* Probatur. Licet actus imperati, qui fiunt vitali modo, sint à principio intrinseco vitæ, possunt tamen esse contra appetitū voluntatis. Ergo possunt esse violenti. Rursus possunt aliæ potentiæ impediri, ne operentur contra inclinationem voluntatis, ergo tunc voluntas violentiam patietur.

34 Dico septimò. *Deus potest inferre violentiam voluntati quoad omnes actus imperatos etiam potentiæ locomotiuæ.* Probatur. Potest facere, quod omnis potentia operetur renitente voluntate. Ergo tunc actus erit ipsi violentus per modum obiecti, quatenus fit id, quod voluntas vellet non fieri.

An actus imperati, qui sunt violenti voluntati, sint etiam potentiæ, à qua eliciuntur.

SECTIO VI.

35 Prima sententia est affirmatiua, ita Salas 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 2. *sect.* 6. Probatur. Potentia habet appetitum naturalem obediendi voluntati. Ergo quod est contra voluntatem, est etiam contra hunc appetitum. Secundò. Voluntas est præcipua inclinatio hominis, quod autem est violentum præcipuæ inclinationi, est etiam violentum parti.

36 Secunda sentenita est negatiua, ita Durand. *in* 2. *dis.* 28. *qu.* 3. Lorca 1. 2. *disp.* 4. *de actibus humanis, memb.* 2. *dub.* 2. Vasquez *disp.* 25. *cap.* 4. Suarez *disp.* 2. *de voluntario, sect.* 6. & alij.

37 Notandum primò. Potentias, vt partes totius habere inclinationem ad bonum totius; hæc tamen inclinatio non est diuersa ab inclinatione ad bonum propriū; quia pars non respicit bonum totius, nisi respiciendo totum, cum nihil conferat toti nisi se ipsam, atque adeo nisi propriam entitatem, vnde bonum partis est etiam totius; sicut autem potentia subordinatur voluntati, ita hæc inclinatio subordinatur inclinationi voluntatis.

38 Notandum secundò. Voluntatem tanquam superiorem potentiam ita respicere bonum totius, vt respiciat bonum singularium partium. Vnde debet conformari in inclinatione cum cęteris potentijs, quia cum bonum totius sit bonum partis, & è contra, inclinatio quoque ad bonum vnius, erit etiam inclinatio ad bonum alterius.

39 Dico primò. *Supposito, quod voluntas se habeat inordinatè actus imperatus, qui est sibi violentus, non erit violenus potentiæ, à qua producitur.* Probatur. Talis inclinatio non est contra inclinationem potentiæ, vt respicit bonum proprium, cum sit actus secundus ipsius; nec vt respicit bonum commune, quia si voluntas ordinatè se haberet, ipsum appeteret: ergo nullo pacto erit violentus.

40 Dico secundò. *Quando voluntas ordinatè se habet, actus qui est ipsi violentus, est etiam violentus potentiæ producenti, non vt producens est, sed vt est contra inclinationem ipsius respicientem bonum totius.* Probatur. Dum est contra inclinationem ordinatam voluntatis, est etiam contra ordinem, & bonum totius. Ergo est etiam contra inclinationem potentiæ, vt est pars ingrediens ordinem totius, quia malum totius est etiam malum partis.

41 Dices. Isti actus sunt vitales, ergo sunt à principio intrinse-

intrinseco, ergo non sunt violenti. Respondetur. Disting. consequent. Sunt a principio intrinseco eliciti, non autem inclinatiue, quia sunt ab extrinseco determinante; & ideo ex hoc capite sunt violenti, cum sint contra inclinationem potentiæ.

42 Dices secundò. Actus appetitus sensitiui insurgentis contra rationem est etiam contra inclinationem voluntatis, atque adeo ipsi violentus, & tamen non est violentus appetitui sensitiuo. Ergo actus, qui est contra voluntatem ordinatè se habentem, non est violentus potentiæ, à qua elicitur. Respondetur. Negando secundam partem antecedentis. Nam ille actus conuenit appetitui sensitiuo vt deficienti; Nam ex se debet sequi motum rationis. Vnde sicut est contra mensuram, & regulam, quam deberet regulari creatura rationalis, ita est etiã contra inclinationem appetitus, quam habet vt potentia subordinata Creaturæ rationalis ad bonum totius.

43 Ad primum distinguitur Antecedens. Potentiæ inclinantur ad obediendum voluntati, quando ordinatè se habent; non autem quando se habent inordinatè. Ad secundum disting. Maiorem. Quod est violentum parti est contra præcipuam inclinationem ordinatam. Secus autem si sit inordinata.

An voluntas possit violentiam pati contra proprium appetitum innatum.

SECTIO VII.

44 Voluntas non potest directè cogi ad operandũ, aut non operandum ab aliqua creatura, quia cum sit domina sui ipsius, non subijcitur alicui creaturæ; potest tantum indirectè quoad carentiam actus, vt quando subtrahitur obiectum; autem quoad modum operandi, vt contingit in amentibus. Rursus nec Deus potest violentare voluntatem quoad appetitum innatum in fundẽdo actum, aut habitum inclinantem ad bonum cum talis actus, & habitus perficiat voluntatem iuxta exigentiam appetitus innati ipsius.

45 Dico primò. *Supposito, quod Deus possit ex se producere habitum vitiosum, si poneret in voluntate inferret violentiam appetitui innato ipsius.* Est contra Suarez *disp.* 2. *de voluntario sect.* 4. *num.* 3. Montel. 1. 2. *disput.* 10. *quæst.* 3. & alios. Probatur Voluntas secundum se totam est inclinatio rationalis atque adeo respicit bonum rationale, seu honestum vt obiectum adæquatum, ergo omnis habitus, qui respicit oppositum, est contra hanc inclinationem.

46 Obijc. Voluntas operatur per habitum vitiosum, ergo habitus vitiosus determinat virtutem ipsius, atq; adeo perficit. Respondetur disting. Antecedens operatur per habitum vitiosum contra propriam inclinationem; non autem secundum ipsam. Et ideo determinatur etiam contra propriam inclinationem sic etiam calor determinat aquam ad calefaciendum, sed contra ipsius inclinationem.

47 Obijcies Secundò. Voluntas non potest ferri contra proprium obiectum, ergo cum operatur per habitum vitiosum, tendit in proprium obiectum, atque adeo secundum propriam inclinationẽ. Resp. distinguitur Cõseq. Fertur in proprium obiectum apparens; non autem verum, quia obiectum turpe proponitur sub ratione honesti; vnde sicut obiectum est deficiens, quia non habet veram honestatem: ita etiam operatio; est autem contra inclinationem innatam voluntatis deficere in propria operatione.

48 Dico secundò. *Voluntas potest sibi ipsi inferre violentiam quoad appetitum innatum mediante proprio actu.* Probatur. Potest elicere actus vitiosos, & ipsis mediantibus acquirere habitus vitiosos, ergo cum ipsi actus, & habitus sint contra innatam inclinationem, potest sibi ipsi inferre violentiam.

An voluntas possit pati violentiam quoad actus elicitos.

SECTIO VIII.

49 Ratio dubitandi est. Quia voluntas proximè excitata ad aliquem actum potest recipere adeo actum oppositum, ergo tunc patietur violentiam. Secundò. Manente odio Dei in aliqua voluntate potest Deus ponere in ipsa amorem; tunc autem amor erit violentus, quia erit contra appetitum elicitum. Tertiò. Potest Deus facere, quod voluntas producat necessario modo actum, qui ex natura sua est liber, actus autem sic productus erit violentus. Quartò. Potest vnum obiectum esse magis cõgruè propositum, quam alterum, ergo si Deus faciat, quod voluntas velit minus cõgruè propositum inferret violentiam. Quintò. Voluntas potest necessitari ad actum, ex quo sequatur tristitia, ergo etiam ad actum, ex quo sequatur violentia, quia tristitia est violenta voluntati, cum tamquam opposita delectioni sit contra ipsius inclinationem.

50 Dicendum est. *Voluntatem non posse à Deo violentiam pati quoad actus elicitos.* Ita communiter cum Diuo Th. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. Et desumitur ex D. Anselm. *de libero arbitrio cap.* 5. Vbi ait, *velle non potest homo inuitus, quia non potest velle nolens velle: Nam omnis volens ipsum suum velle vult.* Et ex D. August. *libr.* 5. *de Ciuit. cap.* 10. vbi habet. *Velle, si volumus, est; si nolumus, non est. Non enim vellemus, si nollemus.* Et ex D. Bernard. de gratia, & libero arbitrio. *Nemo autem non vult, quod vult; aut vult, quod non vult.* Probatur. Volitio est ipsa inclinatio actualis voluntatis, & nolitio est ipsa actualis auersio. Ergo nullus actus potest esse violentus voluntati. Consequentia probatur. Implicat, voluntatem inclinari propria inclinatione, & auerti propria auersione, itaut ex se ipsa moueatur, & uiolentiam pati, ergo

51 Ad primam rationem dubitandi. Respondetur. Negando assumptum. Quia ille actus non erit violentus, cum sit inclinatio voluntatis, neque cessatio ab actu opposito, quia fit voluntario modo, nempe ex ui inclinationis actualis ad oppositam partem. Ad secundam Neg. assumpt. Implicat enim quod in voluntate sit amor, & odium oppositum, cum habeant essentialiter annexam contradictionem, siquidem amor est conuersio ad obiectum, odiũ verò auersio. Ad tertium negatur Minor. Quia Deus non potest facere, quod actus ex natura sua liber fiat necessario modo, nisi auferat cognitionem necessariam pro operando libero modo. Tunc autem voluntas non habet inclinationem ad illum actum libero modo exercendum, cũ non habeat virtutem sufficientem. Ad quartum. Negat. Consequent. Quia tristitia non est violenta voluntati, siquidem prouenit à principio intrinseco, & est naturale voluntati tristari de obiecto malo, si non potest fugere. Vnde solum obiectum tristitiæ est contra naturalem inclinationem.

An voluntas possit violentiam pati quoad actus imperatos.

SECTIO IX.

52 Prima sententia est affirmatiua. Ita Almainus 1. *Moralium capitul.* 1. August. 13. *Moral. text. vltimo notab.* 4. *&* 5. Probat: stante imperio voluntatis potest Deus ponere in ipsa actum oppositum, ergo tunc iste actus erit contra inclinationem voluntatis.

53 Secunda sententia est negatiua. Ita Medina 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. Lorca *disp.* 4. *de actibus humanis. memb.* 1. Vasquez *disp.* 26. *cap.* 2. Aluarez *disp.* 36. Montelinus *disp.* 10. *quæst.* 4. & alij.

54 Dicen-

54 Dicendum est. *Deum non posse inferre violentiam voluntati quoad actus imperatos, etiam si adsit in voluntate imperium de non habendo aliquo actu*. Probatur. Non potest voluntas vt voluntas elicere aliquem actum, nisi ex vi cognitionis, ergo non potest per ipsum violentiam pati. Consequent. probatur. Tum quia talis actus semper esset à principio intrinseco. Tum quia voluntas per ipsum formaliter voluntariè se haberet.

55 Dices Pati violentiam, quia cessat actus oppositus. Contra. Actus oppositus cessat voluntario modo, nempe ex eo, quod voluntas elicit actum incompossibilem, ergo non patitur violentiam.

56 Dices secundò. Pati violentiã, quia voluntas vellet, non recipere talem actum. Contra vel per talem actum fit volens, vel non. Si primum, ergo recipit voluntario modo Si secundum; ergo non patitur violentiam, quia in tantum nollet recipere illum actum, in quantum nollet fieri per ipsum.

57 Dico tertiò. Licet non violentetur voluntas, violentari tamen volitionem, seu imperium. Contra, Ideo violentaretur volitio, quia recederet adueniente opposito actus, sed per hoc non violentatur, nam est naturale actui desinere adueniente opposito. ergo

58 Ad fundamentum primæ sententiæ, Respondetur, Deum non posse ponere actum oppositum in voluntate, stante imperio de non habendo tali actu, nisi faciat recedere ipsum imperium; tunc autem non patitur violentiam, quia recedit actus per mutationem factam in voluntate itaut desinat velle, id quod nolebat. Implicat enim, quod voluntas nolens aliquid, ipsum velit.

An voluntas possit violentiam pati in cessatione ab actu.

SECTIO X.

59 PRima sententia absolutè affirmat. Ita Salas 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 63. Medina *quæst.* 6. *artic.* 4. Martilius *in* 2. *quæst.* 16. *art.* 5. *dub. penultim.* Suarez *disp.* 2. *de voluntario section.* 4. *num.* 1. Probatur. Voluntas in cessatione ab actu priuatur sua connaturali perfectione, ad quam habet inclinationem, ergo violentiam patitur.

60 Secunda sententia asserit, Deum posse inferre violẽtiam negando concursum ad operandum. Ita Vasquez 1. 2. *disput.* 26. *cap.* 6. Probat. Voluntas proximè completa ad operandum habet inclinationem ad actum, ergo si negetur concursus, patietur violentiam.

61 Tertia sententia est absolutè negatiua. Ita Caiet. 1. *p. quæst.* 82. *articul.* 1. Conrad. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 4. Martinez *dub.* 2. & alij.

62 Dicendum est. *Voluntatem non posse violentiam pati in eo, quod cesset ab actu*. Probat. Non potest voluntas impediri, ne operetur, nisi per subtractionem concursus, aut alicuius necessarij requisiti, ergo non potest violentiam pati. Consequent. probat. Non potest violentiam pati, nisi in ordine ad actum sibi possibilem; tunc autem actus non esset ipsi possibilis, ergo

63 Dices. Pati violentiam, quia actus redditur ipsi impossibilis contra eius inclinationem. Contra. Non potest violentiam pati, nisi aliquid recipiat ab extrinseco, ratione cuius interueniat passio, quia violentum est à principio extrinsecò nihil conferente passo. In tali autem casu nihil reciperet, quia tantum actus fieret impossibilis defectu alicuius extrinseci. ergo

64 Dices. Recipere tristitiam. Contra. Tristitia non est ab extrinseco, sed ab intrinseco voluntatis, & est connaturale voluntati tristari de obiecto displicente. ergo

65 Dices secundò. Pati violentiam, quia ponitur obiectum displicens contra ipsius inclinationem. Contra. Per hoc, quod ponitur tale obiectum, nihil recipit sibi contrarium. Ergo non patitur violentiam, sed agit modo sibi naturali eliciens tristitiam.

66 Ad fundamentum primæ sententiæ negat. Anteced. Quia non habet inclinationem ad actum, nisi habeat omnia requisita ad ipsum producendum.

67 Ad fundamentum secundæ sententiæ Negat. Assump. Quia voluntas non est proximè completa, nisi ipsi negetur concursus; Nam concursus paratus pertinet ad complementum actus primi.

DE MODO TENDENDI IN voluntario ex ignorantia, metu, & concupiscentia.

DISPVTATIO XVII.

Quot sint genera ignorantiæ.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Aliud esse nescientiam, & aliud ignorantiam, vt notat D. Thom. 1. *part. quæst.* 101. *articul.* 1. *ad* 2. Nescientia est negatio scientiæ non debitæ. Ignorantia verò scientiæ debitæ. Rursus. Ignorantia alia est negatiua, & importat solum carentiam debitæ cognitionis. Et alia positiua, & importat cognitionem falsam, quæ dicitur etiam ignorantia prauæ dispositionis. Præterea. Ignorantia alia est habitualis, & actualis simul; alia verò actualis, & dicitur inconsideratio, vt cum quis non aduertit, quod debeat aduertere.

2 Supponendum secundò. Ignorantiam comparatam ad operationem esse triplicem, vt docet D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 2. nempe Antecedentem, quæ tamquam causa indirecta, & negatiua antecedit operationem. Concomitantem; quæ est simul cum operatione, vt cum quis putans occidere feram, occidit hominem; & Consequentem, quæ vt effectus consequitur actum voluntatis.

3 Supponendum tertiò. Ignorantiam habere etiam alias diuisiones. Alia enim est culpabilis, quæ est voluntaria, & prohibita non secundum se, sed quia priuat scientia præcepti, quod debet esse notum; Et alia inculpabilis, quæ nec est voluntaria, nec est obligatio ad eam deponendam. Rursus alia est affectata, quæ est directè volita, quatenus quis non vult aliquid scire, & alia negligens, quæ oritur ex negligentia, dum quis negligit scire, quod tenetur. Item alia est inuincibilis, quæ nõ potest vinci, quia non suppetunt media, quæ moraliter possent applicari ad eam depellendam; Et alia vincibilis quæ potest vinci, & deponi. Denique alia est ignorantia iuris, qua ignoratur aliqua lex, seu præceptum. Et alia Ignorantia facti, qua ignoratur ipsa actio, vel aliqua circumstantia ipsius.

4 Prima difficultas est. Quanta diligentia sit adhibenda, vt ignorantia sit inuincibilis, atque adeo non sit voluntaria, affectata, & crassa. Respondetur sufficere, quam adhibeantur media de se ordinata ad illam vincendam, quæ morali modo possunt applicari, vt desumitur ex D. Aug. *de natura, & gratia cap.* 4. & D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. Quia quando quis adhibet media ordinata ad aliquem finem, vult efficaciter finem, & oppositum est inuoluntarium, ergo adhibens media ordinata ad deponendam ignorantiam, vult illam deponere, atque adeo non deponere est ipsi inuoluntarium.

5 Obijcies. Si quis non seruet legem naturalem, ignorantia fidei erit illi voluntaria; Nam si adhiberet tale mediũ, illuminaretur à Deo, ergo nõ sufficit moralis diligẽtia

Respon. Negan. seque!. Quia obseruantia legis naturalis non est medium ex sua natura ordinatum ad cognitionem fidei, & ideo ex eo, quod non seruetur, ignorantia non est volita in causa.

6 Obijcies secundò. Oratio est medium ordinatum ad deponendam ignorantiam. Iacobi 1. *Si quis indiget Sapientia, postulet à Deo*. Ergo non sufficit moralis diligentia, sed debet adhiberi omne medium. Resp. Distin. Antec. Oratio est medium generale: non autem particulare. Quando autem adsunt media particularia, non tenemur adhibere media vniuersalia. Locus autem D. Iacobi intelligitur de Sapientia, quæ est Donum Spiritus Sancti, & non potest humano modo obtinere.

7 Secunda difficultas. An possit dari ignorantia facti, quę sit inuincibilis. Respond. affirmatiuè; & desumitur ex regula iuris Ignorantia facti excusat de regulis iuris in 6. Ratio est, quia factum potest esse in voluntarium tàm in se, quàm in causa, vt si quis adhibeat moralem diligentiam, vt sciat, quod debet scire, Ergo erit inuincibilis, quia non est vincibilis, nisi sit aliquo modo volita.

8 Tertia Difficultas. An si ignorantia facti sit secundum se inuincibilis, sit etiam talis, quando quis dat operam rei illicitæ. Respond. affirmatiuè, & desumitur ex D. Thom. 1.2. *quæst*. 76. *art*. 3. & habetur ex Cap. *Si Beneficia*. De *præbendis in* 6. Cum enim quis dat operam rei illicitæ, non vult ipsam vt causam ignorantiæ, neque vult ipsam ignorantiam. Ergo si adhibetur sufficiens diligentia, ignorantia erit inuincibilis.

9 Obijcies. Si quis dat operam rei illicitæ, ex qua sequatur homicidium, incurrit irregularitatem, ergo licet homicidium sequatur ex ignorantia, erit culpabile. Resp. Negatur consequentia. Quia pæna irregularitatis non est posita, quia homicidium sit culpabile, sed quia dat operam rei illicitæ non absolutè, sed sub conditione, si videlicet sequatur homicidium.

An ignorantia causet inuoluntarium.

SECTIO II.

10 Dico primò. *Ignorantia antecedens causat inuoluntarium, quatenus facit, quod affectus sit contra voluntatem interpretatiuam, quàm quis haberet præcisa ignorantia*. Intelligitur autem de effectu secundum illam partem, quæ ignoratur. Ita Aristoteles 2. *Eth*. *cap*. 1. & D. Thom. 1.2. *quæst*. 6. *art*. 8. & communiter. Probat. Ignorantia tollit principium voluntarij, nempe cognitionem. Ergo causat inuoluntarium.

11 Obijcies. Ignorantia antecedens non inualidat contractum, vt si quis emat rem vitiatam non empturus, si sciret vitium. Ergo non causat inuoluntarium, quia contractus est nullus, quando est inuoluntarius. Respon. Distin. consequen. Non causat inuoluntarium simpliciter, concedo: Secundum quid, & nego, & ideo contractus in dicto casu non est nullus, quia substantia contractus est directè voluntaria, & solum indirectè inuoluntariam rationem voluntatis interpretatiuę, & ideo potest per Iudicem rescindi.

12 Dico secundò. *Ignorantia antecedens causat in voluntarium directè, quatenus actus stat sub illa determinatione, quam habet ex eo, quod excludatur scientia opposita*. Ita Caiet. 1.2. *quæst*. 76. *art*. 1. Suarez *disp*. 4. *de voluntario*. *sect*. 2. Probatur. Ignorantia antecedens occultat motiuum, per quod voluntas retraheretur a prosequutione obiecti. Ergo facit, quod actus sit voluntarius suo modo. Sic bibens vinum nesciens illa die prohiberi, ille voluntariè bibit, quia ignorantia facit, quod bibere appareat licitum.

13 Dico tertiò. *Ignorantia concomitans vincibilis non tollit voluntarium, si aliàs adsit*. Probatur. Hæc ignorantia est voluntaria aut in se, aut in causa. Ergo non immutat actum in ratione voluntarij.

14 Dico quartò. *Ignorantia concomitans inuincibilis reddit actum in voluntarium secundum id, quod ignoratur*. Ita D. Thom. 1.2. *quæst*. 6. *art*. 8. Probatur. Quando affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis. Ergo cum cognitio sit causa voluntarij, ignorantia erit causa non voluntarij.

15 Dico quintò. *Actus externus cum ignorantia concomitante, quatenus ignoratur non est voluntarius, & si antecesserit explicita volitio de ipso, sed tantum est volitus respectu voluntatis antecedentis*. Desumitur ex D. Thom. 1.2. *quæst*. 6. *art*. 8. Probatur. Quod ignoratur, non procedit à principio intrinseco cum cognitione, cum non prouenit à voluntate, nisi secundum quod cognoscitur. Nec prouenit ab actu antecedenti, quia talis actus non mouet ad exequutionem. Ergo non est voluntarius.

16 Dices. Esse virtualiter voluntarium ratione præcedentis volitionis, nam si quis v.g. intendat occidere inimicum, decernit amplecti omnia, quæ conducunt ad occisionem; vnde si iaculetur sagittam putans se occidere feram, & occidat inimicum, occisio erit ipsi voluntaria. Contra: Quando voluntas decernit amplecti omnia media, vult illa amplecti, quatenus conducunt ad finem; non possunt autem amplecti vt talia, nisi cognoscantur vt talia.

17 Dico sextò. *Ignorantia consequens causat in voluntarium secundum quid, quatenus remouet aliquod principium voluntarij, atque adeo causat etiam voluntarium non simpliciter, sed secundum quid*. Ita D. Thom. *citatus*, & communiter. Probatur. Secundum quod ignoratus actus ex vno capite procedit à principio intrinseco; quatenus scilicet procedit in virtute ignorantiæ, quæ est volita; & ex alio capite non procedit, quatenus scilicet procedit à voluntate stante tali ignorantia, ita vt non procederet, si adesset cognitio. Ergo secundum quid est voluntarius, & secundum quid non est voluntarius.

18 Dices. Ignorantia affectata est expressè volita vt causa effectus, qui inde consequitur. Ergo non facit voluntarium secundum quid. Respondetur. Negando consequentiam. Nam adhuc quod sequitur, non præcognoscitur, & ideo habet aliquam rationem inuoluntarij.

19 Ex dictis colligitur. Ignorantiam affectatam aliquando augere voluntarium, quia supponit in voluntate magnam inclinationem, ratione cuius est volita ignorantia, & hoc est id, quod vult D. Thom. 1.2. *quæst*. 76. *art*. 3. Aliquando etiam non augere, si nimirum sit volita non ex fine operationis, sed ex alio fine. Ex alio tamen capite minuere voluntarium, quia minuit cognitionem, vt notat D. Bonauent. *in* 2. *dist*. 22. *p*. 2. *art*. *p*. *quæst*. 3.

20 Quæres. An possit dari inconsideratio inuoluntaria in ordine ad præsentem voluntatem, ita vt voluntas velit operari absque consideratione. Respondetur affirmatiuè cum D. Thoma 1.2. *quæst*. 24. *art*. 7. *ad* 1. quia potest in vniuersali offerri voluntati, quod sit considerandum, & potest voluntas nolle considerare; Et tunc quod sequitur ex tali inconsideratione erit voluntarium, vt autem inconsideratio sit voluntaria debet intellectus hic, & nunc posse applicari ad considerandum, atque adeò debet interuenire aliqua actualis cogitatio proponens montium, vt voluntas possit applicare intellectum.

An Metus causet inuoluntarium.

SECTIO III.

21 Metus ex Aristotele 2. *Rethor*. *cap*. 5. est ægritudo summi perturbatio orta ex cognitione mali iminentis. Est autem duplex; alius, qui cadit in virum constantem, & est ille, qui rationabiliter mouet voluntatem, vt cum eligitur minus malum ad vitandum maius. Alius verò qui non cadit in virum constantem; Vir autem constans est ille, qui est medius inter timidum, & audacem.

22 Supponendum est. Aliud esse fieri cum metu, & aliud fieri ex metu. Primum dicit, quod metus non sit causa opera-

operationis, sed concomitanter se habeat. Secundum dicit, quod metus moueat ad operandum, pro quo requiritur quod non perturbet vsum rationis, alioquin operatio non esset libera; Et quod id, quod fit ex metu, sit contra inclinationem elicita voluntatis, atque adeò interueniat actus oppositos ex diuerso motiuo circa idem obiectum.

23 Dico primò. *Quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria.* Ita Aristoteles 3. *Eth. cap.* 1. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 6. & D. Aug. *cap.* 31. *de spiritu, & littera*, & *epist.* 49. Probatur: Quæ proueniunt simpliciter à principio intrinseco cum cognitione, sunt voluntaria; talia autem sunt, quæ fiunt ex metu, ergo Min. Probatur. Nam voluntas amplectitur id, quod displicet, atque adeò vult, quod cognoscit.

24 Dico secundò. *Quæ fiunt ex metu habent admixtam aliquam rationem inuoluntarij.* Probatur. Non sunt ex se eligibilia, sed tantum ad vitandum maius malum, & sunt contra inclinationem elicitam volūtatis, ergo ex hoc capite habent aliquam rationem inuoluntarij.

25 Ex his colligitur. Non licere ratione metus, quantumuis maximi committere, quæ sunt intrinsecè mala, vt docet Diuus Augustinus 1. *de Ciuit. cap.* 16. & habetur ex cap. *Quisquis* 11. *quæst.* 3. & ex cap. *Omne genus* 22. *quæst.* 2. Ratio est. Quia metus non tollit ab ipsis intrinsecam malitiam. Vnde, cum sint voluntaria, quæ fiunt ex metu, contrahitur malitia, quando tamen ea, quę prohibentur, non sunt intrinsecè mala, aut quæ præcipiuntur, non sunt absolutè necessaria, si quis controueniat ex graui metu, non peccat, quia lex non obligat cum tanto discrimine.

An concupiscentia augeat, vel minuat voluntarium.

SECTIO IV.

26 NOmine Concupiscentiæ intelligitur quilibet actus, quo appetitus versatur circa bonum delectabile; quia autem hæc concupiscentia est aliquando ita vehemens vt tollat vsum rationis, & libertatem, vt notat Aristoteles 2. *Ethic. cap.* 11. Ideò quæstio non procedit de ipsa; sed solum de ea, quę relinquit libertatem. Est autem duplex, Antecedens, quæ facit vt voluntas operetur, & subsequens, quæ causatur ex actu voluntatis quæ non potest augere, vel minuere voluntarium, siquidem ipsum supponit.

27 Supponendum est. Concupiscentiam causare voluntarium quatenus facit, quod voluntas feratur in obiectum concupiscentium; cum enim inclinet animam in obiectum appetitus, & anima sit principium radicale talis inclinationis, atque adeo se inclinet vitali modo in obiectum, facit, quod etiam voluntas se inclinet; quia quando anima se mouet vitali modo, vouet etiam vt principium radicale omnes potentias.

28 Prima sententia asserit, concupiscentiam augere voluntarium, quia facit, quod feratur in obiectum maiori inclinatione, & minuere liberum, quia minuit cognitionem. Ita Medina. 1. 2. *quæst.* 7. *art.* 7. Salas *tract.* 3. *disput.* 3. *sect.* 3. Aluar. *disp.* 40. Suarez *disp.* 3. *de voluntario sect.* 3. & alij.

29 Secunda sententia asserit, minuere tam voluntarium, quàm liberum. Ita Conrad. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 7. Vasquez *disp.* 28. *cap.* 2. Lorca *disp.* 5. *de actibus humanis.* Montesin. *disp.* 10. *quæst.* 10. & alij.

30 Dicendum est. *Concupiscentiam minuere formalem rationem voluntarij, & etiam liberi.* Prob. Potest concupiscentia tollere libertatem, & perfectum voluntarium, ergo potest etiam minuere. Conseq. probatur quando nō est adeò vehemens vt perturbet vsum rationis, potest minuere cognitionem, ergo etiam rationem voluntarij, & liberi cum dependeat à cognitione.

31 Dices. Minuere cognitionem, quatenus proponit obiectum cum indifferentia; non autem quatenus concurrit ad voluntarium. Contra. Concupiscentia facit, vt cognitio quę concurrit ad voluntarium, proponat obiectum imperfecto modo, quia cum sit obtenebratam, non benè penetrat appetibilitatem obiecti, ergo minuit, prout concurrit ad voluntarium.

32 Obijc. Concupiscentia potest esse causa voluntarij, quatenus ratione obiecti mediante cognitione mouet voluntatem, ergo potest etiam ipsum augere. Respond. negando consequentiam. Quia mouendo voluntatem obscurat cognitionem, & ideo minuit, non autem auget voluntarium.

33 Obijc. secundò. Intentio circa finem auget voluntarium circa media, ergo etiam concupiscentia ipsum auget. Respond. disting. anteced. Auget voluntarium, quando augetur cognitio; secus autem, si non augeatur. Nam tunc solum facit, quod voluntas intensius tendat in media.

34 Obijc. tertiò. Habitus auget voluntarium, ergo etiā concupiscentia Respond. Negand. Conseq. Quia habitus non minuit cognitionem, & est intrinseca perfectio voluntatis inclinatiua ipsius. Concupiscentia autem minuit cognitionem.

35 Ex dictis colligitur. Quod concupiscentia non auget voluntarium quando facit, quod voluntas intensius feratur in obiectum, quia ex eo, quod actus sit intensior, non sequitur, quod cognitio sit perfectior; atque adeo nec quod voluntarium sit magis perfectum in ratione voluntarij, cum perfectio ipsius dependeat à perfectione cognitionis.

An Concupiscentia causet inuoluntarium.

SECTIO V.

36 CErtum est. Non posse causare inuoluntarium simpliciter, cum faciat, quod voluntas proprio actu tendat in obiectum: vnde difficultas procedit de inuoluntario secundum quid.

37 Prima sententia est affirmatiua. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 7. *ad* 1. Medina, & Pelantius *ibidem.* Montesin. *disp.* 10. *quæst.* 9. Vasquez *disp.* 23. *cap.* 4. Salas. *tract.* 3. *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 52. Suar. *disp.* 3. *de voluntario, sectio n.* 4. & alij. Probatur Aristoteles 3. *Eth. capit.* 1. ait Ridiculum esse, quod ea faciamus inuiti, quando turpia sunt, quæ facimus ex cupiditate, vel ira, ergo concupiscentia non causat inuoluntarium secundum quod secundò. Cum quis operatur ex concupiscentia, nulla interuenit tristitia, ergo neque inuoluntarium. Tertiò. Ideò, quod fit ex metu, est aliquo modo inuoluntarium, quia secundum se non est bonum; quod autem fit ex concupiscentia, est secundum se delectabile, ergo. Quartò. Si fieret sine concupiscentia, esset absolutè voluntarium, ergo etiamsi fiat cum concupiscentia, quia concupiscentia facit, quod voluntas inclinetur in obiectum.

38 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Angestus *cap.* 3. *text.* 5. Lorca 1. 2. *q.* 6. *artic.* 7. Rainaudus *in morali discipl. dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 62.

39 Dico primò. *Concupiscentia potest causare inuoluntarium secundum quid in ordine ad media, quatenus facit, quod voluntas eligat ea, de quibus habet aliquam inefficacem displicentiam.* Probatur. Actus inefficax potest stare simul cum absoluto opposito, & potest voluntas ex eo, quod ratione concupiscentiæ velit aliquid delectabile, eligere medium cum aliqua tristitia, vt cum auarus ob aliquid delectabile erogat pecuniam, ergo tunc electio medij erit contra aliquem actum voluntatis, atque adeo inuoluntaria secundum quid.

40 Dices. Superari simplicem affectum, quando voluntas absolutè se determinat. Contra. Licet superetur, non tamen aufertur, vt experientia patet, ergo adhuc electio medij est contra affectum voluntatis.

41 Dico secundò. *Concupiscentia potest per accidens causare*

causare inuoluntarium, secundum quid respectu boni concupiti. Probatur. Bonum delectabile, vt tale, potest mouere voluntatem ratione concupiscentiæ ad actum efficacem; vt autem dissonum rationi potest causare aliquam simplicem displicentiam. Vnde cum quis peccat ex concupiscentia, multoties experitur remorsum conscientiæ, quia displicet obiectum ex eo, quod sit turpe. Ergo tunc prosequutio obiecti delectabilis erit contra simplicem displicentiam, ergo inuoluntaria secundum quid.

42 Dices simplicem displicentiam, & absolutam voluntatem pugnare ad inuicem, quando voluntas iucundè amplectitur obiectum. Contra. Ex eo, quod voluntas iucundè amplectatur obiectum, nihil aliud dicit, quàm absolutam complacentiam; hæc autem non pugnat cum displicentia inefficaci, vt experientia patet.

43 Dices secundò. Hoc non prouenire ex admixtione voluntatij, sed ex habitu contrario. Contra. Vndecunque proueniat, voluntas habet actualem remorsum conscientiæ, atque adeo displicentiã, ergo adest ratio inuoluntarij.

44 Dices tertiò. Illam displicentiam non esse simul, sed ante, vel post. Contra. Dum quis actu peccat, cognoscit, quod relinquit bonum honestum, & amplectitur turpe, ergo potest simul habere simplicem displicentiam. Vnde experitur voluntatis renitentiam, qua nollet peccare.

45 Dices quartò. Iucunditatem absorbere tristitiam, & displicentiam. Contra. Aliquando displicentia reddit dubium peccantem, an debeat peccatum continuare, ergo non absorbetur, sed remanet actu.

46 Dices quintò. Hanc displicentiam non esse de obiecto delectationis; sed de malo futuro. Contra. Displicet ipsum malè agere, & remorsus conscientiæ consurgit, quia obiectum delectationis est turpe. Ergo est de ipso obiecto delectationis.

47 Dices sextò. Cum quis operatur cum remorsu conscientiæ, ideo sentire remorsum, quia nollet Dei offensam, non autem quod displiceat delectatio secundum se. Contra. Delectatio inuoluit intrinsecè, & inseparabiliter offensam Dei, ergo si displicet offensa, displicet etiam delectatio.

48 Ad primum neg. Conseq. quia Aristoteles solum vult, quod ea, quę fiunt ex concupiscentia, non sint ab inuito, quia sunt absolutè voluntaria, nec interuenit coactio; non autem, quod non habeant admixtum aliquid inuoluntarij. Ad secundum neg. conseq. vt constat ex dictis. Ad tertium neg. conseq. Nam sicut, quod fit ex metu, est inuoluntarium secundum quid, quia secundum se est malum, & est solum volitum ex metu. Sic etiam, quod fit ex concupiscentia, quia est malum turpe, & solum est volitum ad indulgendum cupiditati, est inuoluntarium secũdum quid. Ad quartum neg. Conseq. Quia Concupiscentia causat inuoluntarium secundum quid per accidens, quatenus supponit simplicem appetitum in oppositum, quo præuiso nulla aderit ratio inuoluntarij.

DE MOTV CREATVRAE Intellectualis in finem, seu de intentione, & fruitione, &c.

DISPVTATIO XVI.

An Creatura intellectualis moueatur libero modo in finem.

SECTIO I.

1 PRima sententia est negatiua. Ita Caietan. 1. 2. *q. 9. a.t.4.* & *quæst. 10. art. 2.* Conrad. *ibidem*. Ferrar. *1. Contra gentes capitul. 32.* Capr. *in 2. distinct. 24. quæst. 1. artic. 3. ad 8.* Montes. 1. 2. *disp. 13. quæst. 9.*

2 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Henric. *quodlib. 11. quæst. 26.* Scotus *quodlib. 21.* Raynaud. *in moral. discipl. dist. 2. quęst. 2. num. 174.* & desumitur ex Diuo Thom. *in 2. dist. 18. art. 2. ad 5.* & *quæst. 10. de potentia articul. 2. ad 1.*

3 Dico primò. *Voluntas non tendit in finem simpliciter vltimum propositum vt talem cum indifferentia.* Ita Aristoteles 3. *Eth. cap. 2. & 3.* Vbi docet Causalitatem esse tantum de medijs, non autem de fine, vbi autem non est consultatio, nec etiam potest esse indifferentia. Probatur. Indifferentia liberi arbitrij requirit indifferentiam in obiecto. Finis autem simpliciter vltimus non habet indifferentiam, cum sit summa beatitudo, in qua voluntas vltimò quiescit.

4 Dico secundò. *Voluntas tendit libero modo quoad prosequutionem, in finem etiam simpliciter vltimum.* Desumitur ex D. Aug. *cap. 105. Enchir.* vbi docet, quod voluntas, qua volumus esse Beati libera est. Probatur. Ille actus est liber, qui fit cum volumus, vt docet D. August. *lib. 3. de liber. arb. cap. 3.* Sed tendimus in finem, quia volumus; nam voluntas se mouet ab intrinseco ad ipsum amandum, et dominatiuo modo se habet supra suum actũ, ergo actus est liber. Confirmatur. Id maximè est liberum, quod maximè delectat, siquidem voluntas ratione delectationis inclinatur ex se ipsa in obiectum. Vnde August. *tract. 41. in Io.* ait. *Delectet te, & liber es; ibi enim sumus veraciter liberi, vbi non delectamur inuiti.* Sed maximè delectamur fine, & media amplectimur solum propter finem, ergo tendentia in finem est libera. Vnde August. *tr. 101. in Io.* loquens de fructu contemplationis beatæ, ait. *Solus est enim liber, quoniam propter se appetitur, & non refertur ad aliud.* Confirmatur secundò. Medium eligitur ex aliqua necessitate, quia nimirum non possumus assequi finem absq; ipso; finis autem amplectimur absque vlla necessitate, ergo tendentia in finem est magis libera, quàm tendentia in medium. Hinc D. August. in Psal. 134. *Necessitas coegit te facere donum, non libera voluntas; satis vestem, quia si non faceres, nudus ambulares; ad faciendam ergo vestem necessario duceris, non libera voluntate.*

5 Dico tertiò. *Circa fines, qui non sunt simpliciter vltimi, liberum arbitrium versatur cum indifferentia.* Probatur. Proponuntur cum motiuo, ratione cuius possunt respui, & acceptari, ergo cum motiuum habeat indifferentiam, etiam ex parte voluntatis aderit proportionata indifferentia.

6 Obijc. Voluntas ante primum actum est pura potentia respectu volitionum, ergo debet reduci in actum ab extrinseco motore, quia nihil potest se ipsum reducere de potentia ad actum, ergo talis actus non erit liber, ergo nec tendentia in finem, siquidem primus actus voluntatis est tendentia in finem. Respondetur negãdo assumpt. quia licet voluntas sit in potentia in ordine ad suas volitiones, non est tamen pura potentia. Nam dicit in actu suam virtutem operatiuam, ratione cuius potest se ipsam mouere, & reducere ad actum.

Quid sit intentio.

SECTIO II.

7 PRimus actus, quo voluntas fertur in finem, est intentio, quæ est quædam tendentia, qua creatura intellectualis se mouet ad suum terminum. Difficultas autem est, quinam actus sit.

8 Prima sententia vult esse actum intellectualis. Ita Durand. apud Capr. *in 1. dist. 1. quæst. 1. articul. 2.* Probatur: Intentio est oculus. Matth. 6. ergo consistit in actu intellectus.

9 Secunda sententia asserit, esse actum voluntatis. Ita Scotus *in primo distinct. 38. quæst. 1.* Dur. *quæst. 2.* Richard.

chard. *art*.3. *dub*.1. Vasquez 1.2. *disp*. 40. *cap*. 1. Aluar. *quæst*.12. *art*.1. Lorca *ibid*. Suarez *disp*.6. *de voluntario sect*. 1. *num*.3. & alij.

10 Tertia sententia asserit. Compleri per actum intellectus, & voluntatis. Ita D. Bonauent. *in* 2. *dist*.38. *art*.2. *quæst*. 2.

11 Dico primò. *Intentio non potest saluari sine actu voluntatis*. Probatur. Intentio respicit finem sub ratione acquisibilis, cum sit motus creaturæ intellectualis ad proprium terminum, ergo est actus voluntatis, siquidem finis est obiectum proprium voluntatis.

12 Dico secundò. *Intentio completur per iudicium practicum vltimò conclusiuum*. Prob. Intendere finem est se ordinare in finem, atque adeo ponere illum ordinem qui est inter naturam intellectualem, & ipsum finem, ergo intentio importat etiam actum intellectus. Conseq. probatur: voluntas mouet tantum inclinando, & impulsiuo modo ponit ordinem; intellectus autem determinat ipsũ ordinem, quatenus ipsum exprimit in proprio actu, ergo

13 Ad fundam. primæ sententiæ dist. ant. Intentio est oculus ratione iudicij, in cuius virtute eligitur, quatenus nimirum tale iudicium respicit finem; non autem formaliter, quatenus est ipse motus in finem.

14 Ex dictis colligitur. Intentionem non solum versari circa finem simpliciter vltimum, sed etiam circa intermedios, quia est quædam transmissio Creaturæ intellectualis ad proprium quietatiuum; vnde potest terminari ad omne id, quod potest aliquo pacto quietare voluntatem, vt notat D. Thom. 1. 2. quæst.12. art. 2.

15 Collig. secundò. Intentionem esse propriam naturæ intellectualis, quia respicit finem sub ratione finis, qui nõ potest esse obiectum brutorum, vt docet Diu. Thom. *eadem quæst*. *art*. 5.

16 Collig. tertiò. Intentionem distingui à simplici volitione, quia hæc versatur circa finem secundum se. Intentio verò circa finem sub ratione acquisibilis.

17 Colligitur quartò. Intentionem differre à desiderio, & spe; quia desiderium, & spes possunt immediatè attingere ipsa media, nam possunt proponi vt bona in ordine ad finem, & vt assequenda dependenter ab aliena voluntate. Intentio verò non potest versari circa media, nisi per se primò tendat in finem.

An intentio sit idem actus cum electione.

SECTIO III.

18 PRima sententia asserit, intentionem semper realiter distingui ab electione. Ita Arimin. *in* 1. *distinct*.1.*q*.1.*art*.2. Martinez 1.2. *quæst*.4. *artic*.1. *dub*.2. Vasquez *disp*.53.*capitul*.2. Qui tamen *capitul*.3. ait posse eodem actu appeti finem, & media quando alterum ipsorum se habet in recto, & alterum in obliquo. Probatur. Intentio est causa electionis; causa autem, & effectus realiter distinguuntur, ergo. Secundò. Cognitio principiorum est semper realiter distincta à cognitione conclusionis, ergo etiam intentio finis ab electione mediorum, quia sicuti se habent principia ad conclusiones, sic se habet intentio finis ad electionem mediorum. Tertiò. Si non distinguerentur realiter, nec etiam distinguerentur formaliter; hoc autem implicat, ergo. Seq. prob. In tantum distinguerentur formaliter, in quantum vna diceret ordinem ad finem, & altera ad media; hoc autem non sufficit, quia vterque respectus includitur tam in electione, quam in intentione, quando realiter distinguntur.

19 Secunda sententia asserit esse semper eumdem actũ. Ita Conrad. 1.2. *quæst*.8. *art*.3. Bassolis *in* 2. *dist*.28. *quæst*. *vnica*, *articul*. 2. Dur. *dist*. 38. *quæst*. 3. Hurt. *disp*. 14. *de anima sect*.3.

20 Tertia sententia asserit, aliquando distingui realiter, aliquando verò esse eumdem actum. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst*.12. *art*.4. Medina *ibid*. Capr. *in* 2. *dist*. 1. *quæst*. 1. *art*.3. Ocham. *quæst*.1. *dub*.1. Gab. *dist*.38. *q*.1. *art*.3. *dub*. 2. Aluar. 1.2. *disp*.42. Lorca *disp*.16. *de actib. hum*. Suar. *disp*.8. *de voluntario sect*. 3. & alij.

21 Dico primò. *Intentio, & electio possunt esse actus realiter distincti*. Probatur: Intentio finis aliquando præcedit tempore electionem mediorum, vt cum proponitur finis, & non statim proponuntur media, sed intellectus consultat de ipsis, ergo tunc electio erit realiter distincta ab intentione.

22 Dices. Voluntatem tunc intendendo finem attingere media in confuso. Contra, ergo Intentio, & electio determinati medij distinguuntur realiter.

23 Dico secundò. *Eodem actu possunt attingi finis, & medium atque primò, & immediatè in ratione obiecti materialis. Ita vt finis, & media se habeant per modum vnius obiecti materialis*. Prob. Finis secundum suam vim motiuam mouet ad appetendum prout est assequibilis, ergo cum possibilitas assequutionis non sit in solo fine, sed etiam in medijs, quatenus est assequibilis per ipsa, mouebit ad appetendum se ipsum, & media per modum vnius assequibilis, ergo mouet ad attingendum seipsum, & media atque immediatè tanquam partes integrantes vnum obiectum materiale.

24 Dico tertiò. *Idem actus non potest esse simul intentio, & electio, ita vt importet proprias rationes formales ipsorum*. Probatur: Quando finis, & media attinguntur eodem actu, se habent per modum vnius obiecti stantis sub determinatione finis, ergo non potest in tali actu saluari ratio formalis intentionis, & electionis. Cõs. probatur. Talis est actus, quale est. Obiectum, ergo cum obiectum sit vnum sub vna ratione motiua, & specificatiua, nempe finis non potest refundere in actum, nisi vnicam determinationem formalem, nempe intentionis.

25 Ad primum concedit. totum Nam quando electio causatur ab intentione, distinguitur realiter, sed non semper causatur; siquidem, vt dictum est, possunt media attingi eodem actu, quo attingitur finis. Ad secundum dist. Anteced. Cognitio principiorum est realiter distincta à cognitione conclusionis, quando conclusio infertur ex principijs; secus autem, quando non infertur. Nam tunc potest attingi eodem actu, cum se habeat solum vt obiectum materiale. Ad tertium neg. sequella quia in actu, quo attinguntur finis, & media non est ratio formalis intentionis, & electionis, sed solum intentionis, nam media non determinant actum, cum se habeant materiali modo.

Quid sit fruitio.

SECTIO IV.

26 DIco primò. Fruitio non est actus intellectus, sed voluntatis. Ita Scotus *in* 1. *dist*. 1. *quæst*.3. Caiet. 1. 2. *quæst*.11. *artic*. 1. & communiter contra Sotum *in* 4. *distinct*. 49. *quæst*.1. *articul*.4. Probatur. Idem est obiectum fruitionis, & desiderij, ergo fruitio, & desiderium pertinent ad eamdem potentiam, desiderium autem pertinet ad voluntatem.

27 Obijc. ex Aug. *de moribus Ecclesiasticis*. *capitul*. 3. Frui est præstò habere, quod diligitur, habetur autem præsens per cognitionem, ergo. Respond. Frui esse præstò habere obiectum, non quomodocumque, sed vt satiatiuum atque adeo præsentia complexiua, qua voluntas illud complectatur: complectitur autem per actum voluntatis.

28 Obijc. Secundò. In Clementina *Ad nostrum*. De *Hæreticis*. Definitur requiri lumen gloriæ ad videndum, & fruendum Deo, ergo fruitionem non immediatè, sed mediatè ratione fundamenti, nempe visionis.

29 Dico secundò. *Actus intellectus, quo possidetur bonum, est ratio formalis, qua obiectum constituitur in statu proximo fruibilitatis*. Prob. In tãtum bonum est obiectum

ctum fruitionis, in quantum coniungitur cum fruente; sed ratione possessionis coniungitur, & possessio consistit in actu intellectus, quatenus trahit ad se obiectum. ergo

30 Dico tertiò. *Fruitio est amplexus quietatiuus voluntatis, quo complectitur bonum possessum*. Desumitur ex D. August. 10. *de Trinit. capit.* 10. vbi ait. *Fruimur bonis, in quibus voluntas propter se ipsam delectata conquiescit*. Probatur. Fruitio opponitur desiderio tanquam terminus viæ, ergo cum per desiderium tendamus in bonum, per fruitionem quiescimus in ipso.

31 Dico quartò. *In fruitione includitur formaliter ratio amoris in statu completo.* Ita Diuus Augustinus *lib.* 1. *de Doctrina Christiana cap.* 4. vbi ait *Frui est alicui rei propter se ipsam amore inhærere*. Probatur. Obiectum formale fruitionis est finis, vt finis, cum fruitio tendat in bonum, vt propter se expetibile; finis autem vt finis specificat actum amoris.

32 Ex his colligitur. Hunc amorem inuoluere rationem concupiscentiæ cum tendat in bonum fruentis; siquidem tendit in finem vt satiatiuum ipsius. Rursus habere etiam rationem amicitiæ, quando fruitio est perfecta, quia habet pro obiecto vltimum finem simpliciter, atque adeò ad ipsum omnia ordinat, & consequenter etiam ipsum amorem, quo amatur bonum fruentis.

Quodnam sit obiectum fruitionis.

SECTIO V.

33 Obiectum fruitionis simpliciter est solus vltimus finis, vt docet D. August. *lib.* 1. *de Doctrina Christiana cap.* 23. Quia fruitio importat quietem voluntatis, Voluntas autem solum simpliciter quiescit in vltimo fine. I'n finibus autem inter medijs datur fruitio imperfecta, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 11. *art.* 9. Quia fines intermedij dicunt imperfectum satiatiuum. Difficultas autem est, an non solum vltimus finis sit obiectum fruitionis, an verò etiam visio, qua possidetur vltimus finis.

34 Prima sententia vult, obiectum proximum fruitionis esse solam visionem beatam; Deum verò esse obiectum remotum. Ita Durand. *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 2. Probatur 3. *Ethic. cap.* 5. Delectationes sunt laudabiles, aut vituperabiles ratione operationum, ad quas consequuntur, ergo operatio est obiectum, cum ex obiecto sumatur laudabilitas. Secundò. Desiderium, & fruitio habent idem obiectum. Desiderium autem non fertur in Deum secundum se, sed in visionem, quia desiderium terminatur ad futurum. Tertiò. Fruitionis obiectum opponitur obiecto tristitiæ. Obiectum autem tristitiæ in damnatis est carentia visionis.

35 Secunda sententia asserit obiectum fruitionis esse ipsum Deum simul cum visione, itaut visio sit finis, *quo*, Deus autem finis, *qui*. Ita Capr. *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 2. Maior. *quæst.* 2. Vasq. 1. 2. *disp.* 15. *c.* 3. Montesin. *disp.* 15. *quæst.* 2. Lorca *disp.* 19. *de beatitudine*, & alij.

36 Tertia sententia asserit, solum Deum esse obiectum fruitionis, Visionem autem beatam esse solum conditionem. Ita Ocham. *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. Arim. *quæst.* 1. Gabr. *quæst.* 4. Scotus *ibidem*, & alij.

37 Dico primò. *Deus vt summum bonum est obiectum immediatum fruitionis.* Prob. visio non est id, quod attingitur, sed tantum se habet vt *quo*, ergo non tollit immediationem. Sic quando cognoscitur obiectum, immediatè cognoscitur, quia cognitio intermediat solum vt *quo*.

38 Dico secundò. *Obiectum adæquatum fruitionis est ipse Deus*. Prob. Deus est adæquatum satiatiuum voluntatis, ergo adæquatum obiectum fruitionis. Cons. prob. Fruitio est quies, ergo respicit quietatiuum vt specificatiuum.

39 Dico tertiò. *Visio beata concurrit in genere obiecti ad constituendum summum bonum in statu proximo fruibilitatis*. Prob. Ideo obiectum est proximè fruibile, quia se communicat fruenti secundum propriam bonitatem. Sed visio beata est ratio finalis, qua se communicat. ergo

40 Ad primum. Delectationes esse laudabiles, vel vituperabiles ratione operationis à posteriori, non autem tanquam ex specificatiuo, quatenus ex operatione cognoscitur, quod nam sit obiectum delectationis. Ad secūdum desiderium, & fruitionem habere idem obiectum, sed nō in eodem statu, & ideo desiderium respicit obiectum absens, non quoad existentiam, & realem præsentiam; sed quoad communicationem propriæ bonitatis, fruitio verò respicit obiectum præsens quoad ipsam communicationem. Ad tertium neg. min. Nam Damnati non tristantur de priuatione visionis beatæ, sed de miseria, quæ consurgit ex priuatione summi boni; & ideo obiectum tristitiæ est summum bonum amissum; atque adeò obiectum gaudij, & fruitionis erit summum bonum communicatum secundum propriam bonitatem.

Quid sit delectatio, & Gaudium.

SECTIO VI.

41 Prima sententia asserit delectationem non esse actum, sed passionem causatam ab obiecto. Ita Scotus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 3. Bassolis *quæst.* 2. *art.* 1. Mayron. *quæst.* 2. Probant. Eadem est ratio de delectatione, & tristitia; tristitia autem est passio, quia non est volitio, cum non sit de his, quæ volumus; nec nolitio, nam Deus, & Beati habent nolitiones, & tamen non tristantur. Secūdò. Tristitia non est in nostra potestate, ergo non est operatio voluntatis, quia operatio voluntatis est in nostra potestate, ergo nec etiam delectatio.

42 Secunda sententia vult, esse actum passiuum causatum, non ab obiecto, sed ab actu antecedenti, nempe ab amore. Ita Ocham. *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 3. Richardus *in* 4. *dist.* 4. *art.* 3. *quæst.* 3.

43 Tertia sententia docet, esse actum prouenientem effectiuè à voluntate. Ita Caiet. 1. 2. *quæst.* 31. *art.* 4. Medina. *quæst.* 3. *art.* 8. Ferrar. *1. cont. gent. cap.* 90. Arimin. *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. Durand. *quæst.* 1. Montes. 1. 2. *disp.* 15. *quæst.* 1. Aluarez. *disp.* 30. Vasquez *disp.* 14. *c.* 2.

44 Notandum primò. Voluntatem, quando mouetur ab obiecto, promere actū, quo producitur terminus, qui est inclinatio actualis, quia voluntas se inclinat ad complectēdum obiectum. Hic autem terminus in actu exercito est ratio, per quam voluntas perficitur bonitate obiecti, quæ mediante hoc termino, illi communicatur; siquidem per ipsum complectitur obiectum, et in se ipsa claudit participando eiusdem bonitatem.

45 Notandum secundò. Hunc terminum tribuere veluti suum effectum formalem, Quia autem continet complexiuo modo bonitatem obiecti, ideo illam refundit in voluntatem; & per talem refusionem voluntas afficitur, eo pacto proportionaliter, quo afficitur, quando primo mouetur ab obiecto. Hoc autem affici in eo consistit quod communicet conformatio sibi proportionata.

46 Notandum tertiò. Voluntatem ratione huius refusionis per conatum vitalem se figere in obiecto, & in illo quiescere, quod est illud vltimum, quod facit circa bonum possessum; nam per ipsum completur illa vnio, qua voluntas desiderat se copulare cum bono concupito, atq; adeò perfecta habetur quies.

47 Dico primo. *Delectatio formaliter consistit in illa refusione bonitatis in voluntatem, quæ fit ratione termini inclinatiui informantis voluntatem.* Prob. Delectatio causatur ab obiecto, vt est cōmunicatiuū propriæ bonitatis, ergo consistit in illa refusione. Antec. patet. Quia delectatio nō aliud dicit, nisi, quod appetitus benè afficiatur iuxta propriam inclinationem; per hoc autem benè afficitur, quod ipsi communicetur bonitas obiecti.

48 Dico secundò. *Delectatio se habet per modū vitalis passionis*

passionis communicatæ ab obiecto, prout est communicatum voluntati ratione termini inclinatiui informantis voluntatem. Probatur. Delectatio consistit in communicatione, quo delectabile, vt tale, se communicat appetitui, ergo consistit in passione vitali. Consequentia probatur. Talis communicatio fit per terminum vitalem informantem voluntatem. ergo

49 Dico tertiò. *Gaudium consistit formaliter in illa quiete, qua appetitus vnione perfecta vnitur cum obiecto concupito, atque adeo est posterius natura delectatione.* Probatur. Gaudium supponit bonitatem obiecti communicatam appetitui, cum sit circa bonum perfectè possessum, ergo supponit delectationem, quia delectatio consistit in communicatione, quo bonitas communicatur appetitui, ergo se habet per modum quietis; nam facta communicatione bonitatis voluntas est in suo termino, & cum sit potentia quietabilis, quiescit in ipso.

50 Dico quartò. *Gaudium non distinguitur ab amore prout est in termino, & in statu perfecto.* Est contra Suarez *disp. 7. de voluntario sect. 3.* Probatur. Gaudium respicit obiectum sub ratione boni, ergo sub ratione specificatiua amoris, ergo amor includitur in gaudio, ergo cum gaudium consurgat ex perfecta vnione voluntatis cum obiecto, erit amor in statu perfecto.

51 Si ad primũ primæ sententiæ distinguitur Minor. Tristitia est passio vitalis ex refusione mali in voluntatem; non autem quęcunque passio; & ideo etiam delectatio cõsistit in simili passione. Cum autem dicitur, quod omnis actus voluntatis est volitio, aut nolitio, debet intelligi de volitione, & nolitione secundum totam suam latitudinem, prout complectuntur omnem motum voluntatis. Omnis autem motus voluntatis non est in beatis, & Deo, quia dependet à conditionibus obiecti, quæ non habent locum respectu Dei, & Beatorum. Ad secundum negatur consequentia, & ad probationem falsum esse, quod omnis actus voluntatis sit in nostra potestate, vt patet in primis motibus.

52 Obijc. Delectatio est meritoria, vel demeritoria, ergo est actus voluntatis proueniens effectiuè à voluntate. Respond. neg. conseq. Quia sufficit, quod sit passio vitalis fundata in actu vitali, ratione cuius est meritoria, vel demeritoria.

DE MOTV NATVRAE intellectualis circa media, seu Consilio, electione, Consensu, Imperio, & vsu.

DISPVTATIO XIX.

Quid sit & quomodo procedat Concilium.

SECTIO I.

1 Consilium importat aliquam suasionem, qua suadetur aliquid faciendum: vnde importat actum intellectus, vt docet Nyssenus *lib. 5. Chilos.* D. Th. 1. 2. *quæst.* 14. *art.* 1. Sumitur autem vel in fieri, & est consultatio importans illum processum, quo intellectus procedit ad formandum dictamen præscribens modum operandi; vel in facto esse, & importat iudicium intellectus, quod sit regula operandi. Difficultas autem est, quomodo procedat.

2 Dico primò. *Consilium non importat essentialiter inquisitionem fundatam in ignorantia ex eo, quod intellectus habeat constantem cognitionem.* Ita D. Thom. *loco citat. ad secundum.* Probatur. In Christo fuit consilium, sicut etiam in Angelis, & tamen non fuit inquisitio fundata in ignorantia. ergo

3 Dico secundò, *Consilium in fieri importare essentialiter inquisitionem practicã, prout dicitur progressum ab vniuersalibus ad particularia, & formationem regulæ directiuæ operationis.* Ita Aristoteles *3. eth. capit. 3.* & Diu. Thom. *loco cit.* Probatur. Consilium versatur circa particularia agibilia habita ratione circumstantiarum, ergo cum circumstantiæ non cognoscantur in cognitione vniuersali, debet ex ipsa formari regula particularis.

4 Dico tertiò. *Consilium in facto esse non importare inquisitionem, sed solum iudicium adiectiuum.* Probatur. Consilium in fieri est motus intellectus tendens in cognitionem agendorum, ergo debet poni in termino completo. Non potest autem poni, nisi per iudicium, quo determinante iudicet, quid sit agendum, vel non agendum.

5 Colligitur. Consilium procedere resolutorio modo, seu ab effectu ad causam, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 14. *art.* 1. & communiter. Quia procedit à fine ad media; siquidem posita intentione finis cõsiderat media proportionata, pro acquisitione; vnde procedit ab eo, quod est causandum ad id, quod est causatiuum. Rursus non posse procedere in infinitum, vt docet D. Thom. *cit. quæst. art.* 6. nam incipit à termino, nempe à fine, & à principijs vniuersalibus, & clauditur ab alio termino, nempe ab eo, à quo potest incipere exequutio; & ideo tàm à parte ante, quam a parte post habet terminum.

6 Ob. Consilium procedit a fine ad media, ergo à causa ad effectum, quia finis est causa electionis. Respondetur. Procedere à fine, non vt a causa electionis; sed vt est acquisibilis, atque adeò causabilis per media.

Quodnam sit obiectum Consilij.

SECTIO II.

7 Consultationem esse tantum de ijs, quæ per nos fieri possunt, docet Arist. 3. *Eth. cap.* 3. & Diu. Thom. 1. 2. *quæst.* 14. *art.* 3. quia tendit ad formandam regulam agendorum. Non est tamen de omnibus, sed tantum de ijs, quæ sunt indeterminata, vt docet D. Thom. *art. septim.* Quia res determinatæ supponunt suam mensuram determinatam. Nec de præteritis, vt docet Arist. 6. *Eth. cap.* 2. Quia circa ipsa non potest esse operatio; nec de fine vt talis est, quia cum sit principium consultationis, non potest esse obiectum. Et licet possit esse de minimis, non tamen solet esse, quia minima non curantur, cum parum adiuuent, aut noceant circa assequutionem finis.

8 Dico primò. *De fine materialiter sumpto potest esse consultatio.* Probatur. Materia, in qua subsistit finis potest esse dubia, ergo de ipsa potest esse consultatio.

9 Dico secundò. *Quando consultatur de finibus non vltimis, quinam sit præferendus, tunc non habent rationem finis, sed medij.* Probatur. Finis in practicis est primum mouens, ergo, cum non possit exercere suum motũ, nisi intendatur, non potest inquiri, quinam finis sit præferendus nisi præsupponatur intentio alterius finis, vnde proueniat talis motus.

10 Dico tertiò. *Consilium in facto esse requiritur ad omnem electionem.* Probatur. Quælibet electio debet fieri secundum mensuram rationis; hæc autem mensura est consilium in facto esse.

Quid sit electio.

SECTIO III.

11 Nomine electionis, quæ sequitur ad consilium, intelligitur acceptatio vnius præ alio, vt docet Damasc. *lib. 2. de fide cap.* 22. vnde dicitur de intellectu, quando assentitur vni opinioni in comparatione alterius;

& etiam de voluntate quando vnum anteponit alteri. Difficultas est, in quonam actu consistat.

12 Prima sententia vult, esse actum solius voluntatis. Ita Caiet. 1. 2. *quæst.* 13. *articul.* 1. Vasquez *disp.* 41. *cap.* 2. & alij. Probatur, Habitus elicitiuus electionis est virtus moralis ex *Eth.* 6. *cap.* 2. Virtus autem moralis pertinet ad solam voluntatem. Secundò. Totale obiectum electionis est bonum, ergo electio pertinet tantum ad voluntatem.

13 Secunda sententia asserit coalescere ex actu intellectus, & voluntatis. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. vbi docet. Quod sicut homo constat ex anima, & corpore, ita electio ex actu rationis, & voluntatis.

14 Dico primò. *Electio importat actum voluntatis.* Probatur. Tum quia ex motu animæ intellectualis in finem, & prouenit ex motione eiusdem finis; tum quia habet pro obiecto bonum sub ratione boni,

15 Dico secundò. *Electio requirit etiam actum intellectus ex quo coalescat.* Prob. Quando aliqua ratio reperitur in pluribus, quæ aliquo modo vniuntur, subsistit in ipsis prout vniuntur; sed ratio formalis electionis nedum est in actu voluntatis, sed etiam intellectus, & hi actus aliquo modo vniuntur, ergo. Minor Probatur. Etiam intellectus per suum iudicium vnum acceptat præ alio, & hoc iudicium vnitur cum actu voluntatis in ordine ad exequutionem finis. ergo

16 Dico tertiò. *In electione actus intellectus se habet per modum formæ*, respectu actus voluntatis. Probatur electio attingit media ordinando ad assequutionem finis, ergo cum actus intellectus importet præscriptiuo modo ordinem electionis, se habet vt forma determinans actum voluntatis.

17 Dices forma se habet principaliori modo, ergo si in electione actus intellectus est forma, electio erit principalius actus intellectus. Respond. dist. conf. erit principalius actus intellectus in ratione ordinis; non autem in ratione motus tendentis in finem, quia voluntas est illa, quæ se mouet secundum ordinem intellectus.

18 Ad primum disting. Anteced. Habitus elicitiuus electionis est virtus moralis, si electio consideretur, vt est motus in finem; secus si consideretur secundum ordinem. Ad secundum dist. Anteced. Totale obiectum est bonum vt ordinabile in finem; non verò vt pure appetibile; & ideo pertinet non solum ad voluntatem, sed etiam ad intellectum.

19 Colligitur electionem esse propriam creaturæ intellectualis, & nullo pacto conuenire brutis, vt docet Aristotel. 3. *Eth. cap.* 2. quia respicit media secundum ordinem ad finem, secundum quam rationem non attinguntur à Brutis.

Quodnam sit Obiectum electionis.

SECTIO IV.

20 CVm electio procedat ex intentione finis, debet dari aliquis finis, qui terminet primam intentionem, & non possit esse obiectum electionis; hic autem finis est Beatitudo in communi.

21 Prima sententia asserit non solum fines intermedios, sed etiam vltimum in particulari posse esse obiectum electionis. Ita Martinez 1. 2. *q.* 13. *art.* 3. Aluarez *disp.* 10. Probatur Luc. 10. Maria optimam partem elegit, nempe vitam æternam, & beatitudinem, vt explicat D. August. 1. *de Trin. cap.* 10, ergo vltimus finis in particulari potest esse obiectum electionis. Secundò. Visio beata, vt est beatitudo in particulari liberè amatur in via, ergo potest esse obiectum electionis.

22 Secunda sententia docet, vltimum finem in particulari secundum esse materiale posse esse obiectum electionis. Ita Medina 1. 2. *quæst.* 13. *ar.* 3. Lorca *ibidem.* Salas *tract.* 6. *disp.* 1. *sect.* 5. *quæst.* 3.

23 Tertia sententia asserit, electionem esse solum de medijs, & finibus particularibus, non verò de vltimo fine, etiam secundum esse materiale considerato. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 66. *art.* 3. *ad* 3. Vasq. *quæst.* 13. *art.* 3. Scotus *in* 3. *dist.* 39. *quæst.* 1.

24 Dico primò. *De finibus intermedijs materialiter sumptis potest esse electio.* Ita Aristoteles 6. *Eth. cap.* 12. vbi docet prudentiam præscribere finem virtutibus. Probatur. Fines intermedij secundum esse materiale sunt obiectum prudentiæ, & consultationis, ergo etiam electionis. Anteced. patet; quia prudentia determinat, quod hæc, & non illa sit materia virtutis. Conseq. etiam patet; quia obiectum electionis est idem cum obiecto consultationis.

25 Dico secundò: *De fine vltimo in particulari materialiter sumpto potest esse electio, quæ procedat ex recta ratione.* Probatur: Visio beata est id, quo creatura intellectualis beatificatur, ergo non potest esse obiectum electionis, cum sit vltimum, quod simul cum obiecto beatifico desideratur, atque adeo non potest de ipsa esse consultatio.

26 Dices. Posse eligi vt medium ad possidendum summum bonum. Contra. Medium eligitur vt causatiuum finis; visio autem beata etiam contradistincta à fine, non est causatiua ipsius, sed possessio eiusdem finis.

27 Dico quartò. *De fine vltimo in particulari secundum esse formale non potest esse electio.* Probatur. Finis vltimus est primum formale appetibile, ergo nō potest esse obiectum electionis; quia electio versatur solum circa id, quod est appetibile ratione alterius.

28 Ex his colligitur. Electionem posse esse de ijs omnibus, quæ habent rationem medij, nam sunt propter aliud, & supponunt intentionem finis, atque adeò sunt obiectum consultationis. Rursus, vt sint obiectum electionis, necesse est, vt aliquo modo sint in nostra potestate, vt docent communiter cum Aristotele 3. *Eth. capitul.* 2. & Diu. Thom. 1. 2. *quæst.* 13. *articul.* 4. quia cum intentio sit de fine acquisibili, & electio procedat ex intentione, est in ordine ad applicanda media pro acquisitione finis.

29 Ad primum primæ sententiæ distinguitur anteced. Maria elegit beatitudinem non in se formaliter; sed figura, nempe in vita contemplatiua. Ad secundum negatur conseq. Quia licet visio beata ametur liberè, non amatur tamen cum indifferentia, quando secundum se præcisè proponitur. Quando verò proponitur simul cum aliquo alio, tunc ratione ipsius potest esse obiectum electionis.

An electio sit libera.

SECTIO V.

30 CVm electio sit ex plena cognitione, certum est, esse liberam quoad modum tendendi. Rursus cum versetur circa obiecta indifferentia, est etiam libera libertate indifferentiæ; vnde solum difficultas est, an sit libera stante intentione efficaci finis respectu illius medij, quod est vnicum, aut saltem absolutè necessarium. Ratio dubitandi est, quia intellectus potest in quocunque medio reperire aliquam rationem mali, ergo voluntas potest non eligere. Secundò. Si esset necessaria, non fundaret nouum meritum, aut demeritum supra intentionem finis; vnde qui seruaret præcepta ex intentione placendi Deo, non mereretur per illam obseruantiam.

31 Dicendum est. *Stante intentione efficaci finis, electionem medij vnici, aut necessarij esse determinatam, nec posse non sequi, nisi cesset intentio finis.* Ita communiter cum Diuo Thom. prima secundæ quæstion. 13. artic. 6. ad primum & secundum. Probatur. Tale medium habet necessariam connexionem cum fine, itaut finis non sit acquisibilis, nisi per ipsum, ergo posita efficaci intentione

tione finis, ponitur electio ex necessaria sequella, quia, voluntas efficax est illa, quæ infert finem quantum potest, atque adeo etiam electionem medij necessarij.

32 Ad primam distinguitur conseq. Potest voluntas nõ eligere, si cesset intentio finis, itaut si malum reperitur in medio faciat cessare intentionem; secus autem, si perseueret intentio; vnde electio est necessaria non absolutè, sed ex suppositione. Ad secundam negatur seq Quia, vt electio sit meritoria; vel demeritoria, sufficit, quod sit absolute libera; talis autem electio, licet necessaria ex suppositione, est absolute libera, ne dũ quoad modũ tendẽdi, sed etiam quoad indifferentiam, quia potest voluntas nolens eligere cessare ab intentione finis.

An voluntas posit vnum eligere ex duobus æqualibus, aut ex inæqualibus minus bonum.

SECTIO VI.

33 PRima sententia est affirmatiua. Ita Caietan. 1. 2. *quæst.* 13. *art.* 6. Medina *ibidem*. Salas *tract.* 6. *disp.* 1. *sect.* 5. *quæst.* 8. Corneius *tract.* 5. *disp.* 4. *dub.* 4. Richardus *in* 2. *dist.* 38. *articul.* 2. *quæst.* 4. Maior *quæst. vnica* Ocham. *in* 3. *quæst.* 12. *propositione* 2. Suarez *disput.* 8. *de voluntar. sect.* 4. Probatur: voluntas ex D. Bernardo *de gratia, & lib. arb. post initium*, multa facit contra iudicium rationis. Ergo, etiam si iudicium non dictet, minus bonum esse eligendum, aut vnum ex duobus æqualibus, poterit voluntas eligere. Secundò. Maius bonum non necessitat voluntatem, ergo in comparatione ipsius voluntatis poterit eligere minus bonum. Tertiò. Deus ita creauit hunc mundum, vt potuerit facere alium æqualem, aut etiam meliorem, ergo etiam voluntas creata, cum sit quædam participatio Diuinæ voluntatis, poterit eligere æquale, aut minus bonum. Quartò. Sequeretur, si non posset eligere, quod voluntas semper determinaretur à iudicio rationis, quod dici non potest, quia cum iudicium sit necessarium tolleretur libertas.

34 Secunda sententia est negatiua. Ita Arim. *in* 1. *dist.* 40. *&* 41. *quæst.* 1. *articul.* 2. *ad* 1. Ferrar. 3. *contra gent. capitul.* 163. *in fine*. Conrad. 1. 2. *quæst.* 13. *articul.* 6. Aluarez *disput.* 14. Vasquez *disp.* 43. *cap.* 2. Pesant. *disput.* 2. & alij.

35 Notandum primò. Voluntatem esse appetitum vniuersalem, & habere pro obiecto bonum in communi, & ideo tendere potest in quodcunque bonum determinatum, quatenus continetur sub proprio obiecto. Ex hoc autem fit, quod nullum speciale bonum sit adæquatum, sed requiratur coadunatio omnium bonorum, in qua consistit Beatitudo obiectiua.

36 Notandum secundò. Voluntatem in prosequutione boni moueri, vt per ipsum satietur. Hic autem motus fit secundum determinationem, quam habet à proprio obiecto; vnde cum ab ipso determinatur, vt respiciat beatitudinem in communi, determinatur etiam, vt quoties moueatur, moueatur commensuratiuè ad hanc exigentiam.

37 Notandum tertiò. Aequalitatem, vel inæqualitatem boni debere attendi, non absolutè, sed habita ratione omnium circumstantiarum, nam electio fit singulis consideratis, itaut eligatur, quod hic, & nunc pensatis omnibus censetur commodum hinc quod secundum se est maius bonum, potest hic, & nunc censeri minus bonum, & econtra.

38 Dico primò. *Ex duobus bonis propositis per modum finis non potest voluntas eligere, quod hic, & nunc censetur minus bonum.* Desumitur ex D. Damasc. *lib.* 2. *de fide cap.* 22. vbi docet; Electionem esse semper de bono, quod videtur melius, & ex Aristotele 3. *eth. cap.* 2. vbi habet ea eligi, quæ videntur optima. Probatur: Voluntas est determinata ad Beatitudinem in communi, & non potest se auertere ab ipsa. Ergo nec etiam potest se auertere à maiori bono, vt prosequitur minus. Consequentia probatur: Si se auerteret, aliquo pacto se auerteret à Beatitudine in communi, quia ille excessus boni, quem relinqueret, esset aliquid de beatitudine in communi. Cõfirmatur. Voluntas non potest se mouere, nisi secundum principia practica; non autem contra ipsa, ergo non potest relinquere maius bonum, vt prosequatur minus. Antecedens patet. Quia debet moueri in virtute cognitionis directiuę, quæ importat dictamina vniuersalia, vt quod bonum sit prosequendum, quæ reducta ad particularia, dictant de eo, quod hic, & nunc est faciendum, & habent rationem mensuræ particularis. Conseq. probatur: Adest hoc notissimum principium, quod maius bonum est præferendum minori, ergo cum voluntas non possit contra ipsum operari, neque poterit stante iudicio de obiecto, quod hic, & nunc sit maius bonum, atque adeo præferendum illi, quod hic, & nunc est minus, amplecti, quod est minus relicto maiori.

39 Dico secundò. *Intellectione medij non potest eligi, quod hic, & nunc censetur minus bonum relicto maiori nisi forte excessus maioris bonitatis superaret exigentiã finis, & minus bonum adæquaret.* Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 13. *articul.* 6. *ad* 3. vbi docet, quod si aliqua duo proponantur, potest alterum eligi, si circa ipsum consideretur aliqua conditio, qua supereminеat. Probatur. Intentio finis est mensura electionis mediorum, itaut necessariò debeat fieri electio secundum talem exigentiam, ergo non potest eligi minus bonum in comparatione maioris; nam talis electio non esset secundum exigentiam finis, quia medium non esset sufficiens pro fine secundum illam mẽsuram, quam habet intentione.

40 Dico tertiò. *Propositis duobus obiectis omnino æqualibus habita ratione circumstantiarum non potest voluntas alterum eligere, nisi superueniat motiuum, ob quod potius eligatur.* Probatur. Ideo posset eligere, quia esset libera; sed ex hoc capite non potest, ergo. Minor probatur. Libertas voluntatis fundatur in ipsa, vt specificata per obiectũ, & non potest moueri, nisi moueatur ab obiecto, ergo non potest efficere nisi illas determinationes, ad quas mouet obiectum; posita autem æqualitate obiectorum, voluntas non mouetur potius ad vnum, quam ad alterum.

41 Dices. Determinari à bonitate obiectorum. Contra. Non potest se determinare ad vnum, nisi in virtute alicuius motiui, quod speciali modo moueat voluntatem, vt possit se determinare; sed stante æqualitate obiectorum non adest hæc specialis motio. ergo

42 Dico quarto. *Propositis duobus obiectis omnino æqualibus, si non sint incompossibilia, voluntas eliget vtrumque per modum vnius: si verò sint incompossibilia, neutrum eliget, quousque reperiat motiuum mouens potius ad vnum, quàm ad aliud.* Prima pars patet. Quia illa obiecta habent eamdem vim motiuam. Secunda probatur. In tali casu intellectus non posset iudicare, quod hoc potius sit eligendum, quam illud, ergo nec voluntas poterit eligere, ergo procedet vlterius inquirendo motiuum, vt vnum potius eligat, quia formanda est cognitio sufficiens pro directione voluntatis.

43 Dices. Ergo fieri poterit, quod non inueniat hoc motiuum. Resp. neg. conseq. Quia ex eo, quod obiecta sint incompossibilia, aliquam habent diuersitatem, & ratione huius diuersitatis semper aderit aliquod motiuum.

44 Ad primum negatur conseq. Quia D. Bernard. solum docet, quod voluntas possit facere aliquod contra rationem, nẽpe regulatam; non autem, quod possit operari sine præuio dictamine. Si autem eligeret minus bonum, aut æquale operaretur sine præuio dictamine, vt cõstat ex dictis. Ad secundũ neg. conseq. Quia licet maius bonum nõ necessitet voluntatẽ, electio tamẽ ipsius est determinata ex suppositione, quod alterum ipsorum sit eligendum; quia tamẽ libere eligit, ideo potest voluntas desistere ab omni electione. Ad tertium neg. conseq. Est enim desparatio de volũtate Diuina, & creata; nã creata prosequitur bonum

ex indigentia, & ideo se mouet secundum exigentiam indigentiæ,& cum indigeat adæquato satiatiuo, est determinata ad maius bonum. Diuina verò prosequitur bonum,non vt ipsum acquirat, sed vt communicet. Rursus voluntas creata mouetur ab obiecto extrinseco,et ideo debet ipsum attingere, vt est attingibile; vnde non potest præferre,quod non proponitur, vt præferendum, Diuina vero non supponit,sed facit obiectum, & ideo non debet commensurari attingibilitati ipsius. Præterea dubium est, an etiam voluntas Diuina possit velle, quod hic, & nunc est minus bonum, Ad quartum negatur sequella. Nam potest voluntas mouere intellectum ad inquirendum vlterius circa obiecta proposita, & formandum nouum dictamen, in cuius virtute operetur.

An voluntas semper eligat, quod efficacius proponitur.

SECTIO VII.

45 DIco primò, *Si propositio sit solum efficacior ex parte cognitionis, voluntas non semper sequitur, quod efficacius proponitur.* Prob. Cum quis operatur ex metu, tunc intellectus efficacius iudicat de opposito, & solum remissè proponit id, quod fit ex metu, & tamen voluntas non sequitur iudicium efficacius. ergo

46 Dico secundò. *Si propositio sit efficacior ex parte obiecti, voluntas semper illam sequitur.* Tunc autem est efficacior, quando obiectum existit in cognitione secundum maiorem vim motiuam. Probatur obiectum voluntatis debet esse motiuum ipsius, ita vt voluntas necessario debeat operari in virtute talis motionis; sed quando obiectum efficacius proponitur, non adest vnde voluntas se determinet ad sequendum, quod minus efficaciter proponitur, ergo. Min. probatur: Quia quod minus efficaciter proponitur, non ita mouet, vt faciat se ipsum præferri; quia ex natura sua habet, quod non possit præferri.

47 Dices. Obiectum voluntatis est tantum bonum; non autem quod efficacius proponitur, ergo potest sequi, quod minus efficaciter proponitur. Respondetur dist. Antecedens. Obiectum voluntatis est bonum quomodocunque nego; vt motiuum voluntatis concedo. Ex hoc autem, quod bonum vt motiuum sit obiectum sequitur, quod in electione comparatiua debeat eligi, quod magis mouet, atque adeo efficacius proponitur, quia præualet talis motio, & quod minus mouet, non se habet vt bonum, quia minus bonum in comparatione maioris habet rationem mali.

Quid sit Consensus, & quomodo se habeat ad Electionem.

SECTIO VIII.

48 COnsensus in præsenti sumitur pro illa conformitate, quæ est inter voluntatem, & iudicium rationis, & est duplex, passiuus, qui est ab extrinseca determinatione; & actiuus, quo voluntas liberè se determinat se accomodando iudicio rationis.

49 Supponendum est. Consensum esse proprie actum voluntatis, vt docent communiter cum D. Th. 1. 2. *quæst.* 15. *art.* 1. quia solus actus voluntatis conformatur iudicio rationis; non autem actus intellectus actui voluntatis: vnde intellectus loco consensus habet assensum, quo iudicatiuo modo amplectitur obiectum.

50 Supponendum secundò, Consensum non habere pro obiecto vltimum finem; quando enim propriè sumitur, supponit iudicatiuam sententiam intellectus, cui se accomodat, & ideo versatur solum circa ea, quę sunt obiectum talis sententiæ, atque adeò solum circa ea, quę aliquo modo habent rationem medij.

51 Prima sententia asserit consensum esse complacentiam de obiecto incomparatione alterius, atque adeò non distingui ab electione. Ita Vasq. 1. 2. *q.* 15. *ar.* 1. Prob. Consensus non potest extendi ad finem, extenderetur autem, nisi esset de vno medio præ alio.

52 Secunda sententia asserit, esse inefficacem voluntatem circa media; electionem vero addere supra consensum quandam efficacitatem, atque adeo aliquomodo distingui realiter. Ita Montesin. 1. 2. *disp.* 19. *quæst.* 1. Raynaud. *in moral. discipl. dist.* 3. *quæst.* 5. *num.* 227.

53 Tertia sententia docet, electionem distingui realiter à consensu, quando consensus versatur circa plura media. Ita Diuus Thom. 1. 2. *quæst.* 15. *art.* 3. *ad tertium*. Lorca *disput.* 19. *de actibus hum.* Comeius *tract.* 1. *disput.* 1. *dub.* 4. Suarez *disput.* 8. *de voluntate sect.* 2. *numer.* 5. & alij.

54 Dico primò. *Consensus non potest esse actus voluntatis inefficax.* Probatur. Consensus fertur in media, vt sunt obiectum consultationis, ergo vt exequutioni mandanda; quia consultatio concludit de medijs in ordine ad exequutionem, ergo est actus efficax, quia media vt exequutioni mandanda sunt obiectum actus efficacis.

55 Dico secundò. *Consensus in hoc distinguitur formaliter ab electione, quod electio respicit vnum præ alio consensus verò respicit media, vt ab intellectu approbata.* Probatur. Consensus de suo formali iudicio concordiam voluntatis cum intellectu; electio verò, quod vnum alteri præferatur; per id autem voluntas concordat cum intellectu, quod amplectatur id, quod intellectus iudicat amplectendum.

56 Colligitur ex dictis. Consensum, & electionem posse aliquando distingui realiter, cum intellectus approbat plura media, atque voluntas prius consentit in omnia; deinde aliqua tantum assumit pro assequutione finis.

57 Colligitur secundò. In omni actu voluntatis reperiri aliquam rationem consensus, quatenus semper voluntas sequitur, quod intellectus dictat esse sequendum. Propriè tamen reperitur solum in ijs actibus, qui sequuntur conclusionem consultationis.

58 Ad fundamentum primæ sententiæ, nagatur seq. Quia consensus propriè dictus sequitur sententiam consultationis, quæ non se extendit ad finem sed tantum ad media.

Quid sit Vsus.

SECTIO IX.

59 VSus importat motum voluntatis, quo mouet alias potentias ad operandum, vt docet Diuus August. *lib.* 10. *de Trinit. cap.* 10. & 17. Quando autem mouet ad operandum circa finem, est vsus impropriè; quãdo vero mouet circa media, est vsus propriè, vt docet idẽ Diuus August. *lib.* 17. *de Ciuit. cap.* 25. Est autem actus voluntatis, vt docent communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 12. *articul.* 1. contra Vasquez *disp.* 47. *capitul.* 2. Cum enim potentiæ subordinentur voluntati, debent ab ipsa applicari ad operandum, & ideo debet dari actus applicatiuus, qui est vsus. Difficultas autem est, quomodo se habeat in ordine ad electionem.

60 Prima sententia asserit, non distingui ab electione. Ita Vasquez 1. 2. *quæst.* 16. *art.* 4. Salas *tract.* 6. *disput.* 1. *sect.* 7. *num.* 5. & alij. Probatur. In Angelis non reperitur distinctio inter vsum, & electionem, ergo neque etiam in homine. Secundo. Quando Deus produxit mundum in tempore, non habuit nouum actum, qui fuerit vsus applicans potentiam exequutiuam, ergo

61 Secunda sententia asserit distingui, quando electio versatur circa media præcisis circumstantijs; secus autem quando simul attingit etiam circumstantias. Ita Suarez *disp.* 9. *de voluntar. sect.* 2. & alij.

62 Tertia sententia absolute asserit, quod distinguatur ab electione. Ita Caiet. 1. 2. *q.* 16. *art.* 4. Medina *ibidem* Montesin. *disp.* 20. *quæst.* 3. & communiter Thomistæ.

63 Dico

63 Dico primò. *Vsus est actus realiter distinctus ab electione, etiam si electio attingat circumstantias.* Probatur. Obiecta sunt diuersa. Ergo etiam actus. Anteced. patet. Quia electio respicit medium sub ratione vtilis; vsus verò habet pro obiecto exercitium exequutionis, seu media vt applicata exequutioni.

64 Dices. Electio efficax tendit in exequutionem, ergo. Respondetur distinguendo antecedens. Tendit in exequutionem mediante vsu, non autem immediatè, quia de se amplectitur media, vt ordinata in finem, non verò mandat exequutioni.

65 Dico secundò. *Vsus, & electio possunt esse aliquando idem actus.* Probatur. Exequutio vt ordinata ad finē, & vt stat sub actuali exercitio, sunt rationes subordinatæ; quę autem sunt subordinata, possunt vnico actu attingi per modum vnius obiecti.

66 Ad primum negatur assumptum. Nam etiam Angeli possunt in vno tempore eligere, & exequi in alio. Ad secundum distinguitur antecedens. In Deo non fuit vsus in ordine ad productionem mundi, qui non fuerit in ipso ab æterno, sicut etiam cæteri actus liberi, & nego. Qui fuerit in ipso de nouo, & concedo. Vnde non sequitur, quod non sit necessarius talis actus pro exequutione.

Quodnam sit obiectum vsus.

SECTIO X.

67 DIcendum est. *Omnia creata posse esse obiectum vsus.* Ita D. August. *qu.* 34. *ex* 83. & communiter. Probatur. Omnia creata ex natura sua sunt ordinabilia in Deum, & exigunt ordinari. Ergo possunt esse obiectum vsus; siquidem possunt habere rationem medij respectu vltimi finis.

68 Ex his colligitur, Deum secundum se non posse esse obiectum vsus, vt docet D. August. *lib.* 1. de doctr. Christ. *cap.* 33. Quia cum sit finis simpliciter vltimus, non potest esse aliquod ordinabile, & applicabile pro assequutione alterius, & si contingit aliquando ordinari ad aliud, non ordinatur ratione sui, sed ratione alicuius effectus ad extra.

69 Obijcies. Deus est nobis vtilis, quia causat nostra bona. Ergo potest esse obiectum vsus. Respondetur. Est nobis vtilis non secundum se, sed secundum aliquem effectum ad extra.

70 Obijcies secundò. Beatus vtitur Deo vt comprincipio ad producendam visionem beatam. Ergo est obiectum. Respondetur nego anteced. Quia non vtitur Deo, sed concursu obiectiuo; quod est verum; etiam si essentia diuina stet loco speciei impressæ, quia sine ipsa intellectus non esset principium completum; & ideo non posset vti diuina essentia, quia principium non vtitur se ipso, sed nec voluntas vtens hoc principio vteretur Deo secundum se, sed ratione intellectus beati, cum quo vniretur.

Quinam actus sit imperium.

SECTIO XI.

71 INter actus humanos reperitur imperiū, quo quis respiciens aliquam exequutionem illam intimat, vt experientia patet, & docet Aristoteles 3. *eth. cap.* 5. & solet explicari per illam intimationem, *Fac hoc*. Solum difficultas est, an sit actus intellectus, an verò voluntatis.

72 Prima sententia asserit, esse actum voluntatis, ita Henricus *quodlib.* 9. *qu.* 6. Durand. *in* 2. *dist.* 24. *qu.* 2. Ocham *in* 3. *qu.* 12. *art.* 4. D. Bonau. *dist.* 13. *art.* 1. *qu.* 1. *ad* 3. & alij. Probatur. Imperium pertinet ad potentiā dominatiuam. Ergo est actus voluntatis. Secundò. Oratio, quæ dirigitur ad superiorem, est actus voluntatis, cum sit actus virtutis moralis. Ergo etiam imperium cū dirigatur ad inferiorem. Tertiò. Imperium est quædam lex; lex autem consistit in actum voluntatis, iuxta illud, quod Principi placuit, legis habet vigorem.

73 Secunda sententia docet, esse actum intellectus, præsupponere tamen actum voluntatis. ita D. Tho. 1. 2. *qu.* 13. *art.* 1. Caietan. Conrad. Medina, Martinez *ibidem*, Aluarez *disp.* 61. Montesinus *disp.* 21. *qu.* 1. Vasquez *disp.* 49. *cap.* 2. Ferrar. 3. *contr. gent. cap.* 95. Suarez *disp.* 9. *de voluntate sect.* 3. & alij præsertim ex Thomist.

74 Tertia sententia asserit, constare æqualiter ex actu intellectus, & voluntatis, ita Richard. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 4. *qu.* 1. Pesantius 1. 2. *qu.* 17. *art.* 1. *disp.* 1.

75 Dico primò. *Imperium importat formaliter actum intellectus.* Probatur. Imperium est intimatio ordinatiua. Ergo importat formaliter actum intellectus. Antecedens patet. Quia de ratione imperij est, quod præscribat quid sit faciendum, vel non faciendum; dum autem præscribit, se habet ordinatiuo modo. Consequentia prob. Quia præscribere, & ordinare pertinet ad actum intellectus; vnde Imperium externum consistit in quadam loquutione ordinatiua, qua intimantur, quid sit agendum.

76 Dico secundò. *Imperium requirit essentialiter etiā actum voluntatis, à quo habeat efficaciam.* Probatur. Imperium est efficax, & respicit exequutionem sub exercitio, cum ordinatur ad ipsam inferendam. Ergo includit essentialiter actum voluntatis dātem efficaciam, quia nulla exequutio sequi potest, nisi mouente voluntate; siquidem intellectus habet tantum vim directiuam, & ordinatiuam.

77 Dico tertiò. *Imperium præter actum voluntatis, quo constituitur, requirit etiam alium actum voluntatis, à quo causetur.* Probatur. Imperium est intimatio ordinatiua, & motiua ad exercitium. Ergo supponit actū voluntatis in ordine ad finem, quia operatio propria intellectualis creaturæ est circa finem, & est ex principio primò mouente, nempe voluntate, atque adeò debet præsupponi actus voluntatis, vt imperiū moueat intimando.

78 Ad primum distinguitur antecedens. Imperium pertinet ad potentiam dominatiuam, vt dicit efficaciam, non autem vt dicit intimationem. Adde quod facultas dominatiua est etiam in intellectu. Ad secundum negatur antecedens, quia oratio tamquam quædam loquutio manifestatiua indigentiæ, & supplicatiua est actus intellectus. Dicitur autem virtus moralis ratione actus voluntatis, à quo imperatur. Ad tertium distinguit. min. Lex est actus voluntatis ratione efficaciæ, qua princeps vult obligare subditos; non verò prout dicit vim directiuam, nam vt talis dicit actum intellectus, vt constat in lege naturali nobis insita.

Quinam actus intellectus sit imperium.

SECTIO XII.

79 PRima sententia docet, esse illud iudicium, quo clauditur consultatio, & dictat, quod sit faciendum. Ita Maior *in* 2. *dist.* 33. *quest.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 49. *cap.* 2. *&* 3. Suarez *disp.* 9. *de volunt. sect.* 3. & alij. Probatur. Omnis actus intellectus aut est apprehensio, aut iudicium, aut discursus. Ergo cum imperium non sit apprehensio, neque discursus, erit iudicium. Secundò. Vel hic actus imperij procedit ex aliquo actu voluntatis; vel non. Si primum, ergo deueniendum est ad aliquem actum voluntatis, qui non sit ex imperio, & pro quo sufficiat solum iudicium. Si secundum, ergo non erit voluntarium.

80 Secunda sententia asserit, esse specialem actum distinctum à iudicio, qui intimatiuo modo se habeat. ita D. Th. 1. 2. *quest.* 17. *ar.* 1. Caietanus *art.* 3. Medina *ibid.* Aluar. *disp.* 13. *&* 14. Lorca *disp.* 22. *de act. hum.* & alij.

81 Di-

81 Dicendum est. *Imperium esse actum specialem intellectus se habentem per modum cuiusdam loquutionis intimatiuæ.* Probatur. Imperium habet vim constringendi ad operandum; iudicium vero claudens consultationem non habet; nam solum ostendit, quomodo sit operandum intra dictamen rationis, ergo. Confirmatur. Imperium respicit exequutionem sub ratione exercitij; iudicium autem solum ostendit, quid sit faciendum stante tali intentione. ergo

82 Ad primum negatur assumptum. Nam præter illos actus, datur etiam actus loquutionis internæ, quo manifestatur conceptus intellectus; vnde imperium pertinet ad hanc loquutionem. Ad secundum. Imperium prouenire ex aliquo actu voluntatis antecedenti vnde non est necessarium ad omnes actus voluntatis. Non sequitur tamen, quod non sit necessarium pro aliquibus.

Ad quos actus requiratur Imperium.

SECTIO XIII.

83 Dico primò. *Imperium non est necessarium respectu intentionis finis.* Probatur. Imperium supponit esse præconceptum illius, quod imperatur, cum sit intimatiua loquutio illius, quod est faciendum. Non potest autem esse præconceptum, nisi sit volitum, & non potest esse volitum, nisi voluntas sit mota à fine, ergo imperium supponit intentionem finis.

84 Dico secundò. *Respectu electionis neque est necessarium imperium.* Probatur. Imperium respicit exercitium exequutionis, ergo non interuenit respectu electionis cum electio non respiciat exercitium exequutionis.

85 Dico tertiò. *Imperium requiritur ad actum voluntatis, qui dicitur vsus.* Probatur; Vsus respicit exercitium exequutionis, ergo cum imperium sit in ordine ad ponendam exequutionem in actu exercito, debet interuenire respectu vsus.

86 Colligitur. Imperium posse aliquando esse eumdem actum cum iudicio vltimò conclusiuo, quando scilicet tale iudicium est in ordine ad aliquam exequutionem pro assequutione finis; nam tunc tale iudicium, cum concludat, quod fiat hoc, vel non fiat, habet etiam vim imperandi.

DE MODO, QVO VOLVNTAS mouet alias potentias.

DISPVTATIO XX.

Quomodo voluntas moueat alias potentias.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Voluntatem non eligere physicè actus aliarum potentiarum vt docent communiter contra Coninc. *6. disp. 4. eth. quæst. 3. art. 1.* Quia cum potentiæ specificentur à suis obiectis, habent virtutem proportionatam specificationi, atque adeo sufficientem pro actu correspondente tali specificationi.

2 Supponendum secundò. Neque voluntatem elicere motum localem, vt docent communiter contra Medinam *1. 2. quæst. 9. articul. 1.* cum enim detur speciale organum pro motu locali, nempe muscula, vt docet Arist. *3. de anima text. 34.* datur etiam specialis potentia organica eliciua talis motus.

3 Dicendum est. *Voluntatem mouere alias potentias ratione subordinationis, quatenus mouendo se ipsam cæteræ potentiæ ratione subordinationis, sequuntur motum voluntatis.* Probatur subordinatio ponit dependentiam, & connexionem, ergo cum voluntas subordinet sibi dominatiuo modo alias potentias ratione huius subordinationis ponitur connexio, & dependentia in ratione dominantis, & dominatiui, ergo eo ipso, quod mouetur voluntas dominans, mouentur etiam potentiæ dominatæ.

Quid possit voluntas circa intellectum.

SECTIO II.

4 CErtum est. Voluntatem mouere intellectum quoad exercitium, vt docet Arist. 2. de anima text. 55. Quia vt inclinatio vniuersalis debet posse mouere intellectum iuxta exigentiam operantis. Non potest tamen mouere quoad omnes actus, quia tota collectio actuum voluntatis supponit aliquem actum intellectus. Præterea nec intellectus sequitur semper motum voluntatis, nam experimur, quod aliquando motio obiecti superat motionem voluntatis.

5 Quæres primò. An Voluntas moueat intellectum ad apprehensionem, quoad specificationem. Respondetur negatiuè. Quia apprehensio fit secundum determinationem obiecti tanquam specificatiui.

6 Quæres secundò. An posita euidentia obiectiua possit voluntas mouere intellectum ad iudicium, quoad speciem actus. Respondetur negatiuè. Quia intellectus vt potentia necessaria necessitatur ab euidentia obiecti, nec potest aliter iudicare, quam moueatur ab obiecto.

7 Quæres tertiò. An posita euidentia obiectiua, possit voluntas mouere intellectum ad suspendendum iudicium. Respondetur negatiuè. Quia voluntas non habet motiuum propter quod debeat suspendi talis actus; sine autem motiuo non potest moueri.

8 Quæres quartò. An seclusa euidentia obiectiua possit voluntas mouere intellectum ad speciale iudicium? Respondetur posse mouere in confuso, non autem determinatè, cum enim obiectum moueat ad diuersum iudiciū, potest voluntas imperare intellectui, vt eliciat determinatum iudicium, non tamen hoc, aut illud in particulari, quia voluntas non potest velle, quod non est præcognitum, tale autem iudicium particulare non est distinctè præcognitum.

9 Obijc. Intellectus concurrit effectiue per cognitionē ad actum voluntatis, ergo si voluntas mouet effectiuè intellectum, erunt sibi inuicem causæ in eodem genere. Respondetur dist. conseq. erunt sibi inuicem causæ quoad diuersos actus; non autem quoad eumdem, quia voluntas non mouet intellectum ad illum actum, in cuius virtute ipsa operatur, sed ad alium.

Quid possit voluntas circa alias potentias.

SECTIO III.

10 CErtum est, non mouere directè, & immediato sensus externos; sed tantum applicando obiectum, & remouendo impedimenta; nec etiam habere absolutum dominium supra sensus internos; sed tantum posse mouere aliquando sicut mouet intellectum, nec habere absolutum dominium supra appetitum sensitiuum, alioquin ipsi non repugnaret: vnde stante iudicio sensitiuo de conuenientia obiecti non potest impedire actum appetitus, qui naturali modo sequitur cognitionem. Imo cum non possit impedire motiones, quæ fiunt ab extrinseco circa sensus, atque adeò nec tollere iudicium sensitiuum, nec etiam poterit impedire appetitum, ne exeat in actum tollendo iudicium sensitiuum.

11 Quæres primò. An seclusa actuali motione obiecti possit voluntas tollere actum appetitus diuertendo iudicium sensus. Respondetur affirmatiuè. Quia mouendo intellectum

intellectum ad aliud cogitandum, facit, quod sensus internus ratione subordinationis attendat ad idem, & talis motio potest esse magis efficax, quàm motio sensus.

12 Quæres secundò. An voluntas, quando actu efficaci prosequitur obiectum, moueat appetitum ad prosequutionem eiusdem obiecti. Respondetur affirmatiuè, etiam si appetitus per suum naturalem actum inefficaciter repugnet, quia quando appetitus refugit obiectum, vt sunt obiecta dolorifera, voluntas mouet ipsum ad illud amplectendum, vt experientia patet.

13 Obijc. Appetitus non potest ferri in malum sensibile, ergo non potest moueri à voluntate, quando vult obiectum sub ratione mali sensibilis. Respondetur neg. 1. consequentiā. Quia licet voluntas non possit facere, quod appetitus tendat in malum, sub ratione mali, potest tamen facere, quod non repugnet, sed moueat membra externa ad illum actum, ex quo sequitur malum sensibile, vt cum quis se vapulat.

14 Obijc. secundò. Membra externa sæpè mouentur cōtra efficax imperium voluntatis, ergo etiam appetitus sensitiuus, quia sine ipso non possunt moueri. Respondetur dist. Anteced. Mouentur contra efficax imperium ex aliqua alteratione corporis, quæ se habet per modum obiecti, et faciet, quod appetitus secundum quid repugnet voluntati; non autem mouentur ex absoluta repugnantia appetitus ad imperium voluntatis.

15 Quæres tertiò. An voluntas possit immediatè mouere appetitum. Respondetur negatiuè, sed tantum medio iudicio. Ita Vasquez 1. 2. *disput*. 34. *capit*. 2. Martinez *quæst*. 9. *artic*. 2. *dub*. 1. contra Medinam *ibidem*. Quia potentia appetitiua non potest ferri in incognitum, atque adeò nec voluntas mouere appetitum sine iudicio sensitiuo; alioquin appetitus tenderet in incognitum, cum cognitio intellectiua non sit proportionata, vt proponat ipsi obiectum.

16 Ob. motus potentiæ superioris redundat in potentiam subordinatam, ergo eo ipso, quod appetitus superior mouet se ipsum, mouet etiam inferiorem. Respondetur redundare modo debito, atque adeò motum voluntatis redundare in appetitum mediante iudicio sensitiuo.

DE ESSE MORALI MOTVS seù operationum creaturæ rationalis.

DISPVTATIO XXI.

Quid sit moralitas.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. De ratione actus moralis esse, quod procedat libero modo, vt docent communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst*. 10. *art*. 5. Quia cum actus moralis sit commensuratus regulis rationis, non posset commensurari, nisi esset sub dominio operantis.

2 Dico primò. *Moralitas non potest saluari per solam relationem rationis*; est contra Vasquez 1. 2. *disp*. 91. *cap*. 10. Probatur: Si moralitas vt sic esset ens rationis, moralitas determinata esset quoque ens rationis. Hoc autem implicat; alioquin ratio virtutis, & meriti esset ens rationis. Sequella patet. Quia rationes determinatiuæ sunt in eodem genere, in quo sunt rationes communes.

3 Obijc. Actus aliquando est bonus, vel malus in ordine ad finem non existentem, ergo per ordinem rationis, quia cum non existat, non potest terminare ordinem realem. Respond. neg. conseq. Quia potest terminare ordinem realem transcendentalem.

4 Ob. secundo. Deus est realiter Creator per relationem rationis, ergo etiam actus potest dici realiter moralis per relationem rationis. Respondetur neg. anteced. Nam Deus dicitur Creator vel ab actione creatiua, quæ est in Creatura, vel à potentia creatiua, prout connotat terminū in actu.

5 Dico secundo. *Neque moralitas consistit formaliter in ordine transcendentiali ad obiectum*. Est contra Conrad. 1. 2. *quæst*. 19. *art*. 1. Curiel. *quæst*. 18. *art*. 1. *dub*. 1. Probatur obiectum constituitur in esse morali dependenter ab actu, ergo actus moralis non potest constitui per ordinem ad obiectum, quia constitutiuum debet esse prius constituto. Anteced. probatur. Actus moralis se habet practico modo; actus autem practicus non supponit, sed causat obiectum.

6 Dico tertio. *Moralitas consistit formaliter in dispositione, & ordine actus liberi secundum regulam rationis in ordine ad finem*. Probatur. Hæc dispositio constituit nouum ordinem supra ordinem physicum dependentem à creatura intellectuali, prout vtitur regulis rationis, ergo esse morale consistit in ipsa. Anteced. patet. Quia per hanc dispositionem creatura intellectualis se disponit, & ordinat respectu finis. Conseq. probatur: Esse morale importat illum ordinem, qui consurgit supra esse physicum, ex modo operandi libero secundum directionem rationis. ergo

7 Dico quartò. *Esse morale dicit ordinem trascendentalem ad regulas rationis*. Probatur: Est aliquod commensuratum regulis rationis, ergo dicit ordinem commensurationis.

8 Obijc. Potest idem actus de bono fieri malus, & ecōtra, ergo esse morale non dicit hunc ordinem, quia ordo trascendentalis est inuariabilis, cum sit de essentia subiecti. Respondetur quicquid sit de Antec. neg. conseq. Nam solum sequeretur, quod actus non dicat hunc ordinem secundum esse physicum, non verò quod non dicat secundum esse morale, nam sicut mutatur esse morale, ita etiam potest mutari ordo intrinsecus.

9 Ex dictis colligitur. Esse morale non consistere formaliter in connotatione regulæ, quia hæc connotatio, cum sit propria actus moralis, debet in ipso supponere aliquid proprium in genere morali, in quo fundetur connotatio, atque adeò in ipso consistet moralitas.

10 Colligitur secundò. Moralitatem non consistere formaliter in regulabilitate per rationem, vt docet Lorca *disp*. 23. *de actibus hum*. Quia cum regulabilitas sit aliquid potentiale conuenit actui secundum esse physicum, & ideo non facit actum formaliter moralem.

Quomodo Actus moralis diuidatur in bonum, & malum, seu in virtutem, & vitium.

SECTIO II.

11 CErtum est de fide contra recentiores hæreticos, Dari etiam in viatoribus actus absolutè bonos vt definitum est in Concilio Constantiensi *sess*. 15. & in Trid. *sess*. 6. *can*. 7. & 25. vnde actus moralis diuiditur in bonum, & malum, & difficultas est, qualis sit ista diuisio.

12 Prima sententia asserit, esse per differentias essentiales, non solum in esse moris, sed etiam in esse naturæ seu physico, ita Richard. *in* 2. *dist*. 40. *quæst*. 1. & 2. Capr. *art*. 1. Ferrar. 3. *contra gent*. *cap*. 1. Conrad. 1. 2. *quæst*. 18. *art*. 1. & alij. Prob. Actum est voluntarius in esse naturæ, ergo etiam bonitas, & malitia conueniunt in esse naturæ. Secundò. Bonum, & malum morale sunt differentiæ habituum voluntatis in esse naturæ, ergo etiam actuum, quia habitus producit actus sibi similes.

13 Secunda sententia asserit esse differentias accidentale

tales respectu actus in esse naturæ; essentiales verò, si actus consideretur in esse moris. Ita Scotus *in 1. dist. 19. quæst. 2.* Durand. *in 2. dist. 40. quæst. 3.* Caiet. *1. 2. quæst. 19. art. 1.* Medina *ibidem.* Vasquez *disp. 15. cap. 3.* Lorca *disp. 32. de actib. hum.* & alij.

14 Dico primò. *Bonitas, & malitia non possunt esse differentiæ essentiales actus in esse naturæ.* Probatur differentia est completiua generis vt actus metaphysicus ipsius, ergo debet esse in eodem ordine; bonitas autem, & malitia non sunt in eodem ordine cum actu physico, cum sint quid morale.

15 Dico secundò. *Bonitas, & malitia respectu actus physici sunt formæ per se resultantes.* Probatur. Actus habet bonitatem, vel malitiam, à quo habet esse, ergo bonitas, & malitia sunt formæ per se resultantes. Anteced. patet. Quia bonitas, & malitia habetur ex eadem directione, à qua regulatur actus physicus, nempe a ratione.

16 Dico tertiò. *Respectu bonitatis, & malitiæ non potest dari conceptus communis in ratione moris.* Probatur: Differentia debet importare gradum perfectiuum rationis communis; sed malitia non potest importare, ergo. Min. prob. Malitia in esse morali non dicit perfectionem, sed defectum à debita mensura. ergo

17 Dices sufficere si differentia quocunque modo determinet. Contra. Non potest differentia contrahere rationem communem, nisi actuet eius potentialitatem, ergo nisi importet aliquam perfectionem, cum sola perfectio sit actuatiua.

18 Dico quartò. *Malitia importat dispositionem moralem in statu deficienti, atque adeo distinguitur à bonitate, vt quid deficiens ab integro, & perfecto.* Probatur: Actus malus est etiam moralis ergo dicit dispositionem moralem in statu deficienti, quia vt moralis debet dependere à regulis rationis; vt autem malus debet deficere à debita dispositione, quia videlicet proxima regula rationis sit deficiens.

19 Ad primum neg. conseq. Quia bonitas, & malitia non sunt rationes determinatiuæ voluntarij in eodem genere. Ad secundum neg. anteced. Nam in esse naturę omnes habitus sunt boni. Ratio autem mali est habitudo in ordine ad actum malum, quæ in ipsis resultat.

An Bonitas, & malitia conueniat omni actui secundum speciem.

SECTIO III.

20 ALiqui actus ex vi suæ speciei non possunt esse mali, vt actus Charitatis; alij verò non possũt esse boni, etiam si ordinentur ad finem bonum, vt mendacium, difficultas est, an detur aliquis actus indifferens ex vi suæ speciei.

21 Prima sententia est affirmatiua. Ita Scotus *in 2. dist. 4. quæst. 1.* & communiter Scotistæ Prob. Actus sumit speciem ab obiecto, ergo cum obiectum sit semper aut consonum, aut dissonum rationi, actus quoque erit semper vel bonus, vel malus.

22 Secunda sententia est negatiua. Ita Diuus Thom. *1. 2. quæst. 18. artic. 8.* Caiet. Medina, Lorca, Curiel, *ibidem.* Montes. *disput. 39. quæst. 1.* Vasquez *disput. 12. cap. 2.* & alij.

23 Dico primò. *Datur actus, qui secundum esse physicum ex vi suæ specificationis sit indifferens, ita vt non determinetur ad bonum, vel malum.* Probatur. Dantur aliqui actus, qui ex vi suę speciei physicę non important dispositionem secundum regulas rationis, sed possunt ordinari ad diuersos fines, vt est comedere, ambulare, ergo datur actus indifferens ex vi suæ speciei physicæ. Ant. patet. Quia tales actus secundum esse physicum sunt merè naturales, cum exerceantur à pueris, amentibus, qui carent vsu rationis, atque adeo modo operandi morali.

24 Dico secundò. *Non datur actus indifferens secundum speciem physicam absolutè, sed semper exigit coniungi cum aliquo determinatiuo esse bonum, vel malum.* Probatur. Creatura intellectualis ex intrinseca sua ratione est determinata, vt operetur propter finem, quando operatur modo sibi proprio, ergo non datur actus ita indifferens ex obiecto, qui non exigat coniungi cum aliquo determinatiuo ad bonum, vel malum. Conseq. patet. Quia non potest procedere à creatura intellectuali, nisi procedat ex motiuo, quod habeat rationem finis.

25 Dico tertiò. *Non datur actus indifferens secundum speciem in esse morali.* Probatur. Si daretur, deberet importare aliquam moralitatem, quæ non esse bonitas, aut malitia, sed determinabilis per ipsos; hæc autem implicat, ergo. Min. probatur. Talis moralitas diceret ordinem ad regulas rationis, vel ergo esset conformis, & tunc esset bonitas; vel disformis, & tunc esset malitia.

26 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur conseq. Quia solum obiectum secundum esse morale est consonum, vel dissonum rationi; non autem secundum esse physicum.

27 Quæres. An possit dari actus supernaturalis indifferens secundum speciem physicam. Respondetur neg. Quia actus supernaturalis ex vi sui obiecti ordinatur in vltimum finem, atque adeo habet semper obiectum honestum, & fit ex speciali gratia, qua Deus eleuat creaturam ad vltimum finem.

An omnis Actus sit bonus, aut malus in indiuiduo.

SECTIO IV.

28 ACtus in indiuiduo importat omnia, quæ ipsi conueniunt, non solum ab intrinseco, sed etiã ratione circumstantiarum, & finis extrinseci.

Prima sententia est negatiua, asserens, dari actum indifferentem in indiuiduo, qui nec sit bonus, nec malus. Ita Scotus *in 2. dist. 7. quæst. 1.* D. Bonau. *distinct. 41. art. 1. quæst. 3.* Bassolis *dist. 40. art. 2.* Gabriel *ibidem.* Ocham. *in 1. dist. 1. quæst. 1.* Vasquez 1. 2. *disput. 12. capit. 2. & seq.* Probatur ex Diuo Hieronimo *Epist. 89.* vbi docet inter actum bonum, & malum dari indifferentem, vt ambulare. Secundò. Nullo præcepto tenemur, quoties deliberatè operamur, dirigere actum in finem honestum, ergo ex eo, quod non dirigatur, non sit malus. Tertiò. Si quis ignoret inuincibiliter esse peccatum in indiuiduo leuare v. g. festucam absque honesto fine, & leuet, tunc ille actus non est bonus, cum non sit ex motiuo honesto; nec malus, cum ignorantia excuset, ergo. Quartò. Potest aliquis actus tendere in obiectum non propter honestatem ipsius, sed propter commoditatem naturę. Hic actus non erit bonus, cum non sit ex motiuo honesto; nec malus, quia est circa obiectum bonum, ergo

29 Secunda sententia asserit, omnem actum in indiuiduo esse vel bonum, vel malum. Ita Diu. Thom. *1. 2. q. 18. ar. 9.* Caietan. Medina. Conrad. *ibidem.* Curiel. *dub. 1. §. 2.* Aluarez *disp. 71.* Montesin. *disput. 25. quæst. 2. §. 3.* Lorca *disp. 29. de act. hum.* Durand. *in 2. dist. 40. num. 4.* Capreol. *artic. 1. concl. 1.* Arimin. *in 1. dist. 1. quæst. 1. artic. 1.* & alij.

30 Dicendum est. *Non posse dari actum indifferentem in indiuiduo, qui nec sit bonus, nec malus, moraliter.* Definitur ex D. August. *lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18.* vbi loquens de voluntate ait. *Aut enim iustitiam diligimus, & bona est: aut si omnino non diligimus, non bona est; & Epist. 19.* vbi ait. *Sed cauendum est in hac disputatione, ne sicut philosophi quædam facta hominum media dicamus inter rectè factum, & peccatum, quæ neque in rectè sanctis, neque in peccatis numerentur.* Probatur: Creatura intellectualis est ita determinata ex natura sua, vt non possit moraliter operari, nisi operetur propter finem, ergo semper operatur aut bene, aut malè. Conseq. probatur.

probatur. Vel enim habet finem honestum; & tunc operatio est bona; vel nō habet; & tunc operatio est mala, quia cum careat debito fine, caret etiam debita rectitudine. Confirmatur. Omnis actus otiosus est malus; omnis autē actus moralis carens fine honesto est saltem otiosus, ergo. Antecedens est de fide Matth. 12. vbi Christus docet, quod omnes reddituri sunt rationem de omni verbo otioso; eadem autem est ratio de cæteris actibus otiosis. Min. etiam probatur. Illud est otiosum, quod est superfluum, & extra ordinem, ita vt nullo modo dirigatur in finem vltimum, quod autem caret fine honesto, non dirigitur in finem vltimum, & est extra ordinem.

31 Dices. Intellectum non aduertere ad honestatem motiui, sed tantum ad delectabilitatem, & ideo non conferre honestatem. Contra. Vel voluntas mouetur à motiuo, vt stat sub regulis rationis; vel non. Si primum, ergo mouetur ab ipso vt honesto. Si secundum; ergo mouetur ab ipso, vt non habente conformitatem ad regulas rationis, atque adeò vt carente honestate. Motiuum autem, quod non est conforme regulis rationis, specificat actum malum.

32 Ad primum Respōd. D. Hieronymum loqui secundum sententiam philosophorum, quam tamen ipse non approbat; vnde *dialogo* 1. *contra Iulianum* Docet, quod omne factum debet numerari, aut inter bona, aut inter mala. Ad secundum negatur anteced. Nam adest vniuersale præceptum de bono sequendo, & malo fugiendo, atque homo tenetur se dirigere in beatitudinem, vnde sequitur, quod semper debeat benè operari. Ad tertium negatur antecedens. Nam posita quacunque ignorantia semper voluntas debet operari ex aliquo fine, atque adeo vel bono, vel malo. Ad quartum negatur minor. Quia licet obiectum non proponeretur, nisi vt indifferens, semper tamen determinatur à fine, sine quo voluntas non potest operari.

33 Ob. Potest quis operari, quod detur actus indifferens in indiuiduo, & ipsum exercere, ergo tunc ille actus erit indifferens. Respondetur disting. conseq. Erit indifferens ratione obiecti; non vero ratione finis, quia non potest quis exercere talem actum, nisi moueatur ex aliquo fine; finis autem semper est bonus, aut malus, prout est conformis, vel difformis regulis rationis.

34 Ex dictis colligitur. Neque per accidens posse dari actum indifferentem in indiuiduo, quia omnis actus debet esse per se ex aliquo motiuo, & ideò iuxta qualitatem motiui est per se bonus, vel malus.

An actus exterior importet nouam moralitatem bonitatis, vel malitiæ supra moralitatem actus interioris.

SECTIO V.

35 PRima sententia est affirmatiua. Ita Scotus *quodlib.* 14. *art.* 3. Ariminens. *in* 2. *dist.* 42. *quæst.* 1. Alex. *part.* 4. *quæst.* 77. *memb.* 4. *art.* 5. & alij. Probatur D. Aug. 13. *de ciuit. cap.* 5. docet Voluntatem fieri miseriorem implendo mala desideria, & D. Bernard. *epist.* 77. Voluntatem martyrij non sufficere ad cumulum meriti, quod est ex martyrio, ergo actus exterior importat nouam bonitatem, vel malitiam. Secundò in 13. propositione Bailardi damnata habetur, quod quis non fit melior, aut peior per opera, ergo. Tertiò si actus exterior non adderet nouam malitiam, non esset necesse ipsum explicare in confessione. Quartò. Pœnæ constitutæ sunt supra actū externum, pœna vero cadit tantum supra malum. Quintò. Actus externus habet diuersam malitiam, vt si quis occidat in vindictam, tunc enim actus internus habet malitiam iræ, externus verò iniustitiæ, ergo

36 Secunda sententia est negatiua. Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 20. *art.* 3. *&* 4.

37 Dico primò. *Actus externus non importa diuersam bonitatem, vel malitiam super bonitatem, vel malitiam interni.* Desumitur ex illo Genes. 20. *Quia fecisti rē hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi.* Et Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mæchatus est.* In quibus declaratur, quod actus internus habeat illam bonitatem, vel malitiam, quam habet actus externus. Probatur. In actu externo non est noua ratio voluntarij, & solum est moralis, quia vnitur cum interno, ergo nec noua bonitas, aut malitia. Conseq. probatur. Bonitas, & malitia fundatur in ratione voluntarij, ergo vbi non est noua ratio voluntarij, nec etiam est noua bonitas, aut malitia.

38 Dico secundò. *Actus externus connotat ex parte interni nouam bonitatem, vel malitiam.* Probatur. Quādo aduenit actus externus ponitur nouum augmentum obiectiuum, quod terminat actum externum secundum actuale exercitium, ergo tunc bonitas, & malitia crescunt ex augumento obiectiuo, quia tanta est, quantum est obiectum proportionaliter. Anteced. patet, quia actus externus importat exequutionem; exequutio autem nouam rationem obiecti.

39 Dico tertiò. *Ratione actus externi bonitas, & malitia crescunt extensiuè, quatenus extenduntur etiam ad actum externum.* Probatur. Conformitas, vel difformitas ad regulas rationis reperitur etiam in actu externo, quatenus subordinatur interno, ergo ad ipsum quoque extenditur bonitas, & malitia.

40 Ad primum. Voluntatem fieri miseriorem implendo mala desideria, quia ponitur in termino malitiæ; non autem quia actus externus dicat nouam malitiam. Voluntas autem martyrij non sufficit ad cumulum meriti ex martyrio, quia habet diuersum obiectum: nam desiderium martyrij habet pro obiecto amorem, & fortitudinem ostendēdam in martyrio; martyrium autem habet pro obiecto actualem exhibitionem vitæ. Ad secundum propositionem Bailardi damnatam procedere non solum de operibus externis, sed etiam de internis. Ad tertium negatur sequella. Nam actus exterior pertinet adintegritatem peccati, & declarat specialem molitiam ex parte actus interni. Deinde actus externus multoties inducit alias speciales obligationes, & ideo debet subijci iudicio sacramentali, vt possit Confessarius perfectè iudicare pænitentem. Ad quartum. Pænas esse constitutas contra actum externum, quatenus manifestatiuum interni, quia nimirum leges humanæ non iudicant de internis, nisi vt manifestantur in externis, & ideo punitur externus, vt continens malitiam interni. Ad quintum negatur assumptū. Nam actus, quo quis vult occidere ex ira, est etiam actus iniustitiæ.

41 Ex dictis colligitur. Actum internum, & externum esse vnicum tantum peccatum, quia subordinato modo se habent circa idem obiectum, & habent camdem disconuenientiam ad regulam rationis.

DE SPECIFICATIONE ACTVS Moralis.

DISPVTATIO XXII.

An Actus sumat speciem moralem à fine.

SECTIO I.

1 PRima sententia est negatiua. Ita Palatius *in* 2. *dist.* 33. *disp.* 3. *circa secundam conclusionem*, asserens specificari ab obiecto, distinguit enim obiectum à fine.

2 Secunda sententia asserit specificari à fine. Ita Diuus Thomas 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. Caietan. *ibidem*. Aluarez *disp.* 1.

*disp.*1.Salas *tract.*1.*disp.*7.*sect.*3.& alij.

3 Notandum primò. Obiectum posse considerari, vel secundum se præcisè, & tunc dicit solum esse physicum, quatenus potest disponi secundum regulas rationis. Vel vt stat sub regulis rationis, & tunc importat aliquam determinationem, secundum quam est instituenda operatio; nam regulæ rationis præscribunt, quid sit faciendum, vel non faciendum.

4 Notandum secundò. Regulas rationis, & naturam rationalem sibi inuicem correspondere, ita vt regulæ rationis importent determinatiuum, quod est secundum exigentiam naturæ, vnde in natura rationali percipitur, qualis debeat esse dispositio moralis, vt in quadam potentia exigitiua, in regulis verò rationis percipitur, vt in mensura operandi.

5 Notandum tertiò. Malum morale non posse habere rationem finis, quia finis est propter se expetibilis; vnde cum quis malè operatur, non intendit malum, sed aliquod bonum cui malum est annexum. Hinc bonitas conuenit actui per se primò, malitia verò secundariò ratione defectus, qui contingit in moralitate actus.

6 Dico primò. *Actus Moralis specificatur à fine.* Prob. Lucæ 11. *Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuũ lucidum erit, si autem nequam fuerit totum corpus tuum* tenebrosum erit. Per oculum autem intelligitur intentio, quæ respicit finem, vt explicent communiter PP. Quia nimirum finis facit, quod opus sit bonum, vel malum, vt docet Aug. 4. *contra Iulianum cap.* 3. & *lib.* 2. *de moribus. Ecclesiæ cap.* 13. Ratio est. Quia actus moralis potest specificari ab aliquo solo morali. Esse autem morale non potest esse, nisi finis, quia debet esse aliquid in ordine ad regulas rationis, atque adeò aliquid honestum; omne autem honestum habet rationem finis.

7 Dico secundò. *Finis non specificat actum moralem nisi vt stat sub regulis rationis, prout in ipsis manifestatur quid sit faciendum, vel non faciendum.* Probatur finis moralis non specificat, nisi vt dicit rationem motiuam in ordine ad operationem; sed solum dicit, vt stat sub regulis rationis ergo. Min. probatur finis mouet practico modo, vt quid operabile; non est autem quid operabile, nisi vt stat sub regulis rationis, quia vt operabilis, dicit assequibilitatem secundum præscriptionem rectæ rationis.

8 Dico tertiò. *Actus malus specificatur à fine prout deficiente, atque adeò per aliquid secundarium annexum fini.* Prob. Tale debet esse specificatiuum, quale est specificatum. Ergo cum in specificato ratio malitiæ importet quid deficiens vt secundarium, etiam specificatiuum debet importare quid deficiens vt secundarium.

9 Ob. Potest actus habere bonum finem, & esse malus, vt cum quis furatur, vt det eleemosinam. Ergo actus non sumit speciem à fine. Respondetur neg. antec. Quia licet finis de se sit bonus, fit tamen malus, quando dependet a medio malo. Deinde negatur conseq. Quia præter finem extrinsecum datur etiam intrinsecus ipsi operationi.

10 Ex dictis colligitur. Quod licet actus moralis dicat ordinem ad naturam rationalem, non tamen specificatur ab ipsa, quia respicit naturam rationalem vt subiectum perfectibile non verò vt determinatiuum, à quo moraliter determinatur.

11 Colligitur secundò. Regulas æternas, quæ sunt in mẽte diuina, non esse proximum specificatiuum, quia non determinant moralitatem actus, nisi medijs regulis participatis, quæ sunt mensura operandi.

12 Quæres. An omnis actus moralis sit in aliqua vltima specie determinata. Ratio dubitandi est. Quia potest quis velle in communi honestè viuere. Hic autem actus cum non respiciat obiectum particulare, non erit indeterminata specie. Respondetur affirmatiuè. Quia hic quoque actus habet determinatum obiectum in particulari, nempe integritatem bonitatis moralis, quæ coalescit ex bonitate omnium operationum. Non enim versatur circa honestatem, vt quid præcisum est, & vniuersale.

An Actus, qui versantur circa media specificentur à fine.

SECTIO II.

13 Finis est duplex. Proximus, qui attingitur immediatè, & dicitur intrinsecus, seù finis operationis; & Remotus, qui attingitur, mediante proximo, & est finis extrinsecus, seù operantis.

14 Dico primò. *Actus, qui versantur circa media, specificantur à fine proximo specificatione formali.* Prob. Finis proximus habet vim mouendi voluntatem. Ergo etiam determinandi ad specialem attingentiam. Conseq. probatur. Voluntas, & finis, ita proportionantur, vt non possit voluntas exire in actum, nisi secundum mensuram motionis finis. Ergo actus ipsius mensuratur, & determinatur à fine.

15 Dico secundò. *Actus specificatur ab obiecto, quod habet rationem medij, vt à specificatiuo materiali, atque adeò materiali specificatione*, ita D.Thom. 1. 2. *quæst.* 54. *articul.* 2. Caietan. *ibidem*, & alij prob. Obiectum est propria materia circa quam actus. Ergo specificat materiali specificatione Conf. Prob. Quia omnis actus ex ordine ad proprium obiectum habent specialem determinationem.

16 Dico tertiò. *Actus, qui versatur circa media, specificatur etiam à fine extrinseco.* Prob. Actus respicit intrinsecè finem extrinsecum. Ergo specificatur ab ipso. Antec. patet. Nam electio attingit medium, vt stat sub determinatione finis. Conf. prob. specificatio consistit in ordine, quo respicitur forma extrinseca, tanquam determinatiua; ratione autem talis ordinis respicitur finis extrinsecus tanquam forma determinatiua.

17 Dico quartò. *Actus, qui versatur circa media, & specificatur à fine extrinseco, non importat duplicem respectũ realiter distinctum, sed tantum vnicum.* Prob. Finis extrinsecus, & medium se habent per modum vnius obiecti. Ergo terminant vnicum respectum. Antec. patet. Quia medium attingitur, vt stat sub determinatione finis.

Quomodo Bonitas, & malitia desumantur ab obiecto seu à fine.

SECTIO III.

18 Cum Actus specificentur ab obiecto formali, seù à fine, desumit etiam ab ipso suam bonitatem, vt docent communiter cum D.Thom. 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 2. vnde pro diuersitate obiecti consurgit in actum diuersitas virtutis. Rursus ex eodem obiecto desumitur etiam malitia; si nimirum sit dissonum a regulis rationis non solum secundum esse formale, sed etiam secundum esse materiale, quia malum ex quocunque defectu; vnde Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt.* Et est etiam verum hoc de actu externo; nam determinatur a materia, circa quam ad habendam conformitatem, vel difformitatem cum regulis rationis. Quia autem, vt actus sit bonus, non sufficit, vt terminetur ad obiectum honestum, sed debet terminari sub ratione honesti, vndè Arist. 6. Eth. cap. 12. docet, Illos non esse iustos, qui iusta operantur, sed qui iustè operantur, hoc est ex motiuo iustitiæ, ideò difficultas est, quomodo obiectum debeat cognosci, & actus sit bonus.

19 Dico primò. *Vt actus sit honestus, aut turpis, requiritur, quod intellectus attingat aliquo modo honestatem, vel turpitudinem obiecti.* Prob. Nihil est volitum, quin præcognitum, ergo cum obiectum non possit specificare actum, nisi secundum illam rationem, secundum quam terminat, debent esse præcognitum, secundum honestatem, aut turpitudinem.

20 Dico secundò. *Non requiritur cognitio reflexa, supra honestatem, vel turpitudinem, sed sufficit cognitio dire-*

directa qua intellectus dirigit voluntatem. Ita Medina 1.2.*quæst.* 18.*ar.*9.Salas *tract.*7.*disp.*2.*sect.*7. Montesin. *disp.*24.*quæst.*5.§.4. & alij. Prob. Hęc cognitio ostendit modum operandi, alioquin non posset dirigere. Ergo etiam ostendit obiectum, vt specificatiuum actus sub ratione honesti, vel turpis. Conseq. prob. Modus operandi dicit intrinsecum ordinem ad obiectum vt specificatiuũ. Ergo non potest ostendi modus operandi, nisi etiam ostendatur specificatiuum.

21 Ob. Obiectum honestum completur per regulas rationis. Ergo non potest per ipsas manifestari, sed requiritur cognitio reflexa. Resp. neg. conseq. Quia cum regulæ rationis sint rationes manifestatiuę, se ipsis manifestantur, & hoc pacto manifestant complementum, quod tribuunt obiecto.

DE CIRCVMSTANTIIS ACTVS Moralis,

DISPVTATIO XXIII.

An dentur Circumstantiæ.

SECTIO I.

1 Circumstantia sic dicitur, quasi circumstans aliquod, & prout tribuitur humanis actibus, importat quamdam conditionem ipsarum desumptam ex aliquo extrinseco, vt sunt locus, qualitas personæ &c.

2 Dico primò. *Dantur circumstantiæ ex natura sua accidentales etiam secundum esse morale*. Ita communiter cum D. Thom. 1.2.*quæst.*7.*artic.*1. Prob. Ratione diuersarum circumstantiarum actus moralis habet intra eamdem speciem maiorem, vel minorem conformitatem, seù difformitatem ad regulas rationis, vt patet in furto, in quo ratione quantitatis crescit, vel decrescit, ita vt aliquando sit peccatum mortale, aliquando veniale. Ergo circumstantiæ sunt accidentales, quia non variant speciem, sed tantum augent, vel minuunt.

3 Ob. Circumstantię transeunt in obiectum; quod autem desumitur ex obiecto, non est accidentale. Resp. Circumstantias transire in obiectum secundum, & annexum alteri, quod de se dat primam speciem mortalitatis; & ideò se habent accidentali modo.

4 Ob. secundò. Actus ita dependet ex circumstantijs, vt si vna non sit bona, non possit esse bonus. Ergo desumit ab ipsis bonitatem essentialem. Resp. neg. cons. Quia ex eo quod obiectum secundum aliquod accidentale sit difforme rectæ rationi, vitiatur; nam bonitas ex integra causa, malum verò ex quocunque defectu.

5 Dico secundò. *Non solum actus externus, sed etiam internus habet suas circumstantias*. Ita D. Thom. *cit.* & communiter contra Ocham *in* 3.*quæst.*10.*dub.*4. & Gabr. *dist.*23.*quæst.*1.*articul.*1. Prob. Dantur circumstantię ex parte obiecti, Ergo etiam ex parte actus interni. Cons. prob. Cognitio repræsentans obiectum, repræsentat etiam circumstantias. Ergo refunduntur in actum internum, ità vt actus internus dicat ordinem ad ipsas, quia dicit ordinem ad omne id, quod proponitur per cognitionem.

6 Ob. Omnes circumstantiæ componunt vnum obiectum in ordine ad voluntatem. Ergo cum actus dicat vnam simplicem habitudinem ad obiectum, circumstantiæ pertinebunt ad substantiam actus. Respond. Componere vnum obiectum vnitate integrali, sicut componunt accidentia cum substantia; non vero vnitate substantiali; Et ideò etiam actus est vnus vnitate integrali, qua stat cum aliquo accidentali, & parte ipsius.

7 Ob. Visio figuræ non est circumstantia respectu visionis coloris, licet figura sit accidentalis colori. Ergo licet detur aliquid accidentale respectu obiecti, non erit tamen accidentale respectu actus. Resp. Esse disparem rationem, nam figura non est circumstantia obiecti, licet sit accidentalis colori. Obiectum enim visibile essentialiter coalescit ex colore, & quantitate terminata tanquam sensibili communi.

8 Dico tertiò. *Circumstantiæ sunt accidentales actui morali etiam in indiuiduo considerato*. Prob. Sunt accidentales obiecto in indiuiduo, Ergo etiam actui, quia obiectũ determinat etiam indiuiduationem actus.

9 Dico quartò. *Circumstantiæ non solum augentes, vel diminuentes intra eamdem speciem, sed etiam mutantes speciem, sunt accidentales actui morali*. Prob. Voluntas potest eodem actu tendere in obiecta accidentaliter coniuncta, quorum singula habeant propriam desformitatem, ergo tunc actus internus contrahet plures desformitates, quarum vna sit separabilis ab alia, vt cum quis occidit in loco sacro. Ergo tunc circumstantia loci sacri erit accidentalis respectu homicidij.

10 Ob. Quando circumstantiæ mutant speciem, se habent per modum obiecti formalis. Ergo moralitas ex ipsis desumpta est essentialis actui, quia actus specificatur ab obiecto formali. Resp. dist. consequent. Est essentialis actui, prout est in tali specie, non verò prout supponitur constitutus etiam in alia specie; sicut enim circumstantiæ supponunt aliud obiectum formale, ita moralitas ab ipsis desumpta supponit aliam moralitatem, cui accidentaliter aduenit, atque adeò coniungitur duæ species moralitatis.

Quot sint Circumstantiæ?

SECTIO II.

11 Communiter, septem enumerantur cum D. Thom. 1.2.*quæst.*7.*art.*3. nempè.

Quis, quid, vbi, per quæ, quoties, cur, quomodo, quando.

Quis significat personam, & ea quæ adiacent personæ; *Quid* significat obiectum, & materiam; *Vbi* importat locum; *Per quæ* instrumenta, & ea, quæ quocunque modo adiuuant operationem; *Cur* significat finem extrinsecum; *Quomodo* importat modum actionis, *Quando* verò tribuitur tempori; & ad has circumstantias reducuntur omnes aliæ, quę sunt aliquo modo cum ipsis connexæ.

12 Ob. Arist. 3. *Eth. cap.* 1. enumerans circumstantias, non ponit locum, & tempus. Ergo Resp. neg. antec. Quia comprehendit tempus, & locum sub circumstantia *Circa quod* quia, quando datur circumstantia considerabilis in ordine ad bonitatem vel malitiam ex parte temporis, & loci, reducitur ad materiam ex eo quod ipsam variet.

13 Ob. Secundò. *Quoties* est circumstantia, & non continetur sub enumeratis. Ergo. Respond. neg. anteced. Quia multiplicat actionem; circumstantiæ autem sunt illæ, quę afficiunt eamdem actionem.

14 Ob. tertiò. Tàm in iure Canonico, quàm in ciuili ponuntur alię circumstantię, vt in cap. Cum etiam de Testibus, & Attest. & in cap. 1. *Causa.* 15.*q.*6. & in l. *Aut facti ff.* de *Pœnit*. Ergo. Resp. Omnes circumstantias, quæ in his locis ponuntur, reduci ad enumeratas nam quantitas reducitur ad materiam: quod actio sit coacta, vel ex metu, vel ex passione, vel ex ignorantia, pertinet ad modum actionis, & sic de reliquis.

15 Quęres. An ignorantia cuiuslibet circumstantię reddat actionem inuoluntariam Resp. Reddere inuoluntariam secundum id, quod ignoratur, & hoc tantum vult Arist. 3. *Eth. cap.* 1. quando docet, ignorantiam cuiuslibet circumstantiæ causare inuoluntarium; nam secundum, quod ignoratur, nullo pacto potest esse à principio intrinseco.

An Bonitas, & Malitia desumantur ex Circumstantijs.

SECTIO III.

16 Circumstantiæ aliæ se tenent ex parte obiecti, & sunt illæ, quæ ipsum circumstant; aliæ verò ex parte actus, vt sunt intentio, continuatio, persona operans, & huiusmodi. Certum est autem aliquas circumstantias non conferre semper nouam bonitatem, aut malitiam, sed determinare obiectum, vt sit bonum, vel malum, ita vt sine ipsis non sit tale, sic comedere præcisis circumstantijs, neque est bonum, aut malum moraliter, sed si fiat debito tempore, & secundum mediocritatem, est bonum; malum autem, si cum excessu, & tempore indebito. Difficultas autem est. An quando supponunt obiectum bonum, vel malum, conferant actui nouam bonitatem, vel malitiam.

17 Dico primò. *Ex Circumstantijs obiecti desumitur aliqua bonitas vel malitia.* Ita communiter cum D. Th. 1.2. *quæst.* 18. *ar.* 3. Probatur. Actus ratione circumstantiarum habet specialem conformitatem, vel difformitatem ad regulas rationis. Ergo sumit ab ipsis specialem bonitatem, vel malitiam. Antecedens patet. Quia regulæ rationis non solum dictant de obiecto, sed etiam de circumstantijs.

18 Dico secundò. *Etiam ex circumstantijs, quæ se tenent ex parte actus desumitur specialis bonitas, vel malitia.* Ita communiter cum D. Thom. *cit.* & Arist. 2. *Eth. cap.* 6. Prob. Quia regulæ rationis dictant etiam de ipsis.

19 Colligitur ex his. Bonitatem ita dependere à circumstantijs, vt si aliqua sit mala, actus non possit esse bonus, vt docet Arist. modo *cit.* Siquidem Bonum est ex integra causa, vt ait D. Dionis. *capit.* 4. *de Diuinis Nominibus.*

20 Ob. Aliquæ circumstantiæ sunt inseparabiles, vt duratio. Ergo etiam Bonitas, vel malitia. Ergo conuenit per se. Respondetur neg. vltimam Consequentiam. Quia aliud est conuenire per se, & aliud conuenire inseparabiliter.

21 Ob. secundò. Circumstantiæ non tribuunt bonitatem, vel malitiam, nisi sint aliquo modo volitæ. Ergo non tribuunt vt circumstantiæ, sed vt obiectum Resp. neg. consequentiam. Quia non sunt volitæ per se primò sed secundariò, & indirectè; vnde quando contingit quod per se primò intendantur, tunc induunt rationem obiecti.

Quomodo Circumstantiæ obiecti debeant esse voluntariæ.

SECTIO IV.

22 Prima sententia asserit sufficere, quod sint indirectè voluntariæ etiam, vt tribuant bonitatem; ita quidam Recentiores & Comeius 1.2. *tract.* 6. *disp. vltima dub.* 3. qui tamen solum loquitur de circumstantijs augentibus bonitatem intra eamdem speciem. Prob. cum quis omittit actum contrarium præcepto, etiam si directè non velit omittere, meretur laudem, iuxta illud Eccles. 3. *Qui potuit trāsgredi, & non est trāsgressus.* Ergo. Secundò. Si quis præuideat ex sua concione secuturam salutem animarum, & concionetur, etiam si non intendat salutem, voluntas erit bona ex tali circumstantia. Ergo. Tertiò. Quando circumstantiæ sunt directè volitæ dant nouam speciem. Ergo vt augeant, non est opus, quod sint directè volitæ.

23 Secunda sententia asserit, debere esse directè volitas, vt dent bonitatem; sufficere verò; quod sint indirectè volitæ, vt dent malitiam. Ita D. Thom. 1.2. *quæst.* 12. *art.* 9. Salas *disput.* 2. *tractat.* 7. *sect.* 11. Suarez *disput.* 1. *de bonit. & malit.*

24 Dico primò. *Circumstantiæ non dant bonitatem actui, nisi sint directè volitæ.* Prob. Vt actus sit honestus debet attingere obiectum honestum non materialiter, sed ex motiuo honestatis; Ergo debet honestas esse directè volita, quia motiuum directè terminat actum.

25 Dico secundò. *Vt circumstantia sit directè volita non requiritur cognitio reflexa, sed sufficit, quod directè attingatur per regulam rationis.* Probatur. Ista cognitio diiudicat de honestate, atque adeò ipsam attingit. Ergo sufficit vt ipsam proponat sub ratione honestatis.

26 Dico tertiò. *Vt circumstantiæ dent malitiam actui, sufficit, si sint indirectè volitæ.* Probatur. Voluntas habet naturale præceptum fugiendi obiectum quocunque modo malum. Ergo vt contrahat malitiam, sufficit, quod sequendo obiectum indirectè velit circumstantiam.

27 Ob. Adest etiam præceptum sequendi bonum, & tamen non sufficit, quod sit indirectè volitum, ergo. Respondetur neg. conseq. Quia Bonum non tribuit bonitatem actui, nisi moueat voluntatem; malum autem non debet mouere, sed sufficit, si voluntas vniatur cum obiecto, cum quo non debet vniri.

28 Ad primum negatur assumptum. Ad probationem laudari, qui non transgreditur, quando actu positiuo ex motiuo honestatis deliberat non trāsgredi. Ad secundum. Ipsam Concionem, vt est causa salutis animarum, habere specialem honestatem, quam contrahit actus ad ipsam terminatus; non autem ex effectu indirectè volito: vnde sequitur consequentiam. Ad tertium distinguitur antecedens. Quomodo circumstantiæ directè volitæ habent motiuum diuersæ rationis, tunc variant speciem, secus autem, si non habeant, nam tunc tantum augent, vel minuunt.

29 Colligitur ex dictis. Bonitatem, & malitiam ex circumstantia obiecti infiniti non augeri in infinitum, vt si quis velit dare pro eleemosina pecuniam infinitam, quia actus non correspondet obiecto in esse rei, sed in esse obiecti, prout exercet vim motiuam. Obiectum autem infinitum in esse obiecti finito modo se habet, quia mouet finito modo iuxta capacitatem naturæ rationalis, quę est finita.

30 Colligitur secundò. Tunc circumstantias variare speciem, vt docent communiter cum D. Thom. 1.2. *quæst.* 18. *articulo* 10. & 11. quando præcisè consideratæ, habent specialem conformitatem, vel difformitatem ad regulam rationis, ita vt de se possint fundare bonitatem. Quod debet intelligi, vt quantum est de se formaliter, non supponant necessariò aliam bonitatem, vel malitiam, licet possint supponere ratione subiectæ materiæ, sic occidere in loco sacro supra malitiam homicidij habet etiam rationem sacrilegij, quæ consistit in iniuria, quæ fit loco sacro; & potest stare sine malitia homicidij.

Quomodo ex Circumstantijs actus desumitur Bonitas, vel Malitia.

SECTIO V.

31 Persona cum non cadat sub mensuratione rationis, non confert ad bonitatem, vel malitiam, quia non importat specialem conuenientiam, vel disconuenientiam ad regulas rationis. Potest augere dignitatem operationis & valorem; vnde actus fidei elicitur à persona dignificata per gratiam, habet valorē meriti. Modus verò ratione intentionis auget bonitatē, vel malitiam, quia intensio dicit aliquod maius, nec requiritur quod sit voluntaria per modum obiecti; sed sufficit si sit talis elicitiuè, quia vt aliquid de ipso actu sequitur naturam actus. Ita autem auget bonitatem, vt nunquam inficiat ratione excessus, quia semper perficit. Fieri tamen potest, quod

vitiet

vitiet ratione alicuius conditionis sibi annexæ. Modus verò operandi liberè non auget bonitatem, vel malitiam, quia non importat maiorem conformitatem, vel difformitatem ad regulas rationis; auget tamen imputabilitatem: vnde actus magis liber, magis etiam imputatur. Quod autem spectat ad durationem, maior duratio auget illas conditiones, quæ fundantur in bonitate, & malitia, vt meritum, & demeritum, quia in quolibet instanti potest voluntas cessare ab actu; vnde conseruando, interuenit quædam productio virtuali modo pluries replicata; & ideo difficultas est, quomodo non sequatur augmentum infinitum ex continuatione, cum crescat in quolibet instanti, & in qualibet parte temporis sint infinita instantia; Omissis varijs responsionibus.

32 Respondetur. Non sequi augmentum infinitum, quia non dantur instantia infinita in tempore, nec quantitas, siue successiua, siue permanens habet partes infinitas, vt dixi in physicis. Supposito autem quod dentur instantia infinita, non sequitur augmentum infinitum, quia cum meritum, & demeritum sint quid morale; non crescunt augmento determinato, nisi secundum æstimationem moralem, qua pluris fit actus magis durans. Non fit autem pluris nisi in ordine ad aliquam partem temporis, quæ sit alicuius considerationis; hæ autem partes, cum sint aliquotæ, non sunt infinitę, & sicut tempus non crescit in infinitum, licet continuò crescat, quia partes, per quas crescit, sunt inuicem communicantes, ita neque in casu nostro: nam illud continuum augmentum fit per partes communicantes; partes verò non communicantes, sunt finitæ.

33 Dices. In quolibet instanti sunt eadem principia moralia, quæ sunt in primo. Ergo in quolibet instanti tantum producunt, quantum producunt in primo. Resp. neg. Conseq. Quia in secundo instanti nihil producunt; sed tantum conseruant, quod produxerunt.

An Bonitas, & Malitia desumantur ex fine extrinseco.

SECTIO VI.

34 Certum est. Actum puræ electionis habere suam bonitatem vel malitiam ex fine extrinseco, quia cum attingat medium, vt medium attingit, aut est bonum, vel malum ratione finis; vnde difficultas est, an quando actus sumit bonitatem, vel malitiam ex obiecto, quod habet rationem finis intrinseci, sumat etiã ex fine extrinseco.

35 Dicendum est. *Sumere bonitatem, vel malitiam ex fine extrinseco.* Ita communiter cum D. Th. 1. 2. *quæst.* 13. *ar.* 4. Prob. Actus dicit ordinem ad finem extrinsecum, & ratione huius ordinis habet specialem correspondentiam, vel dissonantiam ad regulam rationis. Ergo.

36 Ob. Opera, quæ procedunt ex ęquali intentione charitatis, sunt æquè bona: vnde Aug. *c.* 19. *de bono coniugij*, docet. Coniugium veterum Patrum fuisse æquè bonum, ac virginitatem nouæ legis. Ergo quando bonitas desumitur à fine, non desumitur ex obiecto. Resp. neg. ant. Quia cæteris paribus actus est melior, qui habet obiectum melius. D. autem Aug. solum docet, quod voluntas matrimonij potuit superare voluntatem virginitatis, non ratione obiecti, sed ratione intentionis, aut ex aliquo alio capite.

Quomodo se habent Bonitas, & Malitia desumpta ex fine.

SECTIO VII.

37 Prima Sententia asserit, Bonitatem, & malitiam ex fine esse essentialem actui; quæ verò sumitur ex obiecto esse accidentalem intra Caietan. 1. 2. *quæstion.* 18. *articul.* 4. Vasquez. *disputat.* 51. *capitul.* 4. & alij.

Prob. solus finis est motiuum, atque adeò specificatiuum; vnde Arist. 5. *Eth. cap.* 2. ait, quod si quis mæchatur furandi causa, iniustus est, non autem intemperans. Ergo.

38 Secunda sententia asserit. Bonitatem, & malitiam ex obiecto esse essentialem; ex fine verò esse accidentalem, ita Medina 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 6. Lorca *ibidem*. Curiel. *dub.* 2. §. 2. Suarez *disputat.* 6. *de bonitat. & malit. sect.* 3. & alij.

39 Dico primò. *Bonitas, & malitia ex obiectio est prima, & essentialis.* Prob. Obiectum est proprium specificatiuum actus. Ergo bonitas ex obiecto est prima, & essentialis, cum correspondeat specificatiuo.

40 Dico secundò. *Bonitas, & malitia ex fine extrinseco est accidentalis.* Prob. Actus potest ordinari, & non ordinari ad finem extrinsecum. Ergo potest habere, & non habere bonitatem, & malitiam ex ipso.

41 Ad fund. in oppositum neg. antec. Nam obiectum, cum sit finis intrinsecus, habet propriam rationem motiuam. Ad prob. Aristotelem solum velle, quod denominatio sumatur ab intentione, tanquam ab illa, quæ tanquam forma sibi substernit alios actus.

Qualis ordo sit inter speciem ex obiecto, & speciem ex fine.

SECTIO VIII.

42 Dico primò. *Quando obiectum per accidens ordinatur ad finem, species ex fine, & species ex obiecto se habent disparatè.* Ita communiter cum D. Th. 1. 2. *quæst.* 18. *ar.* 7. Prob. Ordo inter moralitates actuum est ex obiectis vt specificatiuis. Ergo si non est ordo inter obiecta, nec etiam erit inter species.

43 Dico secundò. *Quando obiectum ex natura sua ordinatur ad finem, species ex obiecto non est sub specie ex fine, vt sub genere propriè dicto.* Probatur. Species ex fine est infima, vt patet, quando finis seorsim attingitur. Ergo non potest habere rationem generis propriè dicti.

44 Dico tertiò. *Species ex fine est genus similitudinarium respectu speciei ex obiecto.* Ita D. Th. *cit.* Probatur. Finis est assequibilis per diuersa media. Ergo relinquit moralitatem determinabilem per talem, & talem speciem ex obiecto, vt medio.

45 Dices. Hoc etiam conuenire fini, quando obiectum per accidens ordinatur ad ipsum. Respondetur. Non conuenire, quia non interuenit determinatio ex natura ipsorum; sed solum ab extrinseco per accidens, quod non sufficit ad saluandam similitudinem generis.

DE ACTV MORALI BONO, SEV Virtuoso.

DISPVTATIO XXIV.

An, et quid sit Bonitas Moralis obiectiua:

SECTIO I.

1 Svpponendum est cum D. Thomæ *prima secunda quæstion.* 19. *articul.* 1. Dari in obiectis moralem bonitatem obiectiuam, & malitiam, nam aliqua sunt conformia regulis rationis, aliqua verò difformia. Hęc autem bonitas, vel malitia est in rebus fundamentaliter independenter ab actu voluntatis, quatenus ex natura sua habent, quod possint, vel non possint honestè amari; completur autem per regulas rationis, quatenus in ipsis reperitur ostensiuo modo secundum

vltimam determinationem, & quatenus per ipsas determinantur ad debitam mensuram. Rursus reperitur etiam in rebus bonitas, & malitia formalis moralis obiectiua, quæ est dispositio moralis introducta per actus voluntatis, quatenus disponit de rebus, vel iuxta regulas rationis; vel contra ipsas, difficultas autem est, in quo consistat.

2 Dico primò. *Bonitas moralis obiectiua absolutè considerata consistit in eo, quod obiectum congruenti modo se habeat intra ordinem rationis, atque adeò sit congruum medium vnitiuum creaturæ intellectualis cum vltimo fine.* Prob. Obiectum bonum moraliter fundat, & determinat ordinem creaturæ intellectualis ad vltimum finem. Ergo debet intra eumdem ordinem esse quid ordinatum obiectiuo modo, vt refundat in verum talem ordinem. Per id autem ordinato modo se habet, quod sit medium vnitiuum intellectualis creaturæ cum vltimo fine. Ergo.

3 Dico secundò. *Bonitas moralis obiectiua respectiuè sumpta consistit in conuenientia ad naturam intellectualem, vt talis est.* Prob. Natura intellectualis, vt talis, exigit bonificari speciali modo. Ergo debet dari specialis bonitas in ordine ad ipsam, quæ non est alia, nisi moralis. Antecedens patet. Quia sicuti est capax Beatitudinis, ita exigit bonificari per omnes illas bonitates, quæ sunt gradus ad Beatitudinem. Conseq. probatur. Bonitas obiectiua, vt stat sub regulis rationis, importat illud bonificatiuum, quo creatura intellectualis perducitur ad vltimum finem. Ergo.

4 Dico tertiò. *Bonitas moralis absoluta, quæ est forma causata à voluntate consistit in dispositione debita, qua obiecta disponuntur intra ordinem ad finem.* Probatur. Hæc Bonitas est quædam connexio, qua creatura intellectualis vnitur cum suo fine; per id autem vnitur, quod obiecta per ipsam disposita congruo modo se habeant.

5 Dico quartò. *Bonitas moralis obiectiua proueniens à voluntate respectiuè considerata consistit in illa congruitate, per quam obiecta disposita secundum regulas rationis, sunt congrua naturæ intellectuali.* Probatur. Bonum morale hoc pacto sumptum est effectus voluntatis operantis in ordine ad perfectionem naturæ intellectualis. Ergo consistit in illa dispositione perfectiua eiusdem naturæ secundum regulas rationis.

6 Ob. Idem obiectum ex diuersitate legis potest esse honestum, & turpe. Ergo bonitas consistit in conformitate ad legem. Resp. neg. cons. Ideo enim ex diuersitate legis potest obiectum esse honestum, & turpe, quia lex variat ipsum secundum congruitatem respectu intellectualis naturæ.

7 Ob. Secundò. Regula rationis est actus intellectus diiudicans de obiecto, & cognoscens bonitatem ipsius; & tamen non cognoscit conformitatem ad se ipsam, cum nō possit supra se ipsam reflectere. Ergo bonitas nō consistit, in congruitate, quæ resultet ex tali conformitate. Resp. neg. secundam partem antecedentis. Quia, cum conformitas sit intrinseca obiecto, quod attingitur à regula rationis, cognoscitur directè.

8 Obij. tertiò. Natura rationalis præscindendo ab eo quod possit liberè operari, non magis habet conuenientiam cum honesto, quàm cum turpi. Ergo bonitas non consistit in conuenientia ad ipsam. Respondetur neg. antecedens. Nam adhuc remotè est capax beatitudinis; & ideo habet radicalem exigentiam illius boni, quod conducit ad beatitudinem.

9 Obij. quartò. Potest aliquid esse conueniens naturæ rationali vt tali, & non esse bonum, vt est appetitus propriæ gloriæ. Ergo bonitas non consistit in tali conuenientia Resp. neg. antec. Quia appetitus propriæ gloriæ non relatæ in Deum, non est conueniens naturæ rationali, licet sit proprius ipsius, quia est proprius, sicuti est proprium malum morale.

10 Colligitur ex his, Malitiam obiectiuam consistere in eo, quod obiectum sit incongruum ad vniendum creaturam rationalem cum vltimo fine, si absolutè consideretur, si verò sumatur respectiuè consistere in disconuenientia ad naturam rationalem, vt autem prouenit à voluntate, & absolutè acceptam consistere in incongrua dispositione morali; relatiuè verò sumptam in disconuenientia ad naturam rationalem tendentem in finem.

11 Colligitur secundò. Virtutem moralem habitualiter sumptam, quæ est principium actus boni, esse bonam qualitatem animæ, qua rectè viuimus, vt docet Diu. Thomas 1 2. *quæstion.* 65. *articul.* 4. & D. Augustin. *lib.* 2. *de libero arbitr. capitul.* 19. Cum enim benè viuere sit benè operari, atque adeo cum debita dispositione intra ordinem moralem, principium actiuum, quo benè disponitur, erit virtus.

In quo consistat bonitas formalis Moralis.

SECTIO II.

12 Ex dictis de Moralitate in communi sequitur: bonitatem esse quid reale intrinsecum actui. Non consistit tamen in aliquo realiter distincto, quia sicuti bonitas physica est passio indistincta entis physici, ita moralis est passio indistincta entis moralis; nec etiam consistit in concursu eorum, quæ requiruntur secundum rectam rationem, quia dicit vnicam indiuisibilem rationem, qualis non est iste cōcursus, qui tantum materialiter fundat ipsam bonitatem.

13 Dico primò. *Bonitas moralis absoluta actus eliciti consistit in illa congruitate, qua retinet debitum ordinem, & modum respectu vltimi finis.* Prob. Ratio formalis bonitatis facit, quod subiectum bene se habeat; per id autem actus moralis benè se habet, quod retinet debitum ordinem respectu vltimi finis.

14 Dico secundò. *Hæc bonitas relatiuè accepta consistit in conuenientia ad naturam rationalem; non autem ad regulas rationis.* Prob. Bonitas moralis non perficit regulas rationis, sed naturam rationalem in ordine ad vltimum finem. Ergo consistit in conuenientia ad ipsam, quia perfectiuum est conueniens perfectibili. Confirm. Talis bonitas est propria naturæ intellectualis ergo debet ipsam bonificare vt talem. Ergo debet esse conueniens in ordine ad vltimum finem.

An vt Actus sit bonus, debeat referri in vltimum finem explicitè.

SECTIO III.

15 Certum est. Non sufficere, quod interpretatiuè referatur, quia tunc reuera non refertur; nec finis influit in actum, nec etiam quod referatur habitualiter, quatenus in operante sit habitus respiciens vltimum finem, quia nisi habitus influat, non ordinat actum in finem; alioquin habens habitum vitiosum, semper malè operaretur. Vnde difficultas est, an sufficiat virtualis relatio, an verò requiratur explicita.

16 Prima sententia asserit. Requiri explicitam: ita Ariminin. *in* 2. *distinct.* 39. *articul.* 1. Almain, *tractat. primo, moral. capitulo.* 11. Diu. Bonauentura *in* 2. *distinct.* 41. *articul. primo. quæstion.* 3. Prob. Prima Corinth. 11. *Quidquid facitis, in gloriam Dei facite.* Ergo requiritur relatio in Deum. Secundò. Nisi ordinetur ad vltimum finem, esset fruitio boni creati, in quo consistit ratio peccati. Ergo.

17 Secunda Sententia asserit, sufficere virtualem ordinationem. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 19. *articul.* 10. Capreol. *in* 2. *distinct.* 41. *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 1. Gabriel. *art.* 3. *dub.* 1. & alij.

18 Dico primò. *Vt actus sit bonus non requiritur expli-*

explicita ordinatio in vltimum finem. Prob. Eo ipso, quod obiectum est honestum seclusa mala circumstantia, actus habet debitam commensurationem cum regulis rationis, & est conueniens naturæ rationali. Ergo est bonus. Antecedens patet. Quia specificatur ab obiecto; obiectum autem est conforme regulis rectæ rationis.

19 Dico secundò. *Vt actus sit bonus requiritur virtualis ordinatio ad vltimum finem, quæ habetur ex eo, quod attingitur obiectum ex motiuo honestatis.* Prob. Obiectum honestum, vt tale, seruat debitum ordinem cum vltimo fine. Ergo eò ipso, quod actus ipsum attingit sub ratione honesti, dicit virtualem ordinem ad vltimum finem.

20 Ad primum. Quidquid facimus, esse faciendum in gloriam Dei, vel formaliter, vel virtualiter. Ad secundum, nisi ordinaretur in vltimum finem saltem virtualiter, esset fruitio; secus autem, si ordinetur virtualiter.

An detur aliquis actus ita Bonus, vt non possit vitiari.

SECTIO IV.

21 Certū est. Actum charitatis, quo diligitur Deus super omnia, esse talem; quia cum præferat Deum rebus omnibus, non potest vitiari ex aliqua mala circumstantia, aut fine; vnde difficultas est de actibus aliarum virtutum.

22 Dicendum est. Nullum actum virtutis procedentem ex proprio motiuo, posse vitiari formaliter, sed tantum materialiter, quatenus potest adhiberi pro malo fine. Ità D. Thom. 1.2. *quæst.* 17. *ar.* 3. *ad primum.* Probatur. Motiuum formale virtutis est honestum excludens omnes malas circumstantias, cum debeat mouere ad benè operādum. Ergo actus, qui est ex tali motiuo non potest formaliter esse malus ex vi suæ specificationis. Confirmatur. Virtus est illa, qua nemo malè vtitur. Ergo non potest actus virtutis retinens propriam rationem virtutis vitiari, alioquin posset quis malè vti virtute.

23 Dices. Potest quis velle ieiunare ob malum finem; tunc autem ille actus abstinentiæ erit malus. Ergo. Resp. neg. min. Quia ille actus non erit actus abstinentię formaliter, sed talis qualis est finis vtentis materiali abstinentia ad malum finem.

24 Dices secundò. Sequeretur, quod actus aliarum virtutum non differrent ab actu Charitatis. Ergo. Respondetur neg. sequellam. Quia charitas neque etiam materialiter potest vitiari, cum non possit adhiberi ad malum finem; siquidem rectificat voluntatem totaliter.

25 Dices tertiò. Potest quis eo tempore, quo tenetur subuenire proximo, vacare orationi ex dilectione Dei. Ergo tunc actus charitatis vitiabitur. Resp. neg. antec. Quia non erit vera dilectio Dei; nam charitas non agit perperam, & ideò non potest facere, quod voluntas velit aliquod malum, aut quod non impleatur præceptum.

An idem actus habeat plures Bonitates specie ex proprio Obiecto.

SECTIO V.

30 Difficultas procedit, quando obiectum materiale est vnum, & habet plura motiua, ex quibus potest attingi. Prima sententia est affirmatiua: ita Montes. 1.2. *disp.* 24. *quæst.* 4. & alij recentiores Thomistæ. Prob. Affectus Latrię, & duliæ vnus, & idem potest tendere in humanitatem Christi ratione duplicis excellentiæ increatæ, & creatę. Ergo idem actus habet duplicem rationem virtutis. Secundò. Potest quis vnico actu eligere vnicum medium conducens ad plures fines non subordinatos; tunc autem idem actus habebit plures bonitates ex vi finium. Tertiò. Potest voluntas moueri simul à pluribus motiuis, vt cum quis diligit amicum ob plures perfectiones, quem non diligeret, si haberet vnicam solam. Ergo tunc idem actus habebit plures bonitates in ordine ad plura motiua.

27 Secunda sententia est negatiua. Ita Suarez *disp.* 4. *de bonitate, & malit. sect.* 3. Vasq. 1.2. *disp.* 51. *cap.* 3. & desumitur ex D. Thom. 1.2. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad tertium.*

28 Dico primò. *Quando motiua sunt ita diuersa, vt non se habeant per modum vnius, non possunt tribuere eidem actui plures bonitates, sed specificabunt actus distinctos.* Prob. Motiuum determinat actum, & separat ab alio ex eo, quod ipsum trahat ad talem determinatam mensuram. Ergo quando plura motiua se tenent ex parte obiecti, & non se habent per modum vnius specificabunt plures actus distinctos.

29 Dico secundò. *Si motiua aliquo modo coalescant in vnum, tunc idem actus potest ex vi ipsorum habere plures bonitates.* Tunc autem coalescunt si sint plures partes integrantes vnius adæquati motiui, aut inuicem subordinentur, aut simul ordinentur ad eumdem finem, aut aliquo alio modo vniantur. Prob. Talis est actus ex vi specificationis, qualé est motiuum. Ergo si motiua coalescunt in vnum, etiam idem actus poterit habere plures bonitates coalescentes in vnum.

30 Ad primum distinguitur conseq. Poterit idem actus habere plures bonitates, si motiua coalescant in vnum, sicut in Christo coalescit excellentia creata cum increata, cui subordinatur; secus autem, si non coalescat. Ad secundum. Ille actus habebit plures bonitates, quia fines vniuntur in assequibilitate per tale medium. Ad tertium negatur. conf. Quia quando vnum motiuum seorsim non mouet, sed simul cum alijs, non est distinctum ab ipsis adæquatè; sed tantum inadæquatè tanquam pars integrans vnius adæquati motiui.

32 Ob. Si quando obiectum habet plura motiua, posset attingi secundum omnia per modum vnius, essent superfluæ tot virtutes, non sufficeret vna correspondens omnibus motiuis. Ergo, Resp. neg. sequellam. Quia sunt necessariæ speciales virtutes, vt possint singula motiua attingi secundum suas speciales rationes.

DE MALITIA ACTVS MORALIS, seù peccato.

DISPVTATIO XXV.

An Malitia sit intrinseca alicui Actui.

SECTIO I.

1 Dicendum est. *Aliquos actus seclusa qualibet extrinseca probibitione ita esse malos, vt nulla ratione possint honestari.* Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. *&* 8. contra Ocham *in* 2. *dist.* 19. *ad tertium, &* 4. Gerson. *alfab.* 6. *litt.* E qui volunt, nullum actum esse malum, nisi quia prohibetur à Deo. Prob. Dantur principia practica æternæ veritatis, & immutabilia, quæ habent suam veritatem independentem à quacunque libera voluntate, & sunt regula operandi, & dantur aliqui actus, qui seclusa omni prohibitione facta à voluntate libera, sunt contrarij istis principijs, vt odium Dei. Ergo hi actus ex intrinseca sua ratione sunt mali, cum sint contra immutabiles veritates practicas.

2 Dicendum Secundò. *Omnis actus malus est talis per ordinem ad rationem Diuinam dictatiuo* modo

modo prohibentem, atq; adeò per ordinem ad legem æternam. Probatur. Ratio diuina est prima regula praescribens omnem ordinem, Ergo dictatiuo modo prohibet, quod est malum.

3 Dicendum tertiò. *Non posse dari actum malum, nisi etiam sit prohibitus à Diuina voluntate, ita tamen vt non sit malus, quia prohibitus, sed è contra.* Prob. Voluntas Diuina est necessariò conformis cum regulis Diuinis. Ergo supposito quod existat rationalis natura, vult, quod habeat rectitudinem, & non vult, quod non est rectum, cum ita dictent regulæ diuinæ.

4 Ob. Nullus actus ex vi suæ entitatis habet malitiam, sed solum quatenus deficit à regula voluntatis præcipientis. ergo non est intrinsecè malus. Respondetur. neg. conseq. Quia licet non sit malus ex vi entitatis formaliter, habet tamen ex intrinseca sua ratione annexum defectum.

5 Quæres. An detur duplex malitia phylosophica, quæ consistat in difformitate ad rectam rationem, & Theologica, quæ consistat in difformitate ad legem æternam, & importet offensam Dei, vt vuult Hurtadus *disp. 9. de Incarnat. sect.* 2. Respondetur negatiuè vt desumitur ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 4. Quia non est duplex malitia sed vna, & eadem considerata secundum habitudinem ad diuersum terminum subordinatum. Cum enim regula intellectus creati sit participatio regulæ æternæ, se habet subordinato modo respectu ipsius; vnde quod est contra regulam creatam, est etiam contra regulam æternam.

Quodnam sit subiectum Malitiæ.

SECTIO II.

6 PRima sententia vult inesse immediatè voluntati. Ita Gab. in 2. *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 2. *capitul.* 6. Ocham *quodlibet* 3. *quæst.* 14. *ad secundum.* Molina 1. *part. quæst.* 5. *disp.* 1. Salas 1. 2. *tract.* 7. *disp.* 3. *sect.* 2. *numer.* 54. Prob. Voluntas prius actiuè se habet, quam recipiat, & in illo priori est mala, quia attingit obiectum malum. Ergo ipsa est subiectum malitiæ. Secundò. Transacto actu manet malitia, & peccatum. Ergo subiectatur in voluntate. Tertiò. Actus, qui sunt intrinsecè mali, non sunt capaces rectitudinis. Ergo cum malitia consistat in priuatione debitæ rectitudinis, non potest ipsis inesse.

7 Secunda sententia docet, inesse actui, ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 1. & *quæst.* 72. Suarez *disput.* 7. *de bonit. & mal. sect.* 2. *num.* 6. & alij.

8 Dicendum est. *Malitiam inesse actui immediatè, & voluntati solum ratione actus.* Prob. Actus secundum se formaliter est difformis regulis rationis, & est auersio ab vltimo fine, & attingit obiectum. Ergo in se ipso importat malitiam cum malitia consistat in tali difformitate, & auersione, & specificatione ex tali obiecto.

9 Ad primum distinguitur. Antec. Voluntas in illo priori est mala actiuè ratione attingentiæ, quæ consistit in actu, & prout facit actum malum, non autem passiuè. Ad secundum transacto actu remanet malitia, & peccatum habituale; non autem actuale, de quomodo agimus. Ad tertium negatur conseq. Quia Malitia consistit in negatione, vt dicemus infra, non autem in priuatione.

An detur malitia in sola carentia Actus.

SECTIO III.

10 DIcendum est. *Non dari, sed omnem malitiam requirere actum positiuum, cui insit.* Sequitur ex supradictis, vbi ostendimus, non posse dari voluntarium absq; omni actu. Prob. Ex eo, quod voluntas careat omni actu, non se auertit à debito ordine, nec deficienter se habet. Ergo non contrahit aliquam malitiam. Antec. patet. Quia ex vi actus primi præcisè non habetur aliquis defectus, aut deordinatio.

11 Dices. Haberi deordinationem, quę sit carentia actus. Contra. Carentia actus, quam deberet habere, non est ex determinatione voluntatis. Ergo non importat aliquam malitiam, cum malitia debeat esse ex aliqua determinatione voluntatis.

12 Ob. Voluntas vrgente præcepto est difformis regulis rationis per id, quod cessat ab omni actu. Ergo habet malitiam. Respondetur. Esse difformem negatiuè, & mortuo modo; non autem positiuè, & vitali modo, & ideo non habet malitiam.

An idem actus possit habere plures malitias specie diuersas.

SECTIO IIII.

13 PRima sententia vult quod, quando ex fine vel circumstantijs desumitur noua malitia, prior malitia ex obiecto non remanent in propria specie, sed ad aliam trasferatur. Ita Conradus 1. 2. *quæst.* 16. *art.* 10. Nauar. *c.* 16. *manual. art.* 3. & communiter summistæ. Prob. Ex obiecto, & circumstantia constituitur vnum obiectum. Ergo vna malitia. Secundò. Vnica tantum lex prohibet adulterium. Ergo habet tantum vnam malitiam. Tertiò, Si in Sacrilegio esset duplex malitia, esset etiam duplex peccatum, quod tamen est falsum.

14 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 154. *a.* 1. & 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 10. Medina *ibidem.* Curiel *dub.* 1. Montelin. *disp.* 24. *quæst.* 3. Corneius *tract.* 6. *disp. vltima dub.* 1. & communiter Theologi.

15 Dico primò. *Malitia ex obiecto non potest determinari ex malitia ex fine, vel circumstantijs ad speciem propriè dictam.* Prob. Malitia ex obiecto est constituta in vltima specie infima, vt constituitur, quando obiectum se solo attingitur; species autem infima non potest contrahi ad aliam per nouam differentiam.

16 Dico secundò. *Malitia ex obiecto, & ex fine, seù circumstantijs coalescunt in vnum per subordinationem.* Prob. Obiectum subordinatur fini, & circumstantijs; Ergo etiam malitia ab ipso desumpta subordinatur malitiæ desumptę, ex obiecto fine, vel circumstantijs. Antecedens patet. Quia obiectum determinatur à fine, & circumstantijs, atque adeò ipsi substernitur.

17 Dico tertiò. *Malitia ex obiecto, & ex circumstantijs componunt vnam malitiam ad modum compositionis physicæ.* Prob. Circumstantia est determinatiua obiecti. Ergo etiam malitia, & circumstantia erit determinatiua malitiæ ex obiecto ad similitudinem formæ.

18 Ad primum disting. conseq. Erit vnica malitia eo modo, quo obiectum est vnum, nempè integraliter, nō autem per translationem ad nouam speciem. Ad secundum negatur conseq. Quia per vnicam legem prohibetur adulterium supposita prohibitione fornicationis, quæ fit per aliam legem. Ad tertium negatur sequella, si intelligatur de peccato integraliter accepto; conceditur verò, si intelligatur de peccato formaliter sumpto, nam sacrilegium habet deformitatem duplicis peccati.

In quo consistat formaliter ratio malitiæ, seù peccatum.

SECTIO V.

19 COnstat ex dictis peccatum esse aliquod contra regulas rationis, & disconueniens naturæ rationali, cum non sit aliud, quam actus moralis malus, solum difficultas est, an de formali dicat aliquod positiuum, an verò negatiuum.

20 Prima sententia asserit, peccatum commissionis consistere formaliter in aliquo positiuo. Ita Ocham *in* 3. *qu.* 12. *artic.* 4. Almain. *dist.* 23. *quæst.* 1. Arimin. *in* 2. *dist.* 34. *quæst.* 5. *art.* 2. *concl.* 3. Scot. *quodlibet.* 8. *art.* 1. Medina 1. 2. *quæst.*

1.2. *quaest.* 71. *art.* 6. Curiel. *dub.* 1. Vasq. *disp.* 95. *cap.* 9. Aluarez *disp.* 128. Cumel *quaest.* 71. *art.* 7. *disput.* 5. 6. *&* 7. Bannes 1. *part. quaest.* 48. *art.* 1. Currian. *opusc. de essentia peccati disput.* 1. *dub.* 7. Hericc. 2. *part. tract.* 3. *disput.* 27. *num.* 23. Prob. Prohibitio non prohibet negatiuum, sed positiuum. Ergo cum prohibeat peccatum, erit quid positiuum. Anteced. patet quia prohibet, ne fiat. Secundò, vitia extremè opposita, vt prodigalitas, & auaritia opponuntur ad inuicem non relatiuè, vt patet; nec priuatiuè cũ non sit maior ratio, quod vnum sit priuatio, quàm aliud. Ergo contrariè. Tertiò. Si malitia consisteret in aliqua priuatione, vitia extremè opposita non distinguerentur specie, nam importarent priuationem eiusdem honestatis. Ergo. Quartò sequeretur, peccatum omissionis esse eiusdem rationis cum peccato commissionis; nam vtrumque haberet priuationem eiusdem rectitudinis. Quintò. In naturalibus forma positiua potest esse mala alteri, vt calor aquae. Ergo etiam in moralibus.

21 Secunda sententia docet, peccatum consistere formaliter tàm in positiuo, quàm in negatiuo, ita Ferr. 3. *cont. Gent. cap.* 9. Capreol. *in* 2. *dist.* 35. *quaest.* 1. *art.* 3. Ledesma *de auxilijs art.* 17. *concl.* 4. Prob. Peccatum specificatur ab obiecto positiuo, vt substat malitiae. Ergo ex vi suae specificationis dicit aliquod positiuum, & aliquod negatiuum.

22 Tertia sententia asserit, de suo formale importare solam priuationem, ita Durand. *in* 2. *dist.* 35. *quaest.* 2. Richardus. *dist.* 34. *quaest.* 1. *art.* 1. Henric. *quodlib.* 1. *quaest.* 25. Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *sect.* 3. Lorca *disp.* 25. *de act. hum.* Montesin. *disp.* 3. *de peccato* Suarez *disp.* 7. *de bonit. & malitia. sect.* 3. *& seq.* & alij.

23 Dico primò. Malitia, seù peccatum de suo formali non importat aliquod positiuum, sed solum negatiuum, ita D. Th. 1. 2. *quaest.* 18. *art.* 1. & *quaest.* 75. *art.* 7. & *quaest.* 85. *art.* 4. vbi habet. *Est quoddam bonum, quod est ordinatio actus, & huius priuatio est essentialiter peccatum.* Desumitur etiam ex D. August. 2. *de ciuit. Dei. cap.* 2. vbi ait. Nemo quaerat efficientem causam malae voluntatis; *non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio*, & concludit. *Ea quippe, quae non in specie, sed in eius priuatione sciuntur, si dici, aut intelligi possũt, quodamodo sciuntur, vt sciendo nesciantur.* Greg. Mag. lib. 1. in primum. Reg. cap. 14. *Res quippe aliquod esse habet, peccatum verò nullum.* Basilio hom. 9. *Mali essentiã statuere non possumus, nam malum boni priuatio est.* Damasc. lib. 2. de fide. cap. 4. *Nihil aliud quidpiam est malum, quàm boni priuatio, sicut tenebrae luminis.* Amb. capit. 16. de Isaac. *Quid est malum, nisi boni indigentia?* & communiter alij. Patres similia tradunt, quorum plura retuli in *Metaph.* 1. 2. *d.* 76. Probatur. Si peccatum, importaret formaliter aliquod positiuum, non esset peccatum, quod est absurdum. Sequella probatur. Hoc positiuum haberet aliquam mensuram essendi in genere morali; & esset aliquid participatum, quia non esset à se. Ergo reduceretur ad ens per essentiam vt ad primum principium. Ergo proueniret etiam à Deo; quod autem prouenit à Deo non est peccatum. Confirmatur. Malum transcendentiale non potest consistere in aliquo positiuo, cum opponatur bono transcendentiali, atque adeo habeat radicem oppositam ipsi enti, in quo radicatur bonitas trãscẽdentialis. Ergo nec malum morale. Conseq. prob. Malum morale est tale malum, quod continetur sub trãscendentiali; quando autem ratio superior est negatiua non potest determinari ab inferiori positiua.

24 Dices. Malum morale esse alterius ordinis, & non cõtineri sub transcendentiali. Contra. Conceptus mali transcendentialis conuenit etiam morali, ergo. Secundò. Si malum morale non contineretur sub transcendentali contineretur sub bono transcendentiali. Ergo peccatum vt tale esset bonum transcendentiale, atque adeò effectus Dei, cum bonitas transcendentialis sit participatio Diuinę bonitatis.

25 Dico secundò. *Hoc negatiuum, in quo formaliter consistit peccatum respectu actus, nam se habet per modum priuationis, sed negationis.* Prob. Actus malus est talis ex intrinsecis suis principijs, & ex vi suae specificationis. Ergo non potest habere priuationem rectitudinis; quia priuatio supponit capacitatem, in subiecto, quae non est in actu malo, cum ex vi suae specificationis habeat annexam essentialiter negationem rectitudinis.

26 Dices. Esse capacem secundum esse physicum. Contra. Secundum esse physicum est ex tali motiuo, quod essentialiter specificat actum malum. Ergo secundum esse physicum non potest esse absque illa specificatione, quae est ex tali motiuo; haec autem specificatio fundat essentialiter negationem rectitudinis.

27 Dico tertiò. *Hoc negatiuum est priuatio rectitudinis respectu voluntatis.* Probatur. Actus bonus secundum suã rectitudinem est forma voluntatis, ita vt sit ipsa formalis rectitudo respectu voluntatis. Ergo actus malus ratione defectus est priuatio rectitudinis, qua voluntas deberet esse recta.

28 Colligitur ex dictis. Peccatum in concreto consistere simul in positiuo, & negatiuo, ità vt positiuum se habeat materialiter; negatiuum verò formaliter. Est enim in concreto ipse actus voluntatis deficiens.

29 Colligitur secundò. Actum malum dicere positiuam relationem disconuenientiae ad regulas rationis fundatam in esse materiali actus; cum enim ratione defectus tollatur ab actu mensura, quam praescribunt regulae rationis, remanet in actu ratione modi essendi, qui in ipso consurgit, difformitas ad ipsas regulas.

30 Ad primum. Legem prohibere positiuum, quia prohibet peccatum in concreto. Ad secundum. Vitia extremè opposita opponi contrariae non secundum esse formale, sed ratione fundamenti positiui. Ad tertium negatur sequella, Ad probationem, vitia extremè opposita distingui specie ex diuerso modo, quo destruunt honestatem, quae cum consistat in mediocritate, potest diuerso modo destrui, sic liberalitas potest destrui, & per excessum, & hoc pacto destruitur à prodigalitate; & per defectum, & hoc modo destruitur per auaritiam. Ad quartum. Conceditur sequella. Si peccatum commissionis, & omissionis sit contra eamdem virtutem; solum enim differunt in modo, quo contrahitur malitia, nam omissio non ponit, quod deberet poni; commissio verò destruit, sic qui non restituit alteri, quod debet, facit iniustitiam non ponendo obiectum iustitiae; quod deberet ponere; qui verò furatur, facit iniustitiam tollendo obiectum iustitiae. Ad quintum negatur assumptum. Nam calor non est malus aquae ratione positiui; sed solum, vt caret debita conuenientia.

31 Ad fundamentum secundę Sententię disting. Conseq. Ex vi suae specificationis habet aliquod positiuum materialiter; non autem formaliter.

In quo consistat peccatum omissionis.

SECTIO VI.

32 PEccatum adequatè diuiditur in commissionem, & omissionem; cum enim consistat in eo, quod sit contra exigentiam rationalis naturę, & contra legem aeternam, hoc tantum contingere potest dupliciter, nempe vel quia ponatur aliquod contrarium; vel quia non ponatur id, quod exigitur, in quo consistit peccatum omissionis. Haec autem omissio habet veram rationem peccati, cum sit contra praeceptum Diuinum, & Deus ratione supremi dominij possit exigere à creatura quidquid vult. Difficultas est, quam priuationem importet.

33 Prima sententia vult importare priuationem actus debiti. Ita Vasq. 1. 2. *disp.* 95. *cap.* 9. Turrianus *disp.* 2. *de peccato dub.* 4. & alij. Prob. Peccata omissionis distinguitur ex diuersis actibus, quibus priuant. Ergo constituuntur per talem priuationem.

53 Secunda sententia vult consistere in priuatione conformitatis ad legem, ita ij, qui hoc ipsum docent de peccato commissionis.

35 Dicendum est. *Omissionem consistere in priuatione honestatis, quæ potest desumi ab actu, vt ab obiecto, qui omittitur.* Probatur: omissio excludit actum præceptum ex aliquo motiuo mouente ad excludendum, ergo contrahit malitiam oppositam honestati, quam haberet voluntas, si vellet implere præceptum. Conseq. probatur. Quia omissio attingit obiectum vt deficiens ab illa honestate, quam voluntas haberet pro obiecto, si vellet implere præceptum.

36 Ad fundamentum oppositæ sententiæ dist. anteced. Peccata omissionis distinguitur ex diuersis actibus, quibus priuant, non tanquam ex formis, quas auferant, sed tanquam ex obiectis, quibus specificantur.

37 Quæres quinam actus contrahát malitiam omissionis. Respondetur. Nedum actum, quo directè volumus omissionem, sed etiam omnes illos, qui habent aliquo pacto pro obiecto omissionem contrahere malitiam; secus autem, qui non habent pro obiecto, etiam si materialiter sint incompossibiles cum actu præcepto. Ratio est, quia actus eo ipso, quod attingit obiectum malum, est malus, & non potest esse malus, nisi dicat ordinem ad obiectum malum, ergo non potest esse malus ex omissione, nisi habeat aliquo pacto pro obiecto omissionem.

Vnde desumatur distinctio peccatorum.

SECTIO VII.

38 Prima sententia, vult desumi ex honestate, qua priuat. Ita Scot. *in 2. dist. 27. quæst. 1. §. Ex ista solutione* Beccanus 1. 2. *tractat.* 1. *capit.* 5. *quæst.* 2. *numer.* 3. & alij.

39 Secunda sententia vult desumi ex præceptis formaliter sumptis, quibus peccata contrariantur. Illa autem esse præcepta formaliter diuersa, quæ sunt ex diuerso motiuo. Ita Salas 1. 2. *tract. 7. disp. 3. sect.* 3. Raynaud. *in moral. discipl. quæst. 1. num. 64.* & alij.

40 Tertia sententia asserit, desumi ex obiecto. Ita Diu. Th. 1. 2. *q. 18. ar. 2. & 5.* Corneius *tract. 7. disp. 5. dub. 1.* Suarez *disp. 7. de bonit. & mal. sect. 7. n. 7.*

41 Dico primò. *Peccata non distingui specie per ordinem ad honestatem, qua priuant; sed tantum cognosci, vt distincta per talem ordinem.* Probatur. Honestas non refundit illam priuationem in actum peccaminosum, ergo non tribuit specificationem. Anteced. patet. Quia nulla forma potest habere priuationem sui ipsius. Consequentia probatur. Quia specificatio, atq; adeo distinctio causatur à specificatione.

42 Dico secundò. *Nec etiam distingui ex præceptis, quibus contrariantur, sed tantum cognosci, vt distincta.* Probatur. Præcepta quocunque modo sumpta, non determinant actum malum ad malitiam cum nullo modo ad ipsam influant, ergo non tribuunt specificationem.

43 Dico tertiò. *Peccata specificari, et distingui ab obiectis, vt stant sub dissonantia ad regulas rationis.* Prob. Quidquid habet actus effectiuè à voluntate, habet determinatiuè ab obiecto, ergo cum peccata habeant suum esse effectiuè à voluntate, habent suam determinationem, atq; adeo distinctionem ab obiectis. Anteced. patet. Quia voluntas non exit in actum, nisi secundum determinationem obiecti. Rursus obiectum peccati, cum sit dissonum regulis rationis, determinat actum, vt habeat proportionaliter eamdem dissonantiam, atque adeo vt in ratione peccati habeat suam distinctionem.

44 Ob. Peccata habent dissonantiam in ordine ad diuersa præcepta, ergo habent distinctionem in ordine ad ipsa. R[illegible] [illegible]tur dist. antecedens. Habent dissonantiam in[illegible] [illegible]cepta, vt determinatiua dissonantiæ, & n[illegible] [illegible]a, quatenus tanquam mensura operandi ostendunt dissonantiam actus peccaminosi, concedo. Ex hoc autem solum sequitur, quod ostendant distinctionem, non verò, quod tribuant.

DE PECCATO MORTALI, Veniali, & habituali.

DISPVTATIO XXVI.

An, et quid sit peccatum mortale.

SECTIO I.

1 Nomine peccati mortalis intelligitur illud, quod infert mortem animæ quoad vitam spirituale. Dico primò. *Datur peccatum mortale tam in reprobis, quam in electis*, est de fide contra Vuichdesum, qui volebat, omnia peccata electorū esse venialia, & Lutherum asserentem, in electis solum peccatum infidelitatis esse mortale. Probatur. Sap. 16. *Homo per malitiam occidit animam suam*. Ezech. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* 1. Ioann. 8. *Qui non diligit, manet in morte*; & Matth. 18. & 21. ad Rom. 1. & 8. Ad Galat. 5. & 1. Corinth. 6. habetur, aliqua peccata ex genere suo, atque adeò siue in electis, siue in reprobis excludere à Regno Dei.

2 Dico secundò. *Malitia peccati mortalis ideo est mortalis, quia per ipsum saltem virtualiter postponitur Deus creaturæ, & virtualiter contemnitur.* Ita communiter cum D. Thom. 2. 2. *quæst. 34. artic.* 3. contra Scotum *in 2. dist. 21.* qui vult, in eo consistere, quod sit contra præceptum Dei. Prob. Malitia peccati mortalis separat ab vltimo fine, atque adeò à fonte vitæ, ergo ideò est mortale, quia relinquitur Deus in cōparatione creaturę. Ideò enim est mortale, quia tollit influxum vitę, qui est à Deo vnde Ioan. 10. *Qui diligit Patrem plusquam me, non est me dignus*, & capitul. 12. *Dilexerunt gloriam hominum, plusquam Dei.*

3 Obijc. Potest quis peccare mortaliter putans se præstare obsequium Deo, ergo. Respondetur. Non peccare mortaliter in tali casu ratione ignorantiæ; si autem ignorantia non excusat, tunc Deus adhuc postponitur creaturæ.

An peccatum mortale habeat specialem deformitatem, vt est contra Deum.

SECTIO II.

4 Certum est; peccatum mortale importare iniuriā, & offensam Dei, cum ab ipso auertat creaturam, difficultas solum est, an ex hoc capite habeat specialem deformitatem.

5 Dicendum est. *Hanc deformitatem esse eamdem cum ea, quæ desumitur ex obiecto, sed conceptam cum habitudine ad vltimum finem.* Est contra Suarez *disp. 2. de peccatis sect. 2.* qui vult, esse distinctam, & pertinere ad genus odij. Probatur. Deformitas ex obiecto est formalis deordinatio creaturæ, cum faciat, quod se coniungat cum obiecto dissono, ergo est formaliter auersio à Deo. Conf. prob. Quia eo ipso, quod inordinatè se habet circa obiecta creata, auertitur ab vltimo fine.

6 Obijc. Suarez. Deformitas ex obiecto conuenit etiam peccato veniali, ergo mortale debet habere specialem deformitatem. Respondetur. Conuenire veniali, sed secundum diuersam mensuram, quia non est circa obiectum, quod auertat à Deo.

7 Obijc. Secundò. Peccatum mortale est contra dupli-

cem

cem regulam, vnam, quæ dictat de tali, vel tali virtute; & alteram, quæ dictat de æstimando vltimo fine, ergo. Respond. neg. anteced. Quia quælibet regula est virtuale dictamen de æstimando vltimo fine; regula autem, quæ explicitè dictat de hac æstimatione, respicit specialem virtutem, nempe cultum Dei, atque adeo aduersatur speciali peccato nempe explicito contemptui.

8 Obijc. tertiò. Si quis cognoscens homicidium esse contra rectam rationem, & inuincibiliter ignoret esse cōtra Deum, tunc contrahet malitiam ex obiecto; non vero offensam Dei, ergo. Respondetur. Quidquid sit de suppositione, neg. anteced. Nam adhuc talis actus ex natura sua erit offensa Dei, & ad summum ratione ignorantiæ non imputabitur vt offensa Dei.

Quanta sit malitia peccati mortalis.

SECTIO III.

9 PRima sententia asserit, esse infinitam simpliciter. Ita Diu. Bonauent. *in 3. dist. 20. quæst. 3. & 4.* Richard. *quæst. 4. articul. 5.* Capreol. *quæst. 1. artic. 1.* Caietan. *3. part. quæst. 1. artic. 2.* Medina *ibidem.* Cornelius *disp. 2. dub. 2.* Hurtad. *disp. 9. de Incarn. sect. 3. & seq.* Coninch. *disp. 10. de pænit. dub. 2.* & alij. Probatur. Offensa crescit ex dignitate personæ offensæ, ergo cum Deus sit persona simpliciter infinita, etiam offensa ipsius erit simpliciter infinita. Secundò. Ex sola infinitate simpliciter prouenit, quod pura creatura non possit condignè satisfacere pro peccato mortali. ergo

10 Secunda sententia vult, esse infinitam secundum quid. Ita Palud. *in 3. dist. 20. quæst. 2.* Scotus *in 4. disp. 15. quæst. 1.* Crabrera *3. part. quæst. 1. disp. 11. §. 2.* Suarez *disp. 2. de pecc. sect. 3.*

11 Tertia sententia asserit non esse infinitam. Ita Vasq. *disp. 2. de Incarn. cap. 2.* Vading. *disp. 1. dub. 2.* Mæratius *disp. 3. sect. 2.*

12 Dico primò. *Malitia peccati mortalis non est infinita simpliciter.* Probatur: Non continet omnem rationē malitiæ, & offensæ, sed est in determinata specie, ergo nō est in infinita simpliciter, cum de ratione talis infiniti sit, quod contineat omnem rationem.

13 Dico secundò. *Neque secundum propriam rationem est infinita in genere, sed absolutè finita.* Prob. semper est in aliqua specie determinata. Species autem determinata est finita secundum essentiam.

14 Dico tertiò. *Malitia neque intensiue secundum quātitatem est infinita, sed finita.* Prob. Intra eamdem speciem vnum peccatum est grauius altero, vt furtum cētum aureorum, & furtum vnius aurei. Si autem quantitas malitiæ esset infinita, vnum peccatum non esset grauius altero. Confirmatur. Malitia non priuat bonitate infinita, ergo non est infinita, quia tanta est priuatio, quanta est forma. Antecedens patet. Quia priuat illa bonitate, quam dicit actus oppositus.

15 Dico quartò. *Peccatum in ratione offensæ non est infinitum secundum quantitatem, seu grauitatem.* Probatur: In tantum offensa esset infinita, in quantum tenderet contra personam infinitam; sed hoc non sufficit, ergo. Minor probatur. Vt actus sit infinitus, non sufficit, quod obiectum sit infinitum, vt patet in amore beatifico, sed debet etiam infinito modo attingi. Deus autem non terminat offensam infinito modo, quia offensa est formaliter læsio diuinæ dignitatis, quæ non potest lædi infinito modo; nam solum lædi potest dignitas extrinseca, quæ neque etiam læditur adæquatè.

16 Colligitur ex his. Offensam peccati esse solum impropriè infinitam, quatenus ex genere suo est illa summa iniuria, quæ potest Deo inferri; quia cum Deus sit summa persona, auersio ab ipso, & contemptus ipsius est etiam summa iniuria, quæ potest excogitari.

17 Ad primum dist. antecedens. Offensa crescit ex dignitate personæ, quatenus subijcitur offensioni; non autē quatenus materialiter se habet. Deus autem, licet in se sit infinita persona, non tamen subijcitur offensæ infinito modo, & ideò neque læditur infinito modo. Ad secundum negatur assumptum. Quia cum offensa sit illa summa, quę est possibilis, vt compensetur ad æqualitatem, adhuc requiritur summa satisfactio excogitabilis: vnde non sufficit satisfactio puræ creaturæ.

18 Instabis. Inter Deum, & hominem mediant infinitæ creaturæ perfectiores homine, ergo etiam infinitæ offensæ possibiles contra has creaturas, ergo cum offensa Dei excedat has omnes, erit infinita. Respond. dist. conseq. Mediant infinitę offensæ syncategorematicè; non verò categorematicè; vnde cum simul sumptæ sint in se quid finitum, sequitur solum, quod offensa Dei sit omnium grauissima ex eo, quod superat has omnes; & sicut posita quacunque creatura perfectiore, & perfectiori in infinitum, non esset infinita; ita etiam offensa.

19 Instab. secundò. Si Deus non esset infinitus, offensa ipsius non esset adeo grauis, & non esset omnium grauissima, ergo cum sit infinitus, & vt talis cognoscatur, offensa erit infinita. Respondetur quidquid sit de antecedenti, neg. conseq. Quia, licet Deus sit infinitus, & apprehendatur vt talis, non tamen substernitur offensę vt infinitus; tum quia est subiectum iniuriæ iuxta mensuram apprehensionis offendentis, quæ finito modo apprehendit excellentiam Dei. Tum quia non subijcitur offensæ, vt in se est, sed vt innotescit in creaturis, atque adeò secundum dignitatem extrinsecam quæ apparet in creaturis.

20 Inst. tertiò. Deus per peccatum offenditur, quātum est offendibilis, ergo infinito modo. Respondetur negando conseq. Quia, cum non sit offendibilis in se ipso, non est offendibilis infinito modo.

21 Obijc. Peccans fit indignus omni bono, ergo peccatum habet infinitam indignitatem, ergo etiam infinitam offensam. Respondetur neg. conseq. Quia bona, quibus peccans fit indignus, non sunt infinita nisi syncategorematicè, quod etiam verum est, si includant vnionem hypostaticam, quia vnio hypostatica non est infinita, cum faciat Deum communicari finito modo.

22 Instabis. Si daretur bonum infinitum, peccatum esset aptum, vt illo priuaret, ergo habet malitiam infinitam. Respondetur peccatum, quod tunc daretur, esset aptum, vt priuaret talē bono, non autem peccatum, quod modo datur. Ratio est. Quia cum peccatum sit quid negatiuum, mensuratur in ordine ad formam, quam tollit; vnde cum de facto tollat tantum formam finitam, quia non datur bonum infinitum, quo priuet, nam priuat solum bono infinito modo finito communicabili; habet tantum aptitudinem, vt priuet bono finito. Tunc autem adesset bonum infinitum, & ideo ab ipso mensuraretur: vnde peccatum esset diuersæ rationis.

An per peccatum mortale ponatur vltimus finis in Creatura.

SECTIO IV.

23 PRima sententia est negatiua. Ita Scotus *quodlib. 18.* Adrian. *quodlib. 7. quæst. 6.* Nauarr *in cap. Cum minister. num. 21.* Raynaud. *in moral. discipl. dist. 1. quæst. 2. num. 38.* Prob. peccans non refert omnia sua in creaturam, ergo non ponit in ipsa vltimum finem. Secundo. Multoties eligimus vnum peccatum in ordine ad aliud, hoc autem fieri non posset, si ex vi peccati poneretur vltimus finis in creatura. Tertiò peccans vult aliquando delectari pro aliquo tempore in peccato, & postea pœnitere; hæc autem intentio facit, ne ponatur vltimus finis in creatura, ergo. Quarto peccans non daret totam suam substantiam pro delectatione, quæ est ex peccato, ergo plus illam amat, quam obiectum peccati, ergo non ponit in ipso vltimum finem. Rursus etiam multoties plus amat

Deum,

Deum, quàm propriam substantiam, ergo. Quintò. Qui peccat in gratiam amici, non præfert ipsum rebus omnibus, ergo nec etiam præfert obiectum peccati ipsi Deo.

24 Secunda sententia est affirmatiua. Ita communiter cum D.Thom. 1.2. *quæst.* 1. *articul.* 7. *ad* 1. & *quæst.* 88. *artic.* 1. *ad* 4.

25 Notandum primò. Creaturam posse esse finem vltimum, vel vt dicit suam determinatam bonitatem; & tunc excludit omnem aliam bonitatem, quæ habeat rationem finis vltimi; vel vt substernitur beatitudini in communi, & tunc compatitur secum omnia alia bona.

26 Notandum secundò. Deum vt finem vltimum posse dupliciter relinqui, vel excludendo ipsum omninò, ita vt neque habeat rationem finis, vt stans sub beatitudine in communi, vel non includendo totaliter, sed coniungendo cum alijs bonis particularibus, itaut de fine vltimo formali, & adæquato fiat materialis, & inadæquatus.

27 Notandum tertiò. Quando amatur res aliqua vt finis vltimus stans sub beatitudine in communi, esse tantum finem vltimum inadæquatum, vnde potest amari simul cum alijs rebus, & amor terminatus ad vnam rem potest esse maior, quam qui terminatur ad aliam.

28 Dicendum est. *Peccantem mortaliter auerti a Deo, & ponere finem vltimum in creatura.* Desumitur ex D. Aug. 3. *de Trinit. capit.* 22. vbi habet. *Peccamus ordine neglecto amantes pro te, quod est conditum à te*, & quæst. 30. & 83. *Omnis peruersitas humanæ mentis est vti fruendis, & frui vtendis.* Probatur Hyeremiæ 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Matth. 10. *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus.* Io. 12. *Dilexerunt homines gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, ergo peccans non habet Deum pro fine vltimo, ergo ipsum constituit in creatura, quia obiectum peccati neque ex natura sua, nec ex intentione operantis tendit in vltimum finem, & ideo peccans sistit in creatura.

29 Dicendum secundò. *Peccantem mortaliter habere pro fine vltimo propriam personam, cui in peccato intendit beatitudinem, & sistit in ipsa.* Probatur. Omnis operatio est ex amore beatitudinis, ita vt operans quidquid facit, faciat propter beatitudinem; vnde Aug. Conc. 2. in Psalm. 32. *Depellendæ ergo miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis causa faciunt omnes homines, quidquid vel boni faciunt, vel mali, semper ergo beati esse volūt*, ergo peccans mortaliter intendit sibi ipsi beatitudinem, ergo cum talis intentio non possit referri in Deum, vt in vltimum finem, sistet in propria persona, cui intenditur beatitudo: hinc D. Aug. *lib.* 3. *de doct. Christiana capitul.* 10. ait. *Non præcipit scriptura, nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se, atque proximum propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, et proximo, & quolibet corpore non propter Deum.*

30 Ad primum neg. assumptum. Quia refert omnia sua saltem virtualiter ad se ipsum. Ad secundum neg. min. Quia quamuis obiectum vnius peccati referatur ad aliud, non tollit tamen, quin omnia referantur ad personam peccantis, vnde solum fit, quod obiectum peccati non sit vltimus finis; non verò propria persona. Ad tertium neg. minor. Quia eo ipso, quod peccans vult postea pœnitere, hoc vult propter proprium commodum; non autem ex amore Dei, & ideò ponit in se ipso vltimum finem. Ad quartum concedo totum. Quia solum sequitur, quod non ponat vltimum finem in obiecto peccati; vnde etiam quādo præfert Deum propriæ substantiæ, præfert intuitu proprij commodi; sicut etiam quando vellet potius amittere vitam, quam committere aliquid peccatum, nam ex hoc mouetur ex amore proprio, non vero ex amore Dei, cum non possit ipsum amare, quando ab ipso se auertit. Ad quintum neg. conseq. quia obiectum peccati semper anteponitur Deo, siquidem ratione ipsius Deus relinquitur, & præfertur etiam ipsa persona peccantis.

31 Quæres. An peccans venialiter ponat vltimum finem in creatura. Respondetur negatiue, quia peccatum veniale non auertit à Deo; auerteret autem, si haberet pro fine vltimo creaturam.

32 Quęres secundò. Quomodo actus peccati venialis nō habeat pro fine creaturam, cum non habeat Deum ex eo, quod actio peccaminosa non potest referri in ipsum. Respondetur. Actum peccati venialis esse semper ob aliquem finem particularem, qui ex natura sua subordinatur vltimo fini, alioquin esset peccatum mortale; quia autem peccatum veniale non tollit ordinem, quem habet actus ex vitalis finis, ideo talis actus mediante fine particulari adhuc ordinatur saltem virtualiter in vltimum finem, & peccatum veniale solum excludit ordinem specialem, quem actus haberet ex speciali directione; quia peccatum veniale dicit, quod operans non tendat in vltimum finem, ita tamen, vt nec recedat ab ipso.

An detur peccatum ex natura sua veniale.

SECTIO V.

33 NOmine peccati venialis intelligitur illud, quod non infert mortem animę, neque meretur pœnam æternam. Dicēdum est. *Dari aliqua peccata, quæ ex natura sua sint venialia*, est de fide contra Iulianum asserentem, omnia peccata esse æqualia, & Luterum, & Caluinum asserentes, nullum peccatum ex natura sua esse veniale, sed tantum ex condonatione Dei extrinseca. Traditur communiter à Patribus, & definitur in Concil. Arausic. *can.* 6. 7. & 8. vbi damnat dicentes, in Iustis, quamdiù sunt in Iustitia non esse peccatum, & non dicere cum veritate. *Dimitte nobis debita nostra*, & in Trident. *sess.* 8. *can.* 23. & 25. Probatur Eccles. 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Ioann. 3. *Qui Lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus*; & passim in scriptura habetur, esse in iustis aliqua peccata, quæ non tollunt iustitiam. Ratio est. Quia dantur aliqui actus, qui ex natura sua non habent magnam dissonantiam ad rationem, nec dissoluunt amicitiam cum Deo; huiusmodi autem sunt peccata venialia.

34 Obijc. peccatum veniale non est committendum pro qualibet re, ergo habet malitiam grauem. Resp. neg. conseq. Quia hoc non prouenit ex grauitate malitiæ, sed quia ex natura sua est illicitum.

35 Ob. secundò. Patres aliquando docent, nullum peccatum esse leue, & venialia esse leuia ex Dei misericordia. Respondetur. Id dici, quia, cum per veniale offendatur Deus, non est parui faciendum; est autem leue ex Dei misericordia, quatenus Deus facit, quod non sit mortale, non permittendo maiorem defectum in voluntate.

Per quid veniale distinguitur à mortali.

SECTIO VI.

36 SVpponendum est contra Scot. *in* 2. *dist.* 21. *quæst.* 1. non distingui in eo, quod veniale sit contra consilium, & mortale contra præceptum, quia cum consilium non inducat obligationem, non omne, quod est contra consilium, est peccatum, vt non seruare virginitatem; deinde etiam veniale est contra præceptum, vt leue mendacium.

37 Supponendū secundò. Neque in hoc distingui, quod mortale sit offensa Dei, non autem veniale, vt vult Diu. Bonau. *in* 2. *dist.* 22. *artic.* 2. *quæst.* 2. *ad vltimum*, nam etiam veniale est offensa Dei iuxta illud Iacob 2. *In multis offendimus omnes*; & patet in ijs, quæ sunt intrinsecè mala, nam habent disonantiam ad legem æternam.

38 Supponendum tertiò. Mortale, & veniale in hoc differre, quod mortale priuat gratia, et debetur illi pęna æterna;

na; veniale verò non priuat, neque illi debetur æterna pœna; hoc tamen non est primum essentiale distinctiuum, siquidem supponit aliquod prius, vnde causentur isti effectus.

39 Dicendum est. *Primum essentiale discrimen in eo constituere, quod mortale auertit à Deo vt vltimo fine, veniale autem non auertit, sed solum impedit tendentiam in ipsum.* Ita D. August. *lib. 1. de Doct. Christiana c. 3.* D. Thom. 1. 2. *quæst. 88. art. 5.* Caiet. *ibidem*. Cumel *dub. 3. §. 8.* Lorca *disp. 50. de peccatis*. Probatur, peccatum ex genere suo consistit in deordinatione, ergo mortale, & veniale debent distingui secundum deordinationem, ergo cum mortale inferat mortem animæ, per id distinguitur, quod separet ab vltimo fine, vt à principio vitæ, & veniale ex eo, quod non ponat, sed impediat specialem coniunctionem cum ipso.

40 Dices. Mortale, & veniale habent idem obiectum, vt furtum graue, & leue, ergo etiam eamdem deordinationẽ. Respondetur: Habere idem obiectum, sed sub diuerso modo attingibilitatis; nam vt est obiectum mortalis, est totaliter dissonum rationi; vt autem est obiectum venialis, deficit solum secundum quod; vnde mortale, & veniale differunt essentialiter, non per differentias importantes diuersos gradus malitiæ superadditos rationi communi, sed secundum diuersam mensuram eiusdem malitiæ.

Quid sit peccatum habituale.

SECTIO VII.

41 Certum est de fide. Transacto actu peccati remanere peccatum habituale, quo natura rationalis permanet in statu inimicitiæ cum Deo: vnde ad Roman. 5. *Cum adhuc peccatores essemus*, & Ioan. 8. Dicuntur homines mori in peccatis, & passim alia similia habentur in scripturis. Vnde Trid *sess. 6. cap. 7.* definit Homines cum iustificantur, transire de statu peccati ad statum iustitiæ. Hoc autem peccatum habet rationem maculæ, qua anima fædatur, & est de fide Eccles. 31. *Beatus vir, qui inuentus est sine macula.* Hierem. 2. *Si laueris te nitro, tota maculata es coram me.* Difficultas autem est, in quo consistat talis macula.

42 Prima sententia vult, consistere in determinatione extrinseca, quę consurgit ex eo, quod Deus ordinat peccatorem ad pœnam, ita Scotus *in 4. dist. 14.* Gabr. *ibidem art. 1.* Maior. *quæst. 1.* alij autem volunt, hanc denominationem desumi ab actu peccati transacti, & nondum retractati. Ita Bassolis *in 4. dist. 14. quæst. 1.* Vasquez 1. 2. *disput. 189.* Probatur: ex D. Aug. in Psalm. 31. vbi habet, quod Deus non cognoscit peccata, dum non vult punire. Secũdò. Transacto actu bono remanet sola deputatio ad præmium, ergo transacto actu malo sola deputatio ad pœnas. Tertiò. Si quis offendat Regem, remanet peccatum contra Regem, & tamen non remanet nisi deputatio ad pœnam ex voluntate Regis, ergo. Quartò. Priuatio gratiæ est pœna peccati, & est volita a Deo, ergo cum Deus non possit velle peccatũ, habituale in tali priuatione non consistet.

43 Secunda sententia asserit, consistere in priuatione gratię. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst. 87. art. 2.* Caiet. *ibidem*. Cumel *dub. 2. §. 2. concl. 4.* Aluar. *disp. 180.* Lorca *disp. 50. de peccatis*.

44 Notandum primò. Maculam esse quid oppositum pulchritudini: vndè cum pulchritudo consistat in debita dispositione, & ordine, quem exigit vnumquodque ex vi suæ idealis mensuræ, macula in eo consistet, quod tollat aliquod de hac dispositione, vel ipsam totaliter corrumpat.

45 Notandum secundò. Pulchritudinem animæ moralem consistere in illo ordine, ex quo consurgit debita dispositio cum vltimo fine, cum enim sit ordinata ad finem debet respectu ipsius congruo modo se disponere: vnde deformitas animæ consistet in opposito huius pulchritudinis.

46 Dico primò. *Macula non consistet formaliter in aliqua extrinseca denominatione.* Prob. Sequeretur, quod non esset propria, & formaliter macula, nec homo esset formaliter, sed tantum denominatiuè peccator, & post peccatum remaneret tantum reatus, quod est vna ex 53. propositionibus Michaelis Baij damnatis à Pio V. & Greg. XIII.

47 Dico secundò. *Nec etiam consistit in reatu, seu deputatione ad pœnas.* Prob. Hęc deputatio non facit hominem formaliter malum, ergo non est macula. Confirmatur ex Trid. *sess. 6. cap. 14.* vbi definit, quod per iustificationem remittitur pœna, vna cum culpa, ergo culpa est quod distinctum a reatu pęnæ.

48 Dico tertiò. *Neque consistit in sola priuatione gratiæ.* Prob. In puris naturalibus posset homo peccare, & contrahere maculam, tunc autem macula non esset priuatio gratiæ, quia gratia nec esset debita, nec excluderetur per peccatum, ergo.

49 Dices. Peccatum, quantum est de se, adhuc esset exclusiuum gratiæ. Contra. Gratia non est debita statui puræ naturæ, ergo tunc peccatum non induceret priuationem gratiæ, & tamen induceret maculam. ergo

50 Dico quartò. *Macula rei peccatum habituale consistit formaliter in priuatione debitæ dispositionis, & ordinis, quo creatura rationalis debet coordinari cum vltimo fine.* Probatur. Peccatum auertit à Deo, & dissoluit ordinem cum ipso, itaut transacto actu peccati remaneat dissolutus, ergo macula consistit in priuatione ipsius. Conseq. prob. per hanc priuationem destruitur moralis pulchritudo animæ. ergo

51 Ad primum negatur conseq. Quia ex eo, quod Deus non vult punire peccatum, ipsum remittit, & simul iustificat, atque adeò tollit maculam, quæ consistit in dicta priuatione. Ad secundum negatur anteced. Nam transacto actu bono remanet recta dispositio respectu vltimi finis, in qua consistit pulchritudo animæ. Ad tertium negatur pars antecedens. Quia post offensionem Regis remanet priuatio debiti ordinis respectu Regis, quæ aufert aliquã pulchritudinem animę, quæ consistit in ordine debito respectu omnium obiectorum. Ad quartum disting. anteced. priuatio gratiæ est à Deo vt à causa physica subtrahente concursum in pœnam peccati, in genere autem morali, vt dicit ablationem pulchritudinis, cuius constitutionem ingreditur, est effectus peccati actualis; & ideo habet rationem peccati habitualis. Sic idem actus, vt est à Deo secundum esse physicum non habet rationem peccati, licet habeat secundum esse morale, vt est a creatura.

52 Quæres. An peccatum veniale relinquat maculam. Respondetur affirmatiuè cum D. Thom. *1. part. quæst. 86. art. 2. ad 3.* & desumitur ex illo Ioan. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Et ratio est. Quia peccatum veniale impedit ingressum ad Beatitudinem, & indiget purgatione, quia tamen non aufert pulchritudinem animæ secundum substantiam, est macula leuis, & se habet sicuti neuus in corpore pulchro.

DE PECCATO ORIGINALI,

DISPVTATIO XXVII.

An aliquid peccatum transfundatur ab Adam in descendentes.

SECTIO I.

1 Nomine peccati originalis intelligitur illud peccatũ, quod per originẽ trahitur à radice infecta, nẽpe à primo parẽte, q. fuit caput vniuersale generis humani, Negant

Negant hæretici transfundi aliquod peccatum in descendentes Adæ, vt Pelagiani, vt refert D. August. *lib. 2. de peccato originali*. Ariminens. Albanens Anatopittæ, & alij ex Recentioribus.

2 Dicendum est. Peccatum primi parentis transfundi ad descendentes per propagationem humanæ naturæ. Est de fide definitum in pluribus Concil. Meleuitano *cap.* 2. Arausic. 2. *can.* 1. *&* 2. Florentino *In litteris vnionis*. Trid. *sess. 6. in Decr. de pecc. origin.* & ita communiter docent Patres. Prob. Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ad Eph. 2. *Eramus natura filij iræ.* Ad Ro. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, & infra. Vnius delicto peccatores constituti sunt mali.

3 Respond. Pelagius peccatum Adæ transferendi in descendentes imitatione, & exemplo: non autem propagatione. Contra. Tum quia imitatio non habet locum in paruulis; tum quia non essemus natura filij iræ; tum quia Apostolus comparat Christum cum Adam, & docet, quod Adam vnico peccato infecit posteros, Christus autem liberet à multis peccatis. Si autem Adam infecisset posteros per imitationem, infecisset multis peccatis, quia in multis ipsum imitantur.

4 Respondet Zuinglius. Intelligi de transfusione effectuum peccati, quorum præcipuus est mors. Contra. Quia est contra communem sensum sanctorum Patrum: vnde Concil. Melleuit. *c.* 2. exponit de vero peccato, & hic semper fuit sensus totius Ecclesiæ.

5 Dicendum secundò. *Peccatum, quod transfunditur in descendentes Adæ, habere veram rationem peccati*. Est de fide Trid. *sess.* 5. *can,* 2. *&* 5. contra Durandum *in* 2. *dist.* 30. *q.* 1. Prob. Scriptura eodem modo loquitur de peccato originali, ac de actuali vocans ipsum mortem animę, & quod ponat inimicitiam cum Deo, ergo habet veram rationem peccati.

6 Dices. Quod inest ex natura, non meretur laudem, aut vituperium 3. *Eth. c.* 15. Rursus nemo peccat in eo, quod vitare non potest, vt ait Aug. 3. *de lib. arb. c.* 18. Respond. Quod inest ex natura independenter à voluntate nō meretur laudem; concederetur, si dependeret à volūtate, vt est peccatum originale, vt infra explicabimus. Nullus autem peccat in eo, quod nullo modo vitari potest, loquendo de actuali, de quo Aug.

7 Dicendum tertiò. Originale multiplicari in singulis intrinsecè, est contra Catherinum *opusc. de peccato originali*, & est de fide ex Trid. *sess.* 5. *can.* 3. vbi definitur. Peccatum originale inesse vnicuique proprium. Probatur Ad Rom. 5. Transfusio peccati infert vnicuique mortem propriæ animæ, & comparatur iustificationi per Christum, ergo debet esse vnicuique intrinsecum.

8 Obijc. Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris*, ergo. Respondetur. Intelligi de Patre proprio, qui non est caput generis humani. Adam autem fuit caput generis humani, & ideo non tanquam Pater, sed tanquam caput transfundit peccatum.

9 Ob. secundò. Est contra Dei benignitatem, quod velit omnes homines sibi inimicos ob vnius peccatum. Respondetur. Id esse verum, si peccatum sit vnius particularis personæ; non vero si sit capitis vniuersalis. Sic non est contra benignitatem Principis, quod offensus ab alio Principe offensione publica habeat pro inimicis illius subditos.

10 Ob. tertiò. Probabile est. Adam fuisse liberatum à peccato, antequam generaret, ergo non transfudit peccatum. Resp. Quidquid sit de antecedenti neg. conseq. Quia non fuit liberatus vt caput, sed vt persona particularis, & ideo beneficium liberationis non communicatur cæteris.

Quomodo originale sit Voluntarium.

SECTIO II.

11 NOtandum primò. Adam fuisse constitutum caput vniuersale secundum esse morale, ita vt ab ipso deriuanda esset iustitia originalis in omnes descendentes; vnde voluntas ipsius fuit virtualiter, & interpretatiue voluntas omnium posterorum.

12 Notandum secundò. Præceptum impositum Adæ obligasse etiam posteros, quatenus voluntates ipsorum continebantur in voluntate ipsius, ita vt simul cum ipso essent moraliter vna voluntas, potuit enim Deus ratione dominij transferre consensum nostrum in voluntatē Adę.

13 Notandum tertiò. Voluntatem interpretatiuam posse colligi ex formali voluntate alterius; quod tunc contingit, quando vna voluntas tenetur sequi alienam; vnde etiam in Baptismo ex formali voluntate parentum colligitur voluntas interpretatiua infantis.

14 Dicendum est. *Peccatum Adæ fuisse voluntarium omnibus descendentibus interpretatiuè ex eo, quod subdebantur ipsi, vt capiti vniuersali.* Ita D. Aug. *lib. 6. contra Iulianum cap.* 3. & 1. *Retractationum cap.* 15. & D. Thom. 1. 2. *q.* 81. *ar.* 1. Prob. voluntates posterorum fuerunt alligatæ voluntati Adæ, à qua didrigerētur, ergo voluerunt interpretatiuè, quod ipse voluit; vnde ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.*

In quo consistat peccatum originale.

SECTIO III.

15 SVpponendum est. Non consistere in aliqua forma substantiali, in quam homo transmutetur, quę sit imago diaboli, vt asserebat luterus, & damnatur in Trid. alioquin sequitur, quod aliqua natura substantialis importata per hanc formā, esset mala, quod fuit hæresis Manicheorum damnata in pluribus Concilijs, vnde quando scriptura vocat peccatores semen serpentis, genimina viperarum ex Patre Diabolo, sequitur metaphoricè, non verò vt significat, quod peccatum sit quid substantiale.

16 Supponendum secundò. Neque peccatum originale constituere in corruptione naturę, quæ nunquā reparetur, nempe in concupiscentia, & rebellione partis inferioris contra superiorem, vt est de fide contra Caluinum. Nam in iustificatione tollitur totum, quod habet rationem peccati, iuxta illud primæ Io. 1. *Sanguis Iesu Christi emūdat nos ab omni peccato*, & in Baptismo tollitur originale peccatum, vt definitur in Trid. *sess.* 5. *in Decr. de pęcato orig.* & tamen non tollitur corruptio naturæ.

17 Supponendū tertiò. Neq; consistere in morbida qualitate, quæ transfundatur per generationem mediāte qualitate corporea, quæ inficiat corpus, & animam ratione vnionis cum corpore, vt communiter docent contra Magistrum *in* 2. *dist.* 30. *&* 31. Arim. & Gab. *q.* 2. Cum enim anima sit spiritualis, non potest infici qualitate corporea; nec in Baptismo destruitur qualitas aliqua corporea, & tamen destruitur peccatum originale.

18 Prima sententia asserit, consistere in priuatione conformitatis habitualis ad legem, quam transgressus est Adam. Ita Curiel 1. 2. *q.* 82. *dub.* 4.

19 Secunda sententia asserit, consistere in priuatione iustitiæ originalis in ordine ad finem naturalem, & proinde non includere priuationem gratiæ. Ita Scotus *in* 2. *distinct.* 32. *q.* 1. D. Bonau. *dist.* 30. *art.* 2. *q.* 1. Richard. *ar.* 4. *quæst.* 1. Maior. *quæst.* 2.

20 Tertia sententia vult, consistere in priuatione iustitiæ originalis perficientis animam in ordine ad finem supernaturalem ita communiter cum Diuo Thom. 1. 2. quęst. 82. art. 3.

21 Dico primò. *Peccatum originale importat formaliter*

liter priuationem gratiæ. Probatur. Est mors animæ, vt definit Trid. *sess.* 5. *can.* 2. ergo priuat gratia, quæ sola est vita spiritualis animæ.

22 Dico secundò. *Peccatum originale est etiam priuatio totius ordinis, & pulchritudinis respectu finis supernaturalis*. Prob. Auertit habitualiter ab vltimo fine, ergo destruit totam pulchritudinem animæ in ordine ad ipsum.

23 Obijc. Adam non habuit præceptum seruandi iustitiam originalem descendentibus, ergo peccatum ipsius non consistit in priuatione iustitiæ originalis. Resp. neg. conseq. Quia talis priuatio est effectus peccati actualis ipsius, sicut habituale peccatum est effectus actualis. Deinde accepit iustitiam originalem seruandam posteris dependenter ab ipsius obedientia.

Quomodo peccatum originale traducatur ad posteros.

SECTIO IV.

24 Certum est. Adam fuisse causam peccati originalis iuxta illud ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum introiuit*, & ideò fuisse causam, quia fuit constitutus caput generis humani, solum difficultas est, quomodo fuerit causa.

25 Dico primò. *Adam non fuit causa moralis meritoria huius transfusionis*, est contra Aluarez 1. 2. *disp.* 171. Prob. Sequeretur, si fuisset causa meritoria, quod peccatum originale, esset pœna peccati Adæ; hoc est falsum, quia pœna est effectus iustitiæ, & est à Deo.

26 Dico secundò. *Adam fuit causa moralis efficiens, cuius causalitas fundatur in generatione*. Prob. Peccatum ipsius fuit peccatum voluntatis primo mouentis voluntates posterorum respectu finis supernaturalis, ergo fuit causa moralis efficiens. Anteced. patet quia voluntas Adæ fuit voluntas capitis influentis motum in membra.

27 Dico tertiò. *Peccatum originale contrahitur in primo instanti conceptionis*. Prob. Voluntas paruuli est voluntas membri respectu capitis, ergo debet sequi motum capitis in primo instanti.

28 Obijc. Homines dicuntur natura filij iræ, ergo Adam fuit causa physica. Resp. dici filios iræ natura, quia peccatum contrahitur ratione propagationis naturæ.

An omnes descendentes Adæ contrahant peccatum originale.

SECTIO V.

29 Certum est. Christum non contraxisse, quia non fuit subditus Adæ, vt capiti, sed ipse fuit caput; nec fuit conceptus modo regulari. Quod autem spectat ad Beatam Virginem Trid. *sess.* 5. *in Decr. de peccato orig.* voluit aliquid definire. Gregorius autem XV. statuit, quod nō possit quisquam amplius docere publicè scripto, aut verbo, quod Beata Virgo fuerit concepta cum originali; addidit tamen, quod nemo possit censurare opinionē, quæ docet fuisse conceptam cum originali, & quod in schola D. Th. possit priuatè tradi, & insuper, quod omnes celebrent officium conceptionis non sub nomine sanctificationis, sed conceptionis.

30 Dico primo de fide est. *Omnes posteros Adæ contrahere originale, non solum quoad debitum, sed etiam quoad effectum secluso priuilegio*. Ita communiter cum D. Th. 1. 2. *q.* 81. *ar.* 3. cont. Caiet. *ibid.* qui vult, hoc non esse de fide. Prob. Scriptura ad Rom. 5. loquitur vniuersaliter de peccato originali, & Trid. *sess.* 5. *in decr. de originali*, decernit, quod omnes contrahant originale quoad effectum, & ideo indigeant Baptismo. ergo

31 Dico secundò. *Beata Virgo ex speciali priuilegio fuit præseruata*. Prob. Sixtus IIII. *in Extrauag.* 1. De reliq. & venerat. Sanct. conceptionem Virginis miram; non esset autem mira, si non esset concepta absque peccato.

Confirm. ex D. Aug. *cap.* 36. *de natura, & gratia*, vbi ait. *Excepta Virgine matre, de qua, cum de peccatis agimus, nullam prorsus habere volo quæstionem*. Nec potest intelligi de solis peccatis actualibus, nam debuisset excipere etiam alios, qui fuerunt sanctificati in ventre; nec dicere potuisset, quod neque etiam infantes sint absque peccato. Confirm. secundò. Indignum erat, verbum assumere carnem ex muliere semel infecta peccato, & conueniens fuit, quod Dei mater gauderet hoc priuilegio.

32 Dico tertiò. *Beata Virgo contraxit debitum incurrendi peccatū originale*. Ita cōmuniter contra Catherinū *opusc. de peccato originali*, & nonnullos Recentiores, quorum sententia ab aliquibus censetur hæretica, ab alijs erronea, & frequentius temeraria. Prob. Si non contraxisset, non contineretur sub Adam tanquam sub capite; nec Christus fuisset Redemptor ipsius, quod dici non potest. Vnde Aug. *lib. contra Iulianum c.* 8. Putat esse contra fidem, excipere aliquem ab vniuersali redemptione.

33 Ob. Aliqui Patres videntur docere, quod Beata virgo contraxerit originale, ergo. Resp. Esse intelligendos, quod contraxerit quoad debitum, non quoad effectum.

34 Ob. secundò. Beata virgo fuit redempta, ergo. Respondetur. Fuisse redemptam præseruatiuè; non autem subleuatiuè.

35 Ob. tertiò. Beata Virgo contraxit pœnas peccati originalis, ergo etiam peccatum. Resp. neg. conseq. Quia sufficit ad pœnas contrahendas, quod contraxerit debitum, non fuit autem præseruata à pœnis, quia debebant ipsi inseruire ad meritum.

36 Obijc. quartò. Quando Deus decreuit, voluntatem Adæ esse reputandam pro voluntate posterorum, non exemit virginem, ergo contraxit originale. Resp. neg. conseq. Nam ex eo, quod non fuerit exempta, sequitur solum, quod debuerit contrahere, non verò quod contraxerit, quia potuit præueniri à gratia.

DE BONITATE, ET MALIT respectu eiusdem actus.

DISPVTATIO XXVIII.

An idem actus ex diuerso capite possit esse bonus, et malus.

SECTIO I.

1 Prima sententia asserit, eumdem actum posse esse simul bonum, & malum ex diuerso capite. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 37. *art.* 2. *circa tertium*. Medina 1. 2. *q.* 7. *ar.* 1. & 2. Lorca *disp.* 28. *de actibus humanis*. Conrad. q. 19. ar. 7. ad 2. Vega lib. 11. in Trid. c. 27. & alij. Prob. Eadem res naturalis potest esse simul bona, & mala ex diuerso capite, ergo etiā idē actus moralis. Secundò. Idē actus intellectus potest esse simul verus, & falsus, vt si quis iudicet cœlum esse corpus corruptibile, non dum iudicat, esse corpus, est verus, vt corruptibile, est falsus, ergo. Tertiò. Actus bonus accedente malo fine non amittit bonitatem, sicut malus accedente bono fine non amittit malitiam, ergo. Quartò. Potest aliquis actus esse bonus ex obiecto circumstantijs, & fine, & esse malus, quia sit incompossibilis cum præcepto, ergo &c. Quintò. Potest quis actu bono ex obiecto, & malo ex fine implere præceptum; non posset autem, nisi esset bonus.

2 Secunda sententia est negatiua ita Arim. *in* 2. *dist.* 26. *q.* 1. *art.* 2. Durand. *dist.* 40. *q.* 3. Maior. *quæst.* 4. Scotus *quæst.* 1. Gabr. *quæst.* 1. *art.* 1. Vasquez 1. 2. *disp.* 70. *cap.* 2. Montesin. *disp.* 25. *quæst.* 5. & alij.

3 Dico primò. *Malitia leuis, seu venialis ex circumstantijs, aut fine extrinseco non inficit bonitatem actus, quam habet ex honestate obiecti, vt motiuo.* Ita D.Th. 1.2.q.18.*art*.4. Prob. Circumstantiæ, & finis, dum fundant malitiam leuem, non inficiunt bonitatem obiecti, ergo non tollũt bonitatẽ substantialem actus. Antec. patet: probatur. Malitia leuis non tollit gratiam, nec ordinem ad vltimum finem; atque adeò nec conformitatem ad regulas rationis, ergo qui fundant ex parte obiecti malitiam leuem, non inficiunt bonitatem obiecti, quia non tollunt, quin seruet debitum ordinem, & subordinationem respectu vltimi finis. Conseq. etiam prob. Quia saluo obiecto secundum propriam honestatem, adhuc specificat actum bonum.

4 Dico secundò *Finis malus anteced. qui est causa operationis, siue fundet malitiam grauem, siue leuem, si solus concurrat in ratione motiui, excludit ab actu omnem bonitatem.* Ita D. Th. 1.2.q.19. *art*.7. *ad* 2. Prob. quia volitum propter finem, est volitum vt stat sub determinatione finis; vt autem stat sub determinatione finis mali; est quid malum.

5 Dico tertiò. *Si finis extrinsecus fundet malitiam grauem, etiam si obiectum concurrat vt honestum, destruitur in actu omnis ratio bonitatis.* Prob. Obiectum, vt stat sub fine malo, est dissonum rationi, ergo inficitur, atque adeo non potest tribuere actui bonitatem.

6 Dico quartò. *Idẽ actus non potest esse bonus ex obiecto, & malus ex fine concomitante, seu consequente.* Prob. In tali casu actus non attingit finem, nec procedit ex ipso, ergo nõ contrahit ex ipso aliquã determinationẽ moralẽ.

7 Colligitur ex dictis Circumstantias fundantes malitiam grauem ita inficere actum, vt non relinquant aliquam bonitatem, quia destruunt obiectum virtutis, & reddunt dissonum rationi constituentes obiectum vitij.

8 Colligitur secundò. Actum ex circumstantijs operationis posse habere aliquam malitiam leuem, & simul retinere propriam bonitatem substantialem. Fieri enim potest, quod operatio non fiat cum tota perfectione, vt si quis parum attentè recitet officium: tunc enim actus non amittit suam bonitatem substantialem, & tamen contrahit malitiam leuem, quia caret aliqua perfectione in genere morali.

9 Ad primum neg. conseq. Quia est diuersa ratio de rebus naturalibus, nam cum constent ex diuersis entitatibus possunt esse bene secundum vnam, & deficere secundum aliã. Ad secundum neg. anteced. quia supposito, quod cælum sit incorruptibile, illud iudicium erit absolutè falsum, nam tribuit cęlo rationem corporis coniunctam cum incorruptibilitate. Ad tertium neg. anteced. Si finis fundet malitiam grauem, vt constat ex dictis. Ad quartum neg. anteced. Quia eo ipso, quod actus est incompossibilis cũ obseruantia præcepti, est malus ex obiecto, nam hic, & nunc est virtualiter prohibitus, nisi alias præceptum cesset obligare. Ad quintum neg. min. Quia præceptũ, quãdo est de actu externo, potest impleri etiã per actũ malũ, quia tunc præcipitur sola substantia materialis operationis.

10 Quæres. An intentio boni finis minuat malitiam electionis. Resp. affirmatiuè cum D. Aug. c.8. *de mendacio*, vbi docet minora esse peccata, quæ bono omnino omittuntur. Ratio est, quia tunc operans vult malum tantũ secundariò, & habet voluntatem minus deprauatam.

An quando electio est mala, posit intentio esse bona.

SECTIO II.

11 PRima sententia est affirmatiua ita Medina 1.2.q. 19.ar.7. Salas tra.7.disp.3.sect.11.n.147. Aluar. *disp*.81. Lorca *disp*.42. *de actib. hum*. Suar. *lib*.8. *de bonit. & mal. sect*.1.*num*.26. Probatur. Potest turpe conducere ad assequutionem honesti, ergo tunc electio erit mala, & intentio bona.

12 Secunda sententia est negatiua. Ita Magister *in* 2. *dist*. 40. D. Bonau. *art*. 1. *quæst*. 1. Richard. *ibidem*. Gabr. *quæst*. 1. *art*. 2. Curiel 1. 2. *quæst*. 18. *artic*. 6. *dub*. 1. §. 6. Montesin. *disp*. 27. *quæst*. 6.

13 Dicendum est. *Intentionem finis alias boni vitiari ex mala electione.* Prob. eo ipso, quod intentio mouet ad malum medium, est causa mali, & virtualis volitio illius, ergo est etiam in se mala: vnde Apostolus ait *ad Rom*. 3. Non esse facienda mala, vt eueniant bona.

14 Colligitur ex his. Quod quando intentio respicit finem bonum cum ordine ad media in communi, & postea eligitur medium malum, tunc de bona fit mala, quia videlicet mouet ad malum.

15 Ad fundamentum in oppositum dist. anteced. Potest turpe conducere ad assequutionem honesti materialiter; non verò formaliter sub ratione honesti.

16 Ob. Ex illo Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, & cap. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere*, ergo quando intentio, & finis habent bonitatem, etiam electio erit bona, licet circa malum medium. Resp. neg. conseq. Quia in tali casu intentio non potest esse bona, nam intentio bona non mouet ad malum, atque adeò quando electio versatur circa malum, non potest esse ex intentione bona, quia tunc intentio habet pro obiecto finem cum ordine ad obiectum electionis, quod cum sit malum, inficit etiam finem.

An idem actus possit esse successiuè bonus, & malus.

SECTIO III.

17 PRima sententia est affirmatiua. Ita Caiet. 1. 2. *q*. 19. *art*. 1. Medina *ibid*. Pesantius *disp*. 1. Vasq. *disp*. 56. *c*. 2. Aluar. *disp*. 75. Montes. *disp*. 27. *q*. 2. Durand. *in* 2. *dist*. 40. *quæst*. 1. Scotus *in* 4. *dist*. 41. *quæst*. 1. & alij plures. Prob. Idem actus potest ordinari modo in finem bonum, modo in malum, ergo erit successiuè bonus, & malus. Secundò. Potest successiuè variari de bono in malũ ex varietate facta in cognitione, vt si ignorantia inuincibilis fiat vincibilis; vel in obiecto, vt si accedat prohibitio, ergo. Tertiò. Idem actus intellectus opinatiuus, potest esse verus, & falsus successiuè, ergo etiam actus voluntatis bonus, & malus.

18 Secunda sententia est negatiua ita Gab. *in* 2. *dist*. 40. *quæst*. 1. *art*. 2. *conclus*. 3. Ferrar. 3. *contra Gent*. *cap*. 10. Lorca *disp*. 33. *de actibus hum*. & alij.

19 Dico primò. *Idem actus elicitus non potest de bono fieri malus; aut e contra.* Prob. quoties actus variatur de bono in malum, aut econtra, obiectum non est idem, ergo actus variatur secundum esse physicum. Anteced. patet. Debet mutari motiuum, & fieri de honesto non honestum, aut econtra. Motiuum verò constituit obiectum formale. Conseq. probatur. Nam actus specificatur ab obiecto formali.

20 Dico secundò. *Neque actus imperatus potest de bono fieri malus, aut econtra.* Prob. Non potest mutari secundum esse morale, nisi attingat obiectum sub diuersa determinatione finis, ergo

21 Ad primum neg. anteced. Nam eo ipso obiectum attingitur sub diuersa determinatione finis, quod actus ordinatur in diuersum finem, quia mutatur secundum esse physicum. Ad secundum. Non posse variari de bono in malum ex variatione cognitionis, & obiecti, quia variatur secundum esse physicum; secus autem, si non varietur. Ad tertium neg. assumptum. Mutatur enim in ratione motiui, & sic secundum esse physicum.

22 Instabis. Si quis putet album esse parietem, dum est albus, & perseuerante illo actu fiat niger, ille actus euadit falsus, ergo. Respondetur. Illum actum adhuc dicere ordinem ad parietem album: mutatio enim fit secundum obiectum materialiter sumptum vnde cognitio est parietis, vt antea erat, non vt modo est.

SACRA MORALIS DOCTRINA

DE VIRTVTIBVS ET HVMANIS OPERATIONIBVS Theologicis ad Scholasticæ Lecturæ Methodum explicata.

Cùm homo eleuetur ad statum supernaturalem, vt transmittatur ad finem supernaturalem, debet perfici supernaturalibus habitibus, vt possit supernaturali modo operari proportionaliter ad statum; vnde hi habitus sunt veluti potentiæ status supernaturalis, & dicuntur virtutes Theologales, quia respiciunt ipsum Deum, & eidem innituntur in modo tendendi. Sunt autem tres, vt habetur 1. Corinth. 13. nempe fides, spes, et Charitas.


DE FIDE.

DE OBIECTO MATERIALI fidei.

DISPVTATIO XXIX.

Quodnam sit obiectum materiale fidei.

SECTIO I.



1 SVpponendum est, Fidem aliquando pertinere ad voluntatem, & aliquando ad intellectum. Prout pertinet ad voluntatem tria significat, aliquando enim significat fidelitatem. Leuitic. 6. *Anima, quæ negauerit depositum fidei suæ commissum* &c. Aliquando veracitatem, quæ est virtus inclinans ad verum dicendum. Hieremiæ 7. *Periit fides, & non est inuenta in ore eorum*; & aliquando significat fiduciam ad Rom. 4. *Non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide.*

2 Supponendum secundò. Fidem, prout pertinet ad intellectum primo sumi pro quacunque cognitione, siue clara, siue obscura; vnde definitur à Diuo Augustino capitul. secundo, de prædestinat. Sanctorum. *Credere est cum assensione cogitare*. Secundo pro cognitione obscura fundata in testimonio dicentis, & hoc pacto eam in præsenti sumimus.

3 Supponendum tertiò. Fidem supernaturalem secundum hanc significationem tria importare, videlicet. Habitum, actum, & obiectum: est enim necessarius habitus, vt eleuetur intellectus ad præbendum assensum supernaturali modo ex motiuo supernaturali, & de hoc intelligitur illud 1. ad Corinth. 13. *Nunc autem manent tria hæc, fides* &c. Interuenit etiam actus, quia habitus est propter actum, & de hoc habetur Matth. 9. *Secundum fidem vestram fiat vobis*; denique est necessarium obiectum; & de hoc intelligitur illud Ad Ephesios quarto *Vnus Deus, vna fides*. Quærimus, ergo quodnam sit obiectum materiale fidei, & quia conueniunt Auctores, quod obiectum adæquatum sit omne reuelatum, & solum discrepant in assignando obiecto principali, ideo

4 Prima sententia est, quod obiectum principale sit actus meritorius, ita Durandus *quæstion. 5. prologi*. Probat. In qualibet doctrina illud est obiectum principale, cuius cognitio est finis proximus, finis autem proximus fidei est cognitio actus meritorij 2. ad Timoth. 3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, &c. vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

5 Secunda sententia docet, Deum sub ratione salutatoris, & glorificatoris esse obiectum principale. Ita Ariminens. *quæst. 4. prologi articul. secundo* Marsil. *quæst. 2. art. 5.* Aegidius *quæst. 3.*

6 Tertia sententia vult, Deum sub ratione absoluta Dei esse obiectum principale. Ita Ocham. *quæstion. 3. prologi*. Gabriel *quæstion. 9.* Capreolus *quæst. 4.* Scotus *quæstion. secunda*. Coninch. *disputat. 9. de fidei habitu primo*, Suarez *disputation. secunda, de fide section. prima*. Turrianus *disputation. 1. dubio 1.*

7 Dico primò. *Adæquatum obiectum materiale fidei non est solus Deus, sed etiam aliquid creatum*: Probatur. Illud totum est obiectum materiale, quod potest substerni obiecto formali, obiecto autem formali fidei non solum Deus, sed etiam plurima creata substernuntur; vnde in scriptura habentur plures propositiones de fide, quæ continent aliquid creatum, vt quod Beata Virgo semper fuerit Virgo, quod fuerit desponsata Ioseph, &c.

8 Dico secundò. *Omne reuelabile auctoritate Diuina contineri sub obiecto materiali fidei*. Ita Diuus Thomas 2. 2. *quæstion. 1. articul. primo*. Probatur. Illud totum est obiectum alicuius habitus, quod potest per ipsum attingi. Omnis autem veritas auctoritate diuina reuelabilis potest attingi per habitum fidei, quia talis habitus respicit testimonium diuinum, atque adeo quicquid ipsi potest subijci.

9 Dico tertiò. *Obiectum materiale fidei esse cum ordine ad vltimum finem.* Probatur. Fides datur homini vt viatori, vt per ipsam tendat ad vltimum finem; vnde 2. Ad Corinth. 5. *Per fidem ambulamus*. Ergo cum debeat ostendere viam tanquam obiectum, debet ipsum respicere cum ordine ad terminum, seu vltimum finem.

10 Dico quartò. *Deum esse obiectum principale fidei, sed inadæquatum*. Desumitur ex D. August. *lib. 4. de Ciuitate Dei.capit.* 20. vbi habetur, *Fidei vnum, & primum, ac maximum officium est, vt in vnum credatur Deum*. & ad Hæbr. 11. *Accedentes ad Deum oportet credere, quia est*. Probatur. Fides est substantia rerum sperandarum: inter res autem sperandas principaliori modo se habet Deus. Confirmatur. In Cognitione beata interea, quæ correspondent fidei, principaliùs obiectum est Deus clarè visus. Ergo in cognitione obscura fidei principalius obiectum erit Deus obscurè cognitus.

11 Dico quintò. *Deum sub ratione vltimi finis, prout est summum bonum esse obiectum principale fidei*. Probatur. Fides eleuat hominem vt ambulet tanquam viator manifestans modum tendendi, & terminum. Ergo cum terminus sit Deus sub ratione vltimi finis, manifestabit Deum sub tali ratione.

12 Ad Fundamentum primæ Sententiæ negatur minor. Nam cognitio actus meritorij non est proximus finis principalis, sed cognitio ipsius Dei. Vnde locus Apostoli, quatenus procedit de cognitione actus meritorij, intelligi debet de fine proximo minus principali.

13 Obijcitur contra primam conclusionem, Omnia reuelata non sunt æquè credibilia, quia non sunt æquè vera; nam Diuina magis vera sunt. Ergo non omnia continentur directè, & æqualiter sub obiecto fidei. Respondetur. Non esse æquè vera veritate essentiali transcendentali; secus autem veritate credibilitatis, quia omnia sunt æquè credibilia ex vi testimonij Diuini.

14 Obijcitur secundò. Deus, & Creatura non continentur æqualiter sub obiecto charitatis. Ergo nec sub obiecto fidei. Respondetur negando consequentiam. Quia charitas tendit in bonitatem, vt in obiectum, quæ inæquali modo reperitur in Deo, & creatura; testimonium autem Diuinum æqualiter se extendit ad Deum, & obiectum creatum.

An obiectum fidei materiale sit aliquid complexum.

SECTIO II.

15 Dico primò. *Obiectum fidei sunt veritates complexæ obiectiuæ.* Ita D.Th. 2.2.*qu.*1. *artic.*2. & interpretes *ibidem*. Turrian. *disp.*1. *de fide, dub.* 2. Coninch *disput.*9. *dubio* 2. Suarez *disput.*2. *sectio.* 3. Probatur. Assensus fidei est indicatiuus, quia sine iudicio adhæsico non assentimur reuelatis, ergo obiectum fidei est fundamentaliter aliquid complexum, cum fundet assensum formali modo complexum.

16 Dico secundò. *Quamuis intra obiectum fidei contineantur plura simplicia, vt Deus, Angeli &c. omnia tamen constituunt vnicum obiectum complexum, & integrale*, ita vt non sint distinguendæ plures fides, sicut distinguunt Hæretici, qui ponunt triplicem fidem, Historicam, Miraculorum, & Promissionum, & hanc subdiuidunt in generalem, quę continet promissiones generales, & specialem, qua quilibet debet credere sibi esse remissa peccata, se gloriam consequuturum, &c. Probatur. Ad Ephes.4. *Vnus Dominus, vna fides*, & ad Hæbr.11. docet Apostolus eadem fide credi miracula, promissiones, & historiam. Ratio autem est; quia cum omnia obiecta materialia substernantur vni formali, debent aliquo modo inter se vniri, vt per modum vnius possint substerni.

17 Dico tertiò. *Fides non terminatur ad suum obiectum vt ad aliquid enunciabile*. Ita D. Thom. *citatus*. Probatur. Fides principaliter respicit veritatem rei, non autem modum attingibilitatis. Ergo terminatur per se primò ad veritatem reuelatam: vnde si essent in intellectu Angelico, nullo pacto respiciet enunciabilitatem obiecti.

An credibilia habeant inter se aliquem ordinem.

SECTIO III.

18 Loquimur de ordine credibilitatis, an videlicet vnum credibile dependeat ab alio in ratione credibilis.

Prima Sententia est negatiua, ita Caietanus 2. 2. *quæstion.* 1. *articul.* 1. Bannes *dubio* 4. Scotus *in 3. distinct.* 23. *quæst.* 1. Gabriel *ibidem*. Capreol. *articul.* 3. *ad 3. contra secundam conclusionem*. Probant. Fides non vtitur discursu in credendo, alioquin non fundaretur in sola auctoritate Diuina. Ergo. Secundò. Reuelatio per se immediatè respicit omne credibile. Ergo potest vnum sine alio reuelari, atque adeò non dependent ab inuicem. Tertiò. Licet vna propositio de fide inferatur ex alia, vt Christus resurrexit. Ergo, & nos resurgemus. 1. Ad Corinth. 15. Non tamen illatio est necessaria ad credendum, ergo.

19 Secunda Sententia asserit, adesse ordinem, quatenus, vt aliquid credatur, debent præsupponi duo principia, nimirum quòd sit ab aliquo reuelatum; & quod testificans sit fide dignus. Ita Durandus *in 3. distinctio.* 24. *quæst.* 1. Paludan. *ibidem*. Vasquez 1. *part. disputat.* 5. *capitul.* 3. Suarez *disputat.* 2. *de fide. sectio.* 4. Tanner. *tom.* 3. *disput.* 1. *de fide quæst.* 1. *dubio* 7.

20 Dico primò. *Inter credibilia datur ordo secundum materialem credibilitatem*. Probatur. Nisi credibilitas vnius dependeret à credibilitate alterius, nec etiam reuelatio vnius dependeret à reuelatione alterius. Hoc autem est falsum; nam plura dependent: non enim potuit reuelari verbum fuisse incarnatum, nisi etiam reuelatum fuisset, Deum esse trinum: quod etiam contingit in alijs pluribus ob essentialem connexionem, qua inuicem dependent in cognosci.

21 Dico secundò. *Inter credibilia formalia, & materialia non datur ordo dependentiæ in ratione credibilitatis formalis*. Probatur. Credibilia materialia non participant credibilitatem formalem. Ergo non possunt secundum ipsam fundare ordinem dependentię.

22 Dico tertiò. *Credibilia materialia dependent a credibilibus formalibus in genere causæ formalis, quatenus formalia substernunt sibi omnia materialia*. Probatur. Credibilia materialia non cognoscuntur in se ipsis, sed in testificatione reuelantis. Quod autem non cognoscitur in se ipso, debet cognosci per medium cognitum: medium autem cognitum se habet vt quod, & est terminus dependentię respectu illius, quod per ipsum cognoscitur.

23 Ad primum respondetur. An intellectus assentiatur fidei ex vi discursus, videbimus infra, interim negatur consequentiam. Nam ex eo, quod materialia credibilia dependeant à formalibus, sequitur tantum, quod non possint cognosci, nisi præsupposita cognitione credibilium formalium, non quia ab ipsa inferatur cognitio materialium, sed solùm quia requiritur, vt fundamentum. Ad secundum. Reuelationem respicere immediatè omnia credibilia, sed secundùm ordinem, quem habent ad inuicem, quia autem vnum essentialiter dependet ab alio, ideò non potest

potest sine ipso reuelari. Ad tertium licet non sit necessaria illatio, vt illæ propositiones credantur, est tamen necessarium, vt cognitio vnius præsupponatur tanquam fundamentum cognitionis alterius.

DE OBIECTO FORMALI Fidei.

DISPVTATIO XXX.

An Dei auctoritas, vel humana ratio sit obiectum formale.

SECTIO I.

1 SVppenendum est. Rationem formalem obiectiuam fidei, qua Intellectus mouetur ad assentiendum, non posse esse intrinsecam obiecto materiali. Ratio est; quia fidei est cognitio in euidens, quæ non attingit obiectum in se ipso, sed in testificatione reuelantis, & ideò ratio motiua non potest se tenere ex parte rei reuelatæ, alioquin ipsa moueret immediatè intellectum, & faceret, vt immediatè attingeretur in se ipsa.

2 Supponendum secundum. Motiuum formale extrinsecum esse duplex; aliud, quod propriè specificat habitum fidei, & mouet intellectum ad assentiendum; & aliud, quod solum mouet intellectum, vt vtatur motiuo formali ipsum applicando, credibilibus materialibus. Ex primo habetur certitudo fidei, ex secundo habetur applicatio, qua intellectus applicat habitum fidei in ordine ad credibilia ex tali motiuo formali. Ratio autem est, quia cum habitus sit in euidens, & motiuum credendi sit extrinsecum, non apparet connexio inter motiuum formale, & obiectum materiale; & ideò necessarium est aliud motiuum, ex quo percipiat intellectus, quod obiecta materialia substernantur motiuo credendi. In præsenti autem agimus de motiuo specificante habitum fidei.

3 Dico primò. *Ratio naturalis aliquo pacto concurrit ad assensum fidei*. Probatur primo ad Thessalonicens. 5. *Omnia probate, quod bonum est, tenete*. Et ratio est, quia assensus fidei debet prudenter elici ex capitul. 19. Ecclesiastici. *Qui cito credit, leuis est corde*. Non potest autem prudenter elici nisi humana ratio ostendat, quod intellectus moueatur prudenter ad credendum.

4 Dico secundò. *Humanam rationem non pertinere aliquo pacto ad formale motiuum credendi*. Est de fide contra Manicheos, qui vt refert Diuus Augustinus *libr. de vtilitat. credendi capitul.* 11. docebant, nihil esse credendum, nisi quod humana ratione persuaderetur. Probatur primo Ad Corinth. 2. *vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Matth. 11. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*. Vnde Diuus Augustinus *sermone 1. de Trinitat.* ait. *Fidelis sum, credo, quod nescio*. Confirmatur primò: vel humana ratio potest pertingere ad reuelata, vel non. Si primum, ergo non est opus fide, sed poterunt euidenter cognosci per humanam rationem. Si secundum, ergo neque poterit esse regula, & mensura credendorum. Confirmatur secundum. Si assensus fidei miteretur humanæ rationi, non esset infallibilis contra illud epistola 2. Petri cap. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*. Nam humana ratio potest facile decipi, vt experientia patet.

5 Dico tertiò. *Motiuum formale credendi se tenet ex parte Dei, & auctoritatis ipsius*. Est de fide; & traditur à D. Thoma 2. 2. *q. 1. art. 1.* Probatur. Genes. 5. *Credidit Abraham Deo*. 1. Ad Thessalon. 2. *Accepistis illud, non vt verbum hominum, sed vt verè est, verbum Dei*. 1. Ioann. 5. *Qui credidit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*. Confirmatur. Formale motiuum credendi debet causare assensum infallibilem; & debet esse aliquod testimonium, quia assensus fidei ex genere suo est ex aliquo testimonio, ergo debet esse testimonium Diuinum, quia testimonium creatum est fallibile.

6 Dices. Beati non possunt decipere, cum sint impeccabiles, ergo testimonium ipsorum potest fundare fidem infallibilem. Respondetur. Non possunt decipere ex se præcisè, & nego vt Beati sunt, & ex participatione testimonij Diuini. Concedo. Quia enim sunt beati, sunt impeccabiles, & non possunt reuelare, nisi prout accipiunt à Deo; vnde testimonium ipsorum, non est primum testimonium, sed participatum, sicut etiam est participata cognitio, & ideò non potest causare certitudinem supremi generis, qualis est certitudo fidei.

An Deus sit formale motiuum fidei ratione luminis infusi.

SECTIO II.

7 PRima sententia asserit, motiuum credendi esse ipsum lumen infusum, seu habitum fidei. Ita Aragonius 2. 2. *quæst. 1. art. 1.* Bannes *dub. 1. conclus. 2.* Canus *lib. 12. de locis cap. 3. concl. 2. & 3.* Probant. Si lumen infusum non esset motiuum, procederetur in infinitum in motionis credendi; nam quocunque posito, adhuc ipsum ex alio motiuo deberet credi, ergo. Secundò. Lumen fidei est passiua manifestatio illuminans obiectum, ergo. Tertiò. Omne obiectum intellectus debet existere sub aliquo lumine, quia omne, quod manifestatur, lumen est. Ad Ephes. 5. Nullum autem aliud adest lumen præter infusum, iuxta illud secundæ. Ad Corinth. 4. *Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ charitatis Dei in facie Iesu Christi*.

8 Secunda sententia docet, motiuum credendi inchoari per reuelationem, & testimonium Dei, compleri vero per lumen infusum. Ita Molina *1. part. quæst. 1. art. 3. disp. 2.* Probat. Testimonium Dei est indifferens ad fidem infusam, & acquisitam, nam hæreticus aliqua credit, quia Deus reuelauit, ergo non potest esse adæquatum motiuū credendi, sed debet compleri per lumē infusum. Secundò. Obiectum formale determinat potentiam ad actum specificum, obiectum autem reuelatum à Deo præcisè non determinat ad actum fidei infusæ, nisi accedat lumen fidei. Tertiò. Idem lumen potest se tenere ex parte potentiæ, & obiecti, sic lumen gloriæ adiuuat intellectum, & illuminat obiectum, ergo etiam lumen fidei.

9 Tertia sententia negat absolute, lumen fidei pertinere ad obiectum formale. Ita Albertus *in 3. distinct. 23. art. 8.* Bellarminus *lib. 1. de iustificatione capitul. 1.* Turrianus *disputation. 2. de fide dub. 3.* Suarez *disputat. 3. section. 3.* & alij.

10 Dicendum est. *Lumen fidei infusum non pertinere aliquo pacto ad obiectum formale fidei*. Probatur. Lumen fidei specificatur ab obiecto formali, sicut etiam quilibet habitus, & potentia, ergo debet esse contradistinctum ab obiecto formali, quia specificatiuum extrinsecum est terminus habitudinis, quam dicit ipsum specificatum. Confirmatur. Ideò lumen fidei pertineret ad obiectum formale, quia illuminat ipsum obiectum; sed hoc est falsum, ergo, minor probatur. Quia si illuminaret, manifestaret etiam, vnde non esset necessaria reuelatio, per quam manifestarentur credibilia.

11 Ad primum primæ Sententiæ negatur sequi processum in infinitum; quia sistitur in aliquo motiuo, quod se ipso creditur, vt ridebimus infra. Ad secundum negatur assumptum. Quia lumen fidei non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte potentiæ ipsam eleuans ad credendum supernaturali modo. Ad tertium. Obiectum intellectus debere existere sub aliquo lumine, quatenus lumen dicit manifestationem; hæc autem manifestatio in casu nostro est reuelatio. Illud autem 2. Ad Corinth. 4. explicat totam illuminationem, quæ necessaria est in fide, qua se debet tenere tum ex parte intellectus, tum ex parte obiecti.

12 Ad primum secundæ sententiæ negatur assumptum. Ad probationem. Hæreticum non credere præcisè ex testimonio Dei, quia cum se extendat æqualiter ad omnes articulos, si crederet ex vi ipsius, omnes crederet, credit autem ex testimonio Dei regulato per iudicium naturale; vnde motiuum credendi tradit humanum. Ad secundum negatur minor. Nam obiectum, prout stat sub testimonio Dei, determinat intellectum ad actum specificum fidei infusæ, vnde lumen est tantum necessarium in ratione principij. Ad tertium negatur assumptum. Lumen enim, quod se tenet ex parte potentię, debet supponere obiectum formale, completum contradistinctum, vt etiam cõtingit in lumine glorię.

An reuelatio sit obiectum formale Fidei.

SECTIO III.

13 PRima sententia est affirmatiua. Ita Caietanus 2.2. *quæst.1.art.1.dubio.2.* Bannes *dubio.1.* Capreolus *quæst.4.prologi.conclus.3.& 6.* Scotus *in 3. distinct. 23.quæst. vnica.* Richardus *articul. 4. quæst. 3.* Coninch *disput.9.de Fide, dub. 4.* Turrianus *disput.2.dub.2.* & alij. Probant Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi*. Ergo Reuelatio est obiectum formale. 2. Deus non mouet ad credendum, nisi mediante testimonio. Ergo vt reuelans. 3. Ex diuersa reuelatione oritur diuersitas obiecti formalis, videlicet si sit clara, vel obscura. Ergo reuelatio pertinet ad constitutionem ipsius. 4. Omnia credibilia habent vnitatem obiecti ratione reuelationis; illa autem ratio, quæ ponit vnitatem, est ratio formalis.

14 Secunda sententia est negatiua. Ita Arimin. *quæst.4. prologi. artic. 2.* Aureolus *in prologo quæst. de vnitate Theologiæ. art.3.*

15 Notandum primò. In testimonio reuelantis duo considerari; nempe Reuelationem, quę est manifestatio obscura constituens obiectum cognoscibile in se ipsa, vt in medio cognito; Et veracitatem reuelantis, quę dicit, quod Reuelatio conformetur rei reuelatę absque mendacio; vnde dicit perfectionem reuelantis, ratione cuius non mentitur.

16 Notandum secundò. In obiectis scientiarum duo considerari; nempe abstractionem, & rationem formalem. Abstractio est præcisio à materia, qua rationes communes constituuntur in aliquo peculiari modo cognoscibilitatis. Ratio verò formalis est illa, quę reddit obiectum proportionatum Scientię. Habent autem ad inuicem Ratio formalis, & absolutio correspondentiam, quia semper ex diuersa abstractione consurgit diuersa ratio formalis.

17 Notandum tertiò. Hæc duo proportionaliter reperiri in obiecto fidei; nam habet rationem formalem, qua mouet intellectum ad assensum. Et habet proportionaliter suam abstractionem, per quam trahitur ad specialem modum cognoscibilitatis vt extrahatur à propria cognoscibilitate, qua est clarè cognoscibile, & constituatur intra modum cognoscibilitatis obscuræ.

18 Dico primò. *Reuelationem præcisè consideratam non importare rationem formalem obiecti fidei.* Probatur. De ratione formali obiecti, est, vt specificet actũ fidei certũ, & omnino infallibilem. Reuelatio autem non potest specificare, quia tantum proponit obiectum; propositio autem obiecti est indifferens, vt specificet actum fallibilem, vel infallibilem.

19 Dices. Obiectum formale esse reuelationem Diuinam; & ideo posse specificare actum infallibilem. Contra, Vel Reuelatio Diuina sumitur præcisè secundum rationem reuelationis; & tunc non potest causare assensum infallibilem; vel sumitur cum aliquo alio, & tunc ratione alterius causabit assensum infallibilem, atque adeò illud erit motiuum formale.

20 Dico secundò. *Reuelationem esse veluti abstractionem, qua obiectum fidei constituitur in tali speciali modo cognoscibilitatis.* Probatur. Obiectum ex vi reuelationis habet, quod sit cognoscibile eo speciali motiuo, nempe testimonio, & modo obscuro. Ergo.

21 Ad primum. Respondetur. Illa loca Scripturæ, & alia huiusmodi solum significare, quod fides sit ex Diuino testimonio; testimonium autem Dei mouet ad credendum ex vi veracitatis tanquam per formale motiuum; ex vi autem reuelationis tanquam per rationem constituentem obiectum sub speciali modo cognoscibilitatis. Ad secundum. Ex Diuina reuelatione consurgere diuersum obiectum formale consequutiuè, non formaliter; vnde Deus mouet ad credendum mediante testimonio, quatenus dicit veracitatem, non autem quatenus dicit reuelationem, & per hęc patet etiam ad tertium. Ad quartum. Omnia credibilia ratione reuelationis habere vnitatem in modo cognoscibilitatis, non autem in motiuo cognoscendi.

An Diuina veritas sit obiectum formale Fidei.

SECTIO IV.

22 DIuina veritas consideratur tripliciter; in essendo, & importat illam veritatem, quę consequitur summum esse. In cognoscendo, & importat veritatem Diuinę cognitionis; Et in dicendo, quæ etiam dicitur veracitas, & importat quandam virtutem, qua voluntas determinatur ad regulandam loquutionem vt veraciter procedat.

23 Prima sententia docet, Deum sub ratione primæ veritatis in essendo esse formale obiectum fidei. Ita Caietanus 1.2. *quæst.1.art.1.dub.1.* Probat. Fides vltimò resoluitur in Deitatem; credimus enim in Deum, quia verax est, ideo autem est verax, quia est verus Deus. Ergo.

24 Secunda Sententia asserit, Deum secundum rationem veritatis in cognoscendo esse obiectum formale. Ita D. Bonauen. *in 3. distinct. 24. artic. 1. quæst. 2.* Valentia *tom. 3. disp. 1. quæst. 1. puncto. 1.* Probant. Veritas in dicendo resoluitur in veritatem in cognoscendo; ideò enim aliquis vera loquitur, quia vera cognoscit. Ergo.

25 Tertia Sententia docet, primam veritatem in dicendo esse obiectum formale. Ita D. Thom. 2.2. *quæst. 1. artic. 1.* & ij, qui ponunt pro obiecto formali Diuinum testimonium.

26 Dico primò. *Veritatem Dei in dicendo esse formale motiuum fidei.* Probatur. Fides est ex testimonio dicentis, & fides Diuina ex testimonio Dei 1. Ioann. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*, 1. Ad Thessal. 2. *Accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei*; testimonium autem dicit veritatem in dicendo. Confirmatur. Sola veritas in dicendo potest mouere intellectum ad assensum, quia in tantum assentimur rei, prout est sub reuelatione; in quantum iudicamus, quod testificans verax sit. Ergo sola veritas in dicendo potest esse motiuum fidei.

27 Dico secundò. *Veritatem in dicendo fundari in veritate cognitionis.* Probatur. Veritas in dicendo est manifestatiua veritatis in cognoscendo. Ergo, &c.

28 Ad Fundamentum primæ Sententię Respondetur. Veracitatem cõuenire quidem Deo ex eo, quod sit Deus; non

non tamen ex eo, quod sit Deus mouet ad assensum infallibilem; sed tantum mediante veracitate, & ideò veracitas est formale motiuum; quia motiuum non est illud, in quod fit quęcunque resolutio; sed id, in quod resoluitur specificatio actus.

29 Ad Fundamentum Secundę Sententię Respondetur. Veritatem in dicendo resolui in veritatem cognitionis tanquam in fundamentum; non tanquam in motiuum, quod moueat intellectum ad credendum.

30 Obijcitur. Quod Deus sit verax, creditur per fidem. Ergo non est obiectum formale, sed materiale. Respondetur. Credi propter se, non autem propter aliud motiuum, obiectum autem materiale non creditur propter se.

31 Instabis. Quod Deus sit verax, creditur, quia est reuelatum. Ergo propter aliud motiuum. Respondetur credi propter reuelationem, non quia reuelatio sit motiuum credendi, sed quia est applicatiua veritatis credendæ.

DE CERTITVDINE OBIECTI formalis fidei.

DISPVTATIO XXXI.

An Deus possit mentiri.

SECTIO I.

1 INfallibilitas fidei fundatur in certitudine testimonij Diuini; vnde nisi sit infallibile, nec etiam fides poterit esse infallibilis. Priscillianistę, vt refert D. August. *Hæresi* 7. Docuerunt, Deum aliquando mentitum fuisse. Mouebantur 1. Quia quędam loca sacrę scripturę sunt inter se contraria. 2. Quia, aliqui sancti instinctu Spiritus Sancti mentiti sunt. 3. Quia aliquæ prædictiones, & promissiones Dei non sunt impletę. 4. Quia aliquando Deus dicitur decipere homines.

2 Hæc hæresis destruit fidem sacræ Scripturæ, nec habet aliquod fundamentum, quia loca Scripturæ, quę videntur contraria, non sunt talia, si accipiantur secundum rerum sensum vt patet ex interpretibus. Nec viri sancti mentiti sunt instinctu Spiritus si; quæ enim dicebant, verum sensum habebunt, vt cum Abraham dixit; ego, & puer reuertemur ad vos, licet enim haberet intentionem sacrificandi filium, non tamen est mentitus, quia hoc dixit tum ex Spiritu prophetico, tum etiam ex magna in Deum confidentia. Promissiones verò, & prædictiones, quæ non sunt implete, fuerunt condicionatę, aut comminatiuæ, vnde non debuerunt impleri, quia non est posita conditio. Quando autem Deus dicitur decipere homines, intelligitur permissiuè, quatenus permittit, quod decipiantur. Inter Catholicos autem difficultas est, an de potentia absoluta possit Deus mentiri.

3 Prima sententia asserit, Deum de potentia absoluta non posse mentiri, posse tamen dicere falsum, quia tunc loquutio falsa non haberet malitiam moralem. Ita Gabriel *in 3. distinct.* 12. *quæst.* 1. Adamus *quæst.* 5. Albiacensis *in* 1. *quæst.* 12. Olchot *in* 2. *distinct.* 5. Probant. Nullus actus est intrinsecè malus, sed tantum quia prohibitus; vnde Ad Rom. 3. *Vbi non est lex, est præuaricatio*. Ergo cum Deus non teneatur aliqua lege, poterit dicere falsum, nec erit malum respectu ipsius. Confirmatur ex cap. *Gaudeamus*. De *Diuortijs*. Vbi iudicatur, Deum dispensasse cum Iacob, vt diceret falsum. 2. Potest Deus non implere promissa, vnde Genes. 4. Promisit Cain non forè occidendum, & tamen occisus est, Ergo potest dicere falsum.

4 Secunda Sententia asserit, Deum neque de potentia absoluta posse dicere falsum. Ita Durand. *in* 3. *distinct.* 24. *quæst.* 2. Marsil. *quæst.* 14. *artic.* 2. Ariminensis *in* 1. *distinctio.* 42. *quæst.* 2. *artic.* 1. Turrianus *disput.* 3. *de fide dub.* 1. & communiter.

5 Dico primò. *De fide eße Deum non posse mentiri, siue dicere falsum stante lege ordinaria*. Probatur Ioann. 3. *Qui accepit eius testimonium, significauit, quia Deus verax est*, & cap. 8. *Qui me misit, verax est*. Ad Titum 3. Qui non mentitur Deus.

6 Dico secundò. *Nec de potentia absoluta potest Deus mentiri, siue dicere falsum*. Hanc etiam Conclusionem puto esse de fide & traditur communiter, à Patribus Ambrosio *lib.* 6. *Epistol.* 2. Athanas. *De Incarna. verbi*, vbi habet Deum non fore Deum, si in ipso esset mendacium. Anselm. *libro* 1. *Cur Deus homo. cap.* 12. Chrysostomo *humilia* 1. *in symbolum*; Augustino *lib.* 22. *de Ciuitate. Dei. capit.* 25. vbi ait. *Si volunt inuenire, quod omnipotens non potest. Ego dico mentiri non potest*. Probatur 2. Ad Timoth. 2. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest*. Infert autem fidelitatem ex impotentia negandi se ipsum. Vnde cum impossibile sit, quod Deus se ipsum neget, erit etiam impossibile, quod mentiatur. Numerorum 23. *Non est Deus vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur*. Est autem sermo de capacitate respectu mendacij, & hęc remouetur à Deo, sicut remouetur mutabilitas. Ad Hæbræos 6. *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus*; per duas autem res intelligit promissionem, & iuramentum: quia autem iuramentum non addit maiorem certitudinem Diuinę loquutioni, sicuti posito iuramento impossibile est Deum mentiri, ita etiam absque iuramento. Confirmatur. Mendacium, seu locutio falsa importat defectum: nam dicit quod fidelitas debita in loquendo deficiat. Ergo non potest prouenire, nisi à natura defectibili. Deus autem est omnino indefectibilis. Confirmatur 2. Omne malum repugnat Deo, cum sit summum bonum, sed mendacium est intrinsecè malum. Ergo: minor probatur. Tum quia id docet Augustinus *libro contra mendacium, capit.* 15. & *cap.* 22. *Enchirid.* & hoc putat certum de fide, Tum quia neque propter vitam tuendam licet mentiri ex cap. *super eo*. De vsuris. Tum quia ex intrinseca sua ratione est contrarium rationali naturæ. Tum quia euertit finem loquutioni. Tum quia loquutio falsa est deformis suę ideę, atque etiam ęternis legibus, Tum quia destruit auctoritatem rationalis creaturę.

7 Ad primum. Respondetur. Falsum esse, non dari actus intrinsecè malos, cum sint aliqui, qui ex intrinseca sua ratione, & ex obiecto habent deformitatem cum ęternis legibus immutabilibus. Cum autem ad Roman. 3. dicitur, *vbi non est lex, est præuaricatio*: vt verum vniuersaliter sit, debet intelligi de quacunque lege, actus autem isti, quamuis non sint prohibiti lege positiua, sunt tamen prohibiti lege naturali. Ad confirmationem. Deum non dispensasse cum Iacob, vt mentiretur, sed dispensasse vt non esset mendacium, quod alioquin fuisset facta immutatione in materia. Deus enim ordinauit, vt Iacob esset primogenitus, & Iacob attendens hanc ordinationem Diuinam dixit Patri, se esse primogenitum. Ad secundum implicare quod Deus non impleat promissa, quando sunt absoluta; & hoc est de fide, vt docet D. August. *lib.* 1. *de symbol. ad Catechum. cap.* 1. & desumitur ex illo psalm. 114. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis*. Ad probationem. Deum non promisisse Cain, quod non esset occidendus, sed quod non esset impunè occidendus.

An Deus possit aliquo pacto causare assensum falsum.

SECTIO II.

8 VT magis Diuina veracitas declaretur, videndum est, an Deus possit aliquo pacto concurrere ad falsitatem nostræ cognitionis. Potest autem excogitari id fieri, vel quia moueat intellectum ad assensum falsum, vel quia causet speciem impressam, vel habitum inclinantem ad assensum falsum.

Prima sententia asserit. Deum posse producere huiusmodi habitum. Ita Vasq. 1.2. *disput.90.cap.4.* Probat. Quia ex hoc non sequeretur, quod testificaretur falsum, sed tantum quod esset causa principij falsæ cognitionis. Secundò. Apparitiones, quæ fiunt circa species Sacramentales, fiunt per solam immutationem potentiæ visiuæ per species, non autem per mutationem in obiecto. Ergo tunc species inclinat ad cognitionem falsam, quia non est in obiecto, quod repræsentatur.

9 Secunda sententia absolutè negat. Ita Medina 1. 2. *quæst. 19. art.1.* Turrian. *disp.4. de fide. dub.4.* Coninc. *disp.10. dub.2.*

10 Dico primò. ***Deum non posse mouere intellectum siue excitando, siue alio modo ad assensum falsum.*** Prob. Esset causa illius assensus, & cum sit quædam loquutio, qua assentiens loquitur sibi ipsi, esset causa falsæ loquutionis, atque adeò mendax.

11 Dico secundò. *Neque posse producere speciem per se inclinantem ad assensum falsum.* Dixi per se, quia per accidens potest inclinare, si videlicet ordinetur ad repræsentandum obiectũ eo modo, quo hic, & nũc non potest repræsentari. Probatur. Species inclinat tantùm ad cognitionem illam, cuius est species. Ergo non potest inclinare ad cognitionem falsam. Consequentia probatur. Quia cum sit essentialiter species alicuius obiecti, non potest inclinare, nisi ad cognitionem illius obiecti, cuius est species, atque adeò ad cognitionem veram.

12 Dico tertiò. *Neque Deum posse causare habitum per se inclinantem ad assensum falsum.* Probatur. Quicquid Deus facit, debet facere secundum leges æternas suæ mentis. Ergo non potest producere habitum inclinantem ad falsitatem. Consequentia probatur. Quia leges æternæ exigunt, quod habitus ordinetur ad cognitionem, & quod cognitio manifestet obiectum, vt in se est; cognitio autem falsa non manifestat, vt in se est, quia est cognitio deficiens; vnde nec habitus potest ordinari ad ipsam.

13 Ad 1. negatur sequela. Nam sequeretur, quòd Deus esset causa erroris, vt iam patet ex dictis. Ad 2. Supposita illa opinione, species illas non inclinate ad falsum, quia repræsentant obiectum, quod verè est obiectum illius cognitionis; & licet non sit præsens, quia tamen vult Deus repræsentari, vt præsens, ideò neque quoad hoc causant cognitionem falsam.

Quanta sit certitudo obiectis formalis Fidei.

SECTIO III.

14 CVm motiuum formale fidei sit Diuina veracitas, quatenus fallere non potest, difficultas est quanta sit certitudo illius prout concurrit ad causandum assensum fidei; videlicet an vt cognita à lumine naturæ cõcurrat, an verò vt cognita per fidem.

15 Prima sententia asserit, quod ad credendum sit necessaria præuia cognitio de veracitate Dei, quæ habetur per lumen naturale, ita Altisiodoriens. *lib.3. summæ tra. 3.cap.2.quæst.1.* Probat. Fides supponit obiectum cognitum, in quo fundatur. Ergo cum non possit supponere se ipsam, non potest supponere cognitum per fidem, sed per lumen naturale. Secundò. In resolutione fidei committeretur circulus, si supponeretur cognitum per fidem; nam ita resolueretur; credo Deum esse trinum, quia dixit; credo autem dicenti, quia verax est, credo autem esse veracem, quia ipse dixit.

16 Secunda sententia docet, cognitionem veracitatis Diuinæ non semper præ requiri ad credendum; quando autem est necessaria, sufficere, si cognoscatur per lumen naturale, ita Capreol. *in 3. distinct. 24. quæst.1.art.3.* Richard. *art. 5.* Chartuſ. *quæst.1.* Caietan. *in cap.11. Epist. ad Hebræos.* Probant. Qui euidenter cognoscunt, Deum non posse mentiri, non possunt de hoc habere fidem, cum fides sit de ineuidentibus. Ergo. 2. neque in fide humana veracitas dicentis creditur per fidem, ergo nec in Diuina.

17 Tertia sententia docet, naturalem euidentiam veracitatis Diuinæ nõ esse sufficientem ad credendum; sed fidẽ debere resolui in ipsam vt creditam per fidem. Ita Diu. Thom. 2.2.*quæst.1. artic.5.ad 1. & 3.* & *quæst.2.art.4.* Scotus *in 3.dist.23.quæst.2.art.2.* Suarez *disp.3. de fide, sect.3.* & alij.

18 Notandum 1. Non esse aliquem ita rudem, qui si proponatur, Deum non posse mentiri, non statim essentiatur, si congruè declarentur termini, ex vi luminis naturalis, ratione cuius est cuilibet insitum, vt remoueat à Deo omne malum, quale est mendacium; fieri tamen potest, quod stante ruditate ingenij de hoc nihil cogitet, & ideo naturali euidentia non cognoscat, Deum non posse mentiri.

19 Notandum 2. Ex hoc sequi, quod non sit necessaria naturalis euidentia Diuinæ veracitatis ad assensum fidei; simplices enim fideles verè credunt fide infusa, & tamen non habent hanc naturalem euidentiam: vt etiam contingit in pueris, quando primò perueniunt ad vsum rationis. Vnde solum difficultas est, quomodo ex natura rei fides resoluatur in veracitatem Diuinam.

20 Dico primò. *Deum non posse mentiri, vt naturali lumine cognitum, non esse sufficiens fundamentum, & motiuum, in quod resoluatur fides.* Probatur. Assensus fidei quò à certitudinem est altioris ordinis, quam sit euidentia naturalis. Ergo non potest resolui in motiuum naturali lumine cognitum; quia ex motiuo credendi generatur certitudo assensus.

21 Dices. Motiuum naturaliter cognitum posse eleuari ab habitu supernaturali ad causandum assensum supernaturalem. Contra. Habitus determinatur ex motiuo ad influendum in actum. Ergo vt habitus influat secundum quantitatem propriæ virtutis, debet motiuum esse proportionatum habitui. Confirmatur. Intellectus secundùm eamdem virtutem potest causare assensum certum, & opinatiuum, prout mouetur ex diuerso motiuo: nec potest eleuare motiua naturalia ad causandum assensum certiorem, quam sint eadem motiua; vnde impossibile est, quod motiuum opinatiuè cognitum esset scientia, ergo. Confirmatur 2. Habitus scientiæ non potest procedere scientifico modo causando assensum certum, & euidentem, nisi procedat ex motiuo certo, & euidenter cognito, ergo.

22 Probatur secundò. Assensus fidei est saltem virtualiter discursiuus, & fundatur in hoc principio, quod Deus non possit mentiri. Ergo quod Deus non possit mentiri, debet concurrere vt fide cognitum ad assensum fidei. Cõsequentia probatur. Quia principium continet virtualiter certitudinem conclusionis: vnde certitudo ipsius non debet esse inferioris ordinis: hinc conclusio nunquam est magis certa, quàm sint præmissæ.

23 Dices. Posse ex aliquo principio deduci conclusionẽ certiorẽ, quãdo deducitur per lumẽ altioris ordinis, vt est lumen fidei. Contra. Lumen, quod deducitur conclusio, non influit in ipsam certitudinem, sed tantum applicat principium ad influendum. Ergo licet sit altioris ordinis, non potest influere maiorem certitudinem, quàm sit in principijs. Hinc intellectus eodem lumine infert ex diuer-

diuerso motiuo conclusiones scientificas, & opinatiuas.
2. Habitus fidei non habet ex se quod influat certitudinem: sed ex eo, quod determinatur à tali motiuo. Ergo non potest de se influere maiorem certitudinem, quàm sit in motiuo.

24 Dico secundò. *Quod Deus non possit mentiri, ita credi per fidem infusam, vt non indigeat alio motiuo, sed se ipso moueat ad assentiendum.* Probatur. Quod est tale formaliter vt, *quo*, non indiget alio, vt tale, sed se ipso facit, quod alia sint talia. Ergo cum motiuum fidei sit ratio, propter quam credibilia mouent intellectum ad assensum, non indigebit alio motiuo respectu sui ipsius. Sic etiam principia, quia sunt rationes, cur conclusiones cognoscantur, se ipsis cognoscuntur, & non per alia principia.

25 Dices. Fidē debere esse ex motiuo extrinseco obiecto, quod creditur. Contra. Ideò motiuum debet esse extrinsecum obiecto, quia obiectum de se non habet, per quod moueat. Ergo si habeat, hoc non erit necessarium; obiectum autem formale ex se habet, vnde moueat.

26 Ad 1. Primæ sententiæ respondetur. Fidem supponere obiectum formale cognitum, si loquamur de ijs actibus, qui versantur circa obiecta materialia, non autem de actu, quo attingitur obiectum formale. Cum autem dicitur, quòd fides non supponit se ipsam, debet intelligi, quod totaliter sumpta non supponat se ipsam; non autem quod secundùm aliquos actus non supponat alios. Ad 2. negatur committi circulum; omnia enim creduntur, quia Deus dixit, & ideò credimus loquutioni ipsius, quia non potest mentiri, & in hoc sistimus, credimus enim non posse mentiri, non ex aliquo alio motiuo, sed ex se ipso.

27 Ad 1. Secundæ sententiæ. An fides possit stare cum euidentia, videbimus infra; nunc sufficit, quod non sit incompossibilis in diuerso tempore. Ad 2. Etiam in fide humana veracitatem testificantis credi per fidem humanam; potest autem etiam aliunde innotescere præsertim ex experientia.

DE REVELATIONE.

DISPVTATIO XXXII.

An fides requirat reuelationem, vt creditam.

SECTIO I.

1 QVæstio hæc sub alio etiam titulo proponi solet, nimirum, an sit de fide, Deum reuelasse mysteria fidei, quod nihil aliud est, quam, an fide teneamus, quod ea, quæ nobis credenda proponuntur, sint à Deo relata.

2 Supponendum est. In tantùm nos assentiri reuelationi eorum, quæ credimus, in quantùm ab Ecclesia proponuntur, vt à Deo reuelata. Hinc certitudo reuelationis resoluitur in proportionem Ecclesiæ. Difficultas autem est, quia si rursus inquiratur, vnde sciamus Ecclesiam nō falli, & respondetur, qua Deus illi promisit suam assistētiam; rursus interrogabitur, vnde habeatur, quod hæc promissio sit facta à Deo, & si dicatur ex proportione Ecclesia, quia ita proponit credendum, committitur circulus.

3 Prima sententia asserit. Propositionem Ecclesiæ, atque adeò reuelationem quò ad suam infallibilitatem resolui in miracula, quæ ita sunt accipienda, vt procedentia à Deo, quibus protestetur; se assistere Ecclesiæ: hæc autem miracula non esse amplius resoluenda in aliud motiuum, quia per se euidens est, tot signa non posse fieri, nisi à Deo, ita plures Recentiores, & indicatur a Scoto *in 3. distinct. 23. quæst. 5.* Gabriel *quæst. 2. artic. 1. & 2.* Probant. Infallibilitas propositionis Ecclesiæ non potest credi fide infusa, cum non possit credi per aliud motiuū, alioquin procederetur in infinitum, ergo. Secundò. Fides infusa non potest exire in actum, nisi præuia fide acquisita, quod reuelatio sit a Deo, ergo. Tertiò. Miracula sunt illa quæ generant auctoritatem Ecclesiæ, ergo. Quartò. Magis certum potest fundari in minus certo, quando ipsum non est discutiendum; sic etiam propositio credendorum dependet à sensibus, qui possunt decipi. Ergo assensus fidei potest fundari in cognitione miraculorum.

4 Secunda sententia docet, propositionem Ecclesiæ quò ad suam infallibilitatem credi fide infusa. Ita Marsil. *in 3. quæst. 10. artic. 1.* Capreol. *distinct. 24. articul. 3. ad argumenta Scoti contra 4. Conclusionem*, Suarez *disput. 3. de fide, sectio. 12.*

5 Notandum 1. Propositionem Ecclesiæ esse quoddam complementum reuelationis; quia nisi reuelatio proponeretur, non posset exercere rationem reuelationis, & ideò est ratio, qua reuelatio constituitur in statu proximo. Ex hoc autem fit, quod extraque comparata ad obiectum credibile se habeant vt *quo*, & sint vna integra ratio manifestatiua, qua obiectum constituitur in statu proximo credibilitatis.

6 Notandum secundò. Reuelationem, & propositionem nedum cadere supra obiectum materiale, sed etiam supra formale, quia & ipsum quoque proponitur, vt reuelatum. Cum autem obiecta materialia dependeant in credibilitate a formali, idem ordo est inter reuelationem, & propositionem, prout cadit supra obiecta materialia, & formalia, ita vt reuelatio, & propositio obiecti materialis dependeat a reuelatione, & propositione obiecti formalis.

7 Dico primò. *De fide esse Deum reuelasse mysteria fidei.* Probatur, 2. Petri 1. *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Ioann. 7. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Confirmatur. De fide est, Ecclesiam regi a Spiritu sancto, & consequenter esse de fide tenendum, quicquid proponit credendum; proponit autem credendum mysteria fidei esse reuelata à Deo. Ergo.

8 Dico secundò. *Reuelatio, & Propositio Ecclesiæ fide acquisita credita, aut alio modo naturali cognita non est sufficiens fundamentum assensus fidei infusæ.* Sequitur ex præcedenti, quia cum sit de fide, Deum reuelare mysteria fidei, debet reuelatio vt facta à Deo per fidem infusam cognosci. Probatur. Quòd reuelatio sit a Deo, est principium, & fundamentum, cui innititur fides, ita vt assensus fidei eliciatur ex vi illius assensus, quo assentimur, reuelationem factam fuisse a Deo. Ergo debet habere eamdem firmitatem, quam habet assensus fidei, cum non possit esse magis certus, quam sit radix, in qua radicatur certitudo ipsius. Confirmatur. Si quis teneret, aliquod mysterium non esse a Deo reuelatum, non posset ipsi assentiri infallibili assensu. Ergo ideò assentitur, quia tenet, quod sit reuelatum a Deo. Quando enim negatio est causa negationis; affirmatio quoque est causa affirmationis. Ergo non potest infallibiliter assentiri, nisi infallibiliter teneat esse a Deo reuelatum; Quia sicuti se habet simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis. Confirmatur secundò. Si assensus fidei discursiuo modo eliciatur, dependet tanquam ab vna præmissa ab hoc principio, quod Deus reuelauerit. Ergo cū conclusio non sit magis certa, quam præmissa, non poterit assensus fidei esse infallibilis, nisi infallibile sit, quod reuelatio sit a Deo.

9 Dico tertiò. *Propositionem & Reuelationem obiecti credibilis attingi eodem actu fidei, quo attingitur obiectum reuelatum.* Probatur. Non potest obiectum attingi, nisi attingatur vt propositum, & manifestatum, quia propositio, & manifestatio sūt rationes formales, vt *quo*, quibus constituitur obiectum in esse proximo cognoscibili;

vnde

vnde non potest intuitiuè aliquid cognosci, nisi attingatur præsentialis propositio obiecti. Ergo non potest attingi obiectum credibile, nisi etiam eodem actu attingatur reuelatio, & propositio, cum sint rationes formales quibus constituitur in statu proximo credibili. Confirmatur. Ideò intellectus assentitur reuelatis, quia sunt reuelata à Deo: vndè assensus ipsius terminatur ad illa, prout stant sub Diuina reuelatione. Ergo terminatur etiam ad reuelationem.

10 Dico quartò. *Reuelationem, & Propositionem coniunctam cum reuelatis materialibus credi ex motiuo prius cognito, nempe Diuina veracitate*. Probatur. Totum illud obiectum creditur ex Diuino testimonio. Ergo etiam reuelatio, & propositio, quia pertinent ad integritatem illius obiecti credibilis.

11 Dico quintò. *Reuelationem, & Propositionem coniunctam cum motiuo formali non credi ex alio motiuo, neque ex alia reuelatione*. Probatur. Reuelatio, & Propositio sunt rationes formales concurrentes vt, *quo*, in suo genere ad obiectum fidei. Ergo dum sunt coniunctæ cum motiuo formali, non creduntur ex alio motiuo, aut reuelatione, quia ad rationes formales, quæ sunt tales vt, *quo*, non datur alia ratio, per quam sint tales.

12 Dico sextò. *Quando Reuelatio, & propositio creduntur præcisè tanquam credibile vt, quod, non creduntur ex vi alterius reuelationis, aut propositionis*. Probatur. In tantum est necessaria reuelatio, & propositio in alijs credibilibus, in quantùm ex se non sunt manifesta, nec proposita. Ergo cum reuelatio, & propositio sint tales formaliter, atque adeò se ipsis manifestentur, non indigent alia manifestatione, aut propositione.

13 Ad primum. Primæ sententiæ negatur assumptum. Nempe infallibilitatem propositionis Ecclesiæ non posse credi fide infusa; quomodo autem credatur, patet ex dictis. Ad secundum. Fidem infusam non posse exire in actum, nisi præuia acquisita vt dispositione; non autem vt motiuo, aut fundamento. Ad tertium. Signa, & miracula generare auctoritatem Ecclesiæ quò ad acceptationem; mouent enim homines, vt eam acceptent tanquam veram Ecclesiam, quæ sit sub Diuino regimine; non autem sunt motiuum, vt credamus infallibiliter, Ecclesiam non posse errare, quia tantùm per naturalem discursum colligimus ex miraculis, quod Ecclesia habeat Dei assistentiam. Ad quartum. Quando minus certum non est discutiendum posse fundare magis certum tanquam conditionem prærequisitam, aut tanquam fundamentum materiale; non autem tanquam fundamentum, & motiuum formale influens in certitudinem; quia cum debeat influere, non potest dare, quod non habet.

14 Ex dictis colligitur. Quomodo non committatur circulus, quia videlicet veracitas Dei, & reuelatio simul cum propositione Ecclesiæ sunt duæ primæ rationes credendorum, quæ faciunt, vt omnia credibilia credantur, ipsę verò non dependent ad inuicem in eodem genere, sed in diuerso. Nam reuelatio dependet ex veracitate, vt à motiuo credendi; veracitas verò ex reuelatione, vt à ratione constituente in statu proximo credibilitatis. Hinc Reuelatio applicat motiuum credendi ipsis reuelatis; in proprio autem genere non dependent ab aliquo alio, quia se ipsis sunt tales formaliter.

An reuelatio falsa proposita vt vera causet fidem infusam.

SECTIO II.

15 CVm Diuina Reuelatio non innotescat per se immediatè: imo neque etiam vt plurimum per Ecclesiam, sed per priuatas personas, quæ erudiunt circa fidem, fieri potest, quod aliquis aut ex ignorantia, aut ex malitia proponat alteri aliquid non reuelatum, vt reuelatum, in hoc autem casu difficultas est, an eliciatur assensus fidei infusæ. Ratio dubitandi est. Quia omnis potentia potest ferri in oppositum sui obiecti, si illi proponantur sub ratione proprij obiecti; Sic intellectus potest attingere non ens propositum sub ratione entis: voluntas malum propositum sub ratione boni. Ergo. 2. Virtus intellectualis potest inclinare in falsum propositum sub ratione veri: sic si proponatur hostia non consecrata tanquam consecrata, prudentia iudicabit, esse adorandam, & religio inclinabit in actum adorationis. 3. Iudæus ante Christi natiuitatem credebat per fidem infusam, Christum esse nasciturum, & eo nato potuit continuare eundem actum. Ergo actus ille euasit falsus ex mutatione facta in obiecto. 4. Facta propositione conuenienti si obiecti non reuelati, tanquam reuelati, is, cui fit talis propositio, tenetur credere. Ergo elicit actum fidei infusæ.

16 Dicendum est. *Per habitum fidei infusæ non posse elici assensum falsum, qui videlicet versetur circa non reuelata proposita vt reuelata.* Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *artic.* 3. & communiter, & desumitur ex Concilio Tridentino *sessio.* 6. *cap.* 9. vbi docet, non posse fidei subesse falsum; si autem posset elici assensus falsus, posset subesse falsum. Probatur. Nulla potentia, aut habitus potest ferri extra proprium obiectum. Ergo nec habitus fidei circa non reuelatum propositum vt reuelatum, quia obiectum formale est Diuina veritas, ratione cuius non potest haberi assensus falsus, & obiectum materiale est res reuelata, prout subijcitur Diuinæ veracitati: vnde non potest terminare assensum falsum.

17 Dices. Posse Diuinam veritatem, & reuelationem applicari rei non reuelatæ, sicuti ens applicatur non enti, & tunc elici assensum falsum. Contra. Non potest ratio entis applicari non enti, nisi talis ratio entis existat intra latitudinem entis. Ergo neque Diuina reuelatio potest applicari rei non reuelatæ, nisi talis reuelatio existat intra latitudinem Diuinæ reuelationis. Si autem existit, iam assensus circa ipsam attinget aliquid verè reuelatum, & tantum erit falsus actus ille, quo reuelatum applicatur non reuelato.

18 Secundò Probatur. Si ab habitu fidei eliceretur assensus falsus in ordine ad reuelatum apparens, vel hic actus esset specificatus à suo obiecto formali, vel non. Si primum. Ergo habet perfectionem suæ specificationis, quæ consistit in veritate infallibili. Si secundum: Ergo non est ex motiuo formali fidei, atque adeò nec ab habitu, quia habitus non operatur, nisi ex proprio motiuo formali.

19 Dico secundò. *Proposita ficta reuelatione elici actum fidei naturalis acquisitæ*. Probatur. Cùm desit motiuum fidei infusę, non potest interuenire, nisi testimonium humanum. Ergo etiam tantum actus fidei naturalis.

20 Ad primum. Rationem dubitandi negatur consequentia. Nam quando potentia fertur in oppositum proprij obiecti propositum sub ratione proprij obiecti, adhuc elicit actum intra propriam speciem, qui respicit aliquod obiectum existens intra latitudinem obiecti illius potentiæ, & ideò actus habet perfectionem propriæ speciei: quia tamen ratio talis obiecti applicatur non obiecto, ideò actus ille, si sit cognitionis, est falsus, si verò voluntatis, est malus. Quando verò reuelatio est apparens, tunc intra latitudinem obiecti credibilis non adest talis reuelatio, & ideò nec potest adesse actus fidei infusæ. Ad secundum. Nunquam intellectualem virtutem inclinare in falsum, quia eo ipso, quod est virtus, debet elicere actum virtuosum. Ad Probationem. Prudentiam nunquam inclinare in falsum: quia tamen vt quędam cognitio practica supponit cognitionem speculatiuam, ideo semper procedit supponendo id, quod per speculatiuam cognoscit; & si id, quod à speculatiua attingitur sit falsum, adhuc actus prudentiæ est verus: quia dictat quod est dictandum, stante tali cognitione speculatiua, & hoc pacto se habent etiam aliæ virtutes; sic stante cognitione speculatiua,

latiua, quod hostia sit consecrata, religio inclinabit ad adorationem. Ad tertium negatur minor. Nam Christo iam nato non potuisset fide infusa assentiri circumstantię de futuritione natiuitatis Christi, sed tantum fide acquisita. Ad quartum. Facta tali propositione non teneri ad credendum conscientia vera, sed erronea. Conscientia verò erronea non mouet ad credendum fide infusa, sed tantùm acquisita.

An priuata reuelatio sufficiat ad fidem.

SECTIO III.

21 Aliud est priuata Reuelatio; & aliud internus Instinctus, quem ponunt hæretici, tanquam vnicam regulam fidei introducentes hæresim, quæ permittit vnicuique credere, quod vult; & destruit auctoritatem Ecclesiæ circa res fidei contra id. Ad Hebræos 13. *Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci*, & Ad Galatas 1. *Si Angelus de cælo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit*, Priuata verò Reuelatio est vera reuelatio, sed quæ fit priuatæ personæ.

22 Supponendum est. Reuelationem factam Ecclesiæ communi esse sufficientem ad fidem, ita vt non sit necessaria priuata reuelatio facta vnicuique, vt docent communiter Patres; & est de fide, ex illo ad Ephes. 2. *Super ædificati supra fundamentum Apostolorum, & prophetarum*; vnde etiam Marci *vltimo* dicitur, quod qui crediderit Apostolis prædicantibus, saluus erit, difficultas autem est, an quando interuenit priuata reuelatio, hæc sola sit sufficiens ad fidem infusam.

23 Prima sententia est negatiua. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. Bannes *dub.* 3. & alij. Probant obiectum formale fidei est prima veritas, vt docens per Ecclesiam, iuxta illud ad Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum &c.* Ergo. 2. Fides dicitur Catholica ex eo, quod est vniuersalis; est autem vniuersalis, quia reuelatio est communis.

24 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Vega *lib.* 9. *in Tridenti. cap. vltimo*. Bellarminus 2. *de Iustificatione*. *cap.* 3. & alij.

25 Dicendum est. *Priuatam reuelationem sufficere ad assensum fidei infusæ, quæ sit eiusdem rationis cum fide, quæ innititur reuelationi publicæ*. Probatur. Talis fides habet idem motiuum formale, nempe Diuinam veracitatem. Ergo est fides infusa. Confirmatur. Fides non resoluitur in publicam reuelationem, tanquam in motiuum credendi, sed tantum in Diuinam veracitatem. Ergo.

26 Respondet Caietanus. Motiuum fidei posse ad plura se extendere, quàm se extendat habitus. Contra. Idem motiuum nedum specificat actum, sed etiam habitum. Ergo stante eodem motiuo actus erit eiusdem rationis, atque adeò poterit prouenire ab eodem habitu, 2. Habitus specificatur à motiuo. Ergo non potest latiùs patere, nec minus, quia specificatum, & specificatiuum ex æquo sibi correspondent. Confirmatur. In Concilio Tridentino *sess.* 6. *canon.* 16. Definitur. Neminem posse esse certum de sua gratia certitudine fidei, nisi ex speciali reuelatione. Ergo supponitur, quod specialis reuelatio possit causare certitudinem fidei.

27 Ad primum. Respondetur negando assumptum. Dicuntur autem fideles superædificati, &c. Quia intelligitur de superædificatione ratione fidei publicæ. Ad secundum. Fidem ex priuata reuelatione esse Theologicam infusam; non autem Catholicam, quia ratio Catholici dicit conditionem accidentalem, quæ consistit in vniuersalitate.

An priuatè reuelata possint proponi ab Ecclesia vt pertinentia ad fidem Catholicam.

SECTIO IV.

28 Ratio dubitandi est. Quia adhuc ista innituntur testimonio Diuino. 2. Quia esset hæreticus, si quis non crederet ijs, quæ sibi reuelantur priuatè. 3. Ecclesia proponit reuelationes priuatarum personarum, vt Beatæ Birgittæ, &c. 4. D. Augustinus 2. *contra Donatistas. cap.* 53. Inquirens, an baptismus per iocum collatus esset validus, inquit, quod si daretur talis baptismus, esset implorandum Diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum.

29 Dicendum est. *Non posse proponi*. Probatur. Obiectum fidei ab Ecclesia propositum debet esse omnibus commune iuxta illud ad Ephes. 4. *Vna fides, vnus Dominus*. Ergo debet esse publicè reuelatum, & propositum per ministros publicos fidei, iuxta illud ad Ephes. 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, &c.* Confirmatur. Priuatæ personæ aliquando tanguntur Spiritu sancto, aliquando verò loquuntur Spiritu proprio inculpabiliter tamen, vt notat D. Thomas *quodlib.* 12. *ar.* 6. hinc habentur priuatæ reuelationes contradictoriæ, vt quod B. Virgo fuerit immunis ab originali peccato, vt in Reuelationibus B. Birgittæ *lib.* 1. *cap.* 9. & oppositum fuit reuelatum S. Catharinæ Senensi, vt tradit D. Antonin. 1. *par. titulo* 7. *cap.* 2. hoc autem est signum, quod si vna reuelatio est à Deo, non sit altera ab ipso, ergo priuata reuelatio nō est sufficiēs, vt proponatur ab Ecclesia.

30 Ad primam Rationem dubitandi respondetur. Inniti testimonio Diuino, sed non vt publicè docenti, & ideò non sufficiunt ad publicam fidem. Ad secundam. Ideò futurum hæreticum, quia dubitaret etiam de priuatè reuelatis: nam dubitaret, quod testimonium Diuinum posset esset falsum, dum sibi priuatè reuelanti non crederet. Ad tertiam. Ecclesiam non proponere tales reuelationes, vt fide catholica tenendas, sed vt conducenter ad pietatem, & alios affectus excitandos. Ad quartam. D. Augustinum tantum velle, vt in rebus dubijs recurratur ad Diuinum auxilium, vt aliquo speciali regimine dirigat publicos ministros fidei; vnde dicit, esse implorandam aliquam reuelationem, quæ inseruiat per modum regiminis ad declarandam veritatem; non autem, cui præcisè sit fides infallibilis adhibenda.

DE OBSCVRITATE FIDEI.

DISPVTATIO XXXIII.

An obscuritas Fidei excludat euidentiam testificantis.

SECTIO I.

1 Obscuritas considerari potest, vel ex parte rei reuelatæ & tunc dicit, quod res reuelatę obscurè cognoscantur in pura reuelatione testificantis; vel ex parte reuelantis; & tunc dicit, quòd non appareat euidenter, à quo sit reuelatio.

2 Supponendum est. Certum esse de fide, quòd actus fidei versetur circa obiectum obscurum ad Hebræos 11. Fides dicitur argumentum non apparentium. 1. Ad Coryndh. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Et ratio est, quia fides debet esse ex testimonio dicentis, quod facit tantum rem innotescere in reuelatione; difficultas autem

tem est, an hæc obscuritas excludat euidentiam testificantis.

3 Prima sententia est affirmatiua. Ita Durandus *in 3. distinct.23.quæst.9* & *distinct.35.quæst.4.* Bannes 2.2.*q.5. artic.1.* & alij. Probant. Euidentia testificantis cogit ad assensum, actus autem fidei ex obiecto suo est liber. Secundò. Si euidentia testificantis innotesceret per experientiam alicuius effectus Diuini, fides non posset resolui in purum testimonium Diuinum: hoc autem est contra rationem ipsius. Ergo. Tertiò. Euidentia testificantis causat euidentem cognitionem connexionis prædicati cum subiecto propositionis reuelatæ, quia illa propositio potest deduci ex duobus principijs euidentibus, nempe quod Deus sit verax; & quod reuelet, ergo. Quartò. Effectus euidentes causant cognitionem euidentem suæ causæ. Ergo etiam reuelatio euidens causat euidentiam rei reuelatę, quia effectus sunt magis extrinseci suæ causæ, quam reuelatio rei reuelatæ.

4 Secunda sententia asserit, assensum fidei posse stare concomitanter cum euidentia testificantis; si autem consideretur vt fundatus in tali euidentia, non esse amplius actum fidei, quia habet euidentiam ex eo, quod deducitur ex principijs euidentibus, ita Suarez *disp.3.de fide, sectio. 4.puncti.3.* Coninch *disp.11.dub.2.* Beccanus *cap.1.quæst. 3.num.8. & sequentibus.*

5 Tertia sententia absolutè docet, Fidem posse stare cum euidentia testificantis; ita Alensis *3.part. quæst.67. artic. 2.* Scotus *in 3.distinct.24.quæst.5.* Gabriel *art.2. conclus. 7.* Ferrar.*3.contra Gentes.cap.4.* Caietanus 2. 2. *quæst. 5. art.1.* & alij.

6 Dico primò. *Fidem posse stare simul cum euidentia testificantis.* Probatur. Non obstante tali euidentia potest intellectus moueri ad assentiendum ex veracitate dicentis. Ergo potest haberi fides, quia posito eodem motiuo habetur idem actus. Confir. Talis assensus, non attingeret rem in se ipsa, sed in reuelatione testificantis, ergo attingeret obscuro modo. Confirmatur secundò. In fide humana euidentia testificantis non tollit rationem fidei. Ergo nec in Diuina.

7 Dico secundò. *Assensus vt deductus ex illis principijs euidentibus, quod Deus non possit mentiri; & quòd reuelatio sit à Deo, est semper assensus fidei, ita vt sit fides naturalis, quando principia naturali cognitione attinguntur, & sit fides supernaturalis, quando attinguntur, supernaturali cognitione.* Ita tamen vt se habeant tanquam rationes vt *quo*, concurrentes ad assensum rei reuelatæ, non autem vt *quod* causantes per discursum assensum conclusionis, quia tunc miscetur in tali assensu humanus discursus. Probatur. Adhuc ille assensus est ex veracitate testificantis, ergo habet pro specificatiuo motiuum fidei.

8 Dices. Motiuum non se habere eodem modo, quia de ineuidenti fit euidens. Contra. Ex eo, quòd fiat euidens, non variatur intrinsecè. Ergo nec secundum suam rationem, & vim motiuam. Ergo nec secundum rationem specificatiuam.

9 Dices secundò. Motiuum influere secundùm mensuram, qua applicatur, & ideò, quando applicatur, secundum euidentiam, influere euidenti modo. Contra. Motiuum non influit, nisi secundum vim motiuam, & quatenus secundum ipsam applicatur, ita vt mensura cadat supra vim motiuam, non autem supra modum applicationis. Ergo ex eo, quod applicetur euidenter, vel ineuidenter, non variatur influxus ipsius, quia modus applicationis non variat esse intrinsecum, atque adeò neque virtutem influentem.

10 Secundo Probatur. Conclusio sequitur naturam medij; vnde si medium sit causa, conclusio erit demonstratiua; si verò sit opinabile, conclusio erit opinio. Ergo cum Diuina veracitas sit medium causatiuum fidei, licet applicetur euidenti modo, causabit cognitionem, quæ sit fides.

11 Ad primum negatur antecedens, nempe euidentiam testificantis cogere ad assensum, quia ex natura sua non habet necessariam connexionem cum re testificata, sed ab extrinseco, & contingenter; & ideò relinquit libertatem assentiendi. Ad secundum negatur sequella. Nam licet euidentia testificantis innotescat per aliquẽ effectũ, adhuc fides resoluitur in purũ testimoniũ Diuinũ, quia effectus non est motiuum credendi, sed applicans motiuum. Ad tertium negatur assumptum nempe euidentiam testificantis causare euidentiam connexionis prædicati cum subiecto, quia illa principia euidentia causant tantùm euidentem consequentiam; non autem euidens consequens, nam motiuum credendi non connectitur ab intrinseco cum re reuelata, & ideò cognito extremo euidenter, non apparet connexio ipsius ex eo, quòd non imbibitur in esse extrinseco. Ad quartum negatur paritas. Quia effectus connectitur ab intrinseco cum sua causa; reuelatio autem non habet ab intrinseco necessariam connexionem conformitatis cum re reuelata.

12 Quæres. An euidentia testificantis sit necessaria ad credendum. Respondetur negatiuè, quando Reuelatio non fit immediatè, & est de fide, alioquin nos de facto non possemus credere, cum non habeamus talem euidentiam. Respectu quoque eorum, quibus primò fit reuelatio, neque est necessaria, quia motiuum credendi sufficienter potest applicari sine ipsa, vt patet respectu nostri, nec ex alio capite potest esse necessaria talis euidentia.

13 Quæres secundò. An ij, quibus primò facta est reuelatio, habuerint euidentiam in testificante.

Respondetur affirmatiuè cum Scoto *in 3. distinct. 24. quæst. vnica.* Gabriel. *artic.2.* & alijs, & desumitur ex *lib. 2. Regum. cap. 23.* vbi Dauid inquit. *Mihi loquutus est fortis Israel Dominator hominum*, & ex D. Augustino *lib.11.de Ciuitate Dei:cap. 3.* Ratio est, quia cognoscebant illam reuelationem esse ab aliquo, & non à creatura, vt contingit in Angelis; quia si fuisset facta ab aliquo alio Angelo, cognouissent ipsum, vt loquentem. Primi quoque Parentes cognoscebant reuelationem sibi fieri sub persona Dei, & cum Deus non possit decipere, consequenter esse principalem reuelantem. Prophetę quoque cognoscebant illas reuelationes non posse esse, nisi à Deo. Tum quia fiebant nomine Dei. Tum quia erant de futuris in ordine ad instruendum populum, quæ soli Deo nota sunt. Apostoli autem habuerunt reuelationem immediatè à Christo, qui Deus erat, & vt talis loquebatur confirmans suam doctrinam miraculis, & signis tanquam doctrinam Dei.

14 Quæres tertiò. An possit haberi euidentia testificantis ipso non viso. Respondetur affirmatiuè cum Durando, *in 3.distinct.23.quæst.9.* Caietano 2.2.*quæst.1. artic.4.* & alijs. Ratio est, quia cum loquutio sit quidam effectus loquentis, & ex effectibus possit haberi euidentia ipsius Dei, potest etiam loquutio esse talis conditionis, vt manifestet, loquentem non posse esse alium, nisi ipsum Deum, sic etiam inter homines audita voce deuenitur in cognitionem loquentis. Deinde potest Deus aliquo miraculo confirmare, quòd talis loquutio sit ab ipso; vnde cum implicet, Deum facere miracula in confirmationem falsi; deuenitur in claram cognitionem, quod illa loquutio sit à Deo.

An obscuritas Fidei possit stare simul cum euidentia intuitiua eiusdem obiecti.

SECTIO II.

15 SVpponendum primò. Habitum euidentem non repugnare cum habitu fidei, quia sunt perfectiones diuersi ordinis, quæ non sunt inter se contrariæ, vnde fidelis habens habitum fidei potest acquirere etiam habitum scientiæ circa aliqua reuelata, vt quod Deus sit.

16 Supponendum secundò. Actum scientię posse esse simul cum habitu fidei, quando enim fidelis acquirit scientiam rei reuelatæ, non amittit habitum fidei, quia est indiuisibi-

bisibilis,nec amittitur nisi secundum se totum; hinc fidelis doctus firmissimè credit etiam ea, quæ scientificè cognoscit.

17 Supponendum 3. Actum Fides posse stare simul cum habitu scientiæ,quia non opponuntur ad inuicem secundum obscuritatem, & euidentiam; nam in habitu reperitur euidentia tantum virtualiter, in actu verò fidei reperitur obscuritas formaliter: vnde infidelis scientificè cognoscens Deum esse, dum conuertitur ad fidem, elicit actum fidei, quo credit, Deum esse, iuxta illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est;* solum ergo difficultas est quo ad actus inter se comparatos.

18 Prima Sententia vult, actum fidei posse esse simul cum actu euidenti intuitiuo, ita Alens. 3. *part. quæstione 29. membr.* 2. Albertus *in* 3. *distinct.* 24. *articul.* 9. Durand. *quæst.* 1. *&* 2. *prolog.* Argentin. *quæstion.* 3. *articul.* 2. Suarez *disputat.* 3. *de fide. sectio.* 9. Coninch *disputat.* 11. *dubio* 1. Probant. Possunt simul concurrere motiuum fidei, & visiones intuitiuæ. Ergo intellectus eliciet simul assensum fidei, & visionem intuitiuam, quia illa motiua ordinantur ad diuersos actus, nec sunt inter se subordinata. Secundò. Posita euidentia habituali de aliqua re non potest intellectus de ipsa cogitare, nisi euidenter cogitet. Ergo si potest circa ipsam elicere actum fidei, poterit etiam simul elicere actum euidentiæ.

19 Secunda Sententia est negatiua. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *articul.* 4. *&* 4. Caietan. *ibidem*, Ariminen. *quæst.* 1. *prologi*, Capreol. *in* 3. *distinct.* 25. *artic.* 1. *&* 2. & alii.

20 Dico primò. *Fidem secundum legem ordinariam non posse esse simul cum visione beata.* Ita Patres communiter. Probatur 1. Ad Corynth. 13. *Cum venerit, quod perfectũ est, euacuabitur, quod ex parte est*, hoc est cum venerit perfecta cognitio, quæ est visio beata, euacuabitur fides, quæ est imperfecta cognitio.

21 Dico secundò. *Neque de potentia absoluta posse esse simul fidem, & visionem beatam circa idem obiectum.* Prob. Eadem veritas non potest simul bis mouere intelle. ctum ad cognitionem sui ipsius, ergo nõ potest intellectus simul moueri a reuelatione clara, & obscura eiusdem obiecti, quia in vtraque eadem veritas moueret; vnde bis moueret intellectum. Antecedens probatur. Veritas obiecti habet tantùm vnicum esse, & consequenter vnicam vim motiuam, quæ secundum se totam exercetur, quando mouet intellectum. Ergo non potest bis mouere intellectum, alioquin eadem causa haberet simul plures effectus totales adæquatos. Pro cuius intelligentia

22 Aduertendum est. Quod actum fidei nedum concurrit vt motiuum veracitas dicentis, sed etiam veritas rei manifestatæ. Cum enim obiectum formale intellectus sit veritas transcendentalis, seu in essendo, semper debet ab ipsa moueri, quia potentia non potest exire in actum, nisi moueatur a proprio obiecto formali, veracitas ergo dicentis, & motiuum in ordine ad actum fidei, quatenus mouet intellectum ad iudicandum loquutionem cõtinere in se rem secundum suam veritatem, seu vt est in se ipsa, & illi omnino conformari, & mediante hoc iudicio mouet voluntatem ad imperandum assensum circa rem manifestatam. Veritas autem rei manifestatæ est motiuum respectu assensus circa se ipsam. Hic enim assensus non habet pro obiecto, nisi rem reuelatam, seu illam veritatem, quæ in loquutione manifestatur, & ideò talis veritas est motiuum, veracitas autem dicentis est motiuum extrinsecum, quatenus mediatè mouet ad hunc actum.

23 Dices. Posse mouere duplici motione, quia duplici modo proponitur, nempe clarè, & obscurè. Contra. Ex eo, quod duplici modo proponatur, non sequitur, quod sit duplex veritas, aut duplex vis motiua. Ergo nec duplicata motio. Secundò. Motio non sequitur modum, quo proponitur obiectum, sed vim motiuam obiecti, ergo non potest multiplicari, nisi multiplicetur vis motiua.

24 Dices secundò. Obiectum obscurè propositum habere diuersam vim motiuam, quia mouet ratione Diuinæ veracitatis. Contra. Diuina veracitas mouet tantum ad assentiendum, quod reuelatio sit conformis obiecto: non autem mouet determinatè, & immediatè ad cognitionem talis obiecti, vt dictum est, sed intellectus mouetur ab ipso obiecto, prout in reuelatione proponitur. Ergo adhuc bis moueret. Secundò. Intellectus non potest aliquid cognoscere, nisi illud attingat sub ratione veri, atque adeo nisi moueatur ab ipso. Ergo non potest moueri ab eodem vero, prout est in se, & prout est in reuelatione. Confirmatur. Intellectus producens cognitionem intuitiuam, producit totum id, quod potest producere in ratione cognitionis circa tale obiectum, quia naturali modo mouetur, vnde operatur quantum potest, & exprimit veritatem obiecti quantum expressibilis est per talem intellectum. Ergo non potest simul producere cognitionem obscuram, quia implicat quod virtus producẽs totum, quod potest, habeat alium actum, alioquin plus produceret, quam contineret in potentia. Confirmatur. 2. Obiectum non potest simul proponi euidenter euidentia obiectiua, & ineuidenter, cum hi duo modi priuatiuè opponantur. Ergo nec intellectus simul elicere actum fidei, & visionis, quia visio requirit obiectum præsentiali modo, & euidenter secundum se propositum; Fides vero requirit propositum ineuidenter, nempe in manifestatione dicentis.

25 Dices 3. Actum Fidei non elici per eandem virtutem, quia elicitur per habitum fidei ex alio motiuo. Contra. Etiam si concurrat habitus fidei, & aliud motiuum, adhuc tamen intellectus concurrit secundum propriam virtutem, & vim causatiuam repræsentationis obiecti. Ergo si in vno actu exercetur tota vis intellectus, non poterit simul producere alium actum.

26 Dico tertiò. *Actum fidei non posse stare simul cum actu euidenti intuitiuo siue naturali siue supernaturali.* Probatur. Ex communi sensu Patrum, dum docent, fidem esse de rebus obscuris, Hinc Gregorius *Homil.* 26. *in Euangel. Quia vidisti me Thoma, &c.* Saluat fidem, quia Thomas vnum vidit, & aliud credidit, nam vidit hominem, & Deum credidit. Augustin. *Tract.* 40. *in Ioann.* inquit. *Quid est fides?* & Respondet, *credere, quod non vides*, Athanas. de salut. Christi aduentu, *Non enim fides de re euidenter concepta fides dici poterit.* Secundò. Probatur. Motus oppositi, quorum vnus includit intrinsecè priuationem alterius, non possunt stare simul in eodem subiecto. Ergo neque actus fidei, & euidentia intuitiua in eodem intellectu. Consequ. probatur. Quia cognitio est quidam motus intellectus, quo vitalis mouetur in obiectum, & per fidem ineuidenter mouetur, per intuitionem verò euidenter; motus autem euidens, & ineuidens opponuntur secundum priuationem. Confirmatur: forma, & priuatio non possunt esse simul in eodem subiecto. Ergo neque euidentia, & ineuidentia in eodem intellectu circa idem obiectum.

27 Dices. Euidentiam, & ineuidentiam non subiectari in intellectu, sed in cognitione. Contra. Intellectus recipit effectum formalem ipsarum, & cognitio euidens est formaliter ipsa euidentia. Ergo non potest simul recipere euidentiam, & ineuidentiam, alioquin reciperet effectus contradictorios. Secundò. Priuatio, & forma non possunt esse simul. Ergo neque formæ, quarum altera habet essentialiter annexam priuationem alicuius perfectionis, quæ sit in alia, quia adhuc priuatiuè opponuntur. Fides autem importat priuationem euidentiæ, quæ est perfectio cognitionis euidentis.

28 Dices secundò. Euidentiam non opponi cum qualibet ineuidentia, sed cum ea, quæ sit ex eodem medio. Contra. Euidentia cognitionis intuitiuæ, & ineuidentia fidei, non est euidentia, & ineuidentia medij, sed obiecti,

quod cognoscitur. Ergo oppositio ipsarum non est in ordine ad medium, sed ad obiectum. Ergo licet sint ex diuersis medijs, adhuc tamen opponuntur. Secundò. Inevidentia opponitur cum euidentia possibili; non autem cum ea, quæ sit impossibilis: Euidentia autem ex medio fidei est impossibilis, quia testimonium non potest causare euidentiam.

29 Dico quartò. *Posita cognitione intuitiua in aliquo intellectu, nec successiuè potest esse fides in ipso de eodem obiecto de potentia ordinaria; potest tamen de potentia absoluta.* Prima pars probatur. Intellectus determinatus ad aliquam veritatem cognoscendam, quotiescunque operatur, ex vi illius determinationis operatur; vnde si de nouo proponatur obiectum, excitat tantùm intellectum, non autem determinat, vt patet in loquutione de rebus iam notis. Ergo reuelatio de re iam intuitiuè cognita excitabit intellectum, vt operetur secundùm determinationem, quam habet, atque adeo secundum speciem propriam obiecti, Ergo adhuc cognitio erit euidens. Secunda pars probatur. Quia potest Deus impedire talem excitationem, & facere, quod de nouo determinetur intellectus.

30 Ad primum negatur antecedens. Nam posita cognitione intuitiua non adsunt illa duo motiua, quia obiectum non potest se habere euidenter, & ineuidenter, eo quod sint modi priuatiuè oppositi. Ad secundum negatur consequentia. Nam posita euidentia habituali per propriam speciem intuitiuam non potest intellectus elicere actum fidei de potentia ordinaria, vt patet ex dictis.

An fides possit stare simul cum clara cognitione abstractiua.

SECTIO III.

31 PRima Sententia est affirmatiua. Ita Ariminensis *quæst.1.prologi.* Basolis *ibidem.* Alensis 3.*par.q.* 68.*membro.7.articul.*3. D. Bonauent.*in* 3. *distinct.* 24. *articul.2.quæst.*3. Vasquez 1. *part. disput.*21.4. *num.* 3. Suarez *disput.3.de fide sect.*10.9. Coninch *disput.*11. *dub.* 2.& alij.

32 Secunda Sententia asserit, posse stare simul cum scientia abstractiua per medium cognitum, non autem cum ea quæ est per propriam speciem, ita quidam Recentiores. Probant. Quando obiectum habet diuersam cognoscibilitatem, actus fidei, & euidens non sunt incompossibiles circa ipsum, quia ita se habent, ac si versarentur circa diuersa obiecta. Sed medium obscurum, & clarum respectu eiusdem obiecti faciunt, vt obiectum habeat diuersam cognoscibilitatem, quia per medium obscurum proponitur immediatè secundùm propriam veritatem, per medium autem euidens proponitur secundùm veritatem virtuali modo in ipso contentam. Ergo. Secundò. Posito medio obscuro non ponitur diuersa veritas, quæ moueat intellectum ab ea, quam diceret obiectum, si per se ipsum immediatè proponeretur; posito vero medio euidenti ponitur diuersa veritas, quia ponitur veritas medij, quæ per se primo mouet intellectum. Ergo tunc potest intellectus moueri ab vtroque medio.

33 Tertia Sententia absolutè negat. Ita D. Thomas 2. 2.*quæst.* 1.*articul.* 5.Caietanus,& Aragon. *ibidem.* Bannes *dubio* 1.Scotus *in* 3. *distinct.* 24. *quæst.* 5. §. *ad quæstionem.*

34 Dico primò. *Actus fidei non potest stare simul cum cognitione euidenti abstractiua per propriam speciē.* Probatur. Cognitio per propriam speciem manifestat obiectum immediatè in se ipso. Ergo non potest stare simul cum actu fidei. Consequentia probatur. Manifestari immediatè in se ipso dicit, quod obiectum in ratione cognoscibilis immediatè se habeat ad intellectum; implicat autem, quod immediatè se habeat, & quod interueniat medium manifestans etiam in ordine ad diuersum actum, quia adhuc obiectum non se haberet immediatè ad intellectum. Confirmatur. Adhuc euidentia, & ineuidentia esset in ordine ad idem omnino obiectum. Ergo adhuc priuatiuè opponerentur. Ergo adhuc in intellectu esset forma nempe euidentia, & priuatio eiusdem euidentiæ. Confirmatur secundò. Effectus formalis ab vna causa exhibitus non potest per aliam exhiberi, nisi ipsa aliquid amplius præstet. Ergo si obiectum per se ipsum immediatè proponitur, non potest rursum proponi per reuelationem, quæ nihil præstet in manifestando, quod non præstet obiectum, quando per se ipsum manifestatur.

35 Dico secundò. *Fides non potest stare simul cum scientia abstractiua actuali per medium cognitum.* Probatur. Stante tali scientia obiectum non potest proponi obscuro modo, & cognosci ex vi testimonij. Ergo defectis obiecti non potest haberi fides. Antecedens probatur. Quia tunc reuelatio testificantis euadit clara, cum cognoscatur conformitas ipsius cum re reuelata, non ex vi testificantis, sed ab intrinseco ipsius, quia intellectus attingit intrinsecam conformitatem in se ipsa ex eo, quod attingit etiam euidenti modo rem reuelatam. Confirmatur. Testificatio facit, vt intellectus assentiatur ratione veracitatis dicentis, quod manifestatio sit conformis obiecto, & quod obiectum ita se habeat. Stante autem cognitione euidenti obiecti, conformitas ipsa, eo quod attingitur in ipsis extremis, clarè arguitur, & euidenti modo proponitur, & necessitat intellectum ad talem assensum, & non sinit, quod testimonium dicentis moueat intellectum, quia tunc tantùm mouet, quando non apparet in se ipsa talis conformitas, Ergo.

36 Ad primum distinguitur minor. Si obiectum relinquatur in esse obscuro, concedo. Secus autem si non relinquatur: quia tunc non habet locum testimonium. In casu autem nostro non relinquitur in esse obscuro, vt constat ex dictis. Ad secundum negatur antecedens: Nam quando obiectum cognoscitur euidenter, non potest cognosci ex vi testificationis; nam etiam conformitas reuelationis cognoscitur euidenter ex vi intrinsecæ conformitatis cum obiecto: non autem ex vi veracitatis ipsius testificantis, vnde deficit motiuum fidei.

An sit possibilis habitus, qui sit principium actus euidentis, & obscuri.

SECTIO IV.

37 DIco 1. *Nec de potentia absoluta est possibilis talis habitus,* est contra nonnullos Recentiores. Probatur. Habitus, sicut determinatur a suo specificatiuo, ita etiam coarctatur ad illos actus, qui correspondent tali specificatiuo; vnde implicat, quod tendat extra proprium specificatiuum, vt contingit etiam in potentiis. Ergo si habitus est specificatus a motiuo obscuro, implicat, quod producat actum euidentem, alioquin tenderet extra proprium specificatiuum.

38 Dices. Posse specificari ab aliquo, tertio motiuo, ratione cuius eliciat actus obscuros, & euidentes. Contra. Actus obscurus tendit essentialiter in obiectum obscuro modo propositum; & actus euidens in obiectum propositum euidenti modo, ergo vterque actus debet attingere obiectum sub ratione obscuri, aut euidentis, & specificari ab his rationibus. Ergo etiam habitus, vt sit principium talium actuum.

39 Dico 2. *Neque esse possibile habitum, qui sit principium actus obscuri, & probabilis.* Probatur. Vterque actus habet diuersum specificatiuum, cum vnus specificetur à testimonio dicentis, alter verò à probabilitate obiecti, Ergo & habitus.

40 Dico 3. *Neque esse possibilem habitum, qui sit principium*

pium fidei infusæ, & acquisita. Probatur: Fides infusa est omnino certa, & infallibilis ex vi sui specificatiui; fides verò humana est fallibilis, ergo non potest habitus, qui est principium vnius actus, esse principium alterius, quia cum semper debeant operari secundum determinationem suę specificationis, semper operabitur, aut infallibiliter, aut fallibiliter.

41 Obijcies. Eadem species impressa potest deseruire pro pluribus actibus, vt contingit in Angelis, ergo etiam idem habitus. Respondetur. Quicquid sit de Antecedenti, negando paritatem. Quia actus, qui sunt ab illa specie, non habent rationes incompossibiles, sicuti habent in casu nostro; vnde neque requirunt incompossibiles specificationes in ipsa specie. Deinde probabilius est, positis huiusmodi speciebus, Angelum illis vti necessario ad repræsentanda omnia obiecta, quę possunt repræsentare, quia talis species debet exire in actum secundum suam determinationem specificam, cum exeat in actum vt determinatiua intellectus, quę enim indiuisibilis, & est determinata ad repræsentanda omnia illa obiecta, quatenus ratione connexionis aut ordinis se habent per modum vnius.

42 Obijcies secundò. Idem intellectus potest esse principium actus euidentis, & obscuri, ergo, etiam idem habitus. Resp. neg. consequentiam. Quia intellectus non specificatur ab obiecto vt obscurè proposito, aut euidenter; sed à veritate vt sic, & ideò non est determinatus ex vi suæ specificationis ad solos actus obscuros, vel euidentes.

An sit possibilis actus, qui simul sit obscurus, & euidens.

SECTIO V.

43 Dico primò. *Talem actum non esse possibilem atque adeo non posse intellectum simul operari eodem actu ex motiuo fidei, & euidentiæ*, est contra Hispal, *in 3. dist. 25. quæst. 1. art. 3.* & nonnullos Recentiores. Probatur. Idem actus esset euidens, & ineuidens, quia ratione formalitatis scientiæ esset euidens; ratione formalitatis fidei esset ineuidēs. Formalitates autem priuatiuè oppositæ non possunt vniri in eadem essentia. ergo

44 Dices. Rationem fidei vniri cum actu euidenti secundum solam certitudinem. Contra. Ergo non vnitur secundum propriam formalitatem, quæ intrinsecè dicit ineuidentiam. Secundò. Actus fidei ex vi suæ formalitatis debet esse ex testimonio diuino, & attingere obiectum in reuelatione ipsius, ita vt in tantum habeat certitudinem, in quantum est ex tali testimonio, ergo non potest vniri secundum certitudinem, nisi etiam vniatur secundum ineuidentiam, cum certitudo desumatur ab eo, quod simul inseparabiliter dat ineuidentiam.

45 Dices secūdò. Has formalitates esse accidentales illi actui. Contra. Si essent accidentales, supponerent proprium constitutiuum essentiale illius actus, quod tamen non interuenit. Secundò. Adhuc forma, & priuatio essent in eodem subiecto simul.

46 Dices tertiò. Vnam formalitatem esse essentialem, alteram verò accidentalem. Contra si vna esset accidentalis, esset realiter distincta, atque adeo esset distinctus actus cognitionis.

47 Dico secundò. *Neque esse possibilem actum, qui eliciatur ex motiuo euidenti, & ex motiuo fidei, & sit eminenter fides, & euidentia, non autem formaliter*. Probatur: Vel iste actus specificaretur ab illis motiuis; vel non. Si primum; ergo non potest esse vnus, & idem actus continens eminenter vtrumque, quia illa motiua ex natura sua specificant fidem, & euidentiam formalem, atque adeò actus incompossibiles. Si Secundum; ergo cum ille actus non eliciatur ex vi illorum motiuorum, non erit eminenter fides, & euidentia.

48 Obijcies. Potest Deus eleuare intellectum, vt simul operetur ex vi illorum motiuorum, ergo potest eleuare, vt producat vnicum actum correspondentem illis motiuis. Respondetur, negando assumptum, si intelligatur de eleuatione in ordine ad illa motiua concurrentia secundum proprias rationes, quia implicat, quod secundum ipsas concurrant ad vnum, & eundem actum.

DE CREDIBILITATE mysteriorum fidei.

DISPVTATIO XXXIV.

Qualis debeat esse credibilitas obiecti fidei.

SECTIO I.

1 Credibilitas est aptitudo quædam, qua obiectum redditur aptum, vt possit per fidem attingi; & consistit in eo, quòd sit rationi cōsentaneum, vt credamus rei propositæ. Difficultas autem est, qualis sit huiusmodi credibilitas, & an sit euidens. Ratio dubitandi est. Quia mysteria fidei aliquando videntur contraria principijs naturalibus, & longe superant humanam rationem, ergo non possunt esse euidenter credibilia. Secundò. Non possunt esse euidenter credibilia, nisi appareant possibilia; non possunt autem apparere, cum fides non sit de ijs, quæ possint demonstrari. Tertiò. Si essent euidenter credibilia, nullus posset dissentire. Quartò. Sunt obscura, quod autem est obscurum, excludit euidentiam.

2 Dico primò. *Res fidei debent esse prudenter credibiles*. Probatur. Fides debet excludere leuitatem in credendo; non potest autem excludi, nisi pręcedat actus iudicans obiectum esse credibile. Secundò. Actus fidei debet excludere omnem fortitudinem, ergo obiectum fidei debet esse prudenter credibile; quia nisi præcedat actus ostendēs posse prudenter credi, posset credens dubitare, an prudenter se gesserit in credendo, & consequenter, an assensus sit infallibilis.

3 Dico secundò. *Obiectum fidei debere esse euidenter credibile*. Consistit autem euidentia credibilitatis, non in eo, quod euidenter appareat veritas obiecti, quia tunc esset euidenter cognoscibile; sed in eo, quod sint euidentia, quæ possunt disponere ad credendum. Probatur. Non potest intellectus moueri ad assensum euidentem, nisi in obiecto appareat euidenter veritas, ergo neque ad assensum obscurum, nisi appareat euidenter veritas obiecti in extrinsecis, quæ inducunt ad credendum; quia intellectus non potest operari per assensum, nisi circa veritatem: vnde non potest moueri ad assentiendum, nisi proponatur veritas, ergo nisi proponatur vt euidenter apparens in obiecto, debet euidēter apparere in ijs, quæ reddunt obiectum credibile, & disponunt ad credendum. Confirmatur. Ad actum fidei præsupponitur voluntas credendi; hæc autem non potest haberi, nisi obiectum sit euidenter credibile, sicut enim voluntas non potest velle credere, quod non est credibile; ita nec velle firmiter credere, nisi obiectum sit euidenter credibile.

4 Dico tertiò. *Obiectum fidei debet esse magis credibile præ omnibus alijs, quæ à qualibet alia secta proponuntur credenda*. Prob. Nisi obiectum fidei superaret in credibilitate, quæ proponuntur ab alijs sectis, non posset intellectus formare firmum iudicium de credibilitate ipsius, atque adeo nec assentiri absque omni formidine.

5 Dico quartò. *Mysteria nostræ fidei sunt euidēter credibilia*. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 1. *ar.* 4. *ad* 2. Caiet. *ibid.* Arag. *art.* 3. Bann. *dub.* 4. Medina *li.* 2. *de recta fide*, per totum, & cōmuniter scholastici, & Patres pręsertim Tertull. *in Apol.* Iustinus martyr *in Apolog. pro Christianis*. Eusebius Cęsariensis *de præparatio. Euangelij*, qui fusè de hoc agunt. Probatur: primo ex testimonio reuelantis, cum enim reuelans sit Deus, qui naturali lumine cognoscitur non posse mentiri, colligitur, credibilia esse, quæ ab ipso pro-

proponuntur credenda. Secundò. Quia omnia, quæ tradit fides Catholica, consonant cum veritate noxa lumine naturali, & ita arguit Augustinus *De moribus Ecclesiæ cap.* 31. & Chrysostomus *Homil.* 6. *in Epist.* 1. *ad Corinth.* Tertiò. A Persona Christi, qui fidem promulgauit; Tum quia erat innocentissimæ vitæ; Tum quia ostendebat assistentiam Dei in prædicendis futuris, & manifestandis cogitationibus cordis. Tum quia opera ipsius ostendebant ipsum prædicare veritatem; vnde Ioa. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et hoc argumento vtitur Diu. Petrus, *Actorum* 2. Quartò. Quia fides Catholica mirabili modo fuit introducta ab hominibus rudibus, & nullius potentię, quod nō potuit fieri sine speciali auxilio Dei, qui ratione suæ prouidentiæ non potuit assistere falsitati, & ita Arguit Apostolus 1. *Ad Corinth.* 10. Tertullianus *cap.* 46. *Apolog.* Quintò ex infinitate martyrum tam virorum, quam mulierum, qui non potuissent perferre tam exquisita tormēta in testimonium fidei, nisi fuissent confortati diuina virtute. Accedunt etiam prodigia, quæ contigerunt in eorūdem martyrijs, ita arguit Lactantius *lib.* 5. *Diuin. instruct. capit.* 13. *&* 14. Augustinus *libr.* 18. *de Ciuitate Dei capitul.* 50. Sextò, ex miraculis, quibus fides Christiana fuit confirmata, quæ sunt talia, vt non sinant dubitare de veritate fidei, atque adeo eam reddant euidenter credibilem, ita Chrysost. *homil.* 2. *in epist.* 2. *Ad Corinth.*

6 Dices. Hæc miracula potuisse esse falsa; vnde etiam Matth. 28. dicitur de Antichristo, quod talia prodigia faciet, vt si fieri potest, inducantur in errorem etiam electi. Contra. Quia adsunt talia miracula, quæ non potuerunt fieri nisi per Virtutem diuinam, vnde non possumus suspicari esse falsa. Secundò. Quia de falsitate ipsorum non sumus præmoniti, sicuti de falsitate miraculorum Antichristi, pertinet autem ad diuinam prouidētiam præmonere. Tertiò. Quia in ijs efficiēdis inuocabatur Diuinum auxilium. Quartò. Quia per ipsa aduocabatur Deus in testimonium; vnde pertinebat ad eius prouidentiam, & veracitatem non permittere, quod homines per ipsa fallerentur.

7 Ad primum. Rationem dubitandi negatur prima pars antecedentis. Nam mysteria fidei non sunt contra rationē naturalem, sed supra ipsam; vnde solum sequitur, quod nō possint in se ipsis euidenter cognosci; non autem, quod non possint esse euidenter credibilia. Ad secundum negatur maior. Nam aliud est credibilitas, & aliud possibilitas; credibilitas est in ordine ad ea, quæ possunt disponere intellectum, vt iudicet rem esse credendam: possibilitas verò pertinet ad esse intrinsecum, vnde licet ineuidens potest stare cum euidenti credibilitate. Ad tertium negatur sequella. Nam euidentia credibilitatis non tollit libertatem assensus, quia tantum cogit intellectum ad iudicandum non posse esse falsa, quæ reuelantur, non autem ad assentiendum. Ad quartum. Distinguitur Minor. Quod est obscurum in se ipso excludit euidentiam in se ipso; nō autem euidentiam credibilitatis, quæ fundatur in extrinsecis disponentibus ad credendum. Obiectum autem fidei est obscurum in se ipso; non autem in disponentibus ad credendum.

A quonam eliciatur iudicium de euidentia credibilitatis.

SECTIO II.

8 PRima sententia asserit, esse actum Fidei, & pertinere ad habitum fidei infusum, ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 1. *artic.* 4. *ad* 3. Ferrar. 3. *contra gentes cap.* 40. Probant hoc iudicium est supernaturale, cum nequeat haberi sine gratia, est enim sensata cogitatio inducens ad Philipp. 1. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, &c.* ergo debet esse ab habitu supernaturali. Secundò. Fides est quoddam lumen, ergo debet aliquid clarè manifestare, ergo cum non manifestet obiectum, manifestabit credibilitatem ipsius. Tertiò. Omnis habitus potest distinguere proprium obiectum ab omni alio, ergo etiam fides credenda à non credendis.

9 Secunda sententia asserit, elici à lumine naturali. Ita Capreolus *in* 3. *dist.* 32. *art.* 3. *ad* 3. *contra primam conclusionem.* Turrian. *disput.* 7. *de fide dub.* 4. Suarez *disput.* 4. *sect.* 6. Tannerus *disput.* 1. *q.* 2. *dubio* 3. & alij.

10 Dico primò. *Iudicium de euidentia credibilitatis non pertinere ad habitum fidei.* Probatur. Nullus habitus potest operari extra suam specificationem, & proprium modum tendendi; habitus autem fidei specificatur à suo obiecto ad operandum obscuro modo, & hoc iudicium est euidens, ergo. Confirmatur. Omnis actus pertinens ad habitum fidei debet esse ex testimonio diuino, quod non conuenit huic iudicio, quia elicitur ex vi medij cogniti ostendentis veritatem fidei.

11 Dico secundò. *Hoc iudicium non esse actum prudentiæ.* Probatur. Prudentia est cognitio practica dictans, quid sit faciendum, hic, & nunc. Hoc autem iudicium est cognitio speculatiua.

12 Dico tertiò. *Elici a lumine naturali, quatenus discursiuo modo procedit.* Probatur. Nihil aliud importat nisi progressum, quo ex testimonijs, miraculis, & alijs huiusmodi deducitur credibilitas reuelatorum, ergo

13 Ad primum negatur assumptum. Nam hoc iudicium est naturale, quia non est illa præuia cogitatio mouens ad credendum. Ad secundum negatur consequens, nam fides est lumen obscurum, & ideo potest manifestare tantum obscuro modo. Ad tertium. Habitum discernere propriū obiectum modo sibi congruenti, & ideo fides, cum sit habitus obscurus, discernit tantum obscuro modo, non autem iudicando de euidentia credibilitatis.

An iudicium de credibilitate sit necessarium ad credendum.

SECTIO III.

14 RAtio dubitandi est, quia plures fideles sunt rudes, qui non possunt elicere tale iudicium, nec examinare, quæ faciunt res fidei euidenter credibiles, quod etiam contingit in pueris, quando primo perueniunt ad vsum rationis.

15 Prima sententia est negatiua. Ita Capreolus *in* 3. *dist.* 31. *quæst. vnica ad* 3. *contra* 1. *conclusionem.*

16 Secūda sententia asserit, requiri aut in actu, aut in potentia proxima, vt cum quis credit ex aliqua ratione graui, ex qua facile colligitur euidentia credibilitatis. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 1. *art.* 4.

17 Tertia sententia vult semper requiri aliquod iudiciū, quo percipiatur saltem partialiter euidentia credibilitatis. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. Suarez *disp.* 4. *de fide sect.* 5. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 1. & alij.

18 Dico primò. *Prærequiri aliquod iudicium de credibilitate, quod sufficiat ad prudenter credendum.* Probatur. Esset contra prudentiam firmiter credere, quod non iudicaretur credibile. Fides autem debet procedere prudenti modo, vnde Ioan. 15. *Si opera non fecissem, quæ nemo alius facit peccatum non haberent.* Ex quo colligitur, quod non teneatur quis credere, nisi obiectum reddatur credibile.

19 Dico secundò. *Hoc iudicium debere excludere omnem prudentem dubitationem.* Probatur. Nisi excluderet, posset assensus fidei stare cum formidine deliberata fundata in prudenti dubio; nam posset stare cum tali iudicio de credibilitate, quod non excluderet omnem dubitationem: hoc autem est contra naturam fidei.

20 Dico tertiò. *Hoc iudicium non esse necessario euidens, sed sufficere si sit assensus fidei humanæ.* Prob. Credibilitas potest attingi fide humana ex eo, quod affirmetur ab aliquo prudenti, qui possit de ipsa iudicare, & fides humana potest esse ita certa, vt excludat omnem prudentem

prudentem dubitationem. Ergo tale iudicium sufficit ad assensum fidei infusæ.

21 Dico quartò. *Hoc iudicium, quando est euidens, non formari necessario ex omnibus motiuis, sed sufficere, si formetur ex aliquibus, quæ excludant omnē dubitationē.* Probatur. Quia difficile est, vt omnia motiua occurrant singulis, & ab ipsis ponderentur.

22 Dico quintò. *Sufficere, si hoc iudicium sit de credibilitate in communi fidei Catholicæ.* Probatur. Eo ipso, quod quis in communi putat, fidem catholicam esse euidenter credibilem, putat etiam eodem modo esse credibile, quicquid continetur intra ipsam. Ergo hoc iudicium sufficit, vt aliquid credatur in particulari.

23 Dico sextò. *Deum aliquando aliqua interna illuminatione supplere hoc iudicium, quando non est sufficiens.* Ita D. Thom. *Quodlib. 2. artic. 6.* Probatur. Multoties externa propositio non est sufficiens ad hoc iudicium euidens, aut intellectus non potest ipsum formare. Ergo cum interueniat ad credendum Diuina vocatio, pertinet ad Dei prouidentiam, vt in his casibus vocatio suppleat, quod deficit ex parte iudicij, quod est probabile contigisse in pluribus martyribus, qui de repente profitebantur fidem Christi.

24 Dico septimò. *Non semper requiri hoc iudicium explicitum, vt quando repetuntur ijdem actus fidei, aut quando de nouo aliquid creditur explicitè, quod prius implicitè credebatur.* Probatur. Sunt actus fidei est prudens in tota sua integritate, aut vt aliàs elicitus prudenti modo. Ergo sufficit.

25 Ad Rationem dubitandi respondetur. Pueros, & rudes formare hoc iudicium certum saltem per fidem humanam; aut quia vident prudētes viros, ita iudicare, & credere; aut etiam, quia supplet Diuina illuminatio.

DE ACTV FIDEI.

DISPVTATIO XXXV.

Quid sit actus Fidei.

SECTIO I.

1 DIco primò. *Actus Fidei est actus intellectus*, ita D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 1. & est de fide contra Lutherum, & alios hæreticos, qui volunt esse actum voluntatis. Probatur 2. Ad Corynth. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ergo actus fidei est actus intellectus, vnde credere, quod Deus sit, non est habere fiduciam, sed assentiri huic veritati.

2 Dico secundò. *Actus Fidei est actus fundatus in auctoritate Dei reuelantis.* Probatur. Quia omnis actus fundatur in suo obiecto formali, à quo specificatur.

3 Dico tertiò. *Est actus obscurus, ita vt careat omni euidentia.* Probatur. Fundatur in testimonio Diuino. Ergo solùm manifestat obiectum in sola reuelatione.

4 Dico quartò. *Est assensus firmus, & omnino infallibilis.* Probatur. Talis est actus, quale est specificatiuum. Actus autem fidei habet specificatiuum omnino infallibile, nempe testimonium diuinum.

5 Obijcitur. Assensus fidei fundatur in aliquibus, quæ non sunt omninò infallibilia, vt est cognitio sensitiua, ad Rom. 10. *Fides ex auditu.* Respondetur. Fundari in his vt in dispositionibus ad credendum; non autem vt in causis suæ certitudinis.

6 Dico quintò. *Actus fidei eodem respectu respicit obiectum materiale, & formale.* Prob. Essentia actus fidei est vna, & indiuisibilis. Ergo non potest importare duos respectus, alioquin non haberet vnicam differentiam. Confirmatur. Obiectum materiale non est obiectum, nisi vt substernitur formali. Ergo cum non sit diuersum obiectū seorsim à formali, nec habeat proportionem cum habitu fidei, non potest terminare diuersum respectum.

7 Ex dictis colligitur. Quomodo intelligenda sit differētia fidei tradita ab Apostolo *Ad Hebræos* 11. videlicet. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, definitur enim fides per ordinem ad obiectum tum materiale, tū formale; cum enim dicitur *substātia rerum sperandarum*, explicatur ordo ad obiectum materiale; & nihil aliud significatur, nisi, quòd sit fundamētum, quia, dum nobis notificat res sperandas, facit quòd subsistant apud nos in cognitione; res autem sperandę sunt principale obiectum fidei. Hinc Apostolus intendit explicare munus fidei, non autem tradere rigorosam definitionem. Dicitur, *Argumentum non apparentium*, vt explicetur ordo ad obiectum formale, quod facit, vt fides sit de obiecto obscuro; argumentum autem significat firmum assensum, sumitur enim causa pro effectu.

An actus Fidei sit certior omni cognitione naturali?

SECTIO II.

8 CErtitudo alia est obiectiua, quæ consistit in veritate immutabili obiecti; alia verò formalis, quæ consistit in firma adhęsione intellectus ad suum obiectū, vt cognoscibile, vt docet D. Th. *in* 3. *dist.* 26. *q.* 2. *ar.* 4. Ex quo fit, quod debeat excludere omnem deliberatam dubitationem, & prudenti modo procedere; quas condiciones ex natura sua participat, quando est talis ex vi sui obiecti; quando autem aliunde habet has condiciones, non est vera certitudo.

9 Supponendum est. Ad certitudinem non sufficere quod versetur circa obiectum infallibile; sed insuper requiri, vt infallibili modo ipsum attingat: hoc est eo modo, quo potest fundare assensum infallibilem. Rursus quia debet excludere omnem dubitationem, oportet, vt sit firma adhæsio respectu assentientis, ita vt ipse cognoscat esse talē, atque adeò cognoscat etiam obiectū, in quo fundatur, esse tale ex natura sua, vt causet hanc firmam adhæsionem.

10 Supponendum secundò. Certitudinem posse considerari ex parte assensus; & tunc est certitudo formalis, quia prouenit ex intrinsecis principijs ipsius. Et ex parte subiecti, seu intellectus; & tunc se habet materiali modo, & dicit, quòd assensus sit firmus ratione dispositionis, qua intellectus afficitur. Sic quia euidentia facit, quòd intellectus conuincatur, facit etiam, quòd ratione huius dispositionis, qua intellectus afficitur, assensus habeat aliquam specialem certitudinem, quæ non conuenit fidei.

11 Prima Sententia asserit, non esse certiorem scientia naturali, ita Hugo Victorin. *libr.* 1. *de Sacram. part.* 10. *cap.* 1. Durandus *in* 3. *distinct.* 23. *quæst.* 7. Probant: scientia non solùm habet certitudinem adhęsionis, sed etiam euidentiæ, quæ cogit intellectum. Ergo. Secundò. Scientia admittit minorem dubitationem, quàm fides, quia hęc potest esse cum aliqua dubitatione indeliberata. Confirmatur. Facilius quis transit à fide ad infidelitatem, quàm ab assensu euidenti ad oppositum. Ergo. Tertiò. Maior est certitudo principiorum, cum ex hac dependeat certitudo fidei, vt est illud, *Quodlibet est, vel non est.* Ergo etiam certitudo scientiæ, cum ab illis proueniat.

12 Secunda Sententia asserit, esse magis certum quauis certitudine naturali. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 4. *articul.* 4. Bannes. Aragon. *ibidem*, Richard. *in* 3. *distinct.* 23. *artic.* 7. *quæst.* 1. Gabriel. *quæst.* 2. *artic.* 1. Molin. 1. *part. articul.* 5. Suarez, *disputat.* 6. *de fide. sect.* 5. Turrianus *disputat.* 42. *dub.* 1. Meratius *disputat.* 12. *sectio.* 1. & communiter.

13 Dicendum est. *Assensum Fidei esse magis certum quauis certitudine naturali.* Ita quam plures ex Patribus, Chrysost. *Hom.* 21. *in Epistol. ad Hebr.* Basilius, *Homi.*

in psalm. 115. Bernardus *Epistol.* 190. Augustin, *libr.* 7. *Confessio.cap.*10.vbi ait. *Facilius dubitarem viuere me, quàm vera esse, quæ audiui*,& desumitur etiam ex Epist. 2.Petri.cap. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*,&c. Probatur. Certitudo fidei innititur testimonio Diuino, à quo causatur; certitudo verò naturalis causatur ab obiecto naturali, & à lumine naturali intellectus. Ergo hæc est minor, quia habet causas inferioris ordinis. Confirmatur. Certitudo fidei dependet a voluntate mota a Spiritu sancto, qui nullo modo potest mouere ad falsum; lumen autem naturale potest mouere, saltem si proponatur sub ratione veri.

14 Dices. Implicat cognitionem euidentem esse falsam. Ergo non est minus certa, quàm actus fidei, cùm vtrobique sit æqualis implicantia falsitatis. Respondetur esse æqualem implicationem formaliter, non autem fundamentaliter. Certitudo autem non consistit in implicantia falsitatis, sed in illa perfectione, qua intellectus firmiter adhæret,& fundat hanc implicantiam.

15 Ad primum negatur consequentiam. Quia ex eo, quod scientia habeat plures gradus certitudinis, est magis certa extensiuè, non autem habet perfectiorem certitudinem. Ex eo autem, quod conuincat intellectum, sequitur solùm, quod ipsum ita disponat, vt non possit ex parte sui ita facilè dubitare. Ad secundum. Scientiam magis excludere omnem dubitationē ratione dispositionis intellectus; quia remanet conuictus; nō autem ex vi obiecti formalis; sicut excludit fides. Exclusio autem dubij ex vi obiecti formalis sola auget intrinsecum certitudinem assensus. Ad Confirmationem. Aliquem facilius à fide transire ad infidelitatem, quia fides est libera, & obscura; vnde ratione obscuritatis intellectus faciliùs amplectitur motiua dubitandi. Euidentia autem, quia conuincit intellectum, non sinit amplecti motiua dubitandi. Ad tertium negatur assumptum ad probationem, Fidem non pendere ab aliquo principio naturali, quia solum disponunt intellectum, & faciunt, vt possit discurrere circa res fidei.

An actus fidei sit discursiuus.

SECTIO III.

16 SVpponendum est. Ad assensum Fidei prærequiri aliquem discursum; debet enim acceptari obiectum tanquam reuelatum, debet ferri iudicium de credibilitate obiecti,& sufficienti propositione, quæ non possunt fieri absque discursu; hic autem discursus, quia concurrit tantum ad applicandum obiectum, non facit, quod actus fidei discursiuo modo fiat, vnde difficultas est, an actus fidei discursiuo modo eliciatur ex testimonio Diuino,& reuelatione, vt ex principijs credendi.

17 Prima Sententia est affirmatiua, ita Durandus *in* 3. *distinct.* 24.*quæst.* 1. Gabriel *distinct.* 23. *quæst.* 2. Marsil. *quæst.* 13. *articul.* 1. Ochamus *quæst.* 8. *articul.* 3. Vasquez 1.*part.disput.* 5.*cap.* 3 Probant. In tantum quis credit, in quantum saltem prius natura assentitur Diuinæ reuelationi. Ergo. Secundo. Obiectum formale fidei, & materiale habent diuersas veritates, & vnum dependet ab alio in cognosci. Ergo attinguntur diuersis actibus, quorum vnus procedat ex alio. Tertiò. Fides humana est discursiua, nam pendet ex iudicio de veracitate dicentis. Ergo etiam Diuina.

18 Secunda Sententia asserit, posse fieri per discursum, licet non necessariò, & addit posse haberi assensum fidei discursiuo modo per medium intrinsecum, vt cum vna propositio deducitur ex alijs reuelatis. Ita Vega *libr.*9.*in Concilium Trident.capitul.* 39. Canus *lib.* 6. *de locis.cap.vltimo*. Probant. Illa conclusio est certa, & obscura, cum deducatur ex præmissis obscuris; vnde fundatur in Diuina auctoritate. Ergo. Secundò. Veritates, quæ in tali discursu fundantur, sæpe definiuntur ab Ecclesia. Ergo sunt obiectum fidei.

19 Tertia Sententia docet, assensum fidei nunquam fundari in discursu. Ita D. Thom. 2.2.*quæst.* 1.*artic.* 1. Caietanus *dub.*4. Turrian.*disput.*6.*de Fid.dub.* 1. Suarez *sect.* 4.& alij.

20 Dico primò. *Non posse dari assensum Fidei, quo discursiuo modo ex obiecto formali assentiamur materiali.* Probatur. Habitus fidei non potest elicere actum, qui non sit circa proprium obiectum, a quo specificatur. Ergo neque elicere actum per discursum circa obiectum materiale deductum ex obiecto formali; quia ille actus attingeret præcisè obiectum materiale absque formali, quod fieri non potest; quia ratio formalis reddit proportionatum obiectum,& facit, vt possit attingi. Sequella patet. Nam priùs assentiretur obiecto formali; & ex vi talis assensus assentiretur materiali.

21 Dico secundò. *Posse assensum fidei elici mediante discursu, quo ex motiuo formali credendi in commune acceptio, profeatur obiectum credibile cum motiuo formali in particulari.* Probatur. Motiuum credendi est vniuersale principium complectens sub se omnia credibilia. Ergo potest fieri processus ab vniuersali ad particulare.

22 Dico tertiò. *Quando actus fidei elicitur per hunc discursum, tunc discursus non est fundamentum, cui per se innititur assensus fidei, sed est tantum applicatio, qua obiectum formale applicatur materiali.* Probatur. Assensus fidei per se innititur tantum motiuo credendi, quod est necessarium tanquam specificatiuum. Ergo non potest inniti discursui, cum non sit motiuum credendi.

29 Dico quartò. *Quando in assensu fidei interuenit discursus, illatio conclusionis non fit per lumen fidei, sed per naturale.* Probatur. Illatio consistit in cognitione connexionis, qua conclusio connectitur cum præmissis; hæc autem connexio non est obiectū fidei, quia non est aliquid reuelatum, neque illi assentimur ex testimonio Diuino; sed quia est euidens,& necessitat intellectum ad assensum.

24 Dico quintò. *Quando ex propositionibus de fide deducitur aliqua conclusio, tunc conclusio vt deducta, non dependet a præmissis, prout lumine fidei attinguntur: sed prout attingūtur naturaliter, atque adeo non est de fide.* Probatur. Illa conclusio dependet a præmissis, prout ipsa continent virtualiter. Ergo dependet ab ipsis, prout cognitis lumine naturali. Consequentia probatur. Quia lumen fidei tantum manifestat, quod reuelatur; sola autem veritas formalis illarum præmissarum reuelatur; quia tota veritas reuelata formali modo manifestatur, non autem veritas, quæ virtualiter continetur in reuelata.

25 Ad primum. Primæ sententiæ negatur assumptum. Nā testimonium Diuinū coniungitur cū obiecto materiali,& simul cum ipso creditur; non autem prius natura, vt patet ex dictis in superioribus. Ad secundum negatur assumptū. Nam obiectum materiale, & formale habet vnicam veritatem adæquatum,& ideo attinguntur vnico actu. Ad tertium. Neque Fidem humanam, quando est pura fides, fundari in discursu, sed tantum in testimonio dicentis.

26 Ad primum secundæ sententiæ negatur antecedens. Nam illa conclusio non fundatur in Diuina auctoritate, sed in lumine naturali, vt iam diximus. Ad secundum. Tales veritates definiri ab Ecclesia non in virtute illius discursus; sed tantum illo vti ad explicandas propositiones, quæ obscurè in sacra scriptura continentur, atque adeò quæ reuelatæ sunt, licet obscuro modo.

An actus fidei sit supernaturalis quò ad substantiam ex obiecto.

SECTIO IV.

27 SVpponendum est. Actum fidei infusæ esse supernaturalem secundùm substantiam, nam est dispositio secundùm substantiam ad iustificationem, vt docet Concilium Tridentinum *sessio.*6.*capitul.*6. Et ideò Patres,& Concilia præsertim Arausicanum II. *Canon.*V. & idem

& idem Tridentinum *session.6.can. III.* docent, non posse fieri sine gratia speciali, quia esset dispositio ad iustificationem, & ideò cum secundum substantiam dependeat à Gratia, & sit in ordine ad finem supernaturalem incipiens eleuare hominem ad statum supernaturalem, debet esse supernaturalis secundum substantiam. Difficultas autem est, an etiam ex obiecto suo sit talis.

28 Prima Sententia est negatiua, vult enim, quod possimus assentiri puro testimonio Diuino fide naturali, ita Sotus *libr. 2. de natura, & gratia. capitul.* 8. Molina *in Concordia disputat.*7.8.13.& 14.*membr.*1. Coninch *disputat.*14.*de fide.dub.*2. Probant. Auctoritas Diuina sufficienter proposita est sufficiens, vt moueat intellectum ad assensum, Ergo si Deus nolit concurrere ad actum supernaturalem, eliciet intellectus actum naturalem. Secundò. Fides naturalis potest vltimò inniti testimonio Dei putatiuo, vt cum proponitur aliquid non reuelatum, vt reuelatum à Deo. Ergo etiam testimonio vero, cum sit eadem difficultas in eliciendo assensum. Tertiò. Per actus supernaturales acquirimus habitum naturalem inclinantem ad actus eiusdem rationis, qui remanet habitu amisso supernaturali. Ergo tunc poterit hæreticus ratione huius habitus inclinari ad credendum ex puro testimonio Dei. Quartò. Dilectio, qua Deus propter se diligitur, siue sit naturalis, siue supernaturalis, habet semper idem obiectum formale, nempe bonitatem Diuinam. Ergo actus non sunt semper supernaturales ratione obiecti formalis. Quintò. Formale obiectum non est semper adæquata ratio distinguendi actus; vnde Angeli, qui differunt specie, circa idem obiectum formale eliciunt cognitiones diuersæ speciei ex sola diuersitate principij. Ergo etiam Fides erit naturalis, vel supernaturalis ratione principij, non autem ratione obiecti.

29 Secunda sententia asserit, esse supernaturalem quoad substantiam ex vi obiecti. Ita Alensis 2.*part. quæstion.*31. *membr.*3. Medina 1.2.*quæst.*62.*art.*2. Curiel *quæst.* 109. *artic.*1.*dub.*3. Capreol. *in* 3.*distinct.*24.*quæst.*1.*artic.* 3. D. Bonauentura *distinctio.*23.*articul.*2.*quæst.*2. Suarez, *lib.*2.*de Gratia, cap.*11.& alij.

30 Dicendum est. *Fidem infusam esse supernaturalem quoad substantiam ex vi obiecti formalis.* Probatur. Credere Deo reuelanti præcisè ex testimonio ipsius est operatio ex obiecto suo primò ordinans hominem ad salutẽ. Ergo est supernaturalis ex obiecto, quia homo non potest ordinari ad salutem, nisi per actus supernaturalis ex obiecto, quia primus ordo respicit finem supernaturalem, alioquin ex proprijs viribus haberent initium salutis, vt volebant Pelagius damnatus in Concilio Araulicano. Antecedens probatur. Tum quia per fidem tendimus in Deũ vt finem supernaturalem, vnde ex specie sua potest mouere ad ea operanda, quæ concernunt ad salutem; & ideo in ipsa incipit ordo mediorum, quæ ordinant ad salutem. Tum quia ideò fides est dispositio ad iustificationem, quia est primus motus tendens in Deum, & faciens firmiter credere, quæ reuelauit, atque adeò fundans firmissimam spem, vt docet Concil. Tridentin. *sess.*6.*can.* 6. Hæc autem illi conueniunt ex vi sui obiecti. Ergo. Confirmatur. In Concilio Arausicano *can.*5. damnantur asserentes, fidem, qua credimus in Deum, esse naturalem, non debuissent aut damnari, si esset possibilis fides naturalis innixa soli testimonio diuino, sed tantum dicentes fidem naturalem esse dispositionem ad iustificationem.

31 Ad primum negatur consequent. Quia si proposito testimonio diuino Deus non concurrat ad actum supernaturalem, vel intellectus nullum eliciet actum fidei, vel admiscebit aliquod motiuum humanum, & eliciet tunc fidem naturalem, nam testimonium Diuinum excedit vires naturales intellectus. Ad secundum negatur consequentia. Quia cum Testimonium putatiuum non sit verum testimonium, non excedit vires intellectus. Difficultas autem, quæ superatur in credendo, est ordinis naturalis. Ad tertium Quicquid sit, an acquiratur talis habitus. Respondetur. Talem habitum inclinare ad actus supernaturales supposito quod adsit principium proportionatum, quia inclinat, quatenus potentia est inclinabilis. Ad quartum negatur assumptum. Quia dilectio naturalis tendit in diuinam bonitatem, quatenus manifestatur naturali modo per creaturas. Supernaturalis verò tendit in eandem bonitatem supernaturali modo manifestatam per reuelationem quia enim bonitas diuina est infinita, est etiam manifestabilis sub diuersis rationibus obiectiuis, quæ explicant ipsam bonitatem sub diuersa ratione Excellentiæ, & sub diuerso motiuo amandi. Ad quintum negatur assumptum. Quia obiectum formale, est adæquata ratio distinguendi actus secundum esse formale, & modum tendendi: vnde quando principia diuersa attingunt idem obiectum formale, actus non differunt secundum modum tendendi, sed tantum intra eundem modum tendẽdi; atque adeo differẽcia, licet essentialis, est tamen materialis, quia stat sub eodem modo tendendi tanquam sub forma.

An actus fidei possit esse malus.

SECTIO V.

32 PRima sententia asserit, posse vitiari, vel ex voluntate praua credendi, vel ex aliqua circumstantia; vel quia voluntas credendi imperetur ex aliquo affectu malo, ita Caietan. 2.2.*qu.*5.*art.*2. Medina 1.2.*q.*56.*art.*3. Salas *quæst.*18.*disput.*3.*sectio.*12.& alij recentiores. Probant. Quia D. Augustinus *lib. de catechizandis rudibus c.*5. docet, aliquos velle fieri christianos propter commodum temporale. 2. Virtutes intellectuales non semper tribuunt bonum vsum, sicut morales; Fides autem est virtus intellectualis. 3. Malitia potest esse cum actu prophetiæ. Ergo etiam cum fide 4. Actus fidei non versatur circa honestum formaliter, sed circa verum. Ergo potest imperari ex quocunque fine. 5. Potest Deus prohibere, ne quis in tali tempore exerceat actum fidei. Ergo si exerceat, erit malus ratione circumstantiæ temporis.

33 Secunda sententia est negatiua. Ita Bannes 2. 2. *quæst.*4.*artic.*5.*dub.*2. Vasquez 1.2.*disp.*53.*cap.* 4. Suarez *disp.*6.*de Fid. sect.*7. Turrianus *disp.*33. *dub.* 1. 2. & 3. Coninch. *disput.*14.*dub.*3.& alij.

34 Dico primò. *Actus fidei nõ potest prouenire ex mala voluntate credendi.* Probatur. Actus Fidei infusæ est ex gratia, & essentialiter dependet ab affectu credẽdi, qui est ex speciali Dei motione, & auxilio, vt deffinit Concilium Arausic. II. *can. V.* Ergo non potest esse malus, alioquin Deus speciali auxilio concurreret ad actum malum.

35 Dices. Gratiam concurrere ad affectũ credẽdi, quando est honestus; non autem, quando non est talis. Contra. Voluntas, ad quam requiritur gratia, est absolutè necessaria ad credendum, vt deffinit Concil. Arausicanum *citatum.* Ergo semper affectus credendi debet esse honestus.

36 Dico secundò. *Actus fidei non potest esse malus ex circumstantia.* Probatur. Voluntas credendi est necessariò ex gratia. Ergo non potest habere obiectum malum, atque adeò nec assensum fidei cum aliqua circumstantia, ratione cuius sit malus, quia gratia non datur in ordine ad obiectum malum.

37 Dico tertiò. *Voluntas credendi non potest esse mala ex eo, quod imperetur per affectum malum.* Probatur. Actus imperans voluntatem credendi habet pro obiecto aliquid honestum, & supernaturale. Ergo non potest esse malus; tum quia cum versetur circa honestum sub ratione honesti, quod est propter se amabile, non potest ipsum ordinare in alium finem, cui ex natura sua non subordinetur, qualis esset finis malus. Tum quia cum obiectum sit supernaturale, etiam actus erit supernaturalis, atque adeo ex gratia, quæ non potest inclinare ad malum.

38 Ad primum respondetur. D. Augustinum ibi subdere, quod ij, qui propter malum finem volunt fieri christianos, non verè credunt, sed fingunt credere. Ad secundum. Has

virtutes intellectuales posse habere malum vsum, quæ essentialiter non dependent a bona voluntate; Fides autem essentialiter dependet. Ad tertium. Malitiam habitualem, seu quæ non faciat malum actum prophetiæ, posse stare simul cum prophetia, sicut etiam potest stare cum fide; malitia verò, quæ reddat actum prophetiæ malum, non potest stare cum ipsa, quia etiam prophetia est actus, qui speciali modo prouenit à Deo. Ad quartum negatur con. sequen. Quia licet actus fidei versetur circa verum, essentialiter tamen dependet à voluntate applicante, quæ cum non possit applicare, nisi speciali modo à Deo adiuta, non potest ex malo fine applicare. Ad quintum negatur consequentia. Nam in tali casu Deus non concurreret illo speciali auxilio, quod est necessarium ad credendum fide infusa, alioquin concurreret ad malum speciali auxilio, & ideò non posset elici; posset tamen ille peccare, cui talis actus esset prohibitus, si videlicet conaretur illum elicere.

39 Obijcies. Posset quis ex malo fine velle confessionem fidei exteriorem; & rursus velle credere etiam interno actu fidei, ne exterior confessio esset cum mendacio. Ergo tunc crederet ex malo affectu. Respondetur aliam esse rationem de actu externo, ac de interno. In tali autem casu, licet finis actus exterioris esset malus, finis tamen actus interni esset bonus, nempe desiderium veritatis, & odium mendacij.

DE HABITV FIDEI.

DISPVTATIO XXXVI.

An Fides sit vnus, et idem habitus simul practicus, et speculatiuus.

SECTIO I.

1 SVpponendum tanquam certum de Fide contra Hæreticos nostri temporis, dari habitum supernaturalem fidei in intellectu, vt definit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 6. &* 7. vbi docet. Fidem infundi, & non amitti per omne peccatum; vnde quando. Ad Roman. 10. dicitur. *Corde creditur ad iustitiam,* nomine cordis intelligitur intellectus, vt colligitur ex contextu: habetur enim ibidem, *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit a mortuis, saluus eris.* Credere autem, quod Christus sit suscitatus, non est actus voluntatis, sed assensus intellectus. Dicitur autem corde credi, quia actus fidei prouenit ex pia affectione voluntatis.

2 Prima Sententia asserit, habitum fidei esse simpliciter speculatiuum. Ita quidam apud Durandum *quæst. 6. prologi*. Probant: scientia, & habitus desumit denominationem à fine. Finis autem fidei est quid speculatiuum, nempe beatitudo.

3 Secunda Sententia vult, esse simpliciter practicum, ita Durand. *citatus*.

4 Tertia Sententia, esse formaliter practicum, & speculatiuum, ita Vasquez 1. *part. disp.* 16. *art.* 3. Bannes 2. 2. *quæ.* 4. *art.* 2. Coninch *disput.* 16. *de fide. dub.* 2. Turrianus *disput* 38. *dub.* 6. & alij. Probant. Practicum, & speculatiuum non causant differentias essentiales, nisi quando fundantur in adæquato obiecto. Obiectum autem fidei partim est practicum, & partim speculatiuum. Ergo.

5 Quarta Sententia vult, esse eminenter practicum, & speculatiuum. Ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 2. Aragon. *ibidem*, Suarez *disput.* 7. *de fide. sectio.* 1. Probant. Idem habitus causat actus practicos, & speculatiuos. Ergo.

6 Notandum 1. Cognitionem practicam debere in se ipsa formaliter continere regulas operandi, nec sufficit, quod consequutiuè eliciatur ab ipsa, quid sit agendum; alioquin omnis cognitio speculatiua esset practica; sic ista cognitio, Deus est summum bonum, esset practica, quia inde elicitur, quòd sit amandus.

7 Notandum 2. Cognitionem duplici modo posse esse practicam, vel speculatiuam; nimirum ex parte obiecti materialis, & ex parte obiecti formalis. Est autem discrimen, quod cum in obiecto materiali sit diuersitas, potest etiam esse diuersitas in ratione operabilis, & non operabilis, in obiecto autem formali non potest esse, quia est vna, & eadem ratio.

8 Notandum 3. Inter veritates fidei aliquas esse omninò speculatiuas, vt quod Deus sit Trinus, aliquas verò omnino, vt quod Deus sit amandus super omnia.

9 Dico primò. *Habitum Fidei esse vnum indiuisibilem, qui se extendit ad omnia reuelata.* Ita communiter, & desumitur ex D. Aug. *l. 13. de Trinit. cap.* 2. & ad Hebræos 11. vbi eidem fidei tribuuntur omnes actus. Probatur. Habitus fidei in ordine ad omnia reuelata specificatur ab eodem obiecto formali, ergo frustra multiplicaretur, cum idē ratione suæ specificationis possit se extēdere ad omnia.

10 Dico secundò. *Hūc habitum non posse esse formaliter practicū, & speculatiuū ratione suæ specificationis.* Prob. Specificatio desumitur ab obiecto, idem autem obiectum non potest conferre rationem practici, & speculatiui, quia non potest esse simul quid operabile, & non operabile.

11 Dico tertiò. *Habitum fidei ex vi suæ specificationis neque esse practicum, neque speculatiuum, sed indifferentem, ita vt possit determinari ad esse practicum, aut speculatiuum in ordine ad diuersos actus, & ad diuersa obiecta, sicut determinatur intellectus, qui de se neque est practicus, neque speculatiuus.* Prob. Talis est habitus, quale est specificatiuum; cum enim ab ipso specificetur, sumit esse proportionatum, sed obiectū formale specificatiuum habitus fidei neque est speculatiuū, neque practicum, sed indifferēs, ita vt possit coniungi cū obiecto materiali practico, & speculabili. Ergo. Minor probatur. Obiectū formale est diuinum testimonium in ordine ad causandū firmum assensum circa ea, quæ manifestat; & proinde est cū ordine intrinseco ad manifestanda. Ergo cum veritates manifestatæ partim sint practicæ, & partim speculatiuæ, diuinum testimonium erit indifferens, vt possit coniungi tàm cum veritate practica, quam speculatiua, atque adeo quantum est de se neque erit practicū, neque speculatiuū.

12 Dico quartò. *Habitum fidei determinari ad operādū speculatiuo, vel practico modo, prout testimonium diuinū coniungitur cum obiecto materiali practico, vel speculabili.* Prob. Quia intellectus est indifferens ad eliciendos actus practicos, & speculatiuos, & determinatur ab obiecto circa quod versatur. Ergo cum habitus quoque fidei sit indifferens ex vi suæ specificationis determinabitur ab obiecto, quia cum exeat in actum ex determinatione obiecti, eo modo operabitur, quo determinatur.

13 Ad Fundamentum 1. Sententiæ respondetur. Habitus sumere denominationem à fine proximo, qui respectu fidei est cognitio, non a remoto. Beatitudo autem est finis remotus.

14 Ad Fundamentum 3. Sententiæ negatur assumptum. Nam practicum, & speculatiuum semper causant differentias essentiales, quia semper fundantur in rationibus obiectiuis, quæ fundant contradictionem, vnde si se tenēt ex parte obiecti formalis, causant diuersos habitus secundùm specificationem; si verò ex parte obiecti materialis, causant diuersos actus essentialiter: non autem causant diuersum habitum, quia ipsum non specificant.

15 Ad Fundamentum 4. Sententiæ respondetur. Eundem habitum causare actus practicos, & speculatiuos in ordine ad obiectum materiale; nam ad actum fidei non solum concurrit habitus, sed etiam intellectus, & species deter-

determinatiuæ. Vnde ratio practici, & speculatiui in actu fidei prouenit à speciebus, quatenus iuxta exigentiam obiecti materialis determinant habitum, & intellectum.

16 Quæres. An species, quæ concurrunt ad actus fidei, sint supernaturales. Respondetur. Non esse supernaturales, quia non sunt species propriæ, alioquin manifestarent obiectum euidenter. Species autem, quæ, non est propria, non est supernaturalis, sed est acquisita ab intellectu naturali modo.

An habitus fidei sit virtus intellectualis.

SECTIO II.

17 EX virtutibus aliæ pertinent ad intellectum; aliæ verò ad voluntatem, quæ dicuntur morales, quia inclinant ad bonum honestum, quod est obiectum voluntatis.

18 Prima sententia est negatiua, ita Durand. *in.3.dist.* 23.*quæst.6.* Gabriel *quæst.7.dub.*4. Caietanus 2.2.*quæst.* 4.*artic.*5. Aragon. *ibidem.* Probant. Virtus est dispositio potentiæ ad optimum ex 7.*physic. tex.*17. fides autem non disponit ad optimum, quia non disponit ad cognitionem euidentem. Secundò. Aristoteles 6. *ethicor. cap.*4. enumerans virtutes, non meminit de fide, ergo. Tertiò. Fides sine charitate non habet firmitatem operandi in omni euentu. Virtus autem debet habere talem firmitatem.

19 Secunda sententia est affirmatiua. Ita D.Thom. 2.2. *quæst.*4.*artic.*5. *ad* 2. Capreolus *in* 3.*distinct.* 29. *quæst.* 1. Molina 1.*part. quæst.*1. *articul.*6. Vasquez *disput.*5. *capit.*4. Turrianus *disput.*40.*de fide, dub.*1. Suarez *disp.* 7.*sect.*5.

20 Dicendum est. *Fidem esse propriè virtutem intellectualem.* Probatur. Fides perficit intellectum secundùm inclinationem naturalem rationalis naturæ in ordine ad propriam operationem, & finem, in quo consistit ratio virtutis. Ergo est virtus intellectualis. Antecedens patet. Quia fides perficit intellectum in ordine ad verum cognoscendum.

21 Ad primum. Respondetur. Virtutem esse dispositionem ad id, quod est optimum non simpliciter, sed in suo genere: cognitio autem fidei est optima in genere cognitionis obscuræ. Ad secundum. Aristotelem non cognouisse virtutes infusas. Fides autem humana non est virtus, quia potest esse falsa. Ad tertium. Non esse de ratione virtutis, vt habeat illam firmitatem operandi, alioquin neque charitas esset virtus, sed tantum vt semper bene operetur, quando operatur.

An in voluntate sit ponendus specialis habitus in ordine ad credendum.

SECTIO III.

22 SVpponendum est. Actum Fidei esse liberum, atque adeò intellectum debere moueri à voluntate ad credendum, vt docent communiter cum D. Tho. 2.2.*quæst.*1.*artic.*4. & desumitur ex Ioan.8. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Et Actorum 18. *Quidam credebant his, quæ dicebantur, quidam verò non credebant*, & idem docet Trident. *sess.* 6. *cap.* 6.

23 Supponendum secundò. Actum, quo voluntas mouet intellectum ad credendum, indigere auxilio gratiæ, vt definiunt Concil. Arausicanum II. *can.* 4. contra Semipelagianos. Et Concil. Trident. *modo citatum*. Et Ratio est. Quia voluntas credendi est initium fidei, atque adeò initium salutis, quod non potest haberi ex naturalibus viribus.

24 Supponendum tertiò. Hunc actum esse supernaturalem in entitate, & quòad substantiam. Tum quia ex natura sua respicit finem supernaturalem; nam est motio, qua homo mouetur ad credendum fide infusa Deo reuelanti supernaturali modo. Tum quia est initium status supernaturalis, nam per ipsum incipit homo tendere in finem supernaturalem. Tum quia habet motiuum supernaturale, nempe propriam honestatem actus credendi, quæ in eo consistit, quod intellectus submittat se auctoritati Diuinæ iuxta illud. Captiuantes intellectum in obsequium fidei. Difficultas autem est. An pro eliciendo hoc actu sit necessarius specialis habitus in voluntate.

25 Prima sententia est negatiua. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 1 *artic.*2. Scotus *in* 3.*distinct.* 25. Turrian. *disp.* 37. *de fide dub.*4. Probatur. Si esset necessarius peculiaris habitus, etiam actus reflexus voluntatis requireret specialem habitum, quia ipse quoque habet suum peculiare obiectum cum sua peculiari honestate; nec potest pertinere ad habitum actus directi, nam, verbi gratia, velle diligere Deum non est diligere. Secundò. Etiam actus, quo quis vellet elicere actum prudentiæ supernaturalis, pertineret ad specialem habitum, quia habet pro obiecto actum alterius potentiæ habentem suam peculiarem honestatem. Tertiò. Non est necessarius specialis habitus ad volendum credere fide naturali. Ergo nec ad volendum credere fide infusa, quia virtutes naturales, & supernaturales solùm distinguuntur ex obiecto formali. Quartò. Sequeretur quod essent quatuor virtutes Theologales contra illud 1. Corynth.13. *Nunc autem maneut tria hæc Fides, Spes, Charitas.* Quintò. In illa potentia est ponendus habitus, in qua consummatur actus vt docet D.Thom. 1.2. *quæst.* 56. *artic.* 5. in solo autem intellectu consummatur actus fidei, quia velle credere est initium fidei.

26 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Molina *in Concordia disput.*8. Lorca 2.2.*disput.*25. Suarez *disput.*7. *de fide, sect.*2. Coninch, *disput.*13. *dub.*6. Mratius *disput.* 15. *sect.* 3.

27 Dicēdū est. *Dari in voluntate specialē habitum, vnde proueniat pia affectio, & voluntas credēdi.* Prob. Iste actus voluntatis est supernaturalis quòad substantiā, atque adeò improportionatus viribus naturalibus, & habet specialem honestatem. Ergo debet esse ab aliquo speciali habitu, quia ratione peculiaris honestatis est improportionatus cuicunque alteri habitui. Antecedens probatur, quod scilicet habeat peculiarem honestatem. Tum quia in scriptura laudatur fides secundum suam propriam rationem fidei, vt fides Centurionis Math. 8. & fides Cananeæ, Math. 15. Fides Stephani Actorum 6. Fides Patrum antiquorum. Ad Habr. 11. Tum quia fides est meritoria, vt fides Abrahæ. Ad Rom.4. Tum quia fides est speciale donum Dei, quo speciali modo perficitur creatura rationalis, quatenus talis, cum per ipsam speciali modo tendat in suum finem. Ergo cum actus voluntatis habeat pro obiecto hanc peculiarem honestatem fidei, etiam ipse habet suam peculiarem honestatem. Confirmatur. Tota ratio, quæ militat ad ponendum habitum in intellectu, quæ est improportio, & necessitas principij connaturalis, militat etiam de habitu voluntatis. Ergo.

28 Ad 1. Negat sequella. Nam actus reflexus, quando imperat directum ex aliquo motiuo, prouenit ab habitu, qui respicit tale motiuum, & sic non est necessarius specialis habitus; si verò tendat in honestatem actus directi, tunc quia ista honestas communicat cum honestate obiecti actus directi, sufficit etiam habitus tendens in idem obiectum pro actu reflexo; quia sicut voluntas potest reflectere supra se ipsam, ita etiam habitus intra latitudinē proprij obiecti, nam habitus sequitur conditionem voluntatis. Vnde cum dicitur, quod velle diligere non est diligere. Respondetur. quod actus tendens in dilectionem tendit etiam in Deum, quia dilectio est obiectum illius actus sub ratione tendentiæ in Deum, atque adeò non per se, sed ratione Dei mouet ad alium actum, & ideò hic

hic actus reflexus potest prouenire ab habitu charitatis.

29 Instabis. Eficiens actum pertinentem ad habitum charitatis statim iustificatur, & tamen volens habere charitatem, non iustificatur ex vi huius actus. Ergo non pertinet ad habitum charitatis. Respondetur negando primam partem antecedentis. Nam vltima dispositio ad iustificationem non solum est charitatis actus formalis, sed etiam virtualis, vt patet in contritione, quæ est virtualiter amor Dei super omnia; actus autem volendi habere charitatem, si non sit velleitas, sed efficax, est amor Dei super omnia virtualis, & ideò sufficit ad iustificationem. Quia tamen potest voluntas velle diligere Deum ex aliquo motiuo naturali, tunc talis actus non pertinebit ad charitatem, neque erit dispositio ad iustificationem.

30 Ad secundũ. Negatur sequella. Nam actus prudentiæ est expetendus ob honestatem sui obiecti, vnde hoc obiectum est motiuum volendi actum prudentiæ, & ideo hic actus pertinet ad habitum, qui versatur circa tale obiectum. Ad tertiũ. Negatur consequentia. Quia in materia supernaturali datur specialis habitus, & si non detur in materia naturali, quando adest specialis honestas, vt contingit in casũ nostro. Ad quartũ. Esse tres tantùm virtutes Theologales, quia ex habitu voluntatis, & intellectus constituitur vnica tantùm integra virtus. Habitus autem voluntatis seorsim ab habitu intellectus non est virtus Theologalis, quia non versatur immediatè circa Deum. Ad quintũ. In Fide distingui duplicem bonitatem, videlicet cognitionem veri, & captiuationem intellectus in obsequium Diuini testimonij. Prima bonitas consumatur in intellectu, & ideò in ipso solo est ponenda fides, vt virtus cognoscitiua. Secunda bonitas cõsummatur in voluntate, & ideo in ipsa est ponenda virtus captiuans intellectum, vtraque autem constituit vnicam integralem virtutem fidei.

DE REGVLIS FIDEI.

DISPVTATIO XXXVII.

An sacra Scriptura sit regula Fidei.

SECTIO I.

1 Aliud est regula Fidei, & aliud Iudex, seu Magister Fidei. Regula est quædam præscriptio, secundum quam debet iudex procedere, Iudex vero est persona determinata, qui debet decidere controuersias fidei.

2 Supponendum est, Esse necessariam in Ecclesia regulam fidei infallibilem, secundum quam verum a falso discernatur; cum enim fides debeat esse perpetua, & vt vna, & eadem traduci ad posteros, debet adesse vna, & eadem regula permanens, ad cuius mensuram traducatur; alioquin quisquis vteretur proprio iudicio, & innumeri errores nascerentur.

3 Dicendum est. *Sacram Scripturam esse infallibilem regulam fidei*. Ita communiter non solùm Catholici, sed etiam Hæretici, & est de fide ex Concilio Trident. *sess.* 4. Probatur 1. Ad Timoth. 3. *Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem*. Ioan. 15. *Scrutamini Scripturas; illæ enim testimonium perhibent de me*. Et Lucæ vltimo. *Christus confirmat suam resurrectionem testimonijs Scripturæ*. Ratio autem est, quia Scriptura continet verbum Dei reuelatum, atque adeo applicat auctoritatem Diuinam, quæ infallibilis est, ita vt implicet, quod contineat mendacium.

4 Obijcitur. Scriptura non est tota certa, & nota, qualis debet esse regula, ergo. Respondetur. Aliquos libros semper fuisse certos apud omnes; aliquos verò fuisse certificatos ex definitione Concilij Tridentini *sessio* 4. Et hi omnes possunt esse regula fidei; alios verò esse dubios; & hi non sunt Regula fidei.

5 Obijcitur secundò. Regula, cum sit mensura, debet esse vniformis; Scriptura autem non est talis, quia per plures translationes variata est. Respondetur. Licet sit variata in translationibus, esse tamen vniformem quoad sensum. Deinde Concilium Trident *sess.* 4. definiuit, quænam translatio sit adhibenda pro regula fidei.

6 Obijcitur tertiò. Regula debet esse clara; Scriptura autem est obscura. Respondetur. Ex eo, quod sit obscura, sequi, quod non sit interpretanda secundùm cuiuslibet iudicium, sed intelligenda ex vi eiusdem spiritus, quo instituta est, vt docet Concil. Trident. *sess.* 4. vel quatenus est secundum communem sensum Sanctorum Patrum existimantium, ita esse accipiendam in ordine ad fidem, vt habet idem Tridentinum, & Lateranense *sub Leone X. actione* 10.

An tota Scriptura sit verbum Spiritus Sancti.

SECTIO II.

7 Ratio dubitandi est. Quia non est idem stylus in omnibus libris, sed est iuxta ingenium Scriptoris. Secundò. Quia continet multa ex proprio spiritu scribentis, vt salutationes, & alia huiusmodi, vnde 2. Machabæorum *in fine* Scriptor se excusat, si quid minùs dignè tractauerit.

8 Dico primò. *Sacra Scriptura habet Deum auctorem*. Est de fide ex Concilio Trident. *sess.* 4. & concedunt etiam Hæretici quoad illos libros, quos ipsi acceptant. Probatur. Ad Hebr. 1. *Olim loquens Deus in Patribus*. 2. Petri 1. *Non voluntate humana, sed Spiritu sancto inspirante loquuti sunt Sancti Dei homines.*

9 Dico secundò. *Quædam esse in Scriptura, quæ non sunt ex spiritu Dei, sed ex humano, vt quæ referuntur dicta vel facta ab alio, vel quæ scriptor scribit spiritu proprio*. Probatur 1. ad Corynth. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus*. Deinde subdit. *Nam cæteris ego dico non Dominus*. Ratio autem est. Quia dicta, vel facta ab alio multoties sunt mala, vnde non possunt esse ex motione Spiritus sancti. Rursus scriptor quando narrat aliquid, quòd sibi contigit, vt cum Apostolus narrat insidias Iudæorum, itinera, & alia huiusmodi, tunc illud nõ est ex Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus non assistebat ad illud efficiendum, ergo.

10 Dico tertiò. *Omnia quæ sunt scripta in Sacra Scriptura, etiam si non sint ex Spiritu sancto, sunt tamen scripta ex motione ipsius*. Probatur 1. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura Diuinitus inscripta, &c.* Ratio autem est, quia tota Scriptura est sermo Dei, & ordinata ad instruendum in ordine ad salutem, & ideò debet tota esse certa. Confirmatur. Tota scriptio est in persona scribentis, ergo non esset certa, nisi semper assistens fuisset Spiritus sanctus.

11 Dico quartò. *Licet verba, quatenus expressiua sensus, sint ex spiritu Dei, non tamen ipsa formaliter, ita vt non potuerit scriptor alia verba adhibere expressiua eiusdem sensus*. Probatur. Spiritus sanctus relinquit scriptorem, vt scribat modo sibi accommodato, & solum subministret sensus, vnde stylus aliquando est magis, & minus politus, aliquando humilis, aliquando sublimis. Ergo cum verba pertineant ad stylum, relinquuntur arbitrio scriptoris. Secundò. Si verba essent à Spiritu sancto vulgata editio non esset certa, quia originale potuit trans-

transferri per verba vulgatæ editionis, & etiam per alia, vt patet ex alijs versionibus; vnde non essemus certi ad cuius translationis verba correspondérent verba originalia. Confirmatur. Verba translationum non sunt ex instinctu Spiritus sancti, sed ex ingenio interpretis. Ergo.

12 Obijcit. Suarez *disput. 4. de fide, sect. 3.* Patres docent, etiam verba esse ex Spiritu sancto, ergo. Respondetur. Esse intelligendos, quod sint à Spiritu sancto, prout conferunt ad sensum, non autem prout conferunt ad stylum.

13 Obijcit secundò. Matthæi 22. Christus arguit ex ipso verbo scripturæ, cum ait. *Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, si filius eius est?* Ergo illud verbum, *Dominus*, fuit à Spiritu sancto dictatum. Respondetur. Fuisse dictatum quoad significationem, seu sensum, nam parum referebat, quod diuerso verbo fuisset vsus, si habuisset eundem sensum.

14 Obijcit tertiò. Math. 5. *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Ergo omnia etiam verba sunt ex Spiritu sancto. Respondetur negando consequent. Nam ibi sermo est de adimpletione eorum, quæ prædicebantur in scriptura; vnde subditur, *donec omnia fiant*, & sensus est, quod omnia ita perfectè erant implenda, vt nihil omnino remaneret, quod non impleretur.

Ad Rationes dubitandi patet ex dictis.

An præter Scripturam adsit alia regula Fidei.

SECTIO III.

15 Difficultas procedit de traditionibus, quas communiter negant Hæretici esse admittendas; Tum quia volunt in scriptura contineri totam doctrinam necessariam ad fidem, & mores. Tum quia asserunt de facto non extare huiusmodi traditiones, quæ sint verè traditiones.

16 Supponendum est; difficultatem procedere de traditionibus, quæ ad nos peruenerunt per Apostolos, & sunt vniuersales in tota Ecclesia, quarum aliquæ pertinent ad fidem, & dicuntur Diuinæ, quia innituntur auctoritati Christi, vt sunt plura ex ijs, quæ pertinent ad sacramenta; aliæ verò pertinent ad mores, quæ non sunt necessario Diuinæ; Aliæ vero pertinent ad cæremonias, & ritus Ecclesiæ, & fuerunt ab Apostolis institutæ.

17 Dico primò. *Esse admittendas traditiones, vt habentes auctoritatem proportionatam auctori.* Est de fide ex Concilio Nicæno, 2. *act. 6. & 7.* & ex VIII. Synodo, *act. 8.* & *can. 1. post action. vltimam.* Trident. *sessio 4.* Fabiano Papa *Epistola 2. ad Episcopos Orientis.* & Innocentio I. *Epistola 1.* & ita docent etiam communiter Patres. Probatur secundò. Ad Thessalonic. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Vbi cum Apostolus loquatur distinctiuè, nō potest dici quod eadem scripserit, quæ ore tradiderat, præsertim quia Epistola scripta ad Thessalonicenses non continet omnem doctrinam Euangelij: & qua docuit quædam, quæ nec ab ipso, nec ab alijs scripta sunt, vt colligitur ex eadem epistola.

18 Secundò. Probatur 1. Ad Corynth. 11. *Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Agit autem de modo orandi in Ecclesiis, & sumendi Eucharistiam. Tertiò. Probatur, Nisi admittantur traditiones, nihil certi circa fidem habere possemus; nam sine ipsis nō habetur, quod sacra Scriptura sit verbum Dei, & conseruetur incorrupta; nec quod habeamus verum sensum eius.

19 Dico secundò. *Traditionem Diuinam esse certam & infallibilem regulam fidei.* Probatur. Traditio Diuina habet eandem firmitatem, quam habet verbum scriptum, quia & ipsa fundatur in veracitate Dei: ergo æqualiter potest esse regula fidei. Confirmatur, Fides incæpit ab initio mundi, & tamen sine scripturis conseruata est vsq; ad tempus legis scriptæ, ergo tunc fuit regulata tantum per traditiones.

20 Obijcitur. Scriptura sæpè docet, quod ab ipsa nihil sit detrahendum, vel addendum, vt Deuteron. 4. ver. 12. Ad Galat. 1. Apocalyp. 22. Ergo non sunt admittendæ traditiones. Respondetur. Sensum Scripturæ esse quod non sint immutanda ea, quæ ipsa tradidit, nec sit aliquid admittendum, quod sit contra ipsam.

21 Obijcitur secundò. In scriptura damnantur traditiones Math. 15. & ad Colossens. 2. Respondetur. Damnari traditiones Pharisaicas, quæ erant contra legem, & eas quæ sunt inuenta hominum, & sunt perniciosæ.

22 Obijcitur tertiò. Quæ scripta sunt, sufficiunt ad salutem. Ioan. 28. & 2. ad Timoth. 3. ergo. Respondetur. In primo loco agi de miraculis, quæ sufficiunt ad fidem confirmandam. In secundo autem loco non habetur, quod scriptura sufficiat ad salutem, sed tantùm quod vtilis sit, quod conuenit etiam cuilibet libro Scripturæ.

23 Obijcitur quartò. Patres docent, quod scripturæ sint fundamentum fidei; quod sit necesse, eas in testimonium vocare, quod sufficiant ad omnem institutionem; quod non sint introducenda, quæ non sunt scripta, nec sit admittendum, quod sine scripturis dicitur. Respondetur. Patres tantùm velle, quod scripturæ principaliter hæc conueniunt; deinde non loquuntur taxatiuè, ita vt excludant traditiones, sed sumunt scripturam tanquam testimonium Diuinum; vnde sub ipsa comprehendunt etiam traditiones, & solùm volunt, quod non sint admittenda, quæ sunt contraria scripturæ, & testimonio Diuino, atq; adeo Diuinis traditionibus.

DE IVDICE CONTROuersiarum.

DISPVTATIO XXXVIII.

An sola Scriptura sit Iudex Fidei.

SECTIO I.

1 Hæretici præsertim Lutherani, & Caluinistæ admittunt solam scripturam pro Iudice Controuersiarum.

Dicendum est. *Ex sola Scriptura non posse haberi sufficiens iudicium de rebus fidei.* Ita communiter Catholici & Patres, & est de fide. Probatur. Sacra Scriptura est difficilis intellectu 2. Petri vltimo. *Sicut in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas.* Hinc etiam Math. 24. Christus interpretabatur scripturas suis discipulis. Ergo cum scriptura sit difficilis, opus est aliquo interprete, qui secundum legitimum sensum decernat controuersias fidei. Confirmatur Lucæ 18. *Ipsi nihil horum intellexerunt.* Actorum 8. Eunuchus interrogatus à Philippo, an intelligeret locum Isaiæ, quem legebat; respondit. *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Ergo non potest haberi ex sola scriptura sufficiens iudicium de rebus fidei. Secundò. Probatur. Iudex debet ita ferre sententiam, vt vtraque partium intelligat, an sententia sit pro se, an contra se; hoc autem non potest præstare scriptura, quia potest retorqueri ad diuersos sensus, vt patet in Hæreticis, qui dum volunt vti sola scriptura pro iudice, non solùm non conuenerūt cū Catholicis, sed neq; etiā inter se ipsos.

2 Obij-

2 Obijcitur. Scriptura dicitur lucida, & illuminare oculos; esse lucerna; & alia huiusmodi. Ergo est clara ita vt non indigeat interpretatione. Respondetur. Hæc dici de scriptura quoad eff...us, quia accepta secundum verum sensum facit, vt cognoscamus, quæ nobis agenda sũt, non autem quia non indigeat interpretatione.

3 Obijcitur secundò. Scriptura nos hortatur, vt ad ipsam accedamus, vt Isaiæ 8. Ioan. 5. & alibi. Respondetur. Nos debere accedere ad scripturas eo modo, quo accedendum est, videlicet eas accipiendo cum interpretatione debita.

4 Obijcitur tertiò. Nouum testamentum est liber apertus ab Agno Apocal. 5. ergo. Respondetur. Dici apertum, quia in eo reuelatæ sunt figuræ veteris testamenti.

5 Dicendum secundò. *Neque ex scriptura, & spiritu interno posse haberi iudicium sufficiens circa res fidei.* Est de fide ex concilio Trident. *sessio* 4. contra eosdem Hæreticos, qui volunt, scripturam esse interpretandã iuxta internum spiritum vniuscuiusque. Probatur. Quia daretur locus dissensionibus, & erroribus; nam quilibet posset ex proprio sensu interpretari scripturas, & dicere, quod interpretatio esset ex spiritu Dei. Secundò. Spiritus sanctus dictaret interius contradictoria; atque adeo falsitatem, vt patet in Hæreticis, qui asserunt contradictoria, nam aliqui admittunt vt dictatum à Spiritu sancto, quod alij negant.

6 Obijcitur. Psalm. 18. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Ergo postulat spiritum internum, quo intelligat scripturas. Respondetur. Loqui de cognitione practica, quæ inducit ad operandum; & consistit in illustratione intellectus, non autem postulat spiritum, vt possit interpretari scripturas.

7 Dicendum tertiò. *Esse necessarium in Ecclesia Iudicem animatum, qui tanquam Magister iudicet secundum regulas fidei.* Ita communiter Catholici. Probatur. 2. ad Timoth. 2. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & Magister gentium.* Actorum 26. *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti.* Ergo adest in Ecclesia magisterium circa res fidei. Secundò. Probatur. Ab initio Ecclesiæ hoc magisterium redactum fuit ad praxim ab Apostolis, nam cum orta esset difficultas, an circumcisio, & legalia essent seruanda ex necessitate salutis, fuit coactum Concilium Hierosolymis, vt habetur Actorum 15. & responsum. *Visum est Spiritui sancto, & vobis, nihil vltra imponere vobis oneris, &c.* Tertiò. Multæ sunt controuersiæ, quæ non possunt determinari ex scriptura, quia nulla fit mentio de ipsis, vt an aliqui libri sint Canonici? Quot sint Sacramenta nouæ legis, & alia huiusmodi. Ergo est necessarius iudex animatus, qui possit eas definire.

8 Obijcitur. Ex pluribus locis sacræ Scripturæ Isaiæ 54. Ioan. 10. & alibi. Vbi habetur, homines doceri à Deo. Respondetur. Doceri à Deo non immediatè, sed per Ecclesiam.

9 Obijcitur 2. Hieremiæ 31. *Non docebit vltra vir proximum suum.* & 1. Ioan. 2. *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos: sed vnctio docet vos de omnibus.* Ergo magisterium fidei non est apud homines. Respondetur. Sensum esse, quod non sit necessaria doctrina humana, quia habetur doctrina Diuina per fidem, tradita tamen ab Ecclesia.

10 Obijcitur 3. Math. 23. *Nolite vocari Rabbi; Verus est enim magister vester.* Respondetur. Non reprehendere magisterium fidei, sed superbam ostentationem magisterij.

11 Dicendum 4. *Ecclesiam esse Iudicem controuersiarum fidei, atque adeo eos, qui repræsentant Ecclesiam, vt Summus Pontifex, & Concilium, cui tamen præsideat Pontifex vel per se, vel per alios.* Probatur. Deuteronom. 17. Deus iubet in difficilibus adire sacerdotes, & stare eorundem sententiæ, ergo. 2. Ioan. 20. Petro specialiter dicitur, *Pasce oues meas,* atque adeo etiam successoribus ipsius, quia Christus voluit prouidere in perpetuum suæ Ecclesiæ. Pascere autem est tradere doctrinam necessariam ad sustentandas oues in vita spirituali, iuxta illud Hieremiæ 3. *Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.* 3. Luc. 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ergo cum Petrus, atque adeo successores ipsius habeant fidem indefectibilem, & debeant alios in fide confirmare, fit vt sint iudices fidei, vt arguunt Lucius primus. *Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ.* Felix I. *Epistola ad Benignum.* Leo IX. *Epistola ad Petrum Antiochenum.* Agatho. *Epist. ad Constantinum Imperatorem*, quæ est approbata in VI. Synodo, *act.* 4.

12 Obijcitur. Pontifex, & Concilium non possunt condere nouos articulos fidei. Ergo nec declarare. Respondetur negando consequentiam. Quia articulus fidei debet inniti testimonio Diuino, & ideo quod non est reuelatum à Deo, non potest poni vt articulus fidei, in declaratione autem supponitur, quod sit facta reuelatio.

An Ecclesia vniuersalis possit errare in fide.

SECTIO II.

13 Nomine Ecclesiæ de facto intelligitur congregatio hominum profitentium fidem Christi sub vno baptismo, & vno sacrificio, & sub vno capite.

14 Dicendum est. *Ecclesiam ita esse infallibilem in credendo, & proponendis rebus fidei, vt nunquam possit errare,* est de fide contra Theodosianos, Arianos Donatistas, Luciferianos, Iconomachos, Caluinistas, Lutheranos, & omnes hæreticos nostri temporis. Definitur autem in Concilio Niceno *lib.* 3. *ca.* 5. & ita in Nic. II. *art.* 6. *tom.* 5. & habetur hæc Symbolo Apostolorum. *Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Si enim Ecclesia est sancta, non potest errare in fide; & omnia Concilia confitentur hanc veritatem, dum initio præponunt confessionem fidei. Probatur, Math. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quibus verbis significatur indefectibilitas Ecclesiæ, vt docent Euthimius, Theophilactus, Hieronymus, Chrysostomus, & alij in hunc locum, August in. 1. *De symbolo ad Catechum. cap.* 6. & communiter Patres. Probatur 2. Math. vltim. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi,* quibus verbis Christus promittit Ecclesiæ suam assistentiam vsque ad finem mundi. Si autem Christus assistit Ecclesiæ, non potest errare, alioquin error tribueretur Christo, vt arguunt Chrysostom. *Homil.* 11. *ad populum.* August. *concion.* 2. *in Psalm.* 101. Leo X. *in Bulla contra Lutherum*, & alij Patres. Tertiò. Probatur. Ioan. 7. *Pater sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est, & ego pro eis sanctifico me ipsum, vt sint ipsi sanctificati in veritate, non pro eis rogo tantum, sed pro ijs etiam, qui credituri sunt per verbum illorum in me.* Et cap. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis.* Ergo cum Christus rogauerit patrem pro Ecclesia, vt maneret semper in veritate, hoc est in fide, & ipse promiserit assistentiam Spiritus sancti in perpetuum dicendum est, quod non possit deficere, & errare, quia regitur à Spiritu sancto, cui error tribueretur, si Ecclesia erraret. Vnde etiam Actorum 26. habetur, *Visum est Spiritui sancto, & nobis;* vt significaretur, Spiritum sanctum esse auctorem illarum determinationum, quæ fiunt ab Ecclesia.

15 Obijcitur. Ecclesia defecit in primis Parentibus, dum non crediderunt Deo. Genes. 3. ergo. Respondetur negando assumptum. Nam Adam non peccauit peccato infidelitatis, sed tantum inobedientiæ, vt morem gereret mulieri.

16 Obij-

16 Obijcitur secundò. Tempore Moysis Aaron cum toto populo errauit, dum de vitulo dixit Exodi 31. *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Item Synagoga errauit tempore Iudicum, tempore Eliæ, vt habetur 3. Regum 19. tempore Christi, dum illum non recepit, sed morte damnauit; Errauerunt Apostoli Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini.* Ergo potest Ecclesia errare. Respondetur, Tempore Moysis non errasse totam Ecclesiam, quia non errauit Moyses, nec ij, ad quos dixit, *Si quis est Domini iungatur mihi*, nec etiam Aaron peccauit infidelitate, sed quia morem gessit populo: Tempore autem Iudicum, & Eliæ plures permanserunt in vera fide. Tempore autem Christi errauit quidem synagoga, quia iam erat in fine, & iam incipiebat Ecclesia Christi, in qua erat vera fides.

17 Obijcitur tertiò. Tempore Antichristi deficiet Ecclesia, nam Paulus dicit, quod Antichristus sedebit in templo Dei. Respondetur. Quod non deficiet Ecclesia, licet plurimi sint defecturi à fide, dicitur autem Antichristus sessurus in templo Dei, quia conabitur se ostendere Deum ex ipsis scripturis.

18 Obijcitur quartò. Danielis 9. *Deficiet hostia, & sacrificium.* Respondetur intelligi de synagoga: Si autem intelligatur de Ecclesia tempore Antichristi, sensus est, quod deficiet, quia publicè non poterit adhiberi ob tyrannidem Antichristi.

19 Obiicitur quintò. Tempore passionis Christi dicitur, quod fides permansit in sola B. Virgine: vnde ad hoc significandum Ecclesia in celebratione officij extinguit omnia luminaria vno excepto. Respondetur. Intelligi de fide resurrectionis Christi, quam Beata Virgo semper explicitè habuit. Apostoli autem, licet peccauerint, non tamen amiserunt fidem, quam habebant. De Resurrectione autem Christi non habebant, quia nondum cognouerant, quod fuisset futura: Vnde cum Christus Lucæ 18. loqueretur de sua resurrectione, dicit Euangelista, quod Apostoli nihil horum intellexerunt.

20 Obiicitur sextò. Hieremiæ 2. habetur, quod Principes, Sacerdotes, & Prophetæ defecerint idolatrando, & 2. Paralipom. 15. Quod erunt multi dies absque Deo vero, & Sacerdote. Respondetur. Poni totum pro parte, quia plurimi erant recessuri à lege, vnde etiam dicitur, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, hoc est multæ, nam non omnes benedicti sunt in Abraham.

21 Ex his colligitur. Neque per ignorantiam inuincibilem posse Ecclesiam deficere; quia cum sit sub regimine Spiritus sancti, non habet locum aliqua ignorantia. Et hæc de fide sufficiant.



De Secunda Virtute THEOLOGICA SCILICET SPE.

Altera ex Virtutibus Theologicis est spes, quæ subsequitur fidem, & antecedit Charitatem, vt desumitur ex ordine, quem constituit Apostolus. 1. Ad Corynth. 13. *& Concil. Trident.* sess. 6. cap. 6. *Nomen autem Spei aliquando significat rem speratam. Ad Titum* 3. Expectamus beatam spem. *Aliquando personam, in quam speramus. Psalm.* 13. Dominus spes eius est. *Aliquando principium, quod speramus.* 1. *Ad Corynth.* 13. Manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas. *Aliquando etiam ipsum actum sperandi,* 1. *Ad Corinth.* 9. Qui arat, in spe arat fructus percipiendi. *In præsenti autem illam consideramus tanquam Virtutem Theologicam.*

DE OBIECTO SPEI.

DISPVTATIO XXXIX.

Quodnam sit obiectum Spei vt sic.

SECTIO I.

1 Spes nihil aliud est, quàm *Expectatio boni futuri*, vt definitur à Cicerone *quæst. 4. Tuscul.* & hanc definitionem approbat Diu. Augustin. *cap. 8. Enchirid.*

2 Supponendum est. Obiectum materiale debere esse aliquod bonum, quia spes est motus quidam appetitus desiderantis. Appetitus autem desiderans est determinatus, vt tendat tantum in bonum.

3 Supponendum secundò. Hoc bonum debere esse futurum respectu sperantis; quod ita debet intelligi, vt sit futurum secundum quod speratur, vt docet D. Augustinus *citatus*, vnde non est necesse, vt sit futurum quoad existentiam, quia speramus etiam ea, quæ iam existunt, sed sufficit, si sit futura possessio. Ratio est, quia spes excludit tantum fruitionem, quæ per id solum excluditur, quod non sit præsens possessio boni fruibilis.

4 Supponendum tertiò. De ratione obiecti spei esse, vt habeat annexam aliquam arduitatem. Hæc autem arduitas non est aliqua ratio obiecti, quia nec speramus ipsam arduitatem; neque est ratio mouens ad sperandum, quia potius retrahit, sed est conditio quædam per se connexa cum obiecto; fundamentum tamen talis conditionis importat aliquid pertinens ad obiectum.

5 Supponendum quartò. Obiectum spei determinari ad esse arduum ex eo, quod ipsius assequutio non dependet totaliter à nobis, sed etiam ab alterius voluntate; ex hoc enim fit, vt non possit appetitus moueri ad sperandum, nisi cum dependentia ab eo, à quo dependet assequutio.

6 Dicendum est. *Obiectum formale spei esse voluntatem illius, à quo dependet assequutio boni sperati, quatenus est ratio quædam complens bonum in ratione assequibilis*. Probatur. Ratio formalis cuiuscunque obiecti est illa, quæ facit formaliter, & proximè obiectum attingibile, sed bonum, quod in assequutione dependet ab aliena voluntate, redditur attingibile per spem ex voluntate conferendi ipsum. Ergo, minor probatur. Quia appetitus non potest efficaciter appetere quod non potest habere, nec sibi hic, & nunc est possibile, bonum autem, quod dependet ab alterius voluntate non est possibile quoad assequutionem, nisi accedat talis voluntas, ergo. Confirmatur. Si quis sibi persuadeat, adesse in aliquo voluntatem conferendi bonum, incipit sperare: è contra autem impossibile est, quod speret non præsupposita tali voluntate. Ergo talis voluntas mouet ad sperandum, atque adeò est obiectum formale.

7 Dices. Hanc voluntatem esse tantùm condicionem. Contra. Condicio non complet obiectum in ratione obiecti: ista autem voluntas complet, quia facit bonum assequibile, atque adeò possibile respectu sperantis. Secundò. Condicio non mouet ad sperandum, hæc autem voluntas, mouet.

8 Obijcitur. Ista voluntas non dicit aliquam rationem boni. Ergo non est formale obiectum. Respondetur. Non dicere specialem rationem boni assequendi, sed dicere specialem rationem bonificatiuam determinantem bonum ad specialem modum attingibilitatis; & ideò sufficit, vt sit obiectum formale.

9 Obiicitur secundò. Possibilitas non mouet voluntatem ad appetendum, sed est tantùm condicio. Ergo nec ista voluntas. Respondetur negando consequent. Quia ista voluntas constituit obiectum in ratione assequibilis; spes autem fertur in ipsum vt assequibile, quia voluntas mouetur ad sperandum non a bonitate obiecti, sed ab assequibilitate ipsius; & ideò non est tantum condicio, sed ratio determinans obiectum, vt posset tali modo attingi.

10 Ex dictis colligitur. Spem non esse præcisum desiderium efficax boni futuri, vt vult Gabriel *in 3. distinctio. 26. quæst. 5. artic. 1.* Nam desiderium est de quocunque bono non præsenti, etiam si non sit obtinendum cum dependentia ab alio. Spes autem respicit hanc dependentiam.

Quodnam sit obiectum materiale spei Theologicæ.

SECTIO II.

11 SVpponendum est. Spem Theologicam versari circa nostram beatitudinem, prout complectitur omnia quibus integratur. Ad Roman. 5. *Gloriamur in spe gloriæ secundum spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus.* Ratio est. Quia tendit in bonum supernaturale, bonum autem supernaturale hominis est beatitudo ipsius.

12 Supponendum secundò. Non solum beatitudinem, sed etiam media ad ipsam contineri sub obiecto spei. Hinc Psalm. 90. *Quoniam in me sperauit liberabo eum*, & Concil. Trident. *sess. 7. cap. 6.* definit, nos sperare à Deo veniam: vnde etiam bona naturalia, quatenus conducunt ad beatitudinem, pertinent ad obiectum spei. Difficultas autem est, an beatitudo formalis, quæ consistit in operatione, an verò beatitudo obiectiua, sit obiectum immediatum.

13 Prima Sententia asserit, Beatitudinem formalem esse obiectum immediatum, non autem ipsum Deum. Ita Durandus *in 3. distinct. 26. quæst. 2.* & nonnulli alii. Probant. Idem est obiectum spei, & desperationis; obiectum autem desperationis non est Deus, sed visio beata. Secundò. Idem est obiectum spei, & delectationis, quando obiectum est præsens. Delectatio autem in beatis est circa visionem, non circa Deum. Tertiò. Sperare Deum esset velle ipsum propter nos, quod est contra rectum ordinem. Quartò. Deus non est honestè amabilis amore concupiscentiæ. Quintò. Deus non est aliquid futurum. Ergo non est obiectum spei.

14 Secunda sententia asserit, Deum esse obiectum immediatum. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 10. art. 2. & 5.* Caietanus *ibidem*. Turrianus *disput. 6. de spe. dub. 3.* Suarez *disput. 1.* & alii.

15 Dicendum est. *Obiectum materiale spei immediatum esse ipsum Deum*. Probatur. Merces est obiectum spei. Deus est merces nostra, Genes 15. *Ego merces tua magna nimis*. Secundò. Quod Deus promisit, est obiectum spei, quia promissio est de bono, quod dependet à voluntate alterius. Deus autem se ipsum nobis promisit. Ioann. 14. *Ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*, vnde etiã Psal. 90. *Tu es Domine spes mea*. Confirmatur. Deus est summum bonum, quod solum per sui communicationem potest satiare nostrum appetitum. Ergo.

16 Dicendum secundò. *Beatitudinem formalem esse rationem, qua obiectum materiali modo completur in esse obiecti sperabilis.* Probatur. Obiectum spei debet esse aliquid absens, & futurum; ita tamen, vt possit fieri præsens. Ergo Deus non est obiectum proximè sperabile, nisi ratione beatitudinis formalis, quia respectu nostri non potest habere rationem absentiæ, & futuritionis, nisi ratione possessionis, quæ dicit beatitudinem formalem.

17 Ad primum negatur minor. Nam obiectum desperationis est Deus possidendus; & ideò est etiam obiectum spei. Ad secũdum negatur minor. Nam delectatio in Beatis est circa Deum, quia est de bono satiatiuo appetitus. Ad tertium negatur maior. Nam sperare Deum non est ipsum ordinare tanquam medium ad nos vt finem, sed est ipsum amare cum expectatione tanquam possidendum à nobis: vnde Deus est finis *qui*, nos verò finis *cui*. Ad quartum negatur assumptum. Ad quintum. Licet Deus non sit futurus secundùm existentiam; est tamen futurus quoad possessionem, & ideò sperari potest vt bonum possidendum.

Quodnam sit obiectum formale spei Theologicæ.

SECTIO III.

18 SVpponendum est tanquam certum. Spem esse virtutem distinctam a charitate, vt desumitur ex 1. Ad Corinth. 13. Et 2. Ad Timoth. 2. & ex Concilio Trident. *sessio. 6. canon. 6.* vnde cum tàm spes, quàm charitas tendat in bonum, oportet, vt illud attingant secundum diuersam rationem.

19 Prima Sententia docet, obiectum formale esse Deum vt summum bonum concupiscibile. Ita Scotus *in 3. distin. 26. quæst. 5.* Gabriel *artic. 10.* Caietanus 2. 2. *quæst. 4. art. 5.* Suarez *disput. 1. de spe. sectio. 3.* Coninch *disputat. 19. dub. 4.* & alii. Probant. Quia per hoc obiectum spei distinguitur ab obiecto charitatis.

20 Secunda sententia asserit, Deum vt bonum arduum esse formale obiectum, ratione autem arduitatis dicere, quod non sit acquisibile per facultatem naturalem. Ita Paludanus *in 3. distinct. 26. quæstion. 2.* Richard. *articul. 1. quæst. 3.* Durandus *quæst. 3.* & alii. Probant. Bonum ratione arduitatis potest terminare specialem virtutem. Ergo. Secundò. Spes est tendentia in bonum cum desiderio superandi difficultates impedientes assequutionem. Ergo.

21 Tertia Sententia vult, esse Deum, vt auxiliantem in ordine ad consequendum bonum. Ita Vasquez 1. *part. disp. 84. cap. 1.* Turrianus *disput. 60. de spe. dub. 2.* & alii ex Recentioribus. Probant. Possumus sperare à Deo solum auxilium non præ intellecta beatitudine, illud autem est obiectum formale, quod potest se solo attingi. Ergo.

Secun-

Secundò. Deus vt auxilians mouet voluntatem ad sperandum. Ergo, &c.

22 Notandum primò. Licet, quod est nobis bonum, possit mouere voluntatem ad desiderium, non tamen sufficit, vt specificet actum spei, quia spes non est purum desiderium, cum requirat bonum arduum.

23 Notandum secundò. Deum vt auxiliantem non posse specificare actum spei, Quia tale auxilium pertinet ad complementum obiecti materialis, quia non solum debet esse in se possibile, sed etiam respectu nostri, cum sit bonum nostrum: auxilium autem Dei constituit bonum possibile respectu nostri, & ideò simul cum ipso constituit obiectum materiale adęquatum.

24 Notandum tertiò, De ratione spei esse, vt dicat ordinem ad Deum, a quo dependet bonum speratum, quia spes fundatur in iudicio de assequutione boni sperati; vnde cum assequutio sit dependens ab alio, debet spes attingere bonum cum tali dependentia, atque adeo tendere in eum, à quo bonum expectatur.

25 Dicendum est. *Formale obiectum spei esse bonum vt consequendum ex Diuina voluntate, ita vt Diuina voluntas de communicando tali bono sit ratio formalis motiua spei.* Probatur. Illud est obiectum formale, quo formaliter mouemur ad sperandum: mouemur autem ex Diuina voluntate de conferendo tali bono, quia spes est motus quidam voluntatis expectatiuus boni desiderati; ideo autem expectamus, quia Deus vult ipsum communicare.

26 Dices. Voluntatem diuinam non importare aliquam rationem boni, & ideo non posse esse motiuum spei. Contra. Diuina voluntas conferendi bonum facit, vt ipsum sit bonum sperandum, qua seclusa non esset. Ergo est ratio formalis: secundo. Posito obiecto formali potentię, quę habet diuersos modos attingendi, vt specificetur nouus actus, sufficit nouus modus attingibilitatis. Ergo cum bonum sit obiectum formale voluntatis, vt attingatur speciali actu, sufficit diuersa attingibilitas; hęc autem habetur ex eo, quod bonum stet sub diuina voluntate.

27 Secundo probatur. Spes tendit in Deum vt in eum, in quem speramus, & ex hoc habet, quod sit virtus Theologica, & non speramus aliquod obiectum, nisi dependenter à Deo, quatenus assequutio ipsius dependet a Diuina voluntate. Ergo bonum, prout stat sub diuina voluntate mouet ad sperandum, quia ratione Diuinæ voluntatis nostra voluntas determinatur, vt tali modo procedat circa obiectum. Confirmatur. Firmitas Diuinę promissionis facit, vt nostra spes sit firma, Ad Hebr. 6. *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Ergo spes fundatur in promissione, vt in motiuo: si enim firma spes fundatur in firma promissione, spes vt sic fundabitur in promissione vt sic; promissio autem non est aliud nisi Diuina voluntas manifestata.

28 Ad Fundamentum 1. Sententię respondetur. Bonum concupiscibile distinguere Spem à charitate in ratione concupiscentię, non autem in ratione spei, quę minus patet, quàm concupiscentia.

29 Ad primum secundæ Sententiæ. Bonum ratione arduitatis determinare obiectum spei non formaliter, sed consequutiuè ratione fundamenti. Ad secundum. Spem esse desiderium tendens in bonum vt assequendum ex Diuina voluntate: consequutiuè autem importare desiderium superandi difficultates.

30 Ad primum tertiæ Sententiæ. Posse sperare auxilium sed cum dependentia à Dei voluntate: vnde sequitur tantùm, quod auxilium diuinum sit obiectum materiale spei seorsim à beatitudine, quia adhuc sperabitur vt obtinendum ex diuina voluntate. Deinde cum auxilium dicat essentialiter ordinem ad id, respectu cuius est auxilium, non potest sperari sine ipso. Ad secundum negatur assumptũ. Nam spes respicit Deum vt auxiliantem tanquàm obiectum materiale: vnde voluntas non mouetur ad sperandum ex eo, quod Deus velit auxiliari, sed ex eo, quod velit conferre bonum.

31 Ex dictis colligitur. Fidem esse fundamentum spei non solum respectu obiecti materialis, dum proponit, quæ Deus promisit, sed etiam respectu formalis, quatenus proponit diuinam voluntatem, seu promissionem, quæ cum sit infallibilis, mouet nos ad firmiter sperandum.

DE CHARITATE Tertia Virtute THEOLOGICA.

TErtia Virtus Theologica est charitas. *Habet autem hoc nomen varias significationes. Primò enim significat humanam amicitiam, 2. Machab.* 14. Alcimus ridens charitatem illorum. *Secundò. Significat actum, quo diligimus. Hieremia* 31. In charitate perpetua dilexi te. *Tertiò, Ipsum obiectum diligibile* 1. *Ioannis* 14. Deus charitas est. *Quartò. Habitum seu principium actus charitatis* 1. *Ad Corynth.* 13. Nunc manent tria hæc Fides, Spes, Charitas. *In præsenti autem sumitur, prout est habitus supernaturalis eleuans creaturas ad amandum.*

DE OBIECTO Charitatis.

DISPVTATIO XL.

Quodnam sit obiectum adæquatum, & formale Charitatis.

SECTIO I.

1 SVpponendum tanquam certum; Deum esse primarium obiectum charitatis, vt supponit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap.* 17. Et ratio est quia Deus est obiectum superexcedens naturalem facultatem, vnde cum charitas eleuet voluntatem ad illud, quod naturaliter non potest, oportet, vt respiciat Deum vt obiectum primarium.

2 Supponendum secundò. Tanquam certum de fide. Etiam proximum pertinere ad obiectũ charitatis, 1. Io. 4. *Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Ratio est. Quia perfectus amor erga alterum non solum tendit in ipsum, sed etiam in ea, quæ quocunque modo ad illum pertinent. Amor autem Charitatis est perfectus, & proximus pertinet ad Deum.

3 Supponendum tertio. Nomine proximi intelligi rationalem creaturam, vt docet Augustinus, *cap. 23. de doctrina Christiana.* Ratio est. Quia creatura rationalis est apta participare simul cum alia in eadem beatitudine,

ex quo consurgit approximatio, qua omnes vniuntur in eodem vltimo fine,

4 Supponendum quartò. Peccatores quoque, quamdiu sunt in hac vita, esse diligendos ex charitate, cum sint capaces beatitudinis, damnati verò non pertinent ad obiectum charitatis, quia non habent amplius ordinem ad vltimum finem tanquam beatificandi. Eadem autem ratio est de reprobis, quatenus tales sunt; vnde si de aliquo per reuelationem certò constaret, quod esset damnandus, non posset amari ex charitate,

5 Supponendum quintò. Hominem secundum corpus esse obiectum charitatis, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 25. *artic.* 5. Quia corpus est pars illius naturæ, quæ ordinatur ad beatitudinem.

6 Supponendum sextò. Bona supernaturalia esse obiectum charitatis, quia sunt media, quæ conferunt ad bonum, quod in proximo diligimus; vnde possunt amari ex motiuo charitatis.

7 Supponendum septimò. Res omnes posse aliquo modo pertinere ad obiectum charitatis, quatenus pertinent ad eos, quos ex charitate diligimus, & conferunt ad beatitudinem.

8 Dicendum est. *Obiectum formale charitatis esse Diuinam bonitatem cognitam lumine supernaturali vt in se, & propter se amabilem.* Ita communiter cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 17. *artic.* 6. Probatur. Talis Bonitas specificat amorem supernaturalem contradistinctum ab amore concupiscentię, quę tendit in bonum, vt est conueniens concupiscenti, ergo specificat charitatem, cum dicat nouum motiuum supernaturale amandi Deum. 2. Deus vt vltimus finis supernaturalis dicit specialem rationem bonitatis nempe illam, ad quam se mouet homo, vt constitutus in statu supernaturali. Ergo vt talis est speciale obiectum amoris, quia vt talis est propter se diligibilis, & debent omnia ad ipsum ordinari. Tertiò. Ex vi cognitionis supernaturalis attingitur Deus secundum specialem coniunctionem, quam habet vobiscum. Ergo vt talis specificat specialem actum amoris. Antecedens probatur. Quia attingitur quatenus coniungitur nobiscum supernaturali modo per bona gratiæ, & quatenus est nostrum beatificatiuum. Consequentia probatur. Quia ex hoc fit, quod attingamus in Deo specialem excellentiam, ratione cuius Deus est propter se amabilis.

9 Dices, Bonitas Diuina vt propter se amabilis specificat amorem, quo Deus naturaliter amatur. Ergo non potest specificare charitatem. Respondetur; Bonitatem Diuinam vt notam lumine naturæ specificari, quæ per lumen supernaturale manifestatur, quæ est ratio vltimi finis beatificatiui.

10 Dices secundò. Amare Deum propter beneficia accepta est actus charitatis, & tamen motiuum non est bonitas Dei. Ergo. Respondetur negando antecedens. Nam beneficium est motiuum remotum, quatenus excitat ad cogitandum de Diuina bonitate, de qua intellectus cogitans proponit illam vt propter se amabilem; vnde amare propter beneficia immediatę non est actus charitatis.

11 Dices tertiò. Deus diligitur ex charitate, vt est fons iustitiæ ex Concilio Triden. *sessi.* 6. *cap.* 6. Et hæc dilectio est dispositio ad iustificationem. Ergo diligitur vt est bonus nobis, non autem propter se. Respondetur. Diligi vt obiectum materiale, quia charitas potest attingere diuersas perfectiones in Deo tanquam obiectum materiale; & ideò quando amatur vt fons iustitiæ, talis perfectio se habet vt obiectum materiale, quod amatur ex formali motiuo.

Quomodo proximus ametur ex charitate.

SECTIO II.

12 Ratio dubitandi est. Quia Deus, & creatura diuersis virtutibus adorantur, videlicet Latria, & Dulia. Ergo etiam diliguntur diuersis charitatibus. Quia sicuti excellentia creata, & increata constituunt diuersum obiectum adorationis ita, etiā diuersum obiectū dilectionis.

Prima Sententia docet, dari duplicem actum charitatis supernaturalem; alterum quo Deus amatur propter suam excellentiam; & alterum quo amatur proximus ratione suæ excellentię, atque adeò dari etiam duplicem habitum, ita Vasquez. 3. *par. tom.* 1. *disput.* 98. *cap.* 2. Turrianus 2. 2. *disput.* 75. *dub.* 1. & alij. Probant. Vnius virtutis est tantum vnum motiuum. Ergo cum bonitas increata, & creata sint diuersa motiua, quia dicunt diuersam excellentiam, specificabunt diuersas virtutes. Secundò. Amor naturalis Dei & proximi pertinent ad diuersas virtutes. Ergo etiam supernaturalis. Tertiò. Actus, quo diligitur medium propter propriam bonitatem, & quo diligitur propter finem, pertinent ad diuersas virtutes; Ergo, & amor Dei & proximi. Quartò. Assensus conclusionis, & principij pertinent ad diuersos habitus ratione diuersæ veritatis. Ergo proximus, & Deus ratione diuersæ bonitatis.

13 Secunda Sententia vult, vtrumque actum esse ab eodem habitu charitatis, ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 23. *artic.* 5. *ad* 1. Caietanus *quæst.* 25. *artic.* 1. Bannes, & Arragonius *ibidem*. Suarez *disput.* 1. *de charitate. sect.* 3.

14 Dico primò. *Proximum esse amandum ex charitate Theologica, quatenus substernitur diuinæ bonitati propter se diligibili.* Probatur. Proximus dicit habitudinem ad Deum, quatenus pertinet ad bonum ipsius, videlicet ad gloriam, & quatenus participat bonitatem ipsius, quo ad esse supernaturale. Ergo potest terminare vt obiectum materiale secundarium actum charitatis, quia Diuina bonitas vt propter se amabilis substernit sibi, quicquid pertinet ad bonum Dei. Omnis autem virtus potest attingere quicquid substernitur suo obiecto formali. Confirmatur. Quando medium attingitur propter finem, attingitur eadem virtute, qua finis, ergo etiam quando proximus amatur propter Deum, eadem charitate amatur.

15 Dico secundò. *Præter habitum charitatis Theologicæ non datur alius habitus charitatis infusæ, qui respiciat proximum.* Probatur. Vel iste habitus haberet motiuum supernaturale; vel non. Si primum ergo est Deus, quia motiuum amoris amicitiæ est persona, & præter Deum nulla datur persona supernaturalis. Si secundum; ergo non est supernaturalis.

16 Ad Rationem dubitandi conceditur totum, quia actus quo amatur proximus propter se ipsum, non est actus charitatis Theologicæ, sed naturalis, & hoc pacto est diuersus ab eo, quo amamus Deum.

17 Instabis. Præter virtutem Latriæ datur etiam virtus supernaturalis Duliæ, ergo etiam supernaturalis charitas tendens in proximum. Respondetur. Esse disparem rationem. Quia Dulia habet aliquid in creatura supernaturale, quo terminetur, videlicet supernaturalem excellentiam. Charitas verò non habet, quia bona supernaturalia, vt sunt bona personæ amatæ, amantur ratione personæ, vt verò coniungunt Deo, amantur charitate Theologica, quia per ipsam proximus fit amabilis, vt coniunctus Deo.

18 Ad primum. Conceditur, bonitatem creatæ personæ specificare charitatem naturalem, quæ est diuersa à supernaturali, vt patet ex dictis. Ad secundum negatur paritas. Quia charitas infusa non habet motiuum supernaturale ex parte proximi, sicut habet charitas naturalis. Ad tertium negatur consequens. Quia in medio attingitur ratio specificatiua diuersæ virtutis; in proximo autem non est specificatiuum charitatis supernaturalis; vnde distinguitur consequens. Proximus pertinet ad diuersum habitum secundùm suam bonitatem naturalem propter se amabilem; non autem vt amabilis ratione Dei.

DE HABITV, ET ACTV charitatis.

DISPVTATIO XXXXI.

An charitas sit aliquid inhærens in anima.

SECTIO I.

1 MAgister *in 1. distinct.* 17. docet, charitatem non esse aliquid reale inhærens in nobis, sed esse ipsum Spiritum sanctum, quatenus facit, vt Deũ amemus.

2 Dicendum est. *Charitatem esse habitum creatum infusum actu.* Ita communiter; & oppositum censetur erroneum. Desumitur ex Concilio Tridenti. *sess. 6: cap.* 7. Per *Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret*, & ex Concilio Vrenensi, vt habetur in Clementina *vnica*, de *summa Trinitate*, vbi approbatur sententia docens, tàm paruulis, quàm adultis infundi informantem gratiam, & virtutes, nempe Fidem, spem, & charitatem. Probatur 1. Ad Corynth. 13. *Nunc autem manent tria hæc fides, spes, charitas.* Ergo charitas per Apostolum est donum creatũ. Confirmatur. Charitas habet esse magis, & minus perfectum ita vt sit capax intensionis. Ad Philip. 1. *Vt charitas vestra magis, ac magis abundet.* Ergo est aliquid creatũ inhærẽs.

3 Dicendum secundò. *Charitatem esse omniũ virtutum perfectissimam.* Ita communiter Patres, Aug. *l.* 15. *de Ciuitate Dei. c.* 18. Ambrosius *Epistola* 74. Leo. Papa *sermone de S. Laurent.* contra Lutheranos, qui præferunt fidem eo, quod in scriptura tribuuntur ipsi plures effectus, sed tribuuntur tantùm radicaliter, vt explicat Conc. Trid. *sess. 6. c.* 8. Probatur 1. Ad Corynth. 13. *Maior autẽ horum est charitas.* Et Ratio est. Quia attingit Deum nobiliori modo, & nos ipsi coniungit vt summo bono, & est radix omnium virtutum moralium 1. Ad Corynth. 13. *Charitas patiens est, benigna est, &c.*

4 Obijcitur 1. Ioannis 4. *Deus charitas est*, & Augustin. *lib.* 15. *de Trinitat. cap.* 17. ait, Deum dici charitatem, sicut dicitur Spiritus, non autem sicuti dicitur spes nostra, aut patientia nostra. Respondetur. Dici charitatem, quia formaliter est ipse amor per essentiam; non autem quia sit charitas nostra, qua diligimus. Vnde idem August. *ca.* 32. *de Spiritu, & litera.* ait. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos.*

5 Obijcitur secundò. Ex D. August. *lib.* 8. *de Trinitate. cap.* 7. & 8. vbi habet. Fraternam dilectionem, qua diligimus, non solum esse ex Deo, sed etiam esse Deum. Resp. Quòd sicut Deus est charitas per essentiam, ita charitas, qua nos amamus, est participatio huius charitatis, & dicitur ab Augustino esse ipsum Deum, nempe participatiuè, vt explicat D. Th. 2. 2. *quæ.* 23. *ar.* 2. *ad* 1. Hinc etiam, quia gratia est participatio Diuinæ naturæ, homines habentes gratiam Dij dicuntur Psalm. 81. *Ego dixi Dij estis.*

6 Obijcitur tertiò. Charitas habet effectum infinitum, quia delet peccata, & nos Deo coniungit; effectus autem infinitus non potest prouenire à creatura. Respondetur. Esse tantum infinitum terminatiuè; non autem in se, & ideò potest esse à forma finita.

An actus, quo amatur proximus propter Deum, sit diuersæ rationis ab eo, quo amatur Deus propter se.

SECTIO II.

7 PRima Sententia asserit, esse substantialiter diuersũ, & inferioris ordinis, licet fortasse non differat specie, ita Coninch *disp.* 24. *de charitate. dub.* 5. Prob. Amor Dei, & amor proximi propter Deum se habent, sicut intentio finis, & electio medij, quæ differunt specie. Ergo. Secundò. Amor Dei in se habet pro obiecto formali bonitatem Dei, & Amor proximi bonitatem ipsius, vt est vtilis ad gloriam Dei. Ergo. Tertiò. Amor Dei est super omnia. Amor verò proximi non est super omnia. Ergo. Quartò. Amor Dei est appretiatiuè melior, quàm amor proximi. Ergo. Quintò. Excellentiori cultu honoramus Deum in se, quàm in suis sanctis. Ergo etiam amamus Excellentiori charitate.

8 Secunda Sententia asserit, hos actus differre tanquam species incõpletas, seu qualitates heterogeneas, quę possint componere eandem qualitatem, ita Suarez *disp.* 2. *de charitat. sectio.* 2. Probat. Obiecta sunt diuersa, & possunt attingi vnico actu, sicut potest attingi eodem actu medium, & finis. Ergo se habent, vt qualitates heterogeneæ.

9 Tertia Sententia asserit, esse eiusdem speciei. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 1. & alij.

10 Dico primò. *Actus charitatis, quo amatur Deus propter se, & quo amatur proximus propter Deum, non differunt specie incõpleta, vt partes integrantes eundem actũ.* Probatur. Actus qui seorsim elicitur, est in specie cõpleta, quia specificatur ex suo motiuo formali. Ergo non potest se habere vt species in cõpleta, cũ habeat suam adæquatam differentiã, hi autẽ actus possunt seorsim elici.

11 Dico secundò. *Hos actus non differre specie differentia formali.* Probatur. Quia versantur circa idem obiectum formale, & ab eodem motiuo specificantur.

12 Dico tertiò. *Hos actus differre differentia essentiali materiali.* Prob. Sunt actus differunt essentialiter materialiter, quando differunt ratione obiecti materialis, vt visio albi, & visio nigri. Hi autem actus habent diuersum obiectum materiale, nam vnus attingit solum Deum, alter Deum simul cum proximo.

13 Ad primũ. Primæ Sententiæ negatur assumptum. Nã electio mediorum differt ab intentione finis, quia electio attingit medium seorsim à fine; quando verò proximus amatur propter Deum, non amatur seorsim à Deo, sed vt quid ipsius Dei, & eodem actu. Ad 2. negatur assumptum. Nam licet habeant diuersa obiecta materialia, non tamen formalia: nam sunt ex eodem motiuo. Ad 3. Negatur antecedens. Nã ille quoque amor, quo amatur proximus propter, Deũ est super omnia, quia est etiam amor ipsius Dei. Ad 4. Negatur assumptum. Nam quando amamus propter Deum bonitatem a proximo participatam, principaliter amatur Deus, vnde amor appretiatiuè est maximus. Ad 5. Eodem cultu honorari Deum in se, & in suis sanctis, quãdo honorantur sancti ex eodem motiuo, quo honoratur Deus, quando verò honorantur ratione proprię excellentiæ, honorantur cultu inferiori. Proximus autem amatur charitate ex eodem motiuo, quo amatur Deus.

14 Ad Fundamentum secundę sententię. Obiecta esse diuersa materialiter; non formaliter. Vnde etiam actus sunt materialiter diuersi, non autem partes heterogeneæ vnius actus.

An charitas habeat rationem amicitiæ.

SECTIO III.

15 RAtio dubitandi est. Quia amicitia 8. *Eth. c.* 6. debet esse inter æquales. Deus autem non est ęqualis nobis. 2. De ratione amicitię est, vt amor sit notus vtrique, nobis autem non constat, an Deus nos amet.

16 Communis sententia docet, habere rationem amicitiæ. ita D. Thomas 2. 2. *quæst*. 23. *artic*. 1. Caietanus, Aragon. *ibidem*. Suarez *disp*. 3. *de charit. sectio*. 2. Turrianus *disp*. 66. *dub*. 2. Coninch *disp*. 21. *dub*. 3. & alij.

17 Notandum primò. Amicitiam fundari in amore, quo aliqui se inuicem diligunt, hic autem amor non debet esse concupiscentiæ, sed beneuolentiæ, vt docet Aristoteles 8. *Ethicor. cap*. 2. Quia per amorem concupiscentiæ non amamus amicum, sed nos ipsos.

18 Notandum secundò. Hunc amorem debere esse mutuũ & debere fundari in electione concepta per rationem, & iudicium; quia amicitia est virtus, & ideò debet esse amor prudens; non potest autem esse prudens, nisi præcedat electio, vt docet Aristoteles 8. *Ethicor. cap*. 5.

19 Notãdũ tertiò. Hũc amorẽ debere esse honestũ, vt docet Arist. citatus c. 4. Quia virtus respicit solã honestatẽ.

20 Notandum quarto. De ratione amicitiæ esse, vt fundetur in aliqua communione bonorũ, in quibus vterque amicus participet, vt docet Arist. *cap*. 9. quia amicitia est quædã coniũctio amoris quæ debet habere suũ fundamẽtum obiectiuum; hoc autem fundamentum est ipsũ bonũ.

21 Notãdum quintò. Aequalitatẽ, quã requirit amicitia non debere esse in essendo; sed secũdũ fundamentum, cui amor innititur, nec debet esse æqualitas arithmetica, sed proportionalis, ita vt idem sit fundamẽtũ amoris proportionaliter in vtroque, vt desumitur ex Aristotele *cap*. 7.

22 Notandum sextò. De ratione amicitiæ esse, vt amor mutuus non lateat, sed aliquo pacto innotescat, vt docet Aristoteles *cap*. 2. Quia amor amicitiæ debet tendere in amicum vt mutuò redamantem.

23 Notandum septimò. Duplicem dari amicitiam, aliam æqualitatis, quæ est inter personas æquales, & aliam supereminentem, in qua vnus supereminet alteri, vt docet Aristoteles, *cap*. 7. Hæc autem amicitia non excludit subiectionem, nec fundatur in eodem fundamento ex parte vtriusq; amici, sed in diuerso, vnde potest esse inter patrem, & filium, seruum, & Dominum.

24 Notandum octauò. De ratione huius amicitiæ esse, vt vnus velit alteri bona proportionata statui ipsius, quia bonum, quod desideratur, debet esse congruum personæ amatæ, vt docet Aristoteles *cap*. 7.

25 Dico primò. *Inter Deum, & hominem adesse amicitiam ratione charitatis*. Probatur. Psalm. 39. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*. Ioannis 15. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*.

26 Dico secundò. *Hanc Amicitiam esse supereminentiæ*. Prob. Deus longè supereminet creaturis, & amor habet diuersum fundamentum ex parte Dei, & hominis. Ergo.

27 Dico tertiò. *Ex parte hominis adesse omnes conditiones necessarias pro amicitia*. Prob. Amat Deum propter se, & Deus redamat ipsum, & hic amor nititur cõmunione alicuius boni, nempe participatione Diuinæ naturę ratione gratiæ, vnde 2. Petri 1. *Vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*. Rursus iustus habet aliqualem notitiam, quod ametur à Deo. Ad Roman. 8. *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filij Dei sumus*. Denique adest coniunctio, quæ causatur ex amicitia. 1. Ad Corynt. 6. *Qui adhæret Deo, vnus Spiritus est*.

28 Dico 4. *Ex parte Dei interuenire effectus amicitiæ*. Erga nos. Prob. Quia vult bonũ cõgruũ nobis, & cõmunicat se ipsũ fruendum, vnde interuenit fructus amicitiæ.

29 Dico quintò. *Ex parte Dei deesse cõditionem necessariam ad amicitiam strictè sumptam, videlicet, quod amor sit propter ipsum amatum*. Probatur. Deus non potest nos amare propter nos ipsos, sed amat propter se ipsum, quia nos amat vt aliquid suum. Ergo.

30 Dices. Amorem beneuolentiæ posse consistere, etiam si res amata ordinetur ad aliud, quia adhuc volumus bonũ rei amatæ. Contra. Aliud est, quòd res amata ordinetur ad aliud, & aliud, quod amor, quo amatur reciprocetur in amantem. Hoc secundum, excludit amicitiam, quia facit, vt res amata non ametur propter se, sed propter ipsum amãtem. Amor autẽ Dei erga nos reciprocatur in ipsum, quia omnia vult, & operatur propter se ipsum. Prouerb. 16.

31 Dices 2. Creaturam amari à Deo vt finem sub fine, atque adeò propter se. Contra. Ex hoc tãtum sequitur, quod Deus velit creaturam vt finem respectu alterius naturę; nõ autem, quod non moueatur à se ipso, ad illã amãdã. Ergo.

32 Dices 3. Actum, quo Deus vult nobis bonum, esse virtualiter distinctum ab eo, quo refert tale bonum ad gloriam suam. Contra. Hoc bonum non est volibile, nisi vt mediũ ordinatũ ad se ipsũ. Ergo. 2. Actus, quo vult nobis bonum, habet pro motiuo propriam gloriam. Ergo. 3. Sequeretur, quod amaret nos propter nos, quod implicat.

33 Dices 4. In amicitia excellentiæ non esse paria poscenda; vnde potest Deus exigere, vt nos eum diligamus propter se ipsũ; & ipse nos diligere, nõ propter nos ipsos, sed propter se, quia amor amicitię, cũ sit ordinatus, petit vt solus vltimus finis propter se ipsum ametur. Cõtra. Ex eo, quod Deus potest hoc exigere, sequitur, vt ex parte ipsius non sit propriè amicitia; quia non potest nos amare propter nos ipsos, quod requiritur essentialiter ad amicitiam.

Ad Rationes dubitandi patet ex dictis.

DE VALORE, ET MERITO HVMANArum operationum supernaturalium.

DISPVTATIO XXXXII.

1 HAbent operationes supernaturales suas proprietates, quorũ pręcipua est, quòd sint meritoriæ in ordine ad finem supernaturalem, seu vitam æternam. Cum enim homo sit ordinatus ad finem supernaturalem, ad quẽ se promouere debet per suas operationes, habet etiam in statu supernaturali velut in radice, ad quem est eleuatus, quod possit promereri acquisitionem eiusdem finis, & facere eum sibi debitum. Duplici autem modo promereri potest. Vel de congruo, & nunc meritum non habet locum in ordine ad talem finem; siquidem tale meritum reperitur etiã in homine nondũ reparato, & restituto supernaturalẽ. Vel de condigno, quod importat propriam rationẽ meriti, & fundat ius in ordine ad id, quod merito correspondet. Vtraque autem ratio meriti modo explicabitur.

An homo mereatur de condigno apud Deum.

SECTIO I.

2 MEritum sumitur in præsenti in bonam partem, prout est proprietas quędam operationis moralis in ordine ad retributionem: est autem duplex de condigno, & de congruo. Primum est illud, quod respicit retributionẽ sub ratione retributionis, atque adeò fundat aliquod ius. Secundum verò importat solum aliquam decentiam. Difficultas autem est. An homo possit acquirere meritum de condigno apud Deum. Negant hęretici Luterus, Caluinus, & sequaces: Ex Catholicis verò aliqui volunt nos mereri propriè de condigno, sed solum largè ex quadam acceptatione, & ordinatione diuina. Ita Durandus *in* 2. *dist*. 27. *q*. 2. Valdensis *to*. 3. *de Sacramentalibus. c*. 7.

3 Probant. Non sufficit, quod opera fiant ex gratia, vt habeant cõdignitatem proportionis, ergo. Antec. probatur. Quia spiritus sãctus est extrinsecus motor, & ideo nõ potest ab ipso sumi cõdignitas, 2. Meritũ de cõdigno est illud, cui non potest merces denegari, nisi cũ iniustitia; hoc autẽ non potest habere locum apud Deũ, quia non potest obligari ex iustitia, & quia quidquid habet homo, est sub dominio ipsius. 3. Meritũ de condigno debet esse in obiectũ vtile remunerãtis; quidquid autẽ homo facit, nõ potest cedere in vtile obsequiũ Dei. Iob. 35. *Si iuste egerit, quid donabis ei*. Cõf. Quidquid possumus exhibere Deo, est ipsi debitũ ex pluribus titulis, ergo nõ pôt esse meritoriũ.

4 Dico 1. *Homo potest mereri propriè apud Deũ, quãdo operatur ex gratia*. Est de fide ex Cõc. Arausi. *can*. 18. Lateranensi, vt refertur in cap. *Firmiter de summa Trinitate*. Florentino *in litteris vnionis*. Tridentino *c*. 16. *& can*.

22. &

22. & traditur communiter à Patribus. Probatur. Vita æterna est merces debita nostris operibus. Genesis 9. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Sapientiæ 5. *Apud dominum merces eorum*. Matthæi 5. *Merces vestra copiosa est in Cælo*; mercedi autem debet correspondere meritum propriè seruans condignitatem proportionis. Ad Rom. 8. *Ei, qui operatur Merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*.

5 Respondet Caluinus. Vitam æternam dici figuratè mercedem, quia, cum sit hæreditas, non potest esse propriè merces. Contra. Ita Scriptura docet, vitam æternam esse hæreditatem, vt etiam doceat dari intuitu bonorum operum, Matthæi 24. *Possidete paratum vobis regnum; esuriui enim, & de distis mihi manducare*, &c. & secundum mensuram operationum prima Corynthiorū 3. *Vnusquisque mercedem accipiet secundum* laborem suum, ergo est etiam propriè merces.

6 Respondet melancton esse mercedem, non quia sit debita operi, sed quia est debita promissioni diuinæ. Contra. Debitum ratione promissionis non constituit mercedem; Deinde quod est debitum ex pacto sub conditione laboris, est merces debita ex iustitia. ergo

7 Dico secundò. *Meritum de condigno fundat rationem iuris, & iustitiæ eo modo, quo potest esse inter hominem, & Deum*. Probatur. Ad Hebræos 6. *Nō est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri*. 2. ad Timotheum 4. *Superest mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex* 1. Corinthiorum 9. *Certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex*, ergo meritum fundat iustitiam. Ratio est. Quia operationes hominis iusti cum debitis conditionibus sunt ex natura sua promouentes hominem ad assequutionem finis, & habent proportionatam correspondentiam cum gratia habituali respectu eiusdem finis, ergo important condignitatem.

8 Ad primum negatur assumptum. Quia licet Spiritus Sanctus sit extrinsecus motos, gratia tamen est intrinseca homini, & proinde tribuit dignitatem operibus. Ad secūdum negatur minor, si loquamur de iustitia imperfecta, & non rigorosa, quæ potest esse inter Deum, & hominem. Ad tertium negatur assumptum. Quia sufficit, quod meritum sit in obsequium honorificum, & sit obiectum complacentiæ respectu remuneratoris; talia autem sunt opera iustorum respectu Dei; Ad confirmationem. Ex eo, quod opera iusti sint debita ex alijs titulis, sequitur solum, quod non interueniat debitum iustitiæ in Deo rigorosè dictum.

9 Obijciunt heretici: Scriptura damnat confidentes in proprijs operibus. Ad Hebræos 4. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. Respondetur. Loqui de operibus ex viribus naturæ, & eodem modo intelligenda sunt alia similia loca, & Patres.

10 Obijciunt secundò. Vita æterna datur ex Misericordia Matthæi 5. *Beati Misericordes quoniam*, &c. Respondetur. Esse misericordiam in radice, quatenus gratia, quæ tribuitur in ordine ad meritum, est misericordia.

11 Obijciunt tertiò Lucæ 7. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus*. Resp. Nos esse seruos inutiles, nō quia nō mereamur de cōdigno, sed quia nulla vtilitas prouenit Deo ex nostris operibus.

12 Obijciunt quartò. Ad Romanos 4. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, ergo*. Respond. Non esse condignas condignitate æqualitatis; esse tamen condignas condignitate proportionis, quia nimirum præmium excedit meritum.

13 Obijciūt quintò. Christus meruit nobis vitam æternam, ergo non meremur ex proprijs operibus, alioquin Christi meritum non esset sufficiens. Resp. negando consequentiam. Quia Christus meruit nobis gloriam sub ea conditione, quod etiam daretur ex meritis nostris; ex quo fit, quod etiam meruerit nobis ipsa merita, & sic amplificatur meritum Christi.

Quæ conditiones requirantur ad meritum de condigno.

SECTIO II.

14 Dico primò. *Ad meritum de condigno requiritur actus positiuus*. Ita communiter cum D. Tho. 1. 2. *quæst. 95. art. 5. Ad primum* contra nonnullos Recētiores, qui volunt, voluntarium absque omni actu posse esse meritorium. Probatur. Meritum est donum Dei, vt definiunt Concilium Arausicanum, Tridentinum, & communiter Patres, & debet esse ex gratia præueniente, vt definit idem Concilium Tridentinū *sess. 6. can. 16.* & Arausicanum *can. 9.* ergo debet esse actus positiuus, quia gratia mouet ad actum positiuum.

15 Dico secundò. *Meritum debet esse liberè exercitū*. Probatur 1. Corinthiorum 9. *Si volens ago, mercedem habeo*; etenim proprium est rationalis creaturæ, & ideo debet fundari in proprio modo operandi ipsius.

16 Dico tertiò. *Actus meritorius debet esse bonus*. Probatur. 1. Corinthiorum 5. *Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in domino*; & secunda Corinthiorum 5. *Vt referat vnusquisque, prout gessit siue* bonum, siue malum, & ita definitur in Trid. *sess. 6. can.* 18. 26. 31. *&* 32. Ratio autem est. Quia meritum debet esse in obsequium Dei, quod non potest conuenire operi malo.

17 Dico quartò. *Vt actus sit meritorius, debet esse ex auxilio gratiæ*. Probatur ex Tridentino *sess. 6. capit. 16.* Omne opus bonum, quod est in ordine ad salutem, debet esse ex gratia, quia debet esse ordinatum ad finem supernaturalem; meritum autem est in ordine ad salutem.

18 Dico quintò. *Ad meritum de condigno est necessarius status gratiæ, seu quod homo sit iustus*. Probatur. Opus inimici non potest placere Deo, vnde Prouērbiorum 15. *Victimæ impiorum abbominabiles Domino*, ergo cum meritum debeat Deo placere, debet prouenire ab homine grato; vndè Tridentinum *sess. 6. c. 16.* docet, quod iustificatis proponenda est vita æterna tanquam merces reddenda operibus ipsorum.

19 Dico sextò. *Nec de potentia absoluta potest homo habere meritum de condigno, si homo sit in statu peccati*. Probatur. Implicat hominem habere ius ad vitam æternam, & non habere, sed esse indignum ipsa; si autem in statu peccati posset mereri de condigno haberet ius, quia mereretur, & non haberet, sed esset indignus, quia esset peccator. ergo

20 Dico septimò. Ad meritum requiritur status viatoris. Ita communiter cum Diuo Thoma 3. *part. quæst.* 19. *art.* 3. Probatur. Ad Galatas 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Ratio est. Quia opus meritorium est meritum ordinatum ad assequendum præmium; vnde importat moralem tendentiam in finem, atque adeo statum viæ respectu eiusdem finis.

An ad meritum de condigno requiratur acceptatio Dei in ordine ad præmium.

SECTIO III.

21 PRima sententia est affirmatiua, ita vt seclusa tali acceptatione opus bonum nullam habeat condignitatem. Ita Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 1.* Ocham. *quæst. 2.* Ariminensis *quæst. 1. art. 2.* Gabriel *quæst. 4. art. 3.* Durandus *quæst. 2. num. 13.* & communiter Scotistæ. Probant. Opera de se non sunt proportionata præmio infinito, vt est, Beatitudo, ergo debent fieri talia ex Dei acceptatione. Secundo. Nisi esset necessaria talis acceptatio, non interueniret, quia Deus disponit res secundum ipsarum exigentiam; interuenit autem; vnde Tridentinum, *sess. 6. cap. 16.* docet, Deum voluisse, esse merita nostra, quæ sunt bona ipsius. Confirmatur. Talis determinatio est

necess-

necessaria ad determinandum tempus, & statum merendi, & præmium, cum ex natura sua non sint determinata. ergo

22 Secunda sententia asserit, opera bona ex natura sua habere aliquam condignitatem; requiri autem acceptationem diuinam, vt ordinentur ad præmium. Ita Suarez *lib. 12. de gratia cap. 17.* Lorca 1. 2. *disput. 43. de gratia*, & alij Recentiores.

23 Tertia sententia est absolutè negatiua. Ita D. Bonauentura *in 2. dist. 16. art. 2. quæst. 3.* Richardus *ibidem*. Capreolus *quæst. 1. art. 3.* Caietanus 1. 2. *quæst. 114. art. 3.* Medina *ibidem* Vasquez *disput. 214. cap. 4.* Turrianus *disp. 1. de merito.* Coninch. *disp. 8. de actibus supernaturalibus dub. 3.* & alij.

24 Dicendum est. *Supposita institutione status gratiæ actus bonos iustorum esse ex natura sua meritorios de cõdigno seclusa extrinseca Dei acceptatione*. Probatur. Ex natura sua dicunt intrinsecam habitudinem ad vitam æternam, & ad finem supernaturalem, ergo non est necessaria acceptatio. Antecedens patet. Tum quia cum homo sit ordinatus ad finem supernaturalem assequendum, & hi actus sint ex Regula fidei respicientes talem finem, sunt ex natura sua directi ad ipsum, atque adeo habent intrinsecum ordinem ad eum obtinendum. Tum quia ex natura sua actus morales tendunt ad assequendum finem, atque adeo actus supernaturales hominis constituti in statu supernaturali tendent ad assequendum finem supernaturalem. Tum quia dicunt proportionaliter ab intrinseco in actu secundo, quod dicit gratia habitualis in actu primo, gratia autem habitualis habet intrinsecam exigentiam finis supernaturalis. Tum quia aut sunt actus Charitatis, aut procedunt imperatiuè ex ipsa: Charitas autem ex natura sua est vnitiua amantis cum obiecto amato, et intrinsecè ordinatur ad fruitionem ipsius.

25 Ad primum negatur assumptum, si loquamur de proportione non æqualitatis, sed connaturalitatis, quia licet præmium sit in se infinitum, communicatur tamen finito modo. Ad secundum negatur minor, & ad probationem. Trid. docere, quod Deus voluit, quod dona sua sint merita nostra, quia per gratiam facit, vt habeamus illa opera, quæ de se sunt meritoria. Ad confirmationem negatur assumptum. Quia pro determinando præmio, & statu merendi sufficit institutio status supernaturalis, ratione cuius homo destinatur ad finem supernaturalem, atque adeo ex natura rei habet operari propter assequutionem ipsius.

26 Obijcies. Relatio inter præmium, & meritum requirit proximum fundamentum, hoc autem non potest esse aliud, nisi ordinatio meriti ad præmium. Respond. negando minorem. Quia proximum fundamentum est valor moralis operis, qui consurgit ex intrinseca natura operationis.

An, vt præmium sit debitum, requiratur peccatum Dei.

SECTIO IV.

27 Dicendum est. *Vt præmium vitæ æternæ sit debitum ex operibus supposita institutione status gratiæ, non est necessaria alia promissio, sed fit debitum ex natura rei, & Deus debitor ex vi talis institutionis.* Ita Auctores tertiæ sententiæ sectionis præcedentis contra Auctores primæ sententiæ. Probatur. Quando vnum ex natura rei sequitur ex alio, quando Deus vult antecedens, vult etiam consequens eodem actu saltem virtualiter, vnde volens finem vult etiam media, & econtra, sed eo ipso, quod Deus instituit statum gratiæ, & præfixit homini finem supernaturalem, & disposuit auxilia ad ipsum obtinendum, talis finis fit debitus tali statui vt assequendus per ipsa opera tanquam per media, ergo absque alia parte Deus fit debitor ex vi talis institutionis. Confirmatur. Si esset necessarium pactum, ita vt sine ipso Deus non teneretur dare præmium, posset non dare absque eo, quod esset sibi ipsi contrarius, sed si non daret, esset sibi contrarius, quia nollet, quod voluit in institutione status supernaturalis, ergo

28 Obijc. Deus non potest obligari ex iustitia, nisi ex sua liberali promissione, vt habet etiam Concilium Senonense *in decretis fidei cap. 16.* ergo. Respondetur. Non posse obligari nisi ex promissione vel formali, vel virtuali; in casu autem nostro adest promissio virtualis facta in institutione status supernaturalis, & hæc promissio virtualis sufficit ad constituendum Deum debitorem.

29 Obijc. secundò. De facto Deus promisit vitam æternam benè operantibus, vt passim habetur in Scriptura; vndè Tridentinum, *sess. 6. c. 16.* docet, vitam æternam esse reddendam vt mercedem benè operantibus ex diuina promissione. Respond. Deum promittere vitam æternam non promissione, quæ inducat obligationem, quia iam supponitur obligatio ob institutionem status supernaturalis; sed quæ manifestat obligationem.

An ad meritum de condigno requiratur directio Charitatis.

SECTIO V.

30 Certum est, ad actum dilectionis Dei non requiri aliam directionem, quia se ipso formaliter dirigitur in Deum, vndè difficultas procedit quoad alios actus. Supponendum autem est. Etiam alios actus bonos esse meritorios vitæ æternæ, vt communiter docent contra Bannes 2. 2. *quæst. 24. art. 6.* & desumitur ex Scriptura Ioannis 15. *Procedent, qui bona egerunt in Resurrectionem vitæ.* Ad Rom. 15. *Beneficientiæ, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Et prima Corinthiorum 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Difficultas autem est. An obsint Meritoria debeant ordinari in Deum per Charitatem; Ita autem ordinatio vel potest esse formalis, quando videlicet interuenit actus Charitatis ipsos imperans, & ordinans in Deum; vel solum virtualis, quando videlicet ordinantur ex intentione antecedenti placendi Deo, & ex aliqua connexionẽ cum actu Charitatis.

31 Prima sententia asserit requiri formalem ordinationem. Ita Durandus *in 3. distinct. 23. quæst. 8.* Paludanus *quæst. 4. art. 3.*

32 Secunda sententia asserit; ad nullum opus virtutis requiri directionem Charitatis, vt sit meritorium, sed sufficere, quod fiat ab homine iusto. Ita Scotus *3. de natura, & gratia cap. 4.* Medina 1 2 *quæst. 18. dub. 9.* & *quæst. 14. art. 4.* Vasquez *disp. 207.* Turrianus *disp. 1. de merito dub. 12.* & alij recentiores. Probant. Scriptura promittit vitam æternam bene operantibus, nec requirit hanc ordinationem; immo videtur illam excludere Matthæi 15. Quando iusti respondent Christo, *Domine, quando te vidimus esurientem*, ergo, Secundò. Tridentinum, *sess. 6. c. 10.* docet, nos crescere in iustitia per obseruationem mandatorum, nec requirit imperium Charitatis; nec etiam *cap. 16.* vbi explicat conditiones meriti. Confirmatur, *sess. 14. cap. 8.* docet, quod opera satisfactoria merentur, sunt autem satisfactoria sine tali conditione. Tertiò. Si requireretur hęc directio, valdè extenuaretur meritum, cum pauci sciant, esse necessariam. Quartò. Sine tali directione actus habet proportionem cum præmio supernaturali. ergo

33 Tertia sententia asserit, esse necessariam directionem Charitatis, sed sufficere virtualem. Ita D. Bonauent. *in 2. dist. 41. quæst. 1. art. 3.* Gabriel *art. 3. dub. 2.* Lorca 1. 2. *disp. 48. de gratia conclusione 3.* Scotus *in 2. distinct. 41. quæst. vnica. §. Alter potest.* Suarez *libr. 12. de gratia capitul. 12.*

34 Dico primò. *Nullus actus etiam virtutis theologicæ est meritorius de condigno, nisi aliquo modo sit ex motiuo*

motiuo Charitatis. Probatur. Meritum tendit essentialiter assequutiuo modo respectu præmij, ergo est medium ex natura sua ordinatum ad assequendum præmium vt finē, ergo cum medium non possit exequutioni mandari, nisi ex intentione finis, atque adeo ex vi motionis ipsius, debet meritum esse ex motiuo finis supernaturalis, atque adeo ex motiuo Charitatis.

35 Dices. Sufficere, si actus eliciatur, nec esse necesse, quod eligatur vt medium ad obtinendum præmium. Contra. Meritum vt tale debet promouere hominem ad suum finem eo modo, quo exigit promoueri; exigit autem promoueri rationali modo, atque adeo ex intentione finis, non autem materialiter, sicut mouentur bruta, & inanimata.

36 Dico secundò. *Vt meritum sit ex motiuo Charitatis, atque adeo, vt actus sit meritorius, sufficit, quod sit ex proprio motiuo vt subordinato motiuo Charitatis, si actus sit supernaturalis quoad substantiam*. Probatur. Motiuū Charitatis est omnium vltimum, atque adeo cætera ipsi subordinantur, ergo si præcessit intentio finis, & actio fiat ex proprio motiuo vt subordinato motiuo Charitatis, fit virtualiter ex motiuo Charitatis, quia motiuum subordinatum mouet in virtute motiui subordinantis, quando præcessit intentio finis.

37 Dico tertiò. *Actus virtutum moralium naturaliū non sunt meritorij, nisi aliquo modo ordinentur in finem supernaturalem, & procedant ex intentione ipsius saltem virtuali modo*. Sequitur ex dictis in superioribus, vbi ostendimus tales actus non posse esse vere bonos, nisi sint propter finem supernaturalem. Probatur. Scriptura significat, opera debere fieri in ordine ad finem supernaturalem, vt sint meritoria. Matthæi x. *Qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*. Lucæ 9. *Qui recipit vnum* ex his pusillis in nomine meo, &c. prima Corynthiorum x. *Siue manducatis, &c. omnia in gloriam Dei facite*: vnde communiter Patres, vt Augustinus *cap*. 14. *De Spiritu, & Littera, &* 16. & *de gratia, & libero arbitrio cap*. 1. Leo Papa *sermone* 7. *de quadragesima cap*. 2. Gregorius *homil*. 27. *in Euangelia*, docent opera nostra non esse meritoria, nisi procedant à Charitate.

38 Ad primum secundæ sententiæ negatur assumptum. Quia scriptura promittit præmium bonis operibus, quæ fiunt cum debito ordine, atque adeo per vltimum finem, illud autem Matthæi 15. debet ita accipi, vt obsequium exhibitum pauperibus censeatur exhibitum Christo, vnde non excluditur directio ad vltimum finem, quæ prouenit à Charitate. Ad secundum. Negatur minor. Quia Tridentinum loquitur de obseruantia mandatorum eo modo, quo debent seruari ab eo, cui est præfixus finis supernaturalis; Ad Confirmationem negatur minor. Quia opera non possunt esse satisfactoria, nisi sint exhibita Deo, atque adeo nisi sint in obsequium ipsius. Ad tertium negatur sequella. Quia omnes fideles cognoscunt finem supernaturalem, ad quem se debent dirigere, atque adeo possunt omnia facere ob ipsum assequendum, & in obsequium Dei. Ad quartum. Negatur assumptum, vt patet ex dictis.

39 Petes, An aliquis possit mereri de condigno pro altero. Respondetur; Negatiuè cum D. Thoma 1. 2. *quæst*. 114. *art*. 5. & communiter. Quia præmium est propositum operanti, prima Corynthiorum 5. *Vnicuique reddendum est secundum opera sua*. Apocalypsis vltimo. *Vnusquisque referet propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*. Meritum enim est actio vitalis radicata in gratia, qua quis exercet vitam gratiæ; & est actus promouens, ad finem supernaturalem, & ideo potest esse proprium solum ipsius operantis; Nec est eadem ratio de Christo, nam ipse fuit caput generis humani, & proinde potuit pro omnibus mereri.

An detur Meritum de congruo.

SECTIO VI.

40 Dicendum est. *Dari meritum de congruo*. Ita communiter cum D. Thoma *in* 2. *distinct*. 27. *quæst*. . . *art*. 4. *ad quartum, &* 1. 2. *q*. 114. *art*. 6. & desumitur ex D. Aug. *epist*. 105. Nec ipsa *remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides eam imperat; neque enim nullum fuit meritum illius, qui dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori*. Probatur. Dantur aliqua opera, quæ non fundant ius ad aliquod bonum, sed tantum aliquam congruitatem, vnde ex Tridentino, *sess*. 14. *cap*. 4. Contritio impetrat gratiam, ergo datur meritum de congruo, siquidem non est aliud, quam quædam decentia, ratione cuius fit decens, quod tribuitur.

41 Obijcitur. Ex Patribus. Ante gratiam iustificationis nullum est bonum meritum, ergo. Respond. Loqui de merito propriè dicto, quod est meritum de condigno; non autem de merito per modum impetrationis.

42 Obijcitur secundò. Ex Diuo Augustino, *de prædestinatione Sanctorum initio*. Ex eo, quod per Concilium Palestinum gratia non datur secundum meritum, infert, etiam Semipelagianos esse damnatos, hæc autem illatio esset nulla, si daretur meritum de congruo, quia semipelagiani solum illud admittebant. Respondetur negando minorem. Quia D. Augustinus loquitur de prima gratia, quæ non supponit neque meritum de congruo.

Quæ conditiones requirantur ad meritum de congruo.

SECTIO VII.

43 Dico primò. *Requiritur, quid actus sit absolutè bonus*. Ita communiter Probatur. Importat congruitatem secundum regulas rectę rationis, nullum autem præmium secundum ipsas potest esse congruum, nisi intuitu boni operis.

44 Dico secundò. *Meritum de congruo debet esse ex auxilio gratiæ*. Probatur. Si sufficeret actus naturalis, possemus mereri primam gratiam, quod est honestum.

45 Dico tertiò. *Ad meritum de congruo requiritur status viæ*. Ita communiter, Probatur. In statu beatifico omnia sunt debita ratione beatitudinis, & ibi est completa tendentia in finem supernaturalem, atque adeo etiam assequutio eorum, quæ conducunt ad talem finem, ergo

46 Dico quartò. *Ad meritum de congruo non requiritur status gratiæ sanctificantis*. Ita communiter. Probatur. Actus peccatoris possunt esse ex auxilio gratiæ in ordine ad finem supernaturalem, vt cum quis orat petens auxilium ad vincendas tentationes, ergo potest habere rationem meriti de congruo.

47 Obijc. 1. Corinthiorum 3. *Charitatem autem non habuero, nihil sum*, ergo. Respondetur. Vel intelligi, quod nihil sit in ordine ad obtinendam vitam æternam; vel intelligi de Charitate actuali, sine qua non potest haberi aliquod opus bonum, vt dictum est in superioribus.

48 Ob. Secundò. Peccator non potest facere sibi Deum debitorem, quia ratione peccati meretur priuari omni beneficio gratuito, ergo. Respondetur negando consequentiam. Quia sicut meritum de congruo non fundat ius ex parte merentis, ita neque debitum iustitię ex parte Dei, sed tantum ex parte promissionis.

49 Dico quintò. *Promissio Dei requiritur, vt meritum de congruo habeat infallibilitatem in obtinendo*. Probatur. Deus non tenetur facere omne, quod congruum est, ergo vt faciat infallibiliter, debet se obligare per promissionem.

50 Dico sextò. *Ad meritum de congruo non est necessaria extrinseca acceptatio Dei, sed absque ipsa habet intrinsecam congruitatem ad aliquod beneficium obtinendum.*

nendum. Probatur. Non possem saluari congruitas, nisi respectu alicuius termini determinati cum consistat in quadam proportione ad ipsum, ergo talis congruitas debet esse intrinseca actui.

An merita mortificata per peccatum reuiuiscant per gratiam.

SECTIO VIII.

51 Dicendum est. *Reuiuiscere.* Ita communiter tam Scholastici, quam Patres Chrysostomus *hom. x. in epist. Ad Hebræos*. Ambrosius *2. de pænitentia c. 2.* Athanasius *oratione de Blasphemia.* Augustinus *capit. 14. de fide, & per operibus.* Probatur. Ad Hebræos 6. *Confidimus de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur, non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis;* loquitur autem Apostolus de operibus factis in gratia, & meritoriis de condigno, vt declarant particulæ, *In nomine ipsius, dilectionis. Non est iniustus,* & rursus supponit cecidisse in peccatum, vt declarant verba illa *Confidimus de vobis meliora,* ergo si Deus non est iniustus respectu operum mortificatorum per peccatum, signum est, quod illas remaneret ex iustitia, si homo resurgat ex peccato, & moriatur in gratia, & ita explicant communiter Patres. Ambrosius, Anselmus, Hieronymus Teophilus, Theodoretus, & alij in hunc locum. Confirmatur. Ex Tridentino, *sess. 6. c. 16.* vbi habet. *Hac igitur ratione iustificatis hominibus siue acceptam gratiam perpetuò seruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba. Abundate in omni opere bono, non enim est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri:* & hæc verba refert ad eos, qui recuperauerint amissam gratiam, ergo opera facta in gratia, etiamsi mortificentur per peccatum, remunerantur, atque adeo reuiuiscunt, quando homo resurgit à peccato, quia Tridentinum loquitur vniuersaliter de omnibus operibus bonis. Ratio autem est. Quia peccatum non destituit meritum, nec ius per ipsum acquisitum, cum non importet priuationem ipsius, sed tantum impedit, ergo sublato impedimento reuiuiscit.

52 Dices Peccatum importare priuationem iuris acquisiti ad vitam æternam. Contra Peccatum dimissum non potest puniri pœna æterna, puniretur autem, si homo priuaretur iure acquisito per meritum; Deinde bona opera non acceptantur à Deo sub hac conditione; quod si superueniat peccatum, frustratoria reddantur, etiamsi homo resurgat.

53 Obijc. Iustificatio tollit priuationem gratiæ delens peccatum, ergo peccatum, cum tollat gratiam, & denominationem iusti, delebit etiam meritum. Respondetur; negando consequentiam. Quia aliud est gratia, & denominatio iusti, & aliud ius ad gloriam acquisitum per bona opera, & ideo, quia ius non opponitur peccato, sicut opponitur gratia, non tollitur, sed impeditur.

An merita integrè reuiuiscant.

SECTIO IX.

54 Dicendum est. *Integrè reuiuiscere, & simul restitui totam gratiam, quæ fuerat deperdita per peccatum, vltra illam, quæ confertur ex vi præsentis iustificationis.* Ita Scotus *in 4. dist. 22. quæst. vnica art. 2.* Richardus *art. 4. quæst. 2.* Gabriel *quæst. 3. art. 3.* Maior. *quæst. 1.* Ochamus *quæst. 9.* Durandus *in 3. dist. 31. quæst. 2. Ad 3.* Suarez *disp. De reuiuiscentia meritorum sect. 2.* Vasquez *1. 2. disp. 221. cap. 6.* & alij communiter, & desumitur, ex Tridentino, *sess. 16. cap. 16.* vbi, vt opera bona consequantur præmium proportionatum, solum requirit, quod sint opera iustificati, & quod sint ex gratia, quam Christus, vt caput influit in membra; & quod homo moriatur in gratia, & *can. 32.* definit, iustos esse recepturos præmium pro bonis operibus, quæ in Deo sunt facta, si in gratia decesserint; non recuperarent autem, si merita integrè non reuiuiscerent. Probatur. Ezechielis 18. *Si impius egerit pænitentiam de omnibus peccatis suis, omnium* iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Si autẽ Deus non restitueret totam gratiam, & merita integrè nõ reuiuiscerent, recordaretur, quia pro illo peccato homo puniretur aliqua pœna æterna.

55 Obijc. Cum Adam resurrexit à peccato, non habuit pristinam gratiam, ergo. Respondetur. Habuisse pristinam gratiam sanctificantem, non autem iustitiam originalem, quia hæc fuit data sub conditione, quod, si peccaret, & sibi, & posteris amitteret pro omni tempore.

56 Obijc. secundò. Ex cap. 20. dist. 50. *Quicunque dignitatem diuini gradus non custodiunt contenti fiant animam saluare, reuerti enim in pristinum statum post lapsũ difficile est.* ergo. Respondetur: loqui de dignitate gradus extrinseci, quam quis obtinet ratione gradus Ecclesiastici; non autem de intrinseca dignitate gratiæ; & de lapsu à fide, non autem de quocunque peccato.

57 Ob. tertiò. Gratia datur secundum mensuram dispositionis, ergo si dispositio non adæquat gratiam præteritam, non restituitur tota gratia. Respondetur. Gratiam, quæ confertur ex vi præsentis iustificationis, dari secundum mensuram dispositionis; non autem illam, quæ restituitur intuitu pænitentię.

An homo possit sibi mereri primam gratiam sanctificantem.

SECTIO X.

58 Certum est de fide, vt constat ex superioribus, primam gratiam auxiliantem non posse cadere sub merito neque de condigno, neque de congruo, cum non supponat aliam gratiam. Certum est etiam hominem posse mereri de condigno augmentum gratię; sicuti etiã certum est, primam gratiam sanctificantem non posse esse præmium respectu operationum, quę sequuntur iustificationem, quia principium meriti non potest cadere sub merito. Rursus etiam certum est; non posse hominem mereri primam gratiam iustificantem per actus, qui præcedunt iustificationem, cum non procedant à supposito grato; vnde solum difficultas est quoad illos actus, qui sunt vltima dispositio ad gratiam, & simul tempore cum ipsa.

59 Dico primò. *Hi actus non merentur de condigno primam gratiam sanctificantem.* Ita communiter cum D. Thoma *1. 2. quæst. 114. art. 5.* & aliqui volunt conclusionem esse de fide. Probatur. Tridentinum, *sess. 6. cap. 8.* definit homines à Deo gratis iustificari, quia nihil eorũ, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue alia opera, iustificationis gratiam promerentur; & hoc confirmat ex illo Ad Romanos 11. *Si ex gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia.* ergo

60 Dices. Excludi tantum opera ex viribus naturæ. Contra. Excludit fidem, & opera, quę subsequuntur ad fidem, hęc autem sunt ex auxilio gratię ex Tridentino, *sess. 6. can. 3.*

61 Dices secundò. Intelligi de operibus, quę tempore pręcedunt. Contra Loquitur de fide, & alijs operibus, quę pręcedunt dispositiones, atque adeo complectitur etiam vltimam dispositionem, quę est simul tempore cum gratia.

62 Obijc. primo. Prima Ioannis 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis,* ergo remissio fit ex iustitia, atque adeo ex merito. Resp. fieri ex iustitia, quia Deus omnia iuste agit; non autem ex iustitia fundata in iure hominis.

63 Obijc. secundò. Iacobi secundò. Habetur, Abraham fuisse iustificatum ex operibus. Respondetur. Fuisse iustificatum

ficatum ex operibus, non vt meritis, sed vt dispositionibus.

64 Dico secundò. *Dispositiones ad gratiam mereri de congruo iustificationem.* Ita D. Thomas *in 2. dist. 2. artic. 4:* Vasquez 1. 2. *disp.* 218. *cap.* 2. Suarez *tom. 3. in tertiam partem disp. 4. sect. x.* & alij contra Scotum *de natura, & gratia. lib. 2. cap. 4.* Lorcam 1. 2. *disp.* 50. *de gratia,* & nonnullos alios. Desumitur ex D. Augustino *epist.* 106. vbi ait. *Si quis autem dixerit, quod gratiam benè operanti fides mereatur, negare non possumus; imo vero gratissimè confitemur;* & Rursus. *Qui habent fidem, qua impetrant iustificationem per Dei gratiam perueniunt ad legem iustitiæ,* & idem tradunt etiam alij Patres. Probatur. Ex Tridentino. *sess.* 14. *cap.* 4. habetur. *Fuit autem omni tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic cōtritionis motus necessarius.* Ergo cum contritio non sit oratio, quæ impetret deprecatiuo modo, impetrabit merendo de congruo. Confirmatur. Ad meritum de congruo nihil aliud requiritur, nisi vt ponatur aliquid, ratione cuius aliquod donum fiat congruum; eo autem ipso, quod peccator se conuertit in Deum, fit ipsi congrua iustificatio.

65 Obijcies. Ex Tridentino *sess. 6. cap.* 8. Gratis iustificamur. Ergo. Resp. negando consequentiam. Quia, *Gratis,* excludit tantum meritum de condigno, quod solum facit debitum, quod tribuitur.

66 Obijcies secundò. Meritum dicit ordinem ad præmium. Ergo. Resp. Meritum de condigno dicit ordinem ad præmium, quia solum fundat ius, quod respicit aliquid debitum, quale est præmium.

67 Obijcies tertiò. Qui est debitor satisfactionis alteri, nisi satisfaciat non potest ab ipso aliquid mereri; sed peccator est debitor satisfactionis Deo. Ergo. Respon. Maiorem valere de merito de condigno, quia ipsum solum obligat retributionem; non autem de merito de congruo.

An homo possit mereri de condigno perseuerantiam.

SECTIO XI.

68 PErseuerantia potest considerari tripliciter. Primò: Cum nullo actu, vt si statim post primam iustificationem homo moriatur. Secūdò. Si eliciat tantum vnicum actum, ratione cuius perseueret. Tertiò. Si fiat per plures actus ita vt longo tempore perseueret. Primo modo non potest cadere sub merito, quia non adest actus in quo meritum fundetur; neque secundo modo, quia ad illum actum, ratione cuius homo perseuerat, requiritur gratia efficax, in qua consistit donum perseuerantiæ, quæ non potest esse ex merito, cum non præcedat actus, in quo fundetur, neque enim fundari potest in dispositione ad primam iustificationem; alioquin deberet gratia efficax omnibus dari, qui semel iustificantur, quod tamen est falsum: vndè solum difficultas est de tertio modo perseuerantiæ.

69 Dicendum est. *Neminem posse de condigno mereri perseuerantiam.* Ita communiter cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 114. *artic.* 9. & traditur à D. Augustino. *De bono perseuerantiæ cap.* 17. Probatur. Tridentinum *sess.* 16. *capit.* 16. definit, perseuerantiam esse magnum donum Dei: non esset autem magnum donum, sed magna merces, si daretur ex merito de condigno. Confirmatur. Non potest homo mereri de condigno primum auxilium efficax, à quo incœpit perseuerantia. Ergo neque etiam perseuerantiam, Antecedens probatur. Ante primum auxilium efficax non datur actio, in qua fundetur tale meritum, cum non præcedat nisi dispositio ad gratiam, quæ, cum non sit à supposito grato, non potest esse meritoria de condigno. Ergo.

70 Obijcies primò. Potest iustus mereri de condigno aliquod auxilium efficax ad vitandam aliquam tentationem. Ergo etiam perseuerantiam. Resp. negando assumptum.

Instabis. Sequeretur, quod non posset mereri auxilia sufficientia. Ergo. Resp. Concedendo sequellam: alioquin gratia non esset gratia, si tribueretur ex meritis.

71 Obijcies secundò. Potest homo de condigno mereri augmentum gratiæ. Ergo etiam perseuerantiam. Resp. negando consequentiam; quia perseuerantia non est tantum collatio gratiæ, sed etiam conseruatio ipsius mediantibus auxilijs efficacibus in ordine ad operationes necessarias pro conseruanda gratia.

An homo possit mereri reparationem post lapsum.

SECTIO XII.

72 QVæstio procedit de homine iusto, an nimirum dum est in gratia mereri possit, quod reparetur à Deo, si peccauerit, nam certum est, quod dum existit in peccato non potest mereri hanc reparationem.

73 Dicendum est. *Non posse mereri.* Ita communiter cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 114. *articul.* 7. Probatur Ezechielis 18. *Si auerterit se iustus à iustitia, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur;* recordarentur autem, si adesset meritum, ratione cuius repararetur. Confirmatur. Si adesset meritum, Deus non præueniret gratuitò nostras voluntates, nec gratia causaret in nobis voluntatem resurgendi; sed esset ex nobis, quia inciperet ex nostro merito contra defunctionem Concilij Arausicani, nec resurgere à peccato esset miserentis Dei, sed volentis hominis contra illud Apostoli ad Romanos 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

74 Obijcies. Ad Hebręos 1. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Ergo. Resp. Intelligi si post peccatum, quod mortificat opera bona, succedat pænitentia, ita vt reuiuiscant merita mortificata.

75 Dicendum 2. *Neque de congruo potest aliquis mereri reparationem post lapsum.* Ita D. Thomas *citatus,* & communiter contra Bellarminum 1. *de iustificatione. cap. vltimo.* Probatur. Homo ratione peccati fit indignus omni beneficio gratiæ, indignitas autem excludit ex parte subiecti omnem congrūitatem.

76 Obijcies 1. Paralipomen cap. 9. *Iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te.* Ergo Resp. Intelligi de bonis operibus post peccatum factis ex gratia, quæ de congruo poterant mereri.

77 Obijcies secundò. Potest iustus orare, & petere reparationem post peccatum, si contingat peccare. Ergo. Resp. negando consequentiam, quia talis oratio non potest extendi ad obtinendam reparationem, quia succedit peccatum, quod impedit talem extensionem reddendo indignum tali beneficio.

78 Obijcies tertiò. Potest peccator mereri de cōngruo iustificationem. Ergo etiam iustus suam reparationem. Resp. negando consequentiam. Quia peccator potest se disponere, & se conuertere in Deum, & ideo meretur de congruo, actus autem iusti non dicit ordinem ad reparationem, quia mediat peccatum tollens huiusmodi ordinem.

An homo mereatur de condigno primam gloriam.

SECTIO XIII.

79 CErtum est mereri de condigno gloriam, quia tribuitur tanquam merces, & corona, quia autem Gloria alia est prima, quæ correspondet primæ gratiæ, & datur iustificatis ex eo, quia iusti sunt; alia est secunda, quæ correspondet secundæ gratiæ, ideo difficultas non

tas non procedit de prima gloria quoad opera, quę antecedunt tempore iustificationem; nam non possunt mereri de condigno primam gloriam, quia sunt opera peccatoris qui est indignus vita æterna. Rursus nec etiam opera consequentia, quia sicut ipsis correspondet augmentum gratiæ, ita etiam correspondet augmentum gloriæ, vnde difficultas est de illis actibus, qui sunt vltima dispositio ad gratiam, & in eodem instanti cum ipsa, an videlicet sint meritoria de condigno.

80 Prima sententia est affirmatiua. Ita Caietanus 1. 2. *quæst.* 112. Medina *ibidem*. Sotus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 219. *cap.* 2. Turrianus *disp.* 3. *de merito dub.* 2. Suarez 12. *de gratia cap.* 28. & alij.

81 Secunda sententia est negatiua. Ita vega *lib.* 9. *de iustificatione quæst.* 6. Gabriel *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 2. *conclusione* 5. Paludanus *quæst.* 3. Ariminensis *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 5. *art.* 2. Lorca 1. 2. *disput.* 49. *de gratia dub. incidente*.

82 Dicendum est. *Vltimam dispositionem ad gratiam non esse meritoriam de condigno primæ gloriæ.* Probatur. Dispositio ad gratiam præcedit natura ipsam iustificationem, ergo non potest esse meritoria de condigno vitę ęternę. Consequentia probatur. Si mereretur de condigno, deberet esse à supposito grato, atque adeo deberet supponi homo prius iustificatus, quam esset dispositus ad gratiam, quod implicat.

83 Dices. In illo instanti, in quo dispositio non haberet rationem meriti; sed solum in posteriori naturę, quia videlicet accedente gratia sicuti homo iustificatur, ita etiam dispositio dignificatur. Contra, Dispositio in tantum dignificatur à supposito, sicut etiam quilibet actus, in quantum suppositum concurrit ad eliciendum illum actum; sed non concurrit vt dignificatū per gratiam, ergo. Minor prob. Quatenus concurrit ad illum actum, concurrit, vt se disponens ad habendam gratiam, ergo non concurrit vt dignificatum per ipsam gratiam; alioquin gratia esset prior ipsa dispositione quoad existentiam, quia concurreret in ratione principij elicitiui, quatenus dignificans suppositum, influeret dignitatem in actum & ex alio capite esset posterior existentia, quia dependeret à dispositione quoad sui productionem.

84 Ob. Gloria secundum se totam dicitur Corona, Denarius diurnus Matthęi 9. ergo etiam prima gloria cadit sub merito. Respondetur dist. conseq. Cadit sub merito respectu actuum subsequentium ad iustificationem, ita vt quę prius erat debita titulo hereditatis, fiat etiam debita titulo mercedis; non autem respectu vltimę dispositionis ad gratiam.

85 Ob. secundò. Ex Tridentino, *sess.* 6. *can.* 23. Iustificatus per bona opera meretur vitam ęternam, & glorię augmentum, ergo cum augmentum distinguatur à gloria, & vita ęterna, & correspondeat meritis subsequentibus iustificationem, ipsa vita æterna correspondebit vltimę dispositioni ad gratiam. Resp. Negando consequentiam, & ex Tridentino solum colligitur, quod non solum augmentum glorię, sed etiam ipsa vita beata habeat rationem pręmij, non autem quod sit talis respectu vltimę dispositionis ad gratiam. Habet autem rationem pręmij, quatenus ratione operum subsequentium fit debita vt merces.



SACRA

SACRA MORALIS DOCTRINA

DE NECESSITATE GRATIAE PRO STATV VIAE, ATQVE Humanis operationibus ad Scholasticæ Lecturæ Methodum explicata.

DISPVTATIO XXXXIII.

Vnde vniuersaliter proueniat necessitas gratiæ.

SECTIO I.

1 Loquimur de necessitate gratiæ, quæ non se habeat per modum principij operatiui, aut significatiui, vt sunt habitus, sed per modum actualis motionis adiuuantis hominem in ordine ad bene operandum; nam certum est, quod habitus supernaturales, aut supplementum ipsorum est necessarium, quia actus sunt supernaturales; vnde non sunt necessarii hi habitus ad actus naturales.

2 Dico primò. *Gratia est necessaria in ordine ad actus supernaturales ob infirmitatem naturæ, quam habet ratione rebellionis appetitus, et concupiscentiarũ, atq. adeo ad sananda vulnera naturæ, nempe ad tollẽdam ignorantiam practicam, & prauum affectum voluntatis non quidem habitualiter, sed actualiter in ordine ad illam operationem, pro qua tribuitur.* Desumitur ex Diuo Augustino *cap. 81. Enchiridij*, vbi ait. *Duabus ex causis peccamus, aut non videndo, quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus; quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis, contra quæ ideo pugnare nos conuenit, sed profecto vincimur, nisi diuinitus adiuuemur, vt non solum videamus, quid faciendum sit, sed etiam accedente suauitate delectatio iustitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo scientes, videntesque peccamus.* Et similia habet *lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 17.* Probatur. Positis habitibus supernaturalibus adest sufficiens principium, & adęquatum pro actibus supernaturalibus, ergo gratia non est necessaria ex parte principii operatiui, Rursus per fidem proponuntur voluntati motiua supernaturalia, ergo neque ex parte principij motiui obiectiui, ergo solum erit necessaria ad promouendam voluntatem contra impedimenta concupiscentiarum, & ad vincendam internam pugnam. Anteced. patet quia habitus supernaturales tribuunt potentijs debitam proportionem ad cuius supernaturales, et vires adęquatas. Conseq. vlt. prob. Quia interna pugna ita sub ijcit volũtatem concupiscentijs, vt sub ipsis non possit bonum operari, nisi liberetur; vnde Augustinus cap. 8. de Continentia. *Bonum fit, cum id, quod male libet vincente bona delectatione, non fit.*

3 Dico secundò. *Etiam in ordine ad opera bona naturalia necessitas gratiæ oritur ex eadem radice.* Ita Augustinus, vbi supra. Probatur. Voluntas ex natura sua est inclinata, & determinata ad sequendum honestum, & fugiendum turpe, ita vt non possit ipsum amplecti, nisi sub aliqua ratione honesti; nec per peccatum est immutata secundum suam specificationem, ergo in ratione principij eliciriui habet vires sufficientes ad eliciendos actus naturales honestos, ergo non indiget gratia defectu principij eliciriui, ergo solum ratione concupiscentiarum trahentium ad malum, & impedientium bonum. Antecedens patet. Nam voluntas specificatur à bono honesto, & ideo non potest ferri extra suam specificationem, & amplecti turpe. Consequentia prima probatur. Omnis potentia habet vires sufficientes, & adæquatas in ordine ad suum obiectum specificatiuum proportionatum, ergo etiam voluntas in ordine ad honestum. Secunda consequentia probatur. Concupiscentiæ trahunt voluntatem, impediunt honestas cogitationes, & faciunt, quod voluntas non possit exercere suas vires circa honestum, quia hoc non potest, nisi præcedant honestæ cogitationes, & concipiatur desiderium de bono honesto, ergo

4 Dico tertiò. *Gratia est etiam necessaria ex eo, quod homo debet operari in ordine ad finem supernaturalem, atque adeo debent ipsi subministrari motiones indeliberatæ tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis respicientes finem supernaturalem.* Desumitur ex illo secundæ ad Corynthios 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Probatur. Finis supernaturalis excedit facultatem naturalem, alioquin non esset supernaturalis, si homo posset naturaliter ab ipso moueri, ergo excedit omnes motus naturales intellectus, & voluntatis: sed omnes motus, qui possunt esse in intellectu, & voluntate, seclusa gratia sunt naturales, ergo

5 Dices. Hominem iustum habere habitus supernaturales, vnde possunt prouenire motus supernaturales. Contra. Hi habitus imitantur potentias, & non exeunt in actum, nisi moueantur, ergo opus est aliqua motione supernaturali ad hoc, vt possint operari.

6 Obijcies. Adam habebat in potestate hos motus, quia habebat habitus supernaturales, & non habebat internam pugnam, ergo. Respondetur. Habuisse in potestate, non quia præcise habebat habitus, sed quia stabat continuè sub actuali motione vltimi finis, nam exercebat continuè actum Charitatis erga Deum, & proinde Diuus Augustinus *De Correptione, & gratia cap. 10.* docet, ipsum fuisse beatum, sicuti etiam angelos malos, antequam peccarent.

7 Obijcitur secundò. Si in aliquo esset extinctus fomes, vt in Beata Virgine, non esset necessaria gratia etiam ad actus supernaturales suppositis habitibus, ergo. Respondetur: Distinguo antecedens. Non esset necessaria gratia, vt dans posse operari concedo. Vt faciens operari nego; Gratia enim duo simul præstat. Dat posse, tollendo impossibilitatem voluntariam, quæ oritur ex eo, quod voluntas se subijciat concupiscentijs. Et simul mouet ad operan-

operandum; hæc autem motio semper est necessaria, quia ad operationem bonam semper debet præcedere dictamen practicum, & desiderium bonum, in quibus fundentur actus deliberati, hoc autem dictamen, & desiderium non sunt in nostra potestate, vt docet Augustinus *libr.* 1. *ad Simplicianum quæst.* 2.

8 Instabis. Huiusmodi motus indeliberati possunt causari ab obiectis, lege, doctrina, &c. ergo. Respondetur: negando assumptum. Quia hi motus sunt actus practici ordinati ad operationem, & habentes vim motiuam in ordine ad finem supernaturalem; obiecta autem causant actus naturales, qui non habent vim mouendi ad finem supernaturalem, & solum speculatiuos, quia cognitio practica non causatur ab obiecto, sed ipsa facit obiectum, atque adeo nec affectus voluntatis sequens ad tales actus habet vim mouendi ad operationem, vnde proposito præcepto, cohortatione, &c. cognoscit quidem intellectus, quid faciendum sit, sed non habet iudicium dictans esse operandum, & iudicatiuo modo mouens ad opus.

Quid sit operari sicut oportet.

SECTIO II.

9 Concilium Tridentinum, *sess.* 6. *can.* 3. definit, neminem sine gratia posse credere, sperare, & diligere sicuti oportet; & Concilium Arausicanum, *can.* 3. definit vniuersaliter, neminem posse operari sicuti oportet sine gratia; vnde difficultas est. Quid significet particula. *Sicut oportet.*

10 Communiter recentiores dicunt, significare, quod actus sit supernaturalis, & ex motiuo supernaturali, vt effugiant difficultates de necessitate gratiæ, & saluens, quomodo non sit necessaria ad aliqua opera. Impugnatur. Quia definitio Concilij Arausicani procedit contra Pelagianos, qui non negabant necessitatem in ordine ad actus supernaturales, & ex motiuo supernaturali; nam hoc ipso, quod actus est supernaturalis, excedit vires naturæ, sed solum nolebant, esse necessariam ad actus bonos naturales, ergo. Concilium non definit, quod ab ipsis concedebatur, sed quod negabatur.

11 Secunda expositio est aliorum Recentiorum, qui volunt. *Fieri sicut oportet*, idem esse, ac fieri meritoriè in ordine ad vitam æternam. Contra. Quia neque hoc negabatur à Pelagianis, nec à Semipelagianis, qui solum volebant, aliqua opera, quæ erant sicut oportet, sed merè ex libero arbitrio, quorum occasione Deus conferebat gratiam; vndè Diuus Augustinus *libr. quarto contra Iulianum capitul.* 3. redarguit Pelagianos dicentes, quod sine gratia poterat homo bene operari, sed steriliter solum, & non in ordine ad salutem. Ex quibus desumitur, quod ipsi admittebant necessitatem gratiæ ad opera meritoria vitæ æternæ, & ideo hoc non potuit intendi à Concilio, cum definierit contra ipsos.

12 Tertia expositio est aliorum Recentiorum, qui volunt, quod *fieri sicut oportet*, sit fieri intuitu pietatis, & Religionis. Contra. Nam Semipelagiani non negabant esse necessariam gratiam ad opera pietatis, & Religionis, & tamen Concilium Arausicanum contra ipsos definit, quod sit necessaria gratia ad operari sicut oportet.

13 Dicendum est. *Fieri sicut oportet non esse aliud, quam quod opera sint verè bona, atque adeo non fiant motiuo timoris, aut pænæ, aut ex alia terrena cupiditate, sed ex mero amore honestatis.* Desumitur ex Diuo Augustino *capitul.* 21. *Enchiridij*, vbi ait. *Quod vero ita fit, vel timore pænæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam Charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur.* Et de Correptione, & gratia capitul. 2. *Ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, vt quando id agunt, sicuti agendum est, idest cum dilectione, & delectatione iustitiæ, suauitatem, quam dedit Dominus, accepisse se gaudeant.*

14 Probatur. Tunc opus est sicuti oportet, quando est secundum debitam mensuram, & secundum exigentiam finis ipsius hominis; & econtra non est sicuti oportet, quando in aliquo deficit, ergo tunc est sicuti oportet, quando habet veram rationem virtutis, & fit ex puro motiuo honesti. Antecedens patet. Quia non esse sicut oportet, dicit aliquem defectum ex parte operis, nam dicit negationem alicuius, quod opus deberet habere. Consequentia probatur. Opus habens veram rationem virtutis est secundum mensuram, quam exigit, & habet finem rectum, atque adeo saltem implicitè respicit vltimum finem, & non aliquid ei deficit ex illis, quæ debet habere, siquidem integra virtus non admittit defectum, ergo est sicuti oportet.

15 Dices. Non sufficere, quod opus dicat perfectam virtutem, vt sic sicuti oportet, sed insuper deberè perducere hominem ad finem supernaturalem, ad quem est ordinatus. Contra. Eo ipso, quod opus fit ex puro amore honesti, dicit ordinem ad Deum, vt est prima, & summa honestas, ergo etiam dicit ordinem ad ipsum, vt est vltimus finis hominis. Quia summa honestas dicit illam bonitatem imparticipatam, quæ sola potest satiare appetitum hominis.

An gratia sit necessaria ad cognoscendas veritates naturales.

SECTIO III.

16 Veritates naturales aliæ sunt physicæ, & aliæ morales. Quod autem spectat ad physicas certum est; quod non possunt omnes naturaliter cognosci stante modo cognoscendi nostri intellectus, nempe cum dependenter à sensibus. Tum quia non omnia obiecta occurrunt sensibus. Tum quia neque intellectus circa ea, quæ occurrunt, potest attingere omnes veritates, cum debeat attingere ex vi esse sensibilis, quod primò in obiecto cognoscit, vnde esset necessarium speciale auxilium Dei ad illas cognoscendas. Hoc tamen auxilium non esset propriè gratia Christi Saluatoris. Tum quia non respiceret salutem hominis. Tum quia (licet extraordinarium, esset tamen in ordine naturali, quia non esset aliud, quam applicatio veritatum eo modo, quo cæteræ solent applicari: An autem esset ex meritis Christi, pendet ex determinatione eorum, quæ Christus meruit. Vndè in præsenti difficultas procedit de veritatibus practicis moralibus.

17 Prima sententia asserit, singulas veritates morales posse cognosci absque gratia, non autem omnes collectiuè. Ita Caietanus 1. 2. *quæst.* 109. *articul.* 1. Medina, Cōradus, Pelantius *ibidem*. Curiel *dub.* 2. Lorca *disput.* 2. *de gratia*. Bellarminus *libr.* 5. *de gratia, & libero arbitrio capitul.* 1. & 2. Suarez *libr.* 1. *de gratia capitul.* 2. & alij.

18 Secunda sententia asserit, esse necessariam gratiam ad cognoscendam omnem veritatem moralem. Ita Arim. *in* 2. *distinct.* 29. *quæst.* 1. *art.* 2. Capreolus *dist.* 28. *artic.* 3. *ad argumenta contra primam conclusionem.* Vasquez 1. 2. *disp.* 188. *cap.* 2.

19 Dico primò. *Homo in statu naturæ lapsæ cognoscit absque gratia prima principia moralia.* Prob. Per peccatum non est extinctum lumen naturale, ergo per ipsum cognoscit huiusmodi principia siquidem sunt insita naturæ, & congenita lumini naturali. Vnde Psalmus 4. dicitur. *Quis ostendit nobis bona?* E statim respondetur. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quod

quod de lumine naturali communiter exponitur à Patribus.

20 Dico secundò. *Nulla veritas practica in particulari potest practico modo cognosci absque gratia.* Desumitur ex Concilio Arausicano *can.9. Diuini Muneris est, cum rectè cogitamus, & pedes nostros ab iniustitia detinemus,* & can.22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium; si quid autem habet homo veritatis, ab illa fonte est, quam debemus sitire in hac eremo.* Nec possumus dicere, quod loquatur de cognitione, quæ respiciat salutem, nam definit contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui volebat, quod homo ex naturalibus viribus posset habere bonas cogitationes morales, nec negabant cognitionem supernaturalem esse à Deo. Et etiam ex Diuo Augustino *in præfatione de doctrina Christiana.* vbi ait. *Quanquam nemo debeat aliquid sic habere, quasi suum proprium, nisi forte mendacium. Nam omne verum ab illo est, qui ait, ego sum veritas: Quid enim habemus, quod non acceperimus?* Et capit.24. Enchiridij. *Nolentibus subintrauit Ignorantia rerum agendarum.* Probatur. Non potest homo cognoscere veritates practicas morales in particulari, nisi cognoscat, quid agendum est, sicuti agendum est; sed hoc non potest cognoscere sine gratia, ergo. Minor probatur. Cognoscere agenda, sicut agenda sunt, est habere cognitionem, quæ præscribat ordinem ad vltimum finem, siquidem non fiunt, sicuti debent fieri, nisi ad ipsum ordinentur; Non potest autem præscribere sine gratia. Tum quia debet præscribere in ordine ad finem supernaturalem, cum ad ipsum homo ex institutione sua debeat respicere. Tum quia non potest ita præscribere, nisi vincantur concupiscentiæ, quæ deflectunt intellectum, & voluntatem à debito fine, & non possunt vinci sine gratia; Tum quia talis præscriptio est bona cogitatio, quæ non potest esse ex nobis secunda Corinth.3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,* & Ieremiæ x. *Cognoui Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Vnde etiam Concilium Milleuitanum c.4. definit *Vtrumque Donum Dei est, & scire, quid agere debeamus, & diligere, vt faciamus.*

21 Dices. Id esse verum de veritatibus supernaturalibus. Contra. Veritates naturales morales vel respiciunt vltimum finem hominis, ad quem debet tendere, vel non. Si primum, ergo sine gratia posset se homo promouere ad ipsum. Si secundum, ergo non sunt veritates, siquidem non præscribunt de agendis in ordine ad vltimum finem; & (cum non possint præscribere, nisi præscribant in ordine ad aliquem finem) præscribent in ordine ad finem indebitum, atque adeo non erunt veritates, sed falsitates.

22 Obijcitur. Homo in statu naturæ lapsæ habet principia vniuersalia moralia, & potest ipsa applicare ad operationem, ergo poterit ex ipsis deducere dictamina practica in ordine ad operationem moralem. Respondetur; disting. Anteced. Potest applicare secundum impulsum concupiscentiæ: non autem secundum exigentiam honestatis. Quia cum intellectus non formet dictamina, nisi, prout mouetur à volũtate, & voluntas sit sub dominio cõcupiscentiæ, non mouet nisi secundum impulsum ipsarum.

An homo in statu naturæ lapsæ possit sine gratia credere reuelatis.

SECTIO IV.

23 Supponendum est. Aliqua nobis fuisse reuelata, quæ nullo pacto potuissemus naturaliter cognoscere: vnde prima Corynthiorum 2. *Sapientiam loquimur in Mysterio, quæ abscondita est, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum,* stante autem hac reuelatione, cognitio horum mysteriorum est necessaria ad salutem, & quia sunt obscuræ reuelata, est necessaria fides; vnde Matthæi vltim. *Qui vero non crediderit, condemnabitur,* & ad Hebræos 7. *sine fide impossibile est placere Deo.*

24 Supponendum secundò. Hanc reuelationem, quæ consistit in sufficienti propositione obiecti, esse gratiam, ita vt nullo modo sit debita naturæ, vt definitum est in Concilio Arausicano, *can.8.* & proinde hæc reuelatio non est ex meritis, alioquin etiam initium salutis esset ex meritis. Vnde Ad Galatas primò. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, vt reuelaret filium suum in me:* Vnde Pelagius non errauit in eo, quod appellauerit gratiam hanc reuelationem; sed in eo, quod non agnouerit aliam gratiam internam in ordine ad credendum.

25 Dico primò. *Ad credendum, sicuti oportet, seu ad assentiendum reuelatis ex testimonio diuino, est necessaria gratia specialis distincta à reuelatione.* Est de fide contra Pelagianos definitum in Concilio Milleuitano, *can.4. & 5.* in Africano, *can.17. & 18.* in Arausicano *can. 5. & 6.* in Tridentino, *sess.6. cap.1. 2. & 3.* Probatur. Ioannis 6. *Hoc opus Dei est, vt credatis in ipsum.* Ad Ephesios secundò. *Saluati estis per fidem, ex hoc non ex vobis: donum enim Dei est, ne quis glorietur.* Prima Corynth.6. *Misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis.* Ratio autem est. Quia fides innititur testimonio diuino obscuro; & proinde superat vires naturales, quia intellectus naturaliter resoluit omnia in lumen naturale.

26 Obijcies. Infideles, & Hæretici credunt aliqua Mysteria nostræ fidei, & tamen non habent gratiam, ergo. Respondetur. Non credere ex puro testimonio diuino, nec firmiter, ita vt excludatur omnis dubitatio, sed etiam ex aliquo motiuo humano, & ideo fides ipsorum est fides vana ac humana.

27 Obijcies secundò. Si quis educaretur sine Baptismo inter Catholicos, & ex assuefatione crederet omnia Mysteria fidei, crederet sine gratia, quia non haberet habitum fidei, atque adeo nec auxilium ad credendum. Respondetur. Si iste postquam est adultus putet se esse baptizatum, iam approbat Baptismum, & approbatio æquiualet Baptismo in Voto, vnde Deus infundit fidem; Si vero putet se non esse baptizatum, & non petit baptismum, neque etiam credit, cum sit reuelatum, neminem posse saluari sine baptismo; &, si aliquid credit, fide humana credit.

28 Dico secundò. *Pia voluntas ad credendum, seu affectus ad credendum, est ex gratia.* Est de fide contra Pelagianos qui volebant, gratiam esse necessariam ad credẽdum, non autem ad voluntatem credendi. Est definitum in Concilio Arausicano *can.5.* Si quis *Sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationem Baptismi peruenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus contradicit.* Idem etiam definitur in Tridentino, *sess.6. cap.6.* Probatur. Si voluntas credendi esset ex viribus naturalibus, haberemus aliquid ex nobis in ordine ad salutem tanquam ex nobis, & de ipso possemus gloriari tanquam de initio nostræ salutis; quæ omnia contradicunt diuinis scripturis.

29 Obijcitur. Voluntas mouens ad credendum potest esse peccaminosa, vt si quis suscipiat fidem ob aliquam terrenam cupiditatem; gratia autem non concurrit ad voluntatem peccaminosam. Respondetur negando maiorem. Quia si adsit tantum talis voluntas, non suscipiet fidem, quia re vera non verè crederet, sed tantum fingeret credere, & ideo debet interuenire voluntas syncera credendi.

An in statu naturæ Lapsæ sit necessaria gratia fidei ad bene operandum moraliter.

SECTIO V.

30 Supponendum est. Hominem in statu naturæ lapsæ, posse efficere aliquod opus bonum, vt est idē fide definitum à Tridentino, *seß. 6. can. 7. 18. 22. & 25.* contra Lutherum, & Caluinum volentes, liberum arbitriū esse ita malè affectum post peccatum, vt cum nulla gratia possit bene operari, sed semper peccet, & desumitur ex illo Iob. 7. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.* Matthæo 5. *Et videant opera vestra bona.* Ad Timotheum 4. *Bonum certamen certaui*, & proinde scriptura passim promittit beatitudinem bene operantibus; vnde quando significat, sicuti etiam significant Patres, non dari hominem iustum, & nullam iustitiam esse puram, debet intelligi, quia vt plurimum etiam opera bona habent admixtam aliquam imperfectionem.

31 Supponendum secundò. Gratiam sanctificantem nō esse necessariam ad opera bona, vt est definitum in Trid. *seß. 6. can. 7.* contra Caluinum, & Lutherum, qui volebant hominem existentem in peccato semper peccare, quando operatur; quando vero existit in gratia, peccare quidem, sed ipsi non imputari; vnde dispositiones ad gratiam eliciuntur quidem à peccatore, & tamen sunt bonę, & sunt ex speciali auxilio gratiæ, & proinde scriptura passim inuitat etiam peccatores ad opera bona.

32 Prima sententia asserit. Infideles ignorantes verum Deum non posse efficere aliquod opus bonum. Ita Arim. *in 4. dist. 59. quæst. 1. art. 2* & alij.

33 Secunda sententia asserit, posse efficere opera bona moralia. Ita Caietanus 2. 2. *q. x. ar. 4.* Bannes *ibidem.* Vasquez 1. 2. *disp. 195. cap. 2.* Suarez *de gratia cap. 6.* & communiter Recentiores.

34 Dico primò. Sine gratia fidei est possibile opus morale bonum ex obiecto, ita vt ex obiecto non sit peccatum. Ita Diuus Hieronymus *in caput primum Epistolæ ad Galatas* Chrysostomus *homil. 66. ad Populum* Basilius *homil. 9. de opere sex dierum.* Augustinus *de Spiritu, & littera cap. 27.* alijque Patres, dum docent infideles posse efficere opera bona moraliter. Probatur. Homo habet insitam legem naturalem, Conscientiam, & dictamina practica de honestate sequenda, ad quam voluntas est naturaliter inclinata, ergo potest sequi huiusmodi dictamina, atque adeo amplecti obiecta honesta ex motiuo honestatis. Antecedens patet. Quia per peccatum non est extinctum lumen naturale, neque delectus remorsus conscientiæ: vnde Augustinus in Psalm. 57. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris merito scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.*

35 Dico secundò. *Sine gratia fidei, licet opera bona ex obiecto existant, vitiuntur tamen semper ratione circumstantiarum, & finis intenti.* Desumitur ex Concilio Arausicano canone 21. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum; si quid autem habet homo veritatis, atque iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hoc eremo,* & can. 17. *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei Charitas facit.*

36 Respondet Suarez *lib. 1. de gratia c. 21.* Concilium solum velle, quod peccata tribuantur homini, quia malitia oritur ex eius voluntate; bona autem opera siue supernaturalia tribuantur Deo, quia ad ipsa concurrit per supernaturalem, vel naturalem prouidentiam. Contra. Concilium hoc definit contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui non negabant prouidentiam naturalem ad actus naturales, sed solam gratiam per Christum, & volebant hominem naturaliter posse facere opera bona moralia, vt desumitur ex Diuo Hieronymo *Epistola ad Demetriadem,* ergo intelligit, quod neque opus naturale morale sit bonum absque gratia. Secundò. *Canone nono* definit, quod sit diuini muneris cōtinere pedes ab iniustitia, quia Deus facit, vt contineamus; si autem ex viribus naturę posset habere opus bonum morale, posset ex se continere pedes ab iniustitia. Tertiò. Prædictos canones desumpsit Concilium ex Diuo Augustino *lib. de perfectione iustitiæ cap. 12.* & *1. contra Iulianum cap. 81,* ergo accepit in illo sensu, in quo acceperat Augustinus, qui vult (vt ibidem constat) nullum opus bonum posse fieri ab infidelibus.

37 Desumitur etiam ex Diuo Augustino *libr. quarto, contra Iulianum capitul. 3.* vbi de hoc latè disputat, & ponit tanquam fundamentum ad euertendos errores Pelagij, quod omnia opera infidelium sine gratia sint peccata; nam Pelagius volebat, quod Deus virtute bonorum operum moralium vocaret infideles ad fidem, vnde ait. *Absit, vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus, absit autem, vt sit iustus verus, nisi viuat in fide, iustus enim ex fide viuit.* Præterea eodem loco habet. *Ad Hebræos scriptum est, sine fide impossibile est placere Deo; nempe vt hoc diceretur, de tota vita hominis agebatur, in qua iustus ex fide viuit, & tamen, cum sine fide impossibile sit placere Deo, tibi virtutes sine fide sic placent, vt eas veras prædices, atque bonos esse homines.* Et rursus. *Et bona male faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est stulta, & noxia faciunt voluntate, qualis voluntas nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, hoc est sola peccata, omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est.* Et concludit. *Per hoc disce, eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est eius, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus, constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.* Et eandem doctrinam alibi semper tradidit, vnde libr. primo de nuptijs capitul. 3. *Absit ergo, pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem connubij seruat vxori.* Et de gestis Pelagij cap. 14. *Quātumlibet autem opera infidelium prædicentur, eiusdem Apostoli sententiam veram nouimus, & inuictam: Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Eamdem doctrinam tradunt etiam Diuus Prosper *lib. 1. de vocatione gentium capitul. 7.* & contra Collatorem *cap. 17. & libr. 3. de vita contemplatiua cap. 1.* Diuus Hieronymus *lib. 2. in epistolam ad Galatas initio.* Leo Papa *sermone 2. de Pentecoste* Origenes *lib. x. in epistolam ad Romanos.*

38 Respondet Suarez *lib. 1. de prædest. cap. 7. num. 21.* Debere intelligi, quod infideles non possint facere aliquid boni, quod sit opus pietatis conducens ad salutem, & opera infidelium dici peccata lato modo defectu perfectionis quæ conducit ad salutem. Contra. Quia Augustinus ad probandum opera infidelium esse peccata vtitur illo Apostoli. *Omne, quod non est ex fide peccatum est.* Apostolus autem intelligit de vero peccato: nam hoc assumit tanquam rationem generalem ad probandum id, quod dixerat. *Si autem discernit, si manducauerit, damnatus est;* per solum autem verum peccatum homo damnatur. Secundò. Quia Augustinus 4. *contra Iulianum*, vocat talia opera fructus malos, ratione quorum homines excidūtur & in ignem mittuntur. Tertiò. Quia disputat contra Iulianum, & contendit, non esse opera bona, sed peccata, atque adeo in eo sensu, in quo Iulianus affirmabat esse bona; Iulianus autem non affirmabat bona in ordine ad vitam æternam, sed solum in ordine naturali, & ideo dicebat esse steriliter bona.

39 Respondet secundò. Opera infidelium regulariter, & moraliter loquendo esse peccata, quia vt plurimum infideles operantur ex errore apponentes malum finem. Contra: Augustinus 4. *contra Iulianum capitul. 3.* quærit. *Vtrum infideles in eo peccare dicendi sint quod dono Dei malè vtuntur non referentes ipsum ad eius cultum*, & concludit affirmatiuè; hoc autem valet vniuersaliter. Secundò. Quia ratio Diui Augustini

procedit

procedit de omnibus operibus; id enim probat ex illo Apostoli ad Hebræos x. *Sine fide impossibile est placere Deo, & ad Romanos 13. Omne quod non est ex fide peccatum est*, & quia omnis homo sine fide est arbor mala, quæ non potest facere, nisi fructus malos. Tertiò. Quia arguit, quòd bona opera ex obiecto, fiunt peccata in infidelibus, quia i;s infideliter vtuntur, hoc est non vtuntur sicut docet fides, vt habet etiam *lib. 1. de nuptijs cap. 3.* Quartò. Quia 4. *contra Iulianum capit. 3.* cum Iulianus diceret. *Si gentilis nudum operuerit, nunquid, quia non est ex fide, peccatum est.* Respondet Augustinus. *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum*; infideles autem de nullo opere possunt in Domino gloriari.

40 Probatur conclusio. Omnis operatio, quæ non tendit in vltimum finem, sed habet finem suum vltimum in creatura, peccaminosa est, quia auertit a Deo, & conuertit ad creaturam, sed talia sunt omnia opera infideliũ, etiamsi ex obiecto fiant virtuosa, ergo. Minor probatur. Infideles ex eo, quod carent fide, non cognoscunt finem vltimum beatificum, ad quem debent omnia referri, ergo non possunt suas operationes ad ipsum referre, ergo referunt ad creaturam vt ad vltimum finem, in quo sistant. Consequentia hæc prob. Quando qui operantur, habent motiuum operationis; vel ergo sistant in illo motiuo, & tunc figunt in ipso vltimum finem; vel vlterius tendunt, & tunc, cum non possint tendere in vltimum finem, quem non cognoscunt, nec possint progredi in infinitum, deberit adhuc sistere in aliqua creatura; vnde Augustinus *de fide, & operibus cap. 7.* ait. *In homine ipso, nisi præcedat fides, vita bona sequi non potest: quicquid enim homo rectè fecerit, nisi ad pietatem, quæ ad Deum est, referatur, rectum dici non oportet; omne autem factum, si rectè factum non est, peccatum est.* Confirmatur. Omne, quod fit secundum D. Aug. *lib. 9. de Trinit. cap. 7.* fit, vel ex amore creaturæ, hoc est ipsius operantis; vel ex amore creatoris. Infideles autem, qui non incipiunt habere aliquam fidem, non possunt operari ex amore creatoris, quia non cognoscunt ipsum, vt finem beatificum, sed solum ex amore creaturæ. Quando aliud fit ex amore creaturæ, est inordinatum, quia habet pro fine creaturam.

41 Dices. Ad operandum virtuosè sufficere, quod sistatur in ipsa honestate virtutum, quæ propter se ametur. Contra. Honestas virtutum est bonum creatum, atque adeo ex natura sua exigit referri in creatorem, ergo si voluntas sistit in ipso, ponit suum vltimum finem in creatura, atque adeo se auertit à Deo; vnde Augustinus *libr. 21. de ciuitate cap. 25.* ait. *Licet à quibusdam tunc veræ, & honestæ putentur esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, atque superbæ sunt, & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt.*

42 Dices secundò. Bonum honestum ex sua natura ordinari in vltimum finem, & ideo actum esse bonũ, si procedat ex motiuo honestatis, nam tunc virtualiter tendit in vltimum finem. Contra. Tunc operatio potest tẽdere virtualiter in vltimum finem ex eo, quod honestum ex natura sua in ipsum refertur, quando voluntas stat sub vniuersali motiuo vltimi finis, itavt in operatione particulari ab ipso virtualiter moueatur, sed gentiles non possunt virtualiter moueri ab vltimo fine, ergo. Minor probatur. Quod ignoratur omnino, nullo pacto potest mouere voluntatẽ, ergo si bonum honestum non cognoscatur vt subordinatũ vltimo fini, non potest mouere cum tali subordinatione, atque adeo nec etiam cum subordinatione ad ipsum; infideles autem non possunt cognoscere talẽ subordinationẽ.

43 Dices tertiò. Gentiles potuisse cognoscere Deum vt primam causam, & vt finẽ naturalẽ, atq; adeo potuisse ad ipsum dirigere suas operationes. Contra. Sine fide nõ potest Deus cognosci vt à nobis fruibilis, cum nõ possit cognosci vt assequibilis per visionem beatam, ergo sine fide non potest in ipsum ordinari operatio vt in finem. Conseq. probatur. Quia voluntas humana ex natura sua est determinata ad beatitudinem, ita vt propter ipsum velit, quidquid vult; vnde Augustinus 13. *de Trinitate capit. 3.* ait. *Si dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate, quidquid enim aliud quisquis latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit.* Et ideo si non cognoscitur Deus vt nostra beatitudo, operatio vt ordinata ad beatitudinem ordinatur ad nos ipsos vt finem vltimum, quia beatitudo est volita propter nos ipsos; vnde finis vltimus ponitur in nobis ipsis.

44 Obijc. primò. Cornelius centurio, antequam in Christum crederet, faciebat opera bona, & dicuntur acceptæ eleemosinæ ipsius, & exauditæ orationes in Actis Apostolorum, ergo. Respondetur negando assumptum. Nam quando id faciebat, faciebat ex vi fidei, quam habuit ex speciali dono Dei, vt notat Diuus Augustinus. *De prædestinatione Sanctorum c. 7. & lib. 1. ad Semplicianum, q. 2.*

45 Obijcies secundò. Diuus Augustinus *epist. 130.* docet fuisse diuinum opus, non Socratis quod Polemones ad bonos mores conuerteretur, & tamen nõ habuit fidem, ergo Respondetur. Intelligere de bonis moribus ratione virtutum ex obiecto, quas virtutes etiam alibi vocat dona Dei eo pacto, quo sunt dona Dei etiam bona naturalia; sed insuper docet talia dona malè adhiberi ab infidelibus, dum non referunt ad illum finem, ad quem debent referri.

46 Obijcies tertiò. Esther 14. Deus transtulit indignationem Assueris in lenitatem, vnde Augustinus *de gratia Christi cap. 24.* infert, quod Deus operatus sit in ipso bonam voluntatem, ergo. Respondetur. Intelligere de bona voluntate ex parte obiecti, & tantum intendit conuincere Pelagium ad fatendam potentiam Dei ad immutandas voluntates humanas, ita vt sicut potuit immutare voluntatẽ Assueri, possit etiã in nobis operari bonas volũtates.

47 Obijc. quartò. D. Aug. *De Spiritu, & litt. c. 27.* docet, quædam opera infidelium esse laudanda, ergo. Resp. Intelligere, quod sint laudanda, quatenus officia sunt, seu ex parte obiecti; nam subdit, quod si spectetur finis, non possunt vt bona defendi.

48 Ob. quintò. Romani fuerunt remunerati premio tẽporali propter opera virtutis, vt etiam notat D. Aug. 5. *de Ciuit. Dei c. 15.* Deus autem non remunerat peccatum. Resp. Fuisse remuneratos impropriè, quia assequuti sunt, quod per illa opera intenderunt eo pacto, quo Christus de Hypocritis dicit, quod receperunt mercedem suam, vt etiam ibi notat Diuus Augustinus, subdens talia opera verè fuisse peccata.

49 Ob. Sextò. Aug. *in expositione epistolæ ad Rom.* docet, Antè primam gratiam esse in nobis liberum arbitriũ, nõ vt nõ peccemus, sed solũ vt peccare nolimus; affectus autem non peccandi est honestus. Resp. Diuum Augustinum hoc scripsisse, quando erat in errore Semipelagianorum vnde etiam ibi docet, nostrum esse credere, & velle. Deinde affectus non peccandi non est honestas, nisi sit ex debito fine.

50 Ob. septimò. Ad Rom. 2. Gentes naturaliter, quæ legis sunt, faciunt. Respondet D. Aug. *de Spiritu, & Litt. c. 26.* Apostolum loqui de gentibus ad fidem cõuersis, quod si intelligatur etiam de infidelibus, faciunt, quæ legis sunt sed non cum debito fine.

An fideles peccatores possint bene operari absque gratia per Iesum Christum.

SECTIO VI.

51 PRima sententia est affirmatiua. Ita Diuus Bonauentura *in 2. dist. 28. art. 2. q. 2.* Richard. *art. 1. quæst. 1.* Caietanus 1. 2. *quæst. 109. articul. 2.* Medina *ibidem.*

ibidem. Curiel *dub.* 1. Suarez *lib.* 1. *de gratia*, & alij.

52 Secunda sententia est negatiua. Ita Alensis *Tertia p. quæst.* 69. *Mem.* 1. *art.* 2. Ariminensis *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 1. Aluarez *disp.* 56. *de auxilijs.* Vasquez 1. 2. *disput.* 109. *cap.* 2. *& sequentibus*, qui tamen vult, quod ista gratia non sit ordinis supernaturalis, sed tantum naturalis.

53 Dicendum est. *Fideles non posse facere aliquod opus bonum sine gratia supernaturali, quæ sit ex Christi meritis, itaut in genere morali quidquid faciunt, male faciant ex circunstantijs, & fine, nisi adsit gratia.* Desumitur ex Concilio Arausicano can. 9. *Diuini muneris est cum benè cogitamus, & pedes nostros ab iniustitia tenemus, quoties enim bona agimus Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur*, & can. 22. *Nemo habet de suo nisi mendacium, &c.* & intelligit etiam de operibus naturalibus, vt diximus supra, & etiam *can.* 23. vbi definit, *Quod homines faciunt suam voluntatem quando id agunt, quod Deo displicet, quando tamen seruiunt voluntati ipsius, in hoc voluntas præparatur à Deo*, &c. Desumitur etiam ex Diuo Augustino lib. contra Sermonem Arianorum cap. 25. *Spiritus interpellat, id est interpellare nos facit, secundum Deum, quod nisi faciat, non oramus, nisi secundum istum mundum ad explendam concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & ambitionem seculi, quæ non sunt à Patre, sed ex hoc mundo sunt*, & libr. 4. contra Iulianum cap. 3. ait. *Amor fruendi quibuscunque creaturis sine amore creatoris, non est a Deo, amor autem Dei, quo peruenitur ad Deum, non est nisi à Deo Patre per Iesum Christum cum Spiritu Sancto, per hunc amorem benè quisquam vtitur creaturis; sine hoc amore creatoris nullus quisquam benè vtitur creaturis*, & tractat. 22. in Ioannem. *Vita nostra tanquam nostra idest ex voluntate nostra non erit nisi mala, Peccatrix, Iniqua; vita vero bona de Deo in nobis est non à nobis*, & libr. primo ad Bonifatium capitul. vltimò. *Nemo benè libero arbitrio vti potest, nisi per gratiam*, & in Epistolam ad Galatas. *Qui non ducuntur spiritu, sequitur vt carne ducantur*, Probatur. Homo habet præceptum diligendi Deum super omnia Matthæi 22. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, &c.* & ex hoc præcepto tenetur omnia ordinare ad Deum saltem virtuali modo, vt ad vltimum finem, ergo non potest facere aliquod opus bonum absque gratia, sed quidquid faciet in moralibus, erit malum. Consequentia probatur. Peccator non potest ordinare opera sua bona in Deum virtuali modo, quia non habet Charitatem, ratione cuius stet sub motione vltimi finis, & in cuius virtute operetur, nec formaliter absque gratia, ergo quidquid facit sine gratia, non solum non est opus bonū, sed malum quia est contra præceptum diligendi Deum, quod præcipit omnia intendi propter ipsum, & ad ipsum ordinari; vnde Diuus Thomas 1. 2. *quæst.* x. *ar.* x. ait quod præceptum Charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Confirmatur. Omnis amor, si non est amor vltimi finis, aut ipsi subordinatus, atque adeo in ipso radicatus, est amor malus, qui dicitur concupiscentiæ, quia est amor creaturæ sistens in ipsa, vt docet Diuus Augustinus 9. *De Trinitate capitul.* 7. *&* 8. ergo vitiat quidquid ab ipso procedit, & facit vt inordinate se habeat, & quoad voluntas sit arbor mala, quæ non possit facere, nisi fructus malos, vt inquit Christus, & arguit Diuus Augustinus *libr.* 4. *contra Iulianum capitul.* 3. hinc 1. Ioannis secundò. *Nolite diligere mundum neque ea, quæ in mundo sunt; Si quis diligit Mundum, non est Charitas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.*

54 Obijcitur primò. Omnia opera infidelia sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia, fuit propositio Michaelis Baij ex illis damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. ergo Respondetur plures ex illis propositionibus fuisse damnatas, non quia non veræ essent, sed quia poterant habere malum sensum, vel quia continebant censuras nimis acres oppositę doctrinæ, vt notant Suarez *prolegomeno* 6. *De gratia capitul.* 2. *numer.* 14. Vasquez 1. 2. *disput.* 190. *capitul.* 2. *&* 19. Vbi asserit, quod hoc ipsum affirmauit, & subscripsit Toletus qui à Pontifice missus fuit Louanium ad sedandos tumultus ibi ortos propter illas propositiones; imo etiam ipse Pontifex habet in ipsa bulla, quod plures ex illis propositionibus possunt in vero sensū defendi; talis autem est præsens propositio, nam potest habere sensum quod opera infidelium sint peccata ex obiecto; aut quod omnia sint peccata, atque adeo, quod non possint habere opera bona, quibus disponantur ad iustificationem. At sensus, quem intendebat Baius, est, quod non posset fieri aliquod opus bonum sine gratia inhabitante; neque enim distinguebat gratiam mouentem à gratia inhabitante, vt constat ex propositione ipsius 59. vnde etiam volebat, quod homo quolibet bono opere sanctificaretur. In hoc ergo sensu est damnata. Rursus dum volebat, omnia opera infidelium esse peccata, complectebatur etiam opera facta sine libertate, vt constat ex 63. proposit. Vide Vasquez 1. 2. *disput.* 190. *cap.* 10. *& sequent.* Turrian. *contra errores Baij cap.* 3. §. 1. Necesse verisimile quod Pontifex voluerit damnare illas propositiones, quæ sunt fundamentalis doctrina Diui Augustini contra errores Pelagianorum, & Semipelagianorum, qui contendentes bona opera posse fieri naturaliter, id ex eo probabant, quod gentiles haberent veras virtutes; vt desumitur ex Diuo Augustino 4. *contra Iulianum cap.* 3.

55 Obijcitur secundò. Propositio 27. eiusdem. Michaelis Baij, in qua asserebat. Liberum arbitrium sine gratia Dei non nisi ad peccandum valet, secundum autem nos non haberet nisi ad peccandum, ergo. Respondetur, Secundum nos non valere nisi ad peccandum sine gratia extrinsecus adueniēte, vt etiam docet Diuus Augustinus, secundum autem Baium non valebat nisi ad peccandum sine gratia Spiritus Sancti inhabitantis in homine per gratiam, & Charitatem habitualem, in quo sensu propositio est hæretica.

56 Obijcitur tertiò. Propositio 29. eiusdem Michaelis Baij vbi ait. *Non solum fures sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis, & vitæ negant, sed etiam quicunque aliundè, quam per ipsum viam iustitiæ, hoc est ad aliquam iustitiam conscendi posse docent.* Et 29. in qua dicebat esse errorem Pelagianum dicere, quod liberum arbitrium valeat ad vitandum aliquod peccatum, & 37. in qua asserebat, quod ex viribus naturæ non possit haberi aliquod bonum & 63. in qua dicebat. Nonnisi cum Pelagio admitti posse aliquem vsum bonum liberi arbitrij sine gratia, ergo. Respondetur. Has propositiones esse Diui Augustini, Cælestini Papę ad episcopos Gallię, Innocentij Papæ ad Concilium Cartaginense, & concilij Arausicani, & ideo non fuisse repositas inter damnatas, quia non essent verę, sed quia continebant censuras, vel iniurias contra illos auctores, contra quos fuerunt publicatæ. Vnde Diuus Augustinus *lib.* 1. *ad Bonifacium cap. vltimo ait. Tantum constituunt in libero arbitrio, vt eo benè vtendo dicant, hominem mereri gratiam, cum nemo bene illo vti possit sine gratia*, & Cælestinus Papa ad Episcopos Galliç, *Vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere nō dubitemus auxilia.* Deinde supradictę propositiones procedūt in eo sensu Baij, de quo dictum est, & ex eo fundamento quod requireretur gratia inhabitans. Vide Vasquez 1. 2. *disput.* 190. *cap.* 10. *& sequentibus.* Turrianus *contra errores Baij capitul.* 3. §. 1.

57 Ob. quartò. Propositio 37. Eiusdem Baij vbi habet. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa Charitas, qua, per spiritum sanctum in cor-*

de

de diffusa, Deus amatur; per nos autem dantur tantum hi duo amores ergo. Resp. Per nos dari duos tantum amores, nempe malum, & bonum, sicut etiam solum dantur duo genera obiectorum, nempe creatum, & increatum, sed amor obiecti increati non est solum laudabilis illa Charitas, quam agnoscebat Baius, sed etiam amor imperfectus, qui præcedit infusionē Charitatis habitualis, quē negabat Baius, asserens, quod nullus amor Dei esset in homine, nisi à Spiritu sancto inhabitante in ipso, vt desumitur ex ipsius propositione 31.32.42.68. Vbi etiam docet, quod potest Charitas habitualis esse in homine antē quam ei remittatur peccatum; quæ sunt hæretica.

An ad vincendas tentationes contra legem naturalem, & alia bona opera, sit necessaria gratia.

SECTIO VII.

58 Nomine tentationis intelligimus totū illud, quod quocunque pacto retrahit voluntatem à quocūque bono: Tentatio autem dupliciter potest vinci. Vel ex motiuo malo, incidendo in aliud peccatum, quod non est propriè vincere, sed alteri tentationi succumbere. Vndè Augustinus lib. 3. contra duas epistolas Pelagij. cap. 4. *Carnalis cupiditas, qua peccatum augetur, alia cupiditate non superatur*, & lib. de continentia cap. 12. *Continendo erroribus seruiunt, vel aliquas minores cupiditates ideo vincunt, vt alias expleant, quarum granditate vincuntur*; Vel ex motiuo bono, quod est propriè vincere, & in hoc sensu procedit difficultas, nam certum est, quod in primo sensu non est necessaria gratia.

59 Prima sententia asserit, omnem tentationem vinci posse sine gratia, victoria negatiua, quæ non sufficit ad meritum. Ita Richardus *in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 2. & 3.* Molina *in concordia disp. 19.* & recentiores Thomistæ.

Probat. Nulla victoria contra legem naturalem est ordinis supernaturalis ergo. Secundò. Si non posset vinci, consensus non imputaretur ad peccatum ergo.

60 Secunda Sententia asserit, quamlibet tentationem seorsim posse vinci sine gratia; non autem omnes collectiuè. Ita Diuus Bonauentura *in 2. dist. 28. artic. 2. quæst. 2.* & alij.

Probat. Nullum obiectum creatum mouet necessariò voluntatem. Ergo. Secundò. In statu puræ naturæ potuisset vinci sine gratia omnis tentatio, alioquin consensus non fuisset peccatum. Ergo etiam in statu naturæ lapsæ.

61 Tertia sententia asserit, leues tentationes posse vinci sine gratia, non autem graues. Ita Scotus 1. *De natura, & gratia cap. 21. ad secundum.* Medina 1.2. *quæst. 109. art. 2.* Valentia *disp. 8. quæst. 1. punct. 4.* Lorca *disp. 6. de gratia.* Suarez 1. *de gratia. cap. 23.* & communiter Recentiores.

Probant. In natura vitiata adsunt aliquæ vires ad resistendum, vt docet Augustinus *cap. 2. de perfectione iustitiæ.* Ergo. Secundò. Adsunt motiua ad vincendas tentationes nobis naturaliter insita, vt pudor, timor, & alia huiusmodi. Ergo.

62 Quarta sententia vult, nullam tentationem posse vinci sine gratia. Ita Ariminensis *in 2. dist. 28. quæst. 2. artic. 1.* Capreolus *quæst. 1. art. 3.* Marsilius *quæst. 20. art. 3.* Bellarminus *1. de gratia, & libero arbitrio. cap. 7.* Vasquez 1.2. *disp. 18. cap. 4.* qui tamen vult posse vinci per gratiam naturalis ordinis.

63 Dicendum est. *Nullam tentationem, quantumuis leuem, posse vinci vera victoria ex motiuo bono absque gratia per Christum.* Desumitur ex Innocentio Papa *Epistola ad Concilium Cartaginense*, vbi ait. *Quotidiana præstāt illa remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores*; & rursus. *Necesse est, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur.* Celestino 1. epist. ad Episcopos Galliæ cap. 6. *Nemo etiam Baptismatis gratia renouatus idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.* Ex Concilio Arausicano can. 9. *Diuini muneris est cum rectè cogitamus, & pedes nostros ab iniustitia, & falsitate tenemus*, & can. 14. *Nullus miser de quantacunque miseria liberatur, nisi Dei misericordia præueniatur.* Desumitur etiam ex Diuo Augustino 20. De Ciuitate c. 16. *Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei, & hominum hominem Iesum Christum*, & lib. 6. contra Iulianum. cap. 23. *Neque enim rectè cuiusquam spiritus concupisceret aduersus carnem, nisi habitaret in eo Spiritus Christi.* Prospero cap. 55. cōtra Collatorem. *Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adiuuari, ad quem quotidie corda vniuersorum fidelium clamant ne inferas in tentationem.* Gregorio in psalmum tertium penitentialem. *Necessariò enim sequitur, vt omni tentationi sit subditus, quicunque à Deo fuerit derelictus.*

64 Dices. Intelligi de victoria, quæ prodest ad vitam æternam. Contra. Quia non diceret, quod Deo non auxiliante necesse sit, vt vincamur, quod voluntas nihil possit cælestibus præsidijs destituta; Quod sine Dei misericordia non liberetur de quantacunque miseria, siquidem posset haberi victoria saltem non meritoria.

65 Dices secundò. Loqui indefinitè, & ideo non esse intelligendos de omnibus tentationibus, sed solum de grauibus. Contra. Quia propositio indefinita in materia dogmatica æquiualet vniuersali. Secundò. Quia negat possibilitatem vincendi tentationes sine gratia, vbi autem nō est possibilitas, nullus potest esse actus.

66 Dices tertiò. Ita loqui, quia si tentationes diù durent, non potest homo resistere sine gratia. Contra. Si posset resistere etiam pro breui tempore, non posset saluari, quod voluntas gratia destituta nihil posset, nec quod necesse sit, nos vinci Deo non auxiliante; nec absolutè esset verum, quod non possemus resistere.

67 Probatur conclusio. Non potest vinci tentatio etiam leuissima, nisi vincatur ex aliquo fine, qui moueat voluntatem ad resistendum. Ergo non potest vinci sine gratia. Antecedens patet. Quia voluntas non operatur, nisi mota ex fine. Consequentia probatur. Vel finis mouens ad resistendum est debitus finis, vel non. Si primum, debet esse finis vltimus Deus, atque adeo debet vinci ex amore ipsius, quia omnis motus finis debet resolui in finem vltimum. Si secundum, ergo non rectè vincitur, sed inordinatè, atque adeo cum peccato.

68 Ad primum primæ sententię neg. conseq. Licèt enim victoria tentationis contra legem naturalem ex obiecto sit naturalis; quia tamen debet prouenire ex motiuo finis supernaturalis, ideo est necessaria gratia, sicuti etiam ad præponderandum impulsum tentationis, quo voluntas trahitur. Ad secundum negatur sequella. Nam consensus imputatur, quia voluntas quantum est ex vi suæ facultatis in actu primo potest non consentire, licet supposita praua sua inclinatione non possit non consentire.

69 Ad primum secundæ sententiæ negatur consequentia. Quia licet voluntas non necessitetur à motiuo tentationis, stante tamen mala concupiscentia ipsius circa bonum concupiscibile, à qua detinetur, liberè consentit in tentationem. Ad secundum quidquid sit de statu puræ naturæ; nunc est diuersa ratio. Tum quia homo debet resistere in ordine ad finem supernaturalem. Tum quia natura per peccatum est valdè debilitata.

70 Ad primum tertiæ sententiæ negatur consequentia. Quia licet voluntas habeat aliquas vires, non tamen sufficiunt, nisi adiuuentur. Ad secundum negatur consequentia. Quia illa motiua sunt motiua humana, atque adeo non sufficiunt ad obtinendam veram victoriam.

An

An gratia sit necessaria in statu naturæ lapsæ ad amandum Deum.

SECTIO VIII.

71 PRima sententia negat, esse absolutè necessariam gratiam ad diligendum Deum vt finem naturalem non solum amore imperfecto, sed neque etiam amore perfecto, & super omnia. Ita Caiet. *Tom. 1. opusculorum tract. 4. quæst. 1.* Sotus *2. de natura, & gratia cap. 14.* Scotus *in 1. dist. 17. quæst. 1. & 2.* Gabriel *in 3. dis. 17. quæ. 1. art. 3. dub. 2.* Durandus *dist. 29. quæst. 2. num. 13.*

Probant. Homo in puris naturalibus potuisset elicere hunc amorem. Ergo etiam in statu naturæ lapsæ, cum habeat easdem vires. Secundò. Anima pueri decedentis cum solo originali est in statu naturæ lapsæ, & tamen potest elicere hunc amorem. Ergo. Tertiò. Aliæ difficiliores actiones fiunt sine gratia, vt cum hæreticus mortem subit pro sua secta. Ergo.

72 Secunda sententia asserit, hunc amorem posse haberi per vires naturæ pro aliquo breui tempore, si nulla adsit tentatio. Ita Molina *in Concordia disp. 14. mem. 3.* Medina *1. 2. quæst. 109. art. 3.* Lorca *disp. 5. de gratia* Bannes *2. 2. quæst. x. art. 1. dub. 2. ad quartum.*

Probant. Ad habendum hunc amorem pro breui tempore non est necessaria obseruantia omnium præceptorum, nec semper occurrit difficultas, quæ ipsum impediat. Ergo.

73 Tertia sententia absolutè docet, esse necessariam gratiam. Ita Diuus Thomas *1. 2. quæst. 109. art. 3.* Pesantius *disp. 8.* Curiel *dub. vltimo.* Valentia *disp. 8. quæst. 1. punc. 4.* Bellarminus *lib. 6. De gratia, & libero arbitrio. cap. 7.* Suarez *1. de gratia ca. 23. & sequentibus.* Aluarez *disp. 51. de auxilijs.* Turrianus *disp. 5. de necessitate gratiæ. dub. 2.* & alij.

74 Notandum primò. Omnem amorem incipere ab ipso amante, quia nimirum omnis amor tendit ad acquisitionem boni; ideo autem voluntas quærit bonum, vt amans per ipsum benè se habeat, atque adeo talis tendentia supponit amorem amantis erga se ipsum; vndè August. in. *homilia 36. Amores omnes, & dilectiones prius sunt in hominibus de se, & sic de alia re, quam diligant: Si diligis aurum, prius te diligis, & sic aurum; quia, si mortuus fueris, nullus erit, qui aurum possideat. Ergo dilectio vnicuique à se incipit.*

75 Notandum secundò. Primum amorem voluntatis, qui sequitur ex amore sui, esse amorem beatitudinis in confuso, qui est radix, à qua proueniunt omnes alij amores, quia enim voluntas est determinata ad prosequendum bonum, ideo ipsum prosequitur, vt possit satiari, & proindè prosequitur bona particularia, in quantum ordinantur ad satietatem, quam ipsa intendit; vndè prosequutio cuiuscunque boni supponit desiderium satiatiui; hinc Augustinus concione secunda in Psalmum 32. *Depellendæ ergo miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis causa faciunt omnes homines quidquid vel boni faciunt, vel mali, semper ergo beati esse volunt.*

76 Notandum tertiò. Ex his sequi, quod omnis amor aut sistat in persona amante vt in vltimo fine, aut tendat in Deum; ita vt extra hæc duo non possit habere alium vltimum finem, cum enim omnia amentur in ordine ad beatitudinem, atque adeo in ordine ad personam beatificandam, vel iste amor sistit in ipsa persona, & tunc ipsa est vltimus finis; vel non sistit, & tunc non potest tendere, nisi in Deum vt vltimum finem, in quo est obtinenda beatitudo; vndè Augustinus *9. De Trinitate cap. 7. & 8.* docet, omne quod fit fieri vel ex amore creaturæ, hoc est ipsius operantis; vel ex amore creatoris.

77 Notandum quartò. Amorem, qui sistit in amante, & non ordinat ipsum ad Deum, esse amorem vitiosum, quia ponit finem vltimum in creatura; quia cum omnis beatitudo non possit haberi, nisi in Deo, debet omnis amor esse vltimatè propter ipsum Deum, vndè Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. *Non autem præcipit scriptura, nisi Charitatem, nec culpat nisi cupiditatem; & eo modo informat mores hominum.* & subdit. *Charitatē voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximū, propter cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.*

78 Dico primò. *Omnis amor, qui non subordinatur amori, quo diligimus Deum vt finem beatificum, est inordinatus, & vitiosus.* Desumitur ex Diuo Augustino lib. 2. de libero arbitrio cap. 19. *Voluntas autem auersa ab incommutabili, & communi bono, & conuersa ad propriū bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat;* & lib. 1. cap. 15. *Æterna lex iubet auertere amorem à temporalibus, & eum mundatum conuertere ad æterna.* Probatur. Amor, qui non est propter Deum vt finem beatificum, aut ipsi non subordinatur, non est propter finem, ad quem debet dirigi. Ergo est amor vitiosus. Antecedēs patet. Quia omnis amor incipit à nobis, & est propter beatitudinem, vt constat ex dictis. Ergo si non sit in ordine ad finem, in quo est vera beatitudo, non est propter finem debitum. Consequentia probatur. Eo ipso, quod non est propter finem debitum, sistit in aliquo vt in fine, atque adeo ponit finem vltimum in creatura. Ergo inordinatè se habet.

79 Dico secundò. *Omnis amor ordinatus circa Deum, etiamsi sit imperfectus, ita est ex gratia, vt sine ipsa non possit haberi, atque adeo non potest creatura ex viribus proprijs diligere Deum amore recto.* Desumitur ex Diuo Augustino lib. 2. de peccatorum meritis cap. 18. *Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & vtique malam non habemus ex Deo, restat cum bonam voluntatem habeamus ex Deo,* & de gratia, & libero arbitrio cap. 18. *Vndè est in hominibus Charitas Dei, & Proximi, nisi ex ipso Deo? nam, si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Et de gratia Christi cap. 21. *Quasi vero aliud sit bona voluntas; quam Charitas, quam scriptura nobis esse clamat ex Deo.*

Probatur. Ex Concilio Aransicano canone 25. *Prorsus donum Dei est diligere Deum, ipse, vt diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit, displicentes amati sumus, vt fieret in nobis vndè placeremus.*

80 Dices. Loqui de amore supernaturali, nam loquitur de amore sicuti oportet. Contra Amor Dei tunc est, sicuti oportet, quando est propter ipsum vt vltimum finem; & quando non est, neque etiam est sicuti oportet. Ergo non potest esse rectus, nisi sit ex gratia. Secundò. Definitio procedit contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui non volebant, esse possibilem amorem supernaturalem ex viribus naturæ, cum hoc implicet in terminis, sed solum naturalem. Ergo. Tertiò. Ex eodem canone nemo potest operari sine gratia propter Deum, quod bonum est; talis autem amor esset bonus, & esset propter Deum. Quartò. Si posset haberi amor Dei naturalis, sine gratia, per ipsum seruaretur præceptum naturale de diligendo Deo, vndè in hoc posset homo rectè cogitare, & pedes suos ab iniustitia tenere contra *canonem nonum* eiusdem Concilij; Fieret in homine aliquod bonum, quod non esset à Deo, contra definitionem *canonis* 20. Non haberet de suo nisi mendacium, & peccatum *contra can. 22.* Seruiret sine gratia diuinæ voluntati contra *canonem* 23.

81 Ad primum primæ sententiæ negatur assumptum. Quia neque in puris naturalibus esset possibilis talis amor, vt mox dicemus. Ad secundum negatur secunda pars antecedentis, quia anima pueri decedentis cum solo originali, remanet damnata, & auersa à Deo. Ad tertium negatur consequentia. Quia illæ actiones, licet difficiliores, non tamen se extendunt virtualiter, nec formaliter ad altiorem ordinem, nec tendunt contra concupiscentias, sed sunt ex ipsis.

82 Ad

82 Ad Fundamentum secundæ sententiæ negatur assũptum. Quia eo ipso, quod Deus amatur propter se, interuenit virtualis ordinatio, qua omnia ad ipsum referuntur.

83 Colligitur primò ex dictis. In natura lapsa nullam dilectionem Dei esse possibilem sine gratia, etiamsi sit imperfecta, quia vt sit recta, necesse est, vt attingat Deum tanquam vltimum finem fruibilem, cum enim procedat ex intentione Beatitudinis, non potest attingere Deum propter ipsum, nisi sistat in eo, vt in fine beatifico, alioquin ipsum ita attingeret, vt vltimatè terminaretur ad ipsum amantem.

84 Colligitur secundò. Hominem in puris naturalibus constitutum non potuisse diligere Deum amore recto absque gratia, etiamsi in ipso non fuissent concupiscentiæ, vt docent Caietanus 1.2.*quæst.* 109.*art.* 2. Medina *artic.* 3. Curiel *dub.* 2. Suarez 1. *de gratia cap.* 36. & alij contra Aluarez *disp.* 51. *de Auxilijs*, vbi vult, quod potuisset diligere saltem pro breui tempore. Ratio est. Quia vel tũc homo se referret in Deum, vt vltimum finem, vel non. Si primum, esset impossibile, quod se referret sine gratia, quia finis beatificus excedit vires naturæ. Si secundum. Ergo non amaret Deum debito modo, quia ille amor etiamsi haberet Deum pro obiecto vt cognitum lumine naturali, non tamen haberet pro fine, sed reuerteretur ad ipsum amantem, nam in tantum amaret Deum, in quantũ esset ipsi bonum amare; ille enim amor procederet ex intentione beatitudinis, & ideo cum non referret amantem in Deum, haberet pro fine ipsum amantem tanquam beatificandum.

85 Colligitur tertiò. Neque in statu naturæ integræ potuisse amari Deum amore recto absque gratia, vt docet Diuus Thomas 1.2.*quæst.* 109.*ar.* 3. Ratio est eadem. Quia nimirum amor Dei ex quocunque motiuo procedat, non potest esse rectus, nisi sit propter ipsum, vt vltimum finem, atque adeo nisi aut formaliter, aut virtualiter ordinet amantem ad ipsum tanquam ad finem, vt constat ex dictis.

An ex viribus naturæ sit possibilis aliquis amor beneuolentiæ erga Deum vt auctorem naturæ.

SECTIO IX.

86 PRima sententia est negatiua, vult enim, hunc amorem esse supernaturalem in sua substantia. Ita Vasquez 1.2.*disp.* 195.*c.* 2. Turrianus *disp.* 5.*dub.* 2. & alij. Probant. Amor beneuolentiæ est amor amicitiæ, amicitia autem est Charitas, quæ naturaliter non potest haberi. Secundò. Beneuolentia erga Deum est supra inclinationem naturæ, quæ solum inclinatur ad bonum sibi cõueniens. Tertiò. Ista beneuolentia potest tantum esse charitas. Quartò. Talis amor esset dispositio ad gratiam, quia nulla proximior dispositio reperitur, quã sit amor. Ergo.

87 Secunda sententia est affirmatiua. Ita D. Thomas 1. 2.*quæst.* 109.*art.* 3. Alensis 2.*par.quæst.* 9.*memb.* 1.*art.* 1. Suarez 1.*de gratia.cap.* 30. Curiel 1.2.*quæst.* 109.*artic.* 3. & alij.

88 Dico primò. *Est possibilis aliquis amor beneuolentiæ erga Deum ex obiecto naturalis, atque adeo proportionatus viribus naturalibus.* Probatur. Voluntas potest naturaliter amare omne bonum, quod naturali modo proponitur eo modo, quo ex natura sua est amabile; Deus autem per naturalem cognitionem proponitur vt prima causa, atque adeo vt summum diligibile habens infinitam excellentiam. Ergo.

89 Dices. Rationem naturalem non posse dictare, quod Deus sit propter se amabilis. Contra. Ratio naturalis dictat, quod personæ dignæ sint propter se amabiles ratione excellentiæ, & in particulari dictat, quod Deus sit colendus. Ergo dictat, quod sit amandus ratione excellentiæ ipsius.

90 Dico secundò. *Iste amor beneuolentiæ non potest esse rectus, nisi rursus ordinetur ad Deum vt vltimum finem, atque adeo nisi sit ex gratia.* Probatur. Amor iste debet prouenire ex amore, quo creatura se ipsam diligit, & sibi desiderat beatitudinem, vt constat ex dictis in superioribus. Ergo non potest esse rectus, nisi referatur in Deum, vt in finem vltimum beatificum. Consequentia probatur. Actus procedens ex intentione beatitudinis, si non ordinatur in Deum vt in finem, in quo est acquirenda beatitudo, non est ex intentione veræ beatitudinis. Ergo ex intentione non recta, atque adeo ex intentione proprij boni inordinati.

91 Ad primum. Amor beneuolentiæ est Charitas, quando procedit ex motiuo Charitatis, nempe vltimi finis; secus autem quando procedit ex motiuo excellentiæ naturaliter cognitæ, nam tunc est amicitia humana. Sic etiam quando diligo proximum non propter Deum, sed ob excellentiam ipsius, non est Charitas, sed humana amicitia. Ad secundum. Beneuolentiam erga Deum vt auctorem naturæ non esse supra inclinationem, quia est naturali modo perfectiua ipsius amantis; vndè etiam Deus, vt ipsam terminat, est connaturaliter amabilis, & in tali amore amans ordinat illam beneuolentiam ad se ipsum. Ad tertium negatur assumptum. Quia sicuti Deus per cognitiones diuersas naturalem, & supernaturalem proponitur secundum diuersas rationes obiectiuas, ita etiam potest terminare diuersas beneuolentias. Ad quartum negatur sequella. Quia dispositio ad gratiam debet fundari in fide, atque adeo debet tendere erga Deum vt auctorem gratiæ.

An ex viribus naturæ sit possibilis amor Dei super omnia vt finis naturalis.

SECTIO X.

92 PRima sententia est affirmatiua. Ita Alensis 2.*parte quæst.* 31.*mem.* 3. Scotus *in* 1.*dist.* 17.*quæst.* 2. & communiter Scotistæ. Caietanus 1.2. *quæst.* 109.*art.* 3. Medina *ibidem.* Suarez 1.*de gratia.cap.* 31.

93 Secunda sententia est negatiua. Ita Vasquez 1.2.*disput.* 190. & 195.*ca.* 2. & 5. Turrianus *opusculo de amore amicitiæ inter Deum, & hominem.*

94 Dicendum est. *Non esse possibilem ex viribus naturæ amorem Dei super omnia, vt auctoris naturæ, seu vt finis naturalis.* Probatur. Amor Dei super omnia non potest haberi, nisi omnia amentur propter ipsum, & proinde etiam amans diligat se ipsum propter Deum. Ergo non potest haberi ex viribus naturæ. Antecedens patet. Quia amari super omnia dicit, quod omnia amentur cum subordinatione ad Deum, atque adeo impleatur præceptum diligendi Deum ex toto corde &c. Vndè Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. *Cum autem ait, Toto corde, Tota anima, Tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vocare debet, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animo, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.* Consequentia probatur. Natura intellectualis omnia amat in ordine ad beatitudinem, & beatitudinem in ordine ad se vt finem *cui*. Ergo non potest se, & omnia sua referre in Deum, nisi ipsum amet vt finem vltimum, in quo sit beatificanda, alioquin amor sistet in ipsa creatura, nec poterit eleuari ad Deum defectu motiui eleuantis, sed Deus non potest vt talis amari naturali modo, & sine gratia. Ergo.

95 Obijcies. Voluntas naturaliter inclinat in Deum vt auctorem naturæ. Ergo amor Dei super omnia vt auctoris naturæ est secundum inclinationem naturalem. Ergo non excedit vires naturæ. Resp. negando consequentiam, Quia implicat, quod amor Dei vt auctoris naturę præcisè sit amor super omnia, cum non possit ad ipsum amans cum suis omnibus referri, & amari propter ipsum Deum vltimatè,

matè, nisi etiam Deus terminet amorem vt finis beatificus.

96 Obijcitur secundò. Præceptum amandi Deum super omnia est naturale. Ergo potest seruari per vires naturæ. Resp. Esse naturale non quia naturali modo impleri possit; sed quia naturali modo manifestatur, hoc est per lumen rationis inditum naturæ.

Instabis. Vbi non est possibilitas, præceptum non habet locum. Ergo si hoc præceptum non potest naturaliter impleri, neque etiam potest naturaliter imponi. Respondetur. Vbi nullo modo adest possibilitas, non adest præceptum; secus autem vbi adest possibilitas quocũque modo; quando autem in prima creatione hominis fuit datum huiusmodi præceptum, & insertum lumini naturali, fuit etiam data possibilitas, quia homo fuit creatus in gratia, & fuerunt præparata omnia auxilia ad obtinendum finem supernaturalem.

97 Instabis secundò. Ergo infideles, qui modo non habent gratiam, non peccarent non obseruando huiusmodi præceptum, cum non possit seruari absque gratia. Resp. negando conseq. Quia carent gratia saltem ratione peccati originalis, atq. adeo ratione propriæ culpæ vt cũ D. Aug. docet. D. Th. 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 2. vndè ex hoc capite transgressio præcepti imputatur *in causa*. Deinde etiam peccant, quia se conuertunt ad creaturas vt ad vltimum finem, atque adeo in sita operatione se habent inordinatè fruendo creaturis, & non vtendo, sicuti ratio naturalis dictat.

98 Colligitur ex his. Quod homo nunquam possit habere talem amorem ex viribus naturæ, siue sit in statu naturæ lapsæ, siue in statu puræ naturæ etiam absque rebellione appetitus; siue etiam in statu naturæ integræ, & Innocentiæ, nam semper talis amor excedit vires naturales, vt constat ex dictis.

An in statu naturæ lapsæ sit necessaria gratia ad seruandam legem naturalem.

SECTIO XI.

99 Certum est; aliqua præcepta seruari posse sine gratia materiali modo, cum possint obseruari etiam per actiones peccaminosas; vndè difficultas procedit de obseruantia virtuosa, ita vt vitetur peccatum mortale, & obseruantia sit ex debito fine.

100 Prima sententia est negatiua. Ita Durandus *in* 2. *dist.* 26. *quæst.* 3. *&* 4. Gabriel *quæstione prima* Scotus §. *Ad quæstionem*, & §. *Contra istas duas vias*. Probant. Deuteronomij 30. *Mandatum hoc non supra te est*. Ergo non est impossibile obseruari sine gratia. Secundò. Omnia præcepta continentur intra ordinem naturalem. Ergo sunt proportionata viribus naturæ, quia infirmitas naturæ non diminuit vires intrinsecas voluntatis. Tertiò. Possunt seruari aliqua præcepta, ergo etiam omnia; tum quia non sunt infinita, tum quia ex obseruantia vnius non amittuntur vires pro alio. Quartò. Sequeretur, quod Deus vt auctor naturæ præciperet impossibilia, quia vt auctor naturæ præcipit supra vires naturę, & non dat vires.

101 Secunda sententia asserit, esse necessariam gratiam. Ita Diuus Thomas *prima secundæ quæst.* 109. *artic.* 4. & 8. Caietanus, & Conradus *ibidem*. Curiel *dub.* 3. Vasquez *prima secundæ disput.* 197. *cap.* 6. Suarez 1. *de gratia cap.* 26. & communiter.

102 Dicendum est. *Nullum præceptum posse debito modo seruari absque gratia, atque adeo gratiam esse necessariam ad vitãda singula peccata mortalia contra legem naturalem.* Desumitur ex D. August. 2. ad Bonifaciũ cap. 8. *Lex sancta, iusta, & bona, nec ipsa est gratia, & nihil ex ea rectè fit sine gratia.* & lib. primo Retractationum cap. 23. *Dixi, hominem describi adhuc sub lege, nondum sub gratia constitutum: benè facere volentem, sed victum concupiscentijs carnis malè facientem; à cuius concupiscentiæ dominatu non liberat, nisi gratia Dei per Iesum Christum donum Spiritus sancti.* Et Tract. 3. in Ioannes. *Conantes homines implere viribus suis, quod à lege præceptum est, ipsa sua temeritate, & præcipiti præsumptione ceciderunt, & non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei; & quoniam viribus suis implere non poterant legem, facti rei sub lege implorauerunt liberatoris auxilium.* Et in Epistola ad Galatas loquens de Hebræis. *Ideo quædam opera implebant, quæ in sacramentis sunt, illa vero, quæ ad bonos mores pertinent, implere omnino non poterant; non enim implet ea, nisi Charitas.* Probatur. Ex Concilio Milleuitano *canone* 4. Vbi contra Pelagianos definit. Non solum per gratiam nobis aperiri intelligentiam mandatorum, sed etiam per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, & valeamus. Et intelligit etiam de lege naturali, nam hoc etiam Pelagius negabat, vt desumitur ex Epistola *Concilij Carthaginensis ad Innocentium Papam*; & eamdem doctrinam approbat ipse Innocentius, & Cælestinus *in epistola ad Episcopos Galliæ*.

103 Dices. Hoc esse intelligendum de tota collectione mandatorum, pro vt complectitur naturalia, & supernaturalia. Contra. Quia hæc doctrina procedit contra errorem Pelagij, & vniuersaliter ipsum damnat, pro vt etiam asserebat præcepta naturalia posse impleri sine gratia. Deinde Concilium non obtinuisset intentum suum, quod videlicet non possit homo per vires naturales habere aliquod opus bonum, cuius intuitu Deus conferret gratiam, sicuti volebat Pelagius. Deinde Patres, & Concilia docent, non posse seruari pręcepta sine gratia, quia Christus dicit, *Sine me nihil potestis facere*, & Apostolus. *Quid enim habes, quod non accepisti*, quæ non essẽt vera, si aliqua præcepta possent seruari sine gratia.

104 Dices secundò. Intelligi de obseruantia fructuosa in ordine ad vitam æternam. Contra. Quia loquitur de necessitate gratiæ ad seruandam legem, vt vitetur peccatum, quod non esset verum, si possent seruari obseruantia recta, licet non fructuosa; deindè neque Pelagius volebat obseruantiam posse esse fructuosam sine gratia, vt desumitur ex Augustino 4. *contra Iulianum cap.* 3. Ergo cum definitio sit contra ipsum, debet intelligi de quacunque obseruantia, alioquin non damnaretur error Pelagij.

105 Confirmatur. Vel quando quis seruat præcepta intendit illam obseruantiam ex intentione recti finis; vel non. Si primum; debet esse ex aliquo motiuo subordinato fini vltimo supernaturali, ad quem homo tenetur se, & omnia sua dirigere, quod fieri non potest absque gratia. Si secundum. Ergo non seruat virtuoso modo, quia non seruat ex debito fine.

106 Ad primum. Illud Deuteronomij debet intelligi, quod præcepta non excedant vires supposita gratia; cur autem peccent, qui carent gratia, dictum est in superioribus. Ad secundum. Licet præcepta sint intra ordinem naturæ, non sunt tamen proportionata viribus naturalibus, quia, licet non sint intrinsecè dimminutæ, sunt tamen infirmatæ per concupiscentias, quibus voluntas subijcitur, & ideo est necessaria gratia ad subleuandam infirmitatem naturæ, vt docet Tridentinum *sess.* 6. *capitulo.* 11. *&* 13. & ad eleuandas operationes ad finem supernaturalem. Ad tertium negatur assumptum, vt constat ex dictis. Ad quartum negatur sequella. Quia sufficit, si quocunque modo Deus tribuat vires ad hoc, vt non iubeat impossibilia; nec ex eo quod homo teneatur obseruare præcepta ex vi legis naturalis, fit, quod homo naturaliter debeat habere possibilitatem, sed sufficit, si quocunque modo habeat.

107 Colligitur ex dictis cum communi sententia contra Aluarez *disputation.* 54. *de auxilijs*, hominem in puris natura-

naturalibus neque pro breui tempore posse seruare legem naturalem, quia, suppositis concupiscentijs, adesset ex hoc capite eadem necessitas gratiæ; & hæc gratia debuisset esse ordinis supernaturalis, ad hoc vt obseruaret debito modo, & in ordine ad debitum finem.

108 Colligitur secundò. Quod licet homo non peccaret in illo statu non ordinando obseruantiam legis ad finem supernaturalem, quia nimirum non teneretur operari propter ipsum; non tamen obseruantia esset virtuosa, & cum debita rectitudine, quia semper ex natura sua exigeret esse propter vltimum finem, cum hoc proueniat ex eo, quod omnia debent ordinari ad Deum, vt ordinato modo se habeant.

109 Colligitur tertiò. Quod, si homo in puris naturalibus haberet perfectum dominium supra appetitum, lex naturalis, quantum est ex parte obiecti, non excederet vires naturales ipsius, quia contineret honestatem naturalem, ad quam tunc homo non solum naturaliter inclinaretur, sed etiam absque impedimento aliquo; quia tamen ex natura sua est defectibilis, posset peccare contra legem naturalem.

An in statu Innocentiæ fuißet necessaria gratia ad seruandam legem naturalem.

SECTIO XII.

110 Prima sententia est negatiua. Ita Magister *in 2. dist.* 14. Diuus Bonauentura *art.* 1. *quæst.* 2. Durandus *dist.* 28. *quæst.* 3. Sotus. 1. *De natura, & gratia. capit.* 22. Caietanus 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 8. Curiel *art.* 4. *dub.* 1. Suarez 1. *de gratia. cap.* 25.

Fundamentum est. Quia in statu naturæ lapsæ ideo est necessaria gratia, quia natura est informata; in statu autem naturæ integræ non fuisset informata, sed fortis.

111 Secunda sententia asserit, fuisse gratiam necessariam. Ita Capreolus *in 2. distinct.* 29. *quæstion.* 1. *artic.* 1. Hispalensis *art.* 3. Vasquez 1. 2. *disp.* 189. & *disp.* 197. *cap.* 2. qui tamen addit, quod ista gratia sit tantum cogitatio bona ordinis naturalis.

112 Dico primò. *Obseruantia legis in statu innocentiæ non fuisset supra vires naturales, quantum est ex parte obiecti.* Probatur. Obseruantia legis naturalis habet obiectum naturale, ad quod natura est naturaliter inclinata, nempe honestatem naturalem. Ergo ex parte obiecti non fuisset supra vires naturales. Consequentia patet. Quia nullum obiectum naturale, quod stat sub specificatiuo formali potentiæ, excedit vires ipsius potentiæ.

113 Dico secundò. *Ad seruandam legem naturalem eo modo, quo erat seruanda in statu Innocentiæ, erat necessaria gratia.* Desumitur ex Diuo Augustino *de correptione, & gratia. capitulo* 11. Vbi loquens de primo homine ait. *Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* & cap. 106. Enchiridij. *Homo in Paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem. vt autem teneretur ab eo via iustitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret.* Probatur. Non poterat seruare præcepta naturalia, sicuti in illo statu erant seruanda, nisi seruaret in ordinem ad vltimum finem supernaturalem. Ergo non poterat obseruare sine gratiæ adiutorio, cum non possit sine ipso tendere ad talem finem. Antecedens probatur. Homo erat ordinatus ratione status ad finem supernaturalem, ex cuius intentione debeat operari. Ergo operatio non poterat esse recta, nisi proueniret ex intentione talis finis; alioquin non habuisset illum ordinem, quem debebat habere.

114 Dices. Sufficere Charitatem, quæ esset in statu naturæ integræ, vt posset seruare præcepta in ordine ad finem supernaturalem, siquidem per ipsam ponitur dilectio vltimi finis. Contra. Vt præcepta seruentur in ordine ad vltimum finem, non sufficit, quod adsit dilectio finis, sed debet voluntas moueri ex tali dilectione ad cætera eligenda in ordine ad ipsum; talis autem directio non potest fieri sine auxilio gratiæ, quia supra dilectionem Dei importat, dici tamen præscribens de operatione in ordine ad vltimum finem, & nouum progressum ad ipsum, qui non potest haberi sine gratia. Confirmatur. Homo in illo statu erat defectibilis. Ergo vt non deficeret, erat necessarium auxilium gratiæ ipsum sustentans.

115 Ad Fundamentum in oppositum resp. probare tantum, quod gratia non fuerit necessaria ob infirmitatem naturæ; non autem, quod non fuerit necessaria ad eleuandas operationes ad finem supernaturalem, & ad impediendum defectum voluntatis.

An in statu naturæ corruptæ sit necessaria gratia habitualis ad seruandam legem, & præcepta.

SECTIO XIII.

116 Supponendum est gratiam habitualem esse necessariam ad seruanda præcepta fructuosè modo in ordine ad vitam æternam, quia operatio non potest esse meritoria, nisi proueniat à supposito grato, vt diximus suo loco.

117 Supponendum secundò. Deum posse facere, quod sine gratia habituali obseruentur omnia præcepta, quia potest dare tale auxilium, quod sit efficax in ordine ad quodlibet præceptum, cum homo sit capax ipsius, etiamsi sit peccator, vt constat in actibus, quibus disponitur ad iustificationem; vndè solum difficultas est de potentia ordinaria.

118 Prima sententia est negatiua. Ita Richardus *in 2. dist.* 28. *art.* 1. *quæst.* 3. Diuus Bonauentura *art.* 2. *quæst.* 2. Vasquez 1. 2. *disp.* 196. *cap.* 3. Turrianus *disp.* 6. *de necessitate gratiæ, dub.* 1. & alij.

Probant. Quando Patres, & Concilia requirunt gratiam, agunt contra Pelagium, qui tantum negabat gratiam actualem. Ergo. Secundò. Necessitas gratiæ non prouenit ex necessitate quoad mentem, quæ consistit in macula, sed quoad partem inferiorem, quæ consistit in rebellione appetitus, & per auxilium actuale sanatur.

119 Secunda sent. est affirmatiua. Ita Caiet. 1. 2. *q.* 109. *ar.* 2. Curiel *dub.* 2. §. 3. Suarez *primo de gratia cap.* 2. & alij.

120 Dico primò. *Gratiam habitualem per se ipsam formaliter conferre ad obseruantiam præceptorum non influendo, sed remouendo aliquod impedimentum.* Probatur. Gratia habitualis vnit per amicitiam cum Deo. Ergo facit quod difficilius offendatur, quia difficilius offenditur amicus, quam non amicus.

121 Dico secundò. *Gratia habitualis habet annexa aliqua specialia auxilia in ordine ad obseruanda præcepta.* Desumitur ex Tridentino *sess.* 6. *c.* 13. vbi ait Deum perficere in iustificatis bonum opus, quod incepit, nisi ipsi gratiæ defuerint. Probatur. Prouidentia Dei confertur secundum exigentiam actus primi. Ergo cum homo per gratiam habitualem constituatur in actu primo supernaturali, sunt etiam illi debita ratione prouidentiæ auxilia ad operandum secundum talem actum primum.

122 Dico tertiò. *Tota series auxiliorum, quæ sunt necessaria ad seruanda præcepta de facto non datur nisi iustificatis.* Desumitur ex Diu. August. *de Spiritu, & Littera cap.* 14. vbi docet, ad seruanda præcepta esse necessariam fidem, quæ per dilectionem operatur, & ex Tridentino *sessio.* 6. *cap.* 16. Vbi docet, quod Christus tanquam caput in membra, & vitis in palmites iugiter influit virtutem in iu-

in iustificatis. Probatur Ioannis 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes*, ergo qui non est iustificatus, cum non maneat in Christo, non habet totum influxum necessarium ad seruanda præcepta, vndè fit, quod arescat, & in ignem mittatur, sicut ibidem habet Christus. Ratio est; quia soli iustificati sunt membra Christi viua, & proindè soli participant perfecto modo influxum capitis.

123 Ad primum negatur consequentia. Quia controuersia non erat de gratia habituali, & ideo Patres, & Concilia loquuti sunt tantum de actuali. Ad secundum negatur assumptum. Nam necessitas gratiæ fundatur etiam in infirmate quoad mentem, quæ facit, quòd facilè sequamur motus partis interioris, & quod non sint debita auxilia, quæ sunt debita membris verificatis.

124 Obiicies. Ergo peccator non posset seruare præcepta. Resp. Non posse seruare ex propria culpa, quia scilicet ponit obicem primæ gratiæ præuenienti, & proinde non habet gratiam subsequentem; iusti autem illam habent.

An gratia sit necessaria ad vitanda peccata venialia.

SECTIO XIV.

125 Certum est. Omnia peccata venialia posse vitari ab homine iusto ex speciali priuilegio, vt definit Tridentinum *sess. 6. can.* 23. consistit autem hoc priuilegium in speciali auxilio gratiæ, & in speciali protectione, quæ facit, quod omnia fiant cum perfecta aduertentia in ordine ad finem supernaturalem, ita vt nulla interueniat subreptio partis inferioris.

126 Dico primò. *Nullum peccatum veniale potest vitari sine gratia.* Ita Diuus Hieronymus *lib. 3. contra Iouinianum cap. 1. & 4.* & passim Diuus Augustinus.

Probatur. Vitare peccatum veniale supponit rectam cogitationem, & est aliquod bonum, per quod homo se continet ab aliqua falsitate. Ergo si posset vitari absque gratia, non esset verum quod habet Concilium Arausicanum *can. 9.* Quod sit munus diuinum rectè cogitare, & se continere à falsitate, nec quod habet *canone.* 22. Quod homo non habet de suo nisi mendacium, & peccatum; nec quod sine gratia non possit homo benè vti libero arbitrio, vt definit Cælestinus Papa *epist. ad Episcopos Galliæ cap. 6.* nec illud Christi. *Sine me nihil potestis facere.*

127 Dico secundò. *Cum auxilijs ordinarijs gratiæ non potest homo vitare omnia venialia.* Est de fide definitum in Concilio Milleuitano contra Pelagium, qui dicebat, hominem iustum sic posse ratificari, vt nunquam venialiter peccaret; vndè *canon.* 7. damnat dicentes. Iustos non dicere veraciter pro se ipsis, *dimitte nobis debita nostra:* Est etiam definitum in Concilio Tridentino *sess. 6. canon.* 23. Probatur prima. Ioannis 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Prouerbiorum 14. *Septies in die cadit iustus.* Ecclesiastici 7. *Non est homo iustus in terra, qui non peccet.* Ratio est. Quia appetitus insurgit contra rationem, & fiunt multæ subreptiones; natura est defectibilis, & auxilia ordinaria non sufficiunt ad tollenda omnia impedimenta, ex quibus oritur peccatum veniale.

128 Dico tertiò. *Iustum cum solis auxilijs ordinarijs non solum non posse vitare venialia, quæ sunt talia ex subreptione, sed neque quæ sunt talia ex genere suo, & ex obiecto, vt leue mendacium, verbum otiosum*, &c. Ita communiter contra Durandum *in 2. dist. 28. quæstion. 3.* Conradum *1. 2. quæst. 109. ar. 8.* & desumitur ex Concilijs allatis, quatenus vniuersaliter loquuntur. Probatur. Auxilia ordinaria non sanant perfectè infirmitatem ex concupiscentiis. Ergo non impediunt, quin homo trahatur ab ipsis ad huiusmodi peccata.

129 Dico quartò. *Iustus pro aliquo breui tempore potest cum auxilijs ordinarijs vitare omne veniale.* Ita cõmuniter cum Diuo Thoma *3. parte. quæst. 79. articul. 4. ad secundum.*

Probatur. Fieri potest, quod pro breui tempore non adsit occasio concupiscentiæ, & quod homo maximè intendat in Deum, & moueatur ex amore ipsius; in tali autem casu non peccabit venialiter, quia secundum se totum se refert in Deum.

130 Obijcitur contra secundam conclusionem. Prima Ioannis 3. *Qui natus est ex Deo peccatum non facit.* Apocalyp. 14. *In ore eorum non est inuentum mendacium.* Iob 27. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* 1. Corynt. 15. *Exhibete vos sancti, & irreprehensibiles.* Resp. Hæc, & huiusmodi alia loca intelligi quo ad peccata mortalia.

131 Obijcitur secundò. Si iustus non posset vitare omnia venialia, non peccaret non vitando, nam nemo peccat in eo, quod non potest vitare. Respondetur. Si non posset vitare, quantum est ex vi principij operatiui voluntatis, non imputaretur; secus autem, si non posset vitare, quantum est ex vi motionis gratiæ, nam quantum est ex parte voluntatis homo potest vitare omnia venialia, quia habet Charitatem cum concursu parato, & stat sub motione vltimi finis, vndè potest secundum omnes operationes, & modos ipsarum tendere in vltimum finem; ex parte autem motionis gratiæ non potest, quia non adest illa specialis motio, quæ omnino vincat concupiscentias, & tollat omnem subreptionem, & faciat, quod voluntas secundum omnem rationem suarum operationum, tendat in vltimum finem.

132 Obijcitur tertiò. Iustus potest singula diuisim vitare. Ergo etiam omnia, Quia quo plura vitat, fit fortior, quia confirmatur in benè operando, augetur Charitas, &c. Respondetur eodem modo posse vitare singula, & omnia nempe ex parte principii operatiui; ex parte autem motionis gratiæ non potest omnia, quia non habet specialem motionem respectu omnium.

133 Obijcitur quartò. Iustus potest vitare omnia mortalia. Ergo etiam omnia venialia, cum sint faciliora ad vitandum. Resp. negando consequentiam. Quia non habet respectu omnium motionem gratiæ, sicuti habet respectu mortalium, saltem sufficienter.

134 Obiicitur quintò ex Durando contra tertiam conclusionem. Gratia habitualis dat vires ad vitanda peccata venialia. Ergo potest ita augeri, vt possit omnia vitare, quæ sunt talia ex obiecto. Resp. negando consequentiam. Quia vires, quas præstat gratia, sunt habituales, & auxilia actualia ipsi annexa non sufficiunt ad vitanda omnia venialia.

135 Obiicitur sextò contra vltimam conclusionem. Si posset iustus breui tempore vitare omnia peccata venialia, supposito, quod omnia essent dimissa, posset dicere, se nullum habere peccatum contra illud primæ Ioannis 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Resp. negando sequellam. Quia etiamsi vitaret, non tamen hoc sciret, imo deberet præsumere, quod non vitaret.

136 Quæres. An Priuilegium vitandi omnia venialia fuerit alicui concessum. Respondetur. Fuisse concessum Beatæ Virgini, vt habetur ex epistola Sophronii approbata *in sexta synodo*, & ex Tridentino *sess. 6. can.* 33. nulli autem alteri fuit concessum, vt docent communiter contra Catherinum *lib. 2. de prædestinatione Christi*, qui vult fuisse concessum Ioanni Baptistæ, ita docent Patres Basilius *Epistola* 174. Hieronymus *contra Pelagium*. Gregorius *hom. 13. in Euangelia*. Augustinus, *de Spiritu, et littera cap. 1.* & *lib. 2. de peccatorum meritis c. 7.* & *Ep. 95.* & alii Patres communiter.

Ratio

Ratio est. Quia adest regula Fidei ex scriptura, & Cōcilio Tridentino. Quod nemo est sine peccatis venialibus nullus autem debet excipi à generali regula, nisi constet esse excipiendum; de Ioanne autem Baptista non constat, sicuti constat de Beata Virgine.

An spes theologica possit haberi sine gratia.

SECTIO XV.

137 SPes theologica est illa, qua speramus in Deum, vt auctorem gratiæ. Dicendum est. *Hanc spem non posse haberi sine auxilio gratiæ*. Est de fide contra Pelagianos, & definitur etiam in Tridentino *sess.6.can.3.* Probatur. Ad Romanos 5. *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe filiorum Dei*. Psalm. 4. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*. Ratio est. Quia spes est dispositio ad iustificationem, vt definit Trid. *sess.6.cap.6.* dispositio autem ad gratiam debet esse ex gratia iuxta illud Apostoli. *Quid enim habes, quod non accepisti.*

138 Dices. Supposita cognitione, quod bonum supernaturale sit assequibile per gratiam, potest quis naturaliter illud sperare, ergo. Resp. non posse sperare spe firma, quæ habeat pro motiuo ipsum Deum, sed tantum spe imperfecta, quæ oriatur ex concupiscentia proprij boni, sicuti contingit in hæreticis, & Iudæis, qui habent aliquam spē de assequenda vita æterna, vt notat etiam Scotus *in 3. dist. 27. ad 3.* Durand. *quæst. 1. num. 6.*

An ad amorem concupiscentiæ, quo Deum desideramus vt bonum nostrum supernaturale, sit necessaria gratia.

SECTIO XVI.

139 PRima sententia asserit, hunc amorem posse esse naturalem, & ideo non esse necessariam gratiā. Ita Bannes 2.2. *quæst.* 18. *art.* 8. Vasq. 1.2. *disp.* 195. *c.* 2.

Probant. Amor iste concupiscentiæ est amor amicitiæ ad se ipsum, quia vt terminatur ad bonum, est concupiscētia, vt terminatur ad personam, est amicitia; amor autē ad se ipsum est maximè naturalis, cum sit secundum inclinationem naturæ. Secundò. Si esset supernaturalis, deberet dari habitus infusus, a quo eleuaretur, qui esset theologicus, nam immediatè attingeret Deum, ergo; daretur quarta virtus theologica, nam non potest elici à fide, vt patet; neque à charitate cum hæc sit principium amoris amicitiæ; nec à spe quia spes, & amor sunt actus distincti, & in statu beatitudinis erit iste amor, & tamen non erit habitus spei.

140 Secunda sententia asserit, hunc amorem esse supernaturalem quo ad substantiam, atque adeo esse necessariam gratiam. Ita Capreolus *in 3. dist. 26. art. 3.* Maior *quæst. 2.* Suarez *lib. 2. de gratia, cap. 13.*

141 Dico primò. *Amor concupiscentiæ, quo Deus amatur, vt bonum nostrum supernaturale, est supernaturalis quo ad substantiam, atque adeo non potest haberi sine gratia*. Probatur. Non potest homo amare Deum, vt suum bonum supernaturale, nisi amet eo modo, quo est tale bonum, & quo est acquisibile, ergo, non potest amare, nisi vt vltimum finem, ergo; non potest amare sine gratia. Antec. patet. Quia nullū bonum potest amari, nisi eo modo quo cognoscitur bonū. Cōs. prima prob. Quia Deus non est bonum supernaturale hominis, nisi vt vltimus finis. Secunda conseq. probatur. Quia vltimus finis non potest attingi naturali modo, cum sit obiectum excedens facultatem naturalem, atq; adeo non potest mouere voluntatem quo ad vires naturales ipsius. Confirmatur. Ratio motiua talis amoris non est propria persona hominis, sed ipse Deus, ergo actus constituitur in esse supernaturali ex vi suæ specificationis. Antecedens probatur. Eo

Thomus Secundus.

ipso, quod Deus diligitur vt vltimus finis noster, diligimus nos ipsos propter talem finem, aliàs quin nos essemus finis, non autem Deus; ratio autem vltimi finis est motiuū supernaturale. Confirmatur secundò. In tali amore desideratur tale bonum propriæ personæ vt beatificatiuum ipsius, ergo. Ita amatur propria persona, vt ametur cum subordinatione ad ipsum vltimum finem beatificatiuum. atque adeo vt obiectum secundarium vt stans sub motiuo primario.

142 Dico secundò. *Etiamsi iste amor non esset supernaturalis quo ad substantiam, non posset haberi sine gratia*. Probatur. Vel iste amor concupiscentiæ est ordinatus, vel non. Si primum, ergo debet tendere circa propriam personam, vt est ordinatè amabilis, ergo cum non sit ordinatè amabilis, nisi propter Deum, debet esse ex motiuo ipsius, vt est amabile propter Deum, atque adeo vt subordinatum amabilitati Dei. Ergo est necessaria gratia cum sic amor in ordine ad finem supernaturalem; Si secundum: Ergo est concupiscentia vitiosa, non autem amor bonus.

143 Dico tertiò. *Hic amor prouenit ab habitu Charitatis*. Probatur. Charitas habet pro obiecto bonitatem diuinam vt finem vltimum, & bonitatem proximi, atq. adeo propriam personam amantem vt finem subordinatum. Ergo potest elicere desiderium circa bonum amantis, ergo etiam actum, quo ipsi desideret Deum vt finem vltimum beatificatiuum.

144 Ad primum respondetur. Hunc amorem esse ad se ipsum, sed cum subordinatione ad finem vltimum supernaturalem, atque adeo non esse naturalem; nam amor naturalis ad se ipsum non potest se eleuare ad finem supernaturalem. Ad secundum constat ex dictis in tertia conclusione.

An amor Dei super omnia vt finis supernaturalis debeat esse ex gratia.

SECTIO XVII.

145 SVpponendum est. Certum esse de fide, non posse Deum diligi super omnia vt finem supernaturalem, nisi cum auxilio gratiæ, vt definit Concilium Milleuitanum *cap. 4.* Arausicanum *can. 25.* Trident. *sess. 6. can. 3.* & partim traditur à D. August. vnde ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*. Sola difficultas est; An ideo sit gratia necessaria, quia talis amor est supernaturalis quo ad substantiam; an verò secundum solum modum accidentalem.

146 Prima sententia negat, esse supernaturalem quò ad substantiam. Ita Scotus *in 1. dist. 23. quæst. 3.* Sotus *in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 5.* & alij. Probant: siue Deus repræsentetur per cognitionem fidei, siue per naturalem, est sēper idem bonum. Ergo semper specificat eumdem actum quo ad substantiam. Secundò. Si quis videat clarè Deum, & illi negetur supernaturale auxilium ad amandum Deū supernaturaliter, amabit amore naturali. Ergo idem bonū potest terminare vtrumq. amorem. Tertiò. Potentia naturalis non potest transcendere suum ordinem. Ergo non potest elicere actus supernaturales in substantia. Consequentia probatur. Quia non potest efficere per virtutem superadditam, alioquin illa virtus non esset habitus, sed potentia, quia conferret totam virtutem. Confirmatur. Eleuatio sufficit, vt aliquid concurrat vt instrumentum, non autem vt cōcurrat vt causa principalis. Ergo cum hic amor debeat vt actus vitalis esse à principio intrinseco vt à causa principali, non potest esse à potentia eleuata. Quartò. Si iste amor sit supernaturalis quò ad modum, sufficit ad saluandas definitiones Conciliorum, & Patrum, ergo.

147 Secunda sententia asserit, hunc amorem esse supernaturalem quòad substantiam. Ita Bannes 2. 2. *quæ. 5. art. 3.* Ferrar. 3. *contra gentes c. 55.* Medin. 1. 2. *q. 109. artic. 3. & 4.* Lorca *disp. 9. de necessitate gratiæ.* Aluarez *disp. 67.*

N de

de auxiliis. Suarez 2. *de gratia*, *cap*. 14. & desumitur ex D. Tho. 1. 2. q. 109. *art*. 3. *ad* 1.

148 Dicendum est. *Amorem Dei super omnia vt auctoris gratiæ esse supernaturalem quo ad substantiam, atque adeo ex hoc capite esse necessariam gratiam*. Probatur Tunc actus est supernaturalis quòad substantiam, quãdo est ex motiuo supernaturali; nam tunc ex vi suæ specificationis tendit supernaturali modo; hic autem amor est ex motiuo supernaturali: Ergo, minor probatur. Tunc actus est ex motiuo supernaturali, quando potentia non exigit ab ipso moueri; nam cum sit supra naturalem exigentiam, est etiam supra naturam; Voluntas autem non exigit moueri à tali motiuo. Tum quia si exigeret, talis motio esset debita, atque adeo etiam assequutio obiecti, cum motio sit in ordine ad ipsum, atque adeo gratia & beatitudo essent debitæ.

149 Dices. Talem motionem, & amorem esse ex gratia, quia est supernaturalis quòad modum. Contra. Motiuum non specificat modum, sed substantiam actus. Deinde si esset naturalis quò ad substantiam, esset debitus quoad substantiam, & per accidens esset, quod ratione modi non esset debitus, sicuti per accidens est, quod cæco non sit debita illuminatio. Ergo etiam beatitudo, seu assequutio talis obiecti quoad substantiam esset secundum intrinsecam exigentiam naturæ humanæ.

150 Ad primum. Esse idem bonum in se, non autem in propositione obiectiua; quia per fidem proponitur nobis Deus, vt obiectum beatificatiuum, in quo omnia debeant reduci, quod non fit per cognitionem naturalem. Ad secũdum. In illo casu non posse elici amorem, quia non adesset concursus necessarius, nec posset elici amor naturalis, quia obiectum esset improportionatum potentiæ secluso auxilio supernaturali; potentia autem non potest operari circa obiectum improportionatum. Ad tertium. Potentiã posse operari supra suum ordinem, si per habitum superioris ordinis perficiatur. Ad Confirmationem. Talem habitum non esse propriè potentiam, quia non dat primã virtutem, sed solum se habere per modum potentiæ, quia tribuit simpliciter posse. Ad secunda confirmationem. Nõ solum instrumentum, sed etiam causam principalem posse eleuari, quia eleuatio nihil aliud dicit, quàm operari supra proprias vires, quod habet locum etiã in causa principali. Ad 4. negatur assumptum. Quia ex scriptura, & Patribus habetur, quod Charitas est à Deo per Spiritum sanctum, & proindè non potest esse quò ad substantiam commensurata viribus naturalibus.

An amor Dei imperfectus vt finis supernaturalis possit haberi sine gratia.

SECTIO XVIII.

151 Supponendum est. Deum vt finem supernaturalẽ posse aliquo modo amari amore naturali, quia sicut potest haberi de ipso fides aliqua naturalis, ita etiã amor sequens ex tali cognitione, vt contingit in hæretico; hic tamen amor non erit ex motiuo supernaturali, atque adeo non erit amor rectus, vndè solum difficultas est de amore imperfecto, qui fit ex motiuo supernaturali.

152 Dicendũ est. *Non posse haberi talem amorem absq. gratia*. Ita Vega *li*. 9. *in Trident*. *ca*. 28. Bellarm. *lib*. 6. *de gratia*, *& libero arbitrio*, *cap*. 6. Suarez 2. *de gratia*, *c*. 15. & alij. Probatur. Talis amor habet motiuum supernaturale, atque adeo est supernaturalis quoad substantiam, & est propter finem supernaturalem. Ergo est necessaria gratia, cum sit necessaria ad omne opus bonum ex Concilio Arausicano *can*. 25.

153 Obijcitur. Iste amor non est sicuti oportet ad obtinendam iustificationem. Ergo non est necessaria gratia. Resp. non esse sicuti oportet, vt dispositionem proximã; esse tamen vt dispositionem remotam.

154 Obijcitur secundò. Hic amor potest esse in peccatore, ergo. Resp. negando consequentiam, quia tantum sequitur, quod non sit ex habitu Charitatis.

155 Obijcitur tertiò. Iste amor est sicut ille, qui est in hæretico, & habetur sine gratia. Ergo. Resp. negando assumptum. Quia fidelis elicit hunc amorem ex vi fidei infusæ, atque adeo ex motiuo supernaturali, quod non contingit in hæretico.

156 Quæres. In quo differat amor imperfectus à perfecto.

Resp. Perfectum esse amorem Dei super omnia, & dispositionem ad gratiam, si illam antecedit; imperfectum vero non esse super omnia, quia fertur solum in diuinam excellentiam vt propter se amabilem, nec habet illam determinationem præferendi Deum rebus omnibus.

An ad religionem, pietatem, & alios actus supernaturales sit necessaria gratia.

SECTIO XIX.

157 Ex dictis in superioribus constat, hos actus non posse haberi sine gratia, quia natura per suas vires non potest se eleuare ad finem supernaturalem; nec vincere concupiscentias, vndè difficultas superest. An gratia requiratur ex eo, quod sint supernaturales quoad substantiam; An vero solum ex eo quod dirigantur ad finem supernaturalem.

158 Prima sententia vult, gratiam esse necessariam ex eo solum, quod dirigantur ad finem supernaturalem. Ita ij qui hoc ipsum docent de actu Charitatis.

Probant. Vt hi actus sint meritorii, sufficit, si ordinentur in finem supernaturalem. Ergo sufficit gratia ad operandum ex fide, & Charitate. 2. Tridentinum *sess*. 6. *can*. 3. definit, gratiam esse necessariam ad actus Theologicarum virtutum, & ad actum pęnitentiæ, & de aliis actibus nihil dicit. Ergo non est introducenda noua necessitas gratiæ. Tertiò. Hi actus possunt esse in peccatore, cum in morali materia possit benè operari. Ergo non possunt esse supernaturales quoad substantiam, alioquin essent in ipso habitus infusi. Quartò. Prudẽtia, quæ dictat de agendis moralibus, est naturalis, cum importet iudicium practicum dependens à circumstantiis; actus autem sequens ex tali prudentia est naturalis, quia sequitur ex ipso tanquam ex regula, & mensura.

159 Secunda sententia asserit, esse supernaturales quò ad substantiam. Ita Vasquez 1. 2. *disp*. 86. *cap*. 2. Suarez *lib*. 2. *De gratia cap*. 16. & desumitur ex Diuo Thoma 1. 2. *quæ*. 63. *art*. 4.

160 Dicendum est. *Hos actus esse supernaturales quò ad substantiam, & ideo ex hoc etiam capite gratiam esse necessariam*. Probatur. Hi actus attingunt sua obiecta vt subordinata fini supernaturali, atque adeo vt stant sub determinatione ipsius, ita vt moueant in virtute finis supernaturalis, & correspondeãt regulæ supernaturali fidei, quæ dictat de obiectis, vt de mediis supernaturalibus. Ergo tàm ex motiuo, quam ex modo tendendi sunt supernaturales, atque adeo ex vi intrinsecæ specificationis.

161 Ad primum. Quidquid sit, an sufficiat illa relatio, vt sint hi actus meritorii, ex alio tamen capite habetur eorumdem supernaturalitas quò ad substantiam. Ad secundum, Tridentinum ibi definire necessitatem gratiæ pro pręparatione ad iustificationem, & ideo recenset solos actus, qui sunt dispositio. Ad tertium negatur consequentia. Quia hi actus in peccatore essent ex auxilio gratiæ eo pacto, quo in ipso sunt dispositiones ad iustificationem abque habitibus. Ad quartum negatur assumptum. Nam hi actus regulantur per prudentiam supernaturalem, quia prudentia naturalis non est regula ipsorum, cum non possit respicere finem supernaturalem; cognitio autem naturalis concurrit solum vt applicatiua regulæ supernaturalis,

An

An gratia sit necessaria ad seruanda præcepta supernaturalia.

SECTIO XX.

162 Supponendum est. Certum esse de fide contra Pelagium definitum in Concilio Milleuitano *cap.* 3. Arausicano *can.* 9. 20. & 31. & Cælestino Papa *epistola ad Episcopos Galliæ cap.* 8. & 9. quod gratia sit necessaria ad implenda præcepta supernaturalia, vt etiam docet Diuus Augustinus *De natura, & gratia, ca.* 26. Et *de gratia, & libero arbitrio cap.* 18. & 28. & *de Spiritu, & littera cap.* 14. & 1. *de gratia Christi cap.* 15. & alibi passim; per obseruantiam enim horum præceptorum homo ordinatur ad finem supernaturalem assequendum, ad quem non potest tendere, absque auxilio gratiæ, inter Catholicos autem.

163 Prima Sententia asserit posse impleri sine auxilio gratiæ quoad substantiam, non autem quoad modum, seu meritoriè. Ita Caietanus 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. & 8.

164 Secunda sententia asserit, præcepta affirmatiua non posse impleri sine gratia; negatiua verò posse impleri. Ita Turrianus *disp.* 8. *de necessitate gratiæ, dub.* 18.

Probat. Possunt negatiua impleri merè negatiuè se habendo. Ergo sine gratia. Secundò, Actus prohibitus, cum sit malus, non est in ordine supernaturali. Ergo nec etiam abstinentia ab ipso. Tertiò. Etiamsi voluntas deberet actu positiuo suspendere transgressionem, possit id facere per vires naturales, cum sit de obiecto naturali. Ergo. Antecedens patet. Quia voluntas actu naturali potest velle etiam actum supernaturalem.

165 Tertia sententia asserit, requiri gratiam tam ad præcepta affirmatiua, quam ad negatiua. Ita communiter cum Diuo Thoma 1. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad secundum*. Vbi docet, non posse vitari peccata contra præcepta supernaturalia absque gratia.

166 Dico primò. *Ad singula præcepta positiua, quando sunt de actu interno, est necessaria gratia etiam quò ad substantiam.* Probatur. Actus, qui præcipitur est supernaturalis quò ad substantiam, cum sit ex motiuo supernaturali; nam præcipitur in ordine ad obiectum in ordine supernaturali subordinato fini supernaturali. Ergo est necessaria gratia ex hoc capite.


167 Dico secundò. *Præceptum supernaturale de actu externo in materia supernaturali, vt esset confessio Fidei, non potest impleri sine gratia.* Probatur obseruantia talis præcepti dependet in exercitio ab actu interno supernaturali, ita vt implicet, poni in actu absque ipso. Ergo non potest impleri sine gratia, quæ mediante actu interno sit principium ipsius.

168 Dico tertiò. *Præceptum supernaturale solum quò ad modum de actu externo licet possit impleri materialiter sine gratia, non tamen potest impleri formaliter.* Prima pars patet, quia ille actus materialis potest esse merè naturalis, & etiam peccaminosus. Secunda pars probatur. Formalis adimpletio præcepti dependet ab actu interno respiciente præceptum vt habet motiuum supernaturale. Ergo non potest impleri sine gratia.

169 Dico quartò. *Præcepta negatiua non possunt impleri sine gratia obseruantiæ, quæ se habeat humano modo.* Desumitur ex Concilio Arausicano *can.* 9. Diuini *muneris est, cum benè cogitamus, & pedes nostros ab iniustitia detinemus*; obseruare autem præcepta negatiua est continere pedes nostros ab iniustitia. Probatur. Obseruantia præceptorum, quæ se habeat humano modo, conducit ad salutem, & facit vt retineatur debitus ordò respectu finis; nihil autem, quod quocunque modo conducat ad salutem potest haberi sine gratia, vt est de fide definitum in Concilio Milleuitano, & Arausicano.

170 Respondet Suarez. Non dari præcepta supernaturalia purè negatiua de actibus internis, quia non prohibentur actus interni supernaturales. Contra. Ex aliqua suppositione supernaturali potest haberi præceptum, quod primo per se prohibeat aliquem actum internum licitum secundum legem naturalem, vt est actus internus coniugij supposito voto Castitatis. Ergo potest dari præceptum merè negatiuum de actu interno.

171 Ad primum negatur assumptum, vt patet ex dictis. Ad secundum negatur consequentia. Quia licet actus prohibitus non sit in ordine supernaturali, obseruantia tamen præcepti est ex motiuo supernaturali. Ad tertium. Non posse voluntatem suspendere transgressionem præcepti supernaturalis per vires naturales, cum id debeat facere ex motiuo supernaturali; vndè est alia ratio, quando per actum naturalem vult actum supernaturalem.



SACRA MORALIS DOCTRINA

DE HUMANARUM OPERATIONUM Regulis, seu de Legibus.

AD SCOLASTICÆ LECTURÆ METHODUM EX REVELATIS, Atq; naturali lumine cognitis explicata.

Quia ex reuelatis plura deduci possunt, quæ concernunt regulas moralium operationum, ideo hæ operationes, vt per suam regulam dirigendæ, sunt obiectum Theologiæ, de quo modo agendum est. Quia autem reuelata respiciunt finem supernaturalem, ad quem natura rationalis se debet promouere, ideo hæc pars Theologiæ considerat Regulam operationum ipsius, quatenus per ipsam potest se rectè ordinare. Hoc enim conuenit cuicunque legi, quia cum rectificet operationem, reddit hominem bene ordinatum saltem cum subordinatione ad alium superiorem ordinem respectu vltimi finis.

DE ESSENTIA LEGIS.

DISPUTATIO XLIV.

An lex sit actus intellectus, an voluntatis.

SECTIO I.

1 Lex secundùm D.Thom. 1.2. *q.* 90. *art.* 1. dicitur à ligando, quia ligat, & obligat, secundùm illud Hieremi. 2. *Rupisti vincula, dixisti non seruiam.* Et secundùm D.Isidor. *lib.* 2. *Etymolog. cap.* 10. dicitur à legendo, quia leges scriptæ publicè exponuntur, vt legantur. Secundùm verò D.Aug. *quæst.* 15. *in nouum testam.* dicitur ab eligendo, quia in ea eligitur quid agendum sit.

2 Supponendum est. Legem propriè sumptam importare regulam circa actus morales adstringentem aliquo modo ad operandum, atque adeo distinctam à consilio, vt notat D.Thom. 2.*quæst.* 92.*art.* 2.*ad* 2. Sic autem sũpta sumitur Actiuè, & Passiuè. Actiuè importat regulam obligatiuam, iuxtà illud ad Rom. 7. *Peccatum non cognoui nisi per legẽ.* Passiuè verò importat ipsum opus regulatum per legem, iuxta illud Ioan. 7. *Nemo ex vobis facit legẽ.*

3 Supponendum 2. Ius tripliciter sumi. Primo vt dicitur à Iustitia, & importat ipsum iustum, quod est obiectum iustitiæ, vt habetur *l.* 1. *ff. de Iustitia, & Iure.* 2. Pro legitima facultate aliquid faciendi, iuxta illud Gen. 1. *Date mihi vis sepulchri.* 3. Prout deriuat à iubendo, & tunc importat actum præcipiendi, & est idem, ac lex. Primo verò, & secundo modo est effectus legis, quia lex habet concedere legitimã facultatem, & facere quod iustum est.

4 Supponendum 3. In ferenda lege concurrere in legislatore actus intellectus, & voluntatis; nam cum lex ordinetur ad bonum commune, requiritur intentio talis boni. Et quia finis non potest acquiri sine mediis, debet interuenire consultatio circa legem ferendam, atque adeo iudicium, quo iudicet intellectus, quid præcipiendum, aut vetandum sit. Post hoc autem iudicium requiritur actus voluntatis, per quem lex exequutioni mandetur, atque actus intellectus concludens, talem legem esse promulgandam; & vt promulgetur, requiritur ex parte intellectus intimatio loquutiua, & actus voluntatis volentis seruari id, quod intimatur. Difficultas autem est in quonam actu consistat lex.

5 Prima sententia asserit, consistere in actu voluntatis volentis seruari id, quod intimatur. Ita Castro *lib.* 1. *de lege pœn.* Suar. *lib.* 2. *de leg. cap.* 5. *num.* 34. Salas *disput.* 1. *de leg. sect.* 6. *num.* 19. & alii.

6 Secunda sententia asserit, consistere in actu intellectus intimantis, quid agendum sit. Ita D.Thom. 1.2. *quæst.* 90. *art.* 1. Caiet. & Medina *ibid.* Martinez *dub.* 1. Sot. 1. *de Iustitia, & iure. quæst.* 1. *art.* 1 Ferrar. 3 *contra Gent. cap.* 114. Vasq. 1.2. *disput.* 150. *cap.* 3. & 4. & alij.

7 Tertia sententia docet consistere tam in actu intellectus, quàm voluntatis. Ita Arimin. *in* 1. *distinct. vltima quæst.* 1. Lorca 1.2. *disput.* 1. *de leg.* Putean. *quæst.* 90. *dub.* 2. Cassepensis *p.* 1. *cursus Theol. disp.* 1. *de leg. sect.* 1. & alij.

8 Dico primò. *Lex consistit formaliter in actu intellectus.* Desumitur ex Platone *dialog.* 1. *de leg.* Arist. 10. *Ethico. cap.* 9. Clemen. Alexand. *lib.* 1. *Stromat.* in fine, Ambros. *lib.* 1. *Epistol.* 2. Augustin. 2. *de ordine, cap.* 8. & ex illo Psalm. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuũ, & lumen semitis meis*, quæ non possunt intelligi, nisi de actu intellectus. Probatur. Lex est formaliter regula directiua moralium operationum secundum exigentiam finis. Ergo consistit formaliter in actu intellectus. Antecedens patet ex *l.* 2. *ff. de leg.* Et quia tunc operatio est secundum legem, quando habet debitum ordinem ad finem. Conseq. probatur. Tum quia regula directiua debet ostẽdere, quid, & quomodo operandum sit; ostendere autem pertinet ad intellectum. Tum quia est regula voluntatis in operando; voluntas autem non regulatur, nisi à ratione. Tum quia lex, vt est in subdito, non dicit actum voluntatis legislatoris, quo vult obligari, & tamen est propriè regula directiua. Tum quia ex eo, quod actio sit secundum regulam, est bona. Est autem bona, quia est conformis regulis rationis.

9 Dices. Legem nedum esse regulam directiuam, sed

etiam

etiam obligatiuam; & ideò pertinere ad voluntatem legislatoris. Contra. Vis obligatiua legis est ipsi intrinseca, non autem illam habet à voluntate legislatoris. Ergo etiam secundum hunc consistit in actu intellectus. Antecedens probatur. Tum quia vis obligatiua legis est tantum propria legis iustæ, non autem iniustæ; in lege autem iniusta adest voluntas legislatoris obligandi. Tum quia vis obligatiua legis manat ab intrinseca iustitia ipsius; lex autem est iusta, quia præscribit, quod est secundum rectam rationem. Tum quia intellectus habet vim constringendi voluntatem mediante iudicio, vt constat in conscientia, & lege naturali. Tum quia vis obligatiua legis debet esse proportionata voluntati, vt possit ipsam inducere ad operandum; voluntas autem non inducitur ad operandum nisi à iudicio rationis.

10 Dico secundò. *Lex requirit actum voluntatis, à quo habeat efficaciam in ordine ad existentiam, & exequutionem.* Probatur. Lex non potest esse efficax, nisi intimetur subditis in ordine ad exequutionem; hoc autem habetur ab actu voluntatis, cum ad voluntatem spectet exequutio, ergo. Maior patet. Quia lex est essentialiter regula moralium operationum in ordine ad communitatem, non potest autem exercere circa ipsum suam vim obligatiuam nisi intimetur, vt exequutioni mandanda.

11 Obijcitur. Lex dicitur voluntas. Psalm. 30. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam*, & alibi passim; Et etiam *l. 1. ff. De constit. Princip.* Quod *Principi placuit, legis habet vigorem.* Ergo. Respondetur. Lex est actus voluntatis obiectiuè, quatenus est obiectum illius; nam voluntas vult, poni legem, & seruari; non autem formaliter.

12 Obijcitur secundò. Actus, in quo lex consistit est actus dominij, & iurisdictionis; hic autem est actus voluntatis. Respondetur distinguendo minorem. Actus dominij est actus voluntatis quò ad vsum; non quo ad imperium; iurisdictio enim importat vim imperatiuam, quæ pertinet ad intellectum: facultas autem vtendi tali iurisdictione pertinet ad voluntatem, quatenus potest applicare virtutem imperatiuam ad imperandum.

13 Obiicitur tertiò. Actus intellectus est verus, vel falsus lex autem non est vera, vel falsa, sed iusta, vel iniusta. Ergo. Respondetur negando minorem. Quia lex est actus practicus, & ideò est formaliter practicè vera, vel falsa. Dicitur autem iusta, vel iniusta obiectiuè, quia præcipit iustum, vel iniustum.

14 Obiicitur quartò. Lex est capax dispensationis. Ergo dicit actum voluntatis: quia si diceret actum intellectus, non esset sub dominio voluntatis, atque adeò nec dispensabilis. Respondetur negando conseq. Ad probationem. Vt lex sit sub dominio voluntatis, sufficit, quòd subordinetur iustitiæ legali, quæ iuxta dictamen rectæ rationis potest suspendere obligationem legis respectu alicuius.

15 Obiicitur quintò. Lex supernaturalis non est ex natura rei necessaria, sed tantum ex voluntate Dei. Ergo obligatio oritur ab eius voluntate. Respondetur. Quicquid sit de antecedente distinguitur conseq. Oritur à voluntate Dei, non formaliter; sed applicatiuè, quia vt de se obliget, supponit, quod à Deo ponatur.

In quonam actu intellectus consistat lex.

SECTIO II.

16 PRima sententia asserit consistere in iudicio rationis, quod excludit consultationem; Ita Lorca 1.2. *disput.* 1. *de leg.* Caspens. *tract.* 13. *de leg. disput.* 1. *sect.* 1. & alij. Probant. Posito iudicio, quod aliquid sit faciendum ob bonum publicum, & voluntate obligandi, si hoc iudicium notificetur, consurgit obligatio in subditis. Ergo.

17 Secunda sententia asserit consistere in actu intimationis, quo intimatur, quid sit faciendum, vel non faciendũ. ita Vasquez 1.2. *disput.* 150. *cap.* 3. Martin. *quæst.* 90. *art.* 1. *dub.* 1. Putean. *ibid.* & desumitur ex D. Thom *eodem articulo.*

18 Dicendũ est. *Legẽ cõsistere formaliter in actu intimationis imperatiuo per modũ loquutionis intellectiuæ.* Probatur. Lex vt talis dicit formaliter ordinem ad alterum, nempe ad eos, pro quibus ponitur. Ergo debet consistere in actu intellectus, qui ex natura sua ordinetur ad alium; iudicium autem de eo, quod expedit, non ordinatur ad alterum, sed sola loquutio intellectualis. Ergo. Confirmatur. Lex est essentialiter explicatiua illius, quod faciendum est, & loquitur ad eos, pro quibus ponitur, alioquin non posset obligare. Ergo non potest consistere nisi in actu, qui sit explicatiuus respectu alterius, illius, quod faciendum est.

19 Ad Fundamentum in oppositum negatur assumptum. Quia nec voluntas, nec iudicium de eo, quod expedit, potest alteri explicare, quid agendum sit.

20 Obijcitur. Intrinsecè mala sunt prohibita ante loquutionem intimatiuam, quia ab intrinseco suo discrepant à iudicio rationis. Ergo lex consistet in iudicio, non autem in intimatione. Respondetur negando antecedens. Nam aliud est, quod sint mala; & aliud, quod sint prohibita, sunt mala, quia ab intrinseco discrepant a Regulis æternis: sunt autem prohibita per imperium Dei loquutiuum.

An de ratione legis sit, vt feratur pro communitate.

SECTIO III.

21 DIcendum primò. *Legem essentialiter exigere, vt feratur pro communitate.* Ita communiter cum D.Th. 1.2. *quæst.* 90. *art.* 2. *ad* 1. Et Aristotel. 5. *Ethicor. cap.* 10 contra Gloss. *in l. Iura ff. de legib.* & alibi, & desumitur ex dicta *l. Iura*, & *l. Nulla iuris, eodem titulo*, & *cap.* 1. *de constituti.* Probatur. Lex est essentialiter regula rectè operandi. Ergo ex suo intrinseco ordinatur ad communitatem. Conseq. probatur. Quia rectè operari est quid omnibus commune iuxta subiectam materiam, & occasionem, quæ se offert.

22 Dicendum secundò. *Legem per se respicere communitatem perfectam, aut secundum se totam, aut secũdũ aliquam eius partem, seu certum genus personarum.* Duplex enim est communitas; perfecta, quæ sibi ipsi sufficit, & in qua est iurisdictio in ordine ad politicam gubernationem, vt desumitur ex Arist. 1. *Politi. cap.* 1. vt est ciuitas, &c. Imperfecta verò, in qua non est iurisdictio, sed tantùm potestas dominatiua vt domus. Probatur. Lex est essentialiter actus iurisdictionalis ordinatus à iustitia legali respiciente bonum communitatis. Ergo non habet locum nisi in perfecta communitate. Conseq. probatur. Actus iurisdictionalis ibi tantum est, vbi est iurisdictio. Ergo vbi est forma perfectæ communitatis.

23 Obiicitur ex *l. 1. ff. De constit. Princ.* Vbi dicitur esse quasdam leges personales. Et idem etiam habetur ex cap. *Licet. De Regul.* Ergo. Respondetur. Per leges personales intelligi priuilegia, aut personales obligationes, vt est obligatio voti, quæ impropriè dicitur lex.

24 Obiicitur secundò. In corpore Iuris tàm Ciuilis, quàm Canonici habentur leges quædam personales. Ergo. Respondetur. Esse personales, quatenus sunt priuilegia, quæ habent rationem legis, quæ sunt inserta in corpore iuris, & extenduntur ad communitatem, quatenus obligant omnes, ad quos spectat, ad seruanda illa priuilegia.

25 Obiicitur tertiò. Lex naturalis est vnicuique propria? Ergo. Respondetur negando antecedens. Quia consistit in dictaminibus vniuersalibus, quæ sunt omnibus communia, sicut etiam lumen naturale.

26 Obijcitur quartò. Potest imponi præceptum particulari personæ. Ergo etiam lex, quia potest esse præceptum ob commune bonum, ita vt si imponeretur omnibus, esset

lex. Respondetur negando consequ. Quia præceptum non imponitur singulari personæ, vt parti communitatis, quasi per accidens sit in vno, & ideò distinguitur à lege, quia non est regula publica respiciens singulas personas, vt partes communitatis.

An de ratione legis sit, quod sit iusta.

SECTIO IV.

27 Dicendum primò. *De ratione legis esse, quod sit iusta, ita vt sine iustitia ratio legis non saluetur.* Ita communiter cum Aristot. 5. *Ethic. cap.* 1. D. Th. 1.2. *quæst.* 96. *art.* 4. D. August. 19. *de Ciuitat. cap.* 21. vbi habet; *Non enim iura putanda sunt, vel dicenda iniqua hominum instituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quòd de iustitiæ fonte manauit.* Probatur. Lex temporalis est quædam participatio legis æternæ. Ergo debet esse iusta. Consequentia probatur. Lex æterna, est ipsa rectitudo, & iustitia per essentiam; à iustitia autem est rectitudine non potest participari, nisi quod iustum est.

28 Objicitur. Leges aliquę permittunt mala. Ergo non est de ratione legis, quod sit iusta. Respondetur negando consequ. Quia iustitia legis permissiuæ in eo consistit, quod iustum sit iuxta exigentiam boni communis, tale malum permitti, seu non puniri, atque adeò malum non est obiectum legis, vt malum est, sed vt non punibile ita exigente bono communi.

29 Dicendum secundò. *De ratione legis esse non solum vt sit iusta, sed etiam vt iustè feratur.* Vt autem iustè feratur, requiritur, quòd sit commensurata potestati legislatiuæ, & quòd cum æqualitate proportionis imponat onus subditis. Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 4. & Augustin. *citat.* Probatur. Lex est actus potestatis iurisdictionalis ordinata ad ponendum debitum ordinem in communitate. Ergo exigit essentialiter iustè poni. Conseq. probatur. Non potest poni, nisi à potestate legislatiua. Ergo non potest ipsam excedere, quia effectus non potest excedere virtutem causæ. Rursus non potest ordinari ad ponendum debitum ordinem, nisi seruet in subditis ęqualitatem proportionis; Quia hac æqualitate sublata communitas est inordinata. Ergo non potest esse iustè posita, nisi seruet æqualitatem.

30 Colligitur ex dictis. Legem iniustam non esse veram legem, quia caret essentiali conditione, & proinde non teneri subditos ipsi obedire, vt notat D. August. *lib.* 1. *de verb. Domini. serm.* 6. *cap.* 8. Debet tamen constare de iniustitia legis, alioquin in dubio præsumendum est pro legislatore, & ius libertatis subditorum debet cedere iuri pręcipientis tanquam interius superiori iuri, vt habetur ex cap. *Quod culpat.* 23. *quæst.* 1.

An sit de ratione legis vt ordinetur in bonum commune.

SECTIO V.

31 Dicendum est. *De ratione legis esse, vt ordinetur ad bonum commune, atque adeo vt sit vtilis pro ipso.* Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & 6. Arist. 3. *Ethic. cap.* 7. & 4. *Politico. cap.* 1. Platone *dialogo* 1. de leg. August. 6. *de Ciuitate Dei cap.* 11. vbi habetur. *Quando legislator prætermisso communi bono proprium quærit, Tyrannus est.* Probatur. Lex est regula potestatis publicæ, ordinata ad regendas operationes morales. Ergo debet esse propter bonum publicum. Conseq. probatur. Potestas publica, vt potestas legislatoris, respicit subditos, atque adeo communitatem. Ergo lex debet dirigere communitatem, eo ipso autem, quod dirigit cōmunitatem, tendit in bonum commune, cum talis directio sit bonum ipsius.

32 Dicendum secundò. *Vt lex ordinetur ad bonum commune, non requiri, quod respiciat bonum, quod per se primò commune est, sed sufficere, quod ordinetur mediante bono particulari subditorum, quatenus sunt membra communitatis.* Probatur. Pars est propter totum, & bonum partis propter bonum totius. Ergo eo ipso, quod lex respicit bonum particulare subditorum, vt sunt membra communitatis, ordinatur etiam in bonum commune.

33 Obijcitur. Aliquæ leges non ordinantur ad bonum publicum, sed priuatum vt lex tuendæ propriæ vitæ, correctionis fraternæ, &c. Ergo. Respondetur negando antecedens. Nam hæ leges respiciunt bonum publicum mediante particulari, nam expedit communitati, quòd quisque conseruet propriam vitam, subleuet proximum à peccato, &c.

34 Obijcitur secundò. Aliquæ leges redundant in damnum multorum. Ergo non ordinantur ad bonum commune, quia in communi bono omnes participant. Respondetur negando conseq. Quia per accidens est, quod redundent in damnum aliquorum, cui pręferendum est bonum commune, ex cap. *scias.* 7. *quæst.* 1. vnde non fiunt mala, vt eueniant bona, sed fiunt bona, ex quibus per accidens sequitur aliquod malum; & proinde leges, quæ fiunt pro aliquo genere personarum, vt pupillorum, mercatorum, &c. Sunt ob bonum commune, quia bonum commune exigit tales leges pro illo genere personarum.

35 Colligitur ex dictis. Legem inutilem non esse veram legem, & proinde non esse seruandam, vt docent Castro 1. *de lege pœnal. cap.* 5. Medina 1. 2. *quæst.* 90. *artic.* 2. Sot. 1. *de iust. & iure. quæ.* 1. *art.* 2. & communiter. Debet tamen constare de inutilitate legis.

36 Colligitur secundò. Quod si lex ex vno capite sit vtilis, & ex alio noxia, non esse veram legem; quia dum non præponderat vtilitas, non est vera lex, cum careat essentiali conditione, vt docent communiter, præsertim Vasquez *lib.* 1. *illustrium Controuers. cap.* 5. *num.* 2.

37 Colligitur tertiò. Principem possidentem plura regna aut prouincias, non posse ferre leges pro bono vnius cum detrimento alterius, vt docent Sot. 1. *de iustitia, & iure, quæst.* 1. *art.* 2. Salas *disput.* 1. *de leg. sect.* 8. *num.* 49. & alij. Quia lex quatenus infert detrimentum est iniusta; nec potest vnum regnum grauari propter commodum alterius; hoc enim est contra iustitiam, non secus, ac si princeps vellet vnum spoliare, vt alterum locupletaret.

38 Quæres. An vt lex sit valida, debeat ex intentione legislatoris tendere in bonum commune. Respondetur negatiuè, sed sufficere, si tendat in ipsum ex natura sua, vt docet D. August. 1. *de libero arbitrio cap.* 5. Quia lex in sua validitate non dependet ab intentione legislatoris, quia in suis conditionibus intrinsecis est quædam participatio legis æternę, & intentio legislatoris non dat illi formam, sed tantùm applicat ad regulandum.

An lex debeat esse necessaria.

SECTIO VI.

39 Dicendum. De ratione legis esse, quòd sit necessaria pro bono communitatis. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 1. & 3. Medin. Vigers *ibidem.* Vasquez *disput.* 155. *cap.* 1. *num.* 16. Glos. *in cap. Erit autem.* verbo. *Necessar. distinct.* 2. Et desumitur ex dicto *cap.* & ex c. *Omnia distinct.* 12. Intelligitur autem de necessitate in ordine ad expellendum aliquod malum à communitate ad ponendum aliquod bonum necessarium. Probatur. Lex est onus libertate priuans, constringens vitas hominum, vt habetur ex *l. Leges sacratissimæ. C. de leg.* & *l.* 1. §. *Quæ oneranda. ff.* Quarum *rerum actio non datur*; & inducit quandam seruitutem quæ morti comparatur *l. Seruitutem ff.* De *regulis iuris*, & *l. Libertas. ff.* De *statu hominum.* Ergo si huiusmodi onus imponatur absque necessitate, erit absque iustitia, quia absque ratione subditi aggrauabuntur.

buntur. Confirmatur. Lex tributorum non potest imponi sine necessitate pro bono communi, quia sine ratione homines grauantur in bonis. Ergo nec vlla lex imponi potest sine necessitate, quia sine ratione aggrauat libertatem subditi.

40 Obijcitur. Leges supernaturales non sunt omnes necessariæ. Ergo non est de ratione legis, quod sit necessaria. Respondetur negando antecedens. Quia licet non sint absolutè necessariæ, sunt tamen necessariæ supposita institutione status supernaturalis, & fragilitate humana; nam quælibet ordinatur ad expellendum aliquod malum intra ordinem supernaturalem.

An lex debeat esse possibilis.

SECTIO VII.

41 Certum est. Quod debet esse possibilis physicè quò ad obseruantiam. Quia non potest natura libera constringi ad id, quod non est in ipsius potestate. Rursus debet esse etiam possibilis moraliter, quatenus hęc possibilitas, excludit illam difficultatem, quæ non solet regulariter superari. Difficultas solùm est. An debeat esse possibilis moraliter, ita vt non habeat talem difficultatem, quæ regulariter non soleat superari. Respondetur. *Legem debere habere etiam hāc possibilitatem moralem.* Ita communiter cum D.Thom. 1.2. *quæst.* 15. *artic.* 3. & *quæst.* 96. *art.* 4. D. August. *De natura, & gratia cap.* 46. & 69. & desumitur ex cap. *Erit autem*, & ex cap. *Denique; dist.* 4. & *l.* 1. §. *Dies autem. ff.* Quando *appellandum sit*. Probatur. Lex est regula dirigens subditos in ordine ad bonum commune. Ergo debet esse proportionata capacitati ipsorum. Ergo non potest introducere, nisi illam directionem, cuius subditi sunt capaces; non sunt autem capaces, nisi illius, quæ moraliter est possibilis, & facilè introduci potest, alioquin stante morali resistentia lex esset inutilis, quia frustraretur suo fine. Confirmatur si lex non conducat bono communi non est vera lex; sed si sit valdè difficilis, non conducit, quia frequentior est violatio, quàm obseruantia; & bonum commune plus nocumenti patitur, quàm percipiat vtilitatis. Ergo.

42 Dicendum secundò. *Tunc legem esse moraliter possibilem, & facilem, quando motiua pro obseruantia ipsius præponderant in ordine ad rectam rationem motiuis, quę se tenent pro non obseruantia.* Probatur. Voluntas ex natura sua est determinata ad bonum honestum, ita vt si nō prosequatur deficiat. Ergo si motiua pro obseruantia legis præponderant motiuis in oppositum, cum honestas se teneat ex parte ipsorum, & moueant voluntatem secundum ipsius naturam, poterit voluntas facilè amplecti obseruantiam, si sequatur rectam rationem.

43 Obiicitur. Dantur quædam leges moraliter impossibiles, vt lex de exponenda vita pro Republica; aut pro salute spirituali proximi. Ergo. Respondetur negando antecedens. Quia tales leges habita ratione circumstantiarum habent motiua præponderantia pro obseruantia in ordine ad rectam rationem, & ideò ex natura sua sunt faciles, & difficultas solum prouenit ex praua dispositione voluntatis.

44 Obijcitur secundò. Lex vetus erat vera lex, & tamen Actor. 15. dicitur *Iugum importabile*. Ergo. Respondetur. Dici iugum importabile non absolutè, sed comparatiuè ad legem Euangelicam, quæ cum sit libertatis, est lex suauis; lex autem vetus fuit lex seruitutis, & ideò fuit onerosa, ita D. August. *de moribus Ecclesiæ. cap.* 28. & *contra Adamantium. cap.* 16.

An lex sit actus publicæ potestatis.

SECTIO VIII.

45 Dicendum est. *De ratione legis esse, quòd sit actus publicæ potestatis iurisdictionalis.* Ita communiter cum D.Thom. 1.2. *quæst.* 90. *art.* 3. & Arist. 10. *Ethicor. cap. vltim.* Et desumitur ex cap. *Cum accessissent*, & cap. *Cum in Eccles.* De *constit.* Probatur. Lex est regula dirigens subditos secundum exigentiam boni communis. Ergo debet esse actus iurisdictionalis proueniens ab eo, qui præest communitati. Consequ. probatur. Bonum commune est bonum publicum. Ergo cura ipsius pertinet ad potestatem publicam; hęc autem est potestas iurisdictionalis.

46 Colligitur ex dictis. Ad condendas leges requiri supremam potestatem, quia lex est supremus actus gubernationis, cum secundum ipsam debeat regimen administrari, nec extra legem sit aliquid aliud, à quo regimen dependeat. Quia autem effectus requirit causam proportionatam, ideò effectus supremus requirit causam supremam in suo ordine. Potest tamen hęc potestas communicari etiam inferioribus. Hinc autem fit, quod paterfamilias nō potest condere leges pro sua familia, quia non habet supra ipsam iurisdictionem, sed tantùm potestatem economicam.

47 Obiicitur. Ad Rom 2. De Gentibus dicitur, quòd ipsi sunt sibi lex, ergo lex non debet esse à potestate publica. Respondetur negando consequ. Quia lex naturalis, per quam quisque sibi est lex, prouenit à supremo legislatore Deo; vnde August. *lib.* 2. *de Sermone Domini in monte c.* 9. ait. *Quis legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?*

48 Obiicitur secundò. Lex est regula in ordine ad bonum commune. Ergo cum quilibet possit se regulare in ordine ad ipsum, potest efficere legem. Respondetur. Esse regulam publicam iurisdictionalem; quilibet autem non potest se ipsum regulare tali modo, sed tantùm priuatè.

49 Obijcitur tertiò. Potest quisque se obligare voto, iuramento &c. Ergo etiam sibi imponere legem. Respondetur negando consequen. Quia obligatio voti &c. Est personalis, & priuata; obligatio autem legis publica.

An promulgatio sit de essentia legis.

SECTIO IX.

50 Supponendum est tanquam certum. Legem non obligare, atque adeò non exercere rationem legis, nisi sit promulgata tanquam auctoritate publica sancita, vt docent communiter cum Glos. *in cap. Cognoscentes.* verbo. *Ante prohibitionem*, De *constit.* Quia cum non possit quis obligari ad faciendum, quod non cognoscit, sibi faciendum, non potest lex exercere vim suam, nisi innotescat.

51 Supponendum secundò. Hanc promulgationem non esse ex natura rei determinatam, sed pendere ex vsu, & voluntate legislatoris; quia vt lex exerceat vim obligatiuam, sufficit, si auctoritatiuè quocunque modo innotescat, modo autem difficultas est, an aliqua promulgatio sit de essentia legis.

52 Prima Sententia est affirmatiua. Ita Castro *lib.* 1. *de leg. pœn. cap.* 1. Sot. *lib.* 1. *de iustitia, & iure quæst.* 1. *ar.* 7. Suar. *lib.* 1. *de leg. cap.* 11. *num.* 6. Medina 1. 2. *quæst.* 90. *artic.* 4.

53 Secunda sententia est negatiua, asserens esse tantum conditionem. Ita Scot. *in* 4. *distinct.* 3. *quæst.* 4. *ar.* 1. Vigers 1.2. *quæs.* 90. *articul.* 4. Dunal. *ibidem.* versic. *Nostra opinio.*

54 Dicendum est. *Promulgationem non esse de essentia legis, sed tantum conditionem extrinsecam necessariam, vt actu*

vt actu obliget, sicut applicatio est cõditio respectu ignis, vt comburat. Desumitur ex D.Thom 1.2.*quæst.90.ar.4.* quatenus requirit, promulgationem solum, vt applicantem legem ad obligandum. Probatur. Lex non constituitur in sua essentia per actualem obligationem, sed solum per vim obligatiuam. Ergo promulgatio non pertinet ad essentiam legis. Antecedens patet. Quia actus secundus etiamsi sit in genere causæ formalis, non pertinet ad essentiam rei; obligare autem est actus secundus legis, cum sit effectus ipsius. Consequentia probatur. Non tribuit legi vim obligatiuam, sed supponit. Tum quia est actualis applicatio legis ad obligandum. Tum quia si tribueret vim obligatiuam, lex nunquam desineret obligare, cum nunquam desinat promulgatio; vnde non desineret, etiamsi fieret inutilis vniuersaliter. Confirmatur. Vis obligatiua legis consistit in ratione legis, vnde extenditur ad extensionem, & paritatem rationis. cap. *Inter cæter.* De *rescriptis:* & cap. 2. *De translatione Episcoporum*. Et cessante ratione legis cessat etiam vis obligatiua ipsius *l. Adigere. §. Quamuis. ff. De iurepatr.* & cap. *Cum cessante*. De *appellat.* Ergo cum promulgatio non pertineat ad rationem legis, nec etiam pertinebit ad essentiam, quia intantum pertineret, in quantum tribueret vim obligandi.

55 Obiicitur ex cap. *In istis dist.* 4. vbi habetur, quod Leges instituuntur, quando promulgantur. Ergo &c. Respondetur. Leges per promulgationem institui non quò ad essentiam, sed quò ad vsum, & applicationem pro regimine.

56 Obijcitur secundò. Lex importat essentialiter imperium alicuius alteri factum, potens mouere ad obediendum. Ergo cum non possit mouere, nisi exterius manifestetur, talis manifestatio erit de essentia imperij, atque adeo legis. Respondetur distinguendo antecedens. Lex importat imperium potens mouere in actu primo, non autem mouens, tale autem imperium est in lege ante promulgationem; & promulgatio solum applicat ad actu mouendum.

57 Obijcitur tertiò. Si alicui subdito esset notum imperium superioris, antequam manifestaretur, non teneretur obedire. Ergo non habet vim obligandi. Ergo nec etiam lex. Respondetur distinguendo consequent. Non habet vim obligandi exercitum; secus autem in actu signato. Non tenetur autem quis obedire, antequam lex actu obliget.

58 Obijcitur quartò. Regulæ Cancellariæ habent rationem legis, & tamen non promulgantur, quando confirmantur à nouo Pontifice. Ergo promulgatio neque requiritur, vt conditio. Respondetur. Regulas illas non esse veras leges, sed tantum ordines, & praecepta; nam expirant morte Pontificis, vt patet ex præfatione ipsarum. Lex autem non expirat morte legislatoris; Et ita notat Gomez in Præfatione ad ipsas regulas.

59 Colligitur ex dictis contra Bald. *In cap. In causis.* De *sent. & re iudicata*, & nõnullos alios. Scripturam non esse de essentia legis, vt docent communiter cum Aristotele 10. *Ethicor. cap. 9.* & habetur ex *l. De quibus. ff. de legibus.* Quia adæquata ratio, & effectus legis potest saluari absque eo, quod lex sit scripta, siquidem quocunque modo promulgetur, potest dirigere subditos; vnde nec est necessaria scriptura, vt lex actu obliget; requiritur tamen, vt facile possit constare de legibus, vt habetur ex cap. 1. *De renunt. in 6.*

An perpetuitas sit de essentia legis.

SECTIO X.

60 CErtum est, non posse habere perpetuitatem absolutam, quia cum habeat causas, & omnis res per causas, per quas nascitur, per easdem dissolui possit, posset lex tolli à legislatore; vnde procedit difficultas de perpetuitate secundum quid, an conueniat legi, quantum est ex natura sua. Vnde etiam certum est, quod cum lex dependeat à materia, circa quam versatur, quæ mutabilis est, potest etiam lex ex mutatione materiæ mutari, & de vtili fieri inutilis, de iusta iniusta.

61 Dicendum est. *Legem ex natura sua esse perpetuam.* Ita communiter cum Glos. *in cap. A nobis* 1. *De sent. ex communicat.* Et D.Thom. 1.2. *quæst. 96. art.* 1. contra Gomez in Procemio ad reg. Cancell. *quæ.* 2 Gonzal. §. 5. *Prooemij. in reg. 8. Cancell.* & desumitur ex *l. Edenda*, de *edendo*; & ex cap. *fin.* De offic. *leg.* Probatur. Lex est regula directiua communitatis secundum exigentiam boni communis. Ergo, quantum est de se, exigit esse perpetua. Conseq. probatur. Quamdiu manet communitas, exigit rectè gubernari, & esse benè ordinata. Ergo etiam regulam directiuam. Ergo lex vt regula directiua exigit durare quamdiu durat communitas, cum sit iuxta exigentiam ipsius.

62 Obiicitur. Duratio non est de essentia rei. Ergo cum perpetuitas fundetur in duratione, non potest esse de essentia legis, præsertim quia dependet à voluntate legislatoris. Respondetur. Distinguendo antecedens. Duratio quoad exigentiam non est de essentia. Nego. Quò ad actum exercitum, concedo. Lex autem ex natura sua exigit perpetuò durare.

63 Obijcitur. Lex vetus fuit vera lex, & tamen non fuit perpetua. Respondetur. Fuisse perpetuam ex natura sua, nam exigebat durare, quàm diù durabat status ille populi Iudaici, vndè desijt ex mutatione materię.

64 Quæres. Ad quam virtutem spectet condere leges? Respondetur. Pertinere ad iustitiam legalem, vt notat Arist. 5. *Ethico cap. 3. & 4.* Quia iustitia legalis habet pro obiecto bonum commune, vt docet Aristoteles 1. *Politicor. cap.* 1. & ideò pertinet ad ipsam ordinare leges, quæ sunt necessariæ ad bonum commune.

Quodnam sit subiectum legis.

SECTIO XI.

65 DIco primò. *Lex habet suam existentiam nedum secundum esse morale, sed etiam secundum esse physicam.* Est contra Lorcam 1. 2. *disput.* 2. *de leg.* Probatur. Lex est mensura directiua moralium operationum. Ergo debet habere suam existentiam physicam. Consequ. probatur. Causa debet existere secundum illud esse, quo causat; lex autem continuò causat secundum esse physicum; quia causat quatenus mensura præscriptiua, & vt talis dicit esse physicum.

66 Dico secundò. *Lex existit in intellectu legislatoris habituali modo, ita tamen vt fiat in actu, quando oportet per modum loquutionis intimatiuæ.* Probatur. Transacta actuali cogitatione remanet eadem cogitatio in habitu in intellectu. Ergo cum lex consistat in actuali intimatione loquutiua expressa ab intellectu ex vi memoriæ fœcundę, debet remanere in ipso habituali modo.

67 Dico tertiò. *Lex subiectatur etiam in intellectu subditorum secundum esse habituale passiuo modo, per modum formæ tribuentis effectum formalem obligationis, vnde importat iudicium constrictiuum voluntatis, quatenus per modũ loquutionis, qua idem sibi loquitur, intimat, quid sit faciendum iuxta præscriptionem legislatoris.* Probatur. Quòd in loquente est per modum loquutionis, est in audiente per modum auditionis. Ergo cum lex sit in legislatore intimatiua loquutio, in subdito erit intimatiua auditio, quia debet correspondere loquutioni, atque adeò debet se habere intimatiuo modo.

In

In quo differat lex à præcepto.

SECTIO IX.

68 Dicendum est. *Legem differre a Præcepto in eo, quod lex stabilis sit, & perpetua, Præceptum verò temporaneum, & finiens cum morte præcipientis, aut abdicatione muneris.* Ita Abbas *in cap. Irrefragab. §. Cæterum.* De offic. ordinar. Anton. *ibidem.* Archid. *in cap. Donatum. 1. quæstione 7.* Sanchez *libr. 8. de matrim. disput. 28. numer. 47.* & communiter, & desumitur ex *l. Et quia ff. De iurisdictione omnium iudicum*, & cap. *Relatum.* & cap. *Gratum.* De offic. *Delegati.* Probatur. Lex est actus potestatis legislatiuæ; Præceptum verò potestatis gubernatiuæ, Ergo differunt penes perpetuum, & temporaneum. Antecedens patet. Quia lex solùm condi potest ab eo, qui habet supremam potestatem, aut cui est delegata. Præceptum verò potest imponi ab eo, qui regimen exercet; sic regulariter apud Regulares solùm capitulum Generale potest condere leges, quilibet verò prælatus etiam inferior potest præcipere. Consequ. probatur. Potestas legislatiua respicit ordinem communitatis, qui ex se debet esse perpetuus: potestas verò gubernatiua respicit conseruationem ordinis præfixi a legibus, ergo præceptum nō extenditur plus, quàm extendatur gubernatio, atque adeò non durat, nisi durante gubernatione, cum ab ipsa dependeat in conseruari.

69 Dicendum secundò. *Præceptum non est quid superius lege, sed quid ipsi subordinatum.* Probatur. Quod est superius, non dicit ex sua ratione formali aliquid repugnans inferiori, siquidem superius continetur in inferiori. Præceptum autem dicit quid repugnans legi, nempe carentiam perpetuitatis. Rursus Præceptum, vt importans aliquam partem gubernationis, debet esse secundum leges, ergo cum sit quid deriuatum à legibus, debet ipsis subordinari.

70 Colligitur ex dictis contra Vasquez 1. 2. *disput.* 151. *cap.* 3. & alios. Legem, & Præceptum non differre in eo, quod lex communitati imponatur, Præceptum verò singulari personæ, quia, qui non possunt condere leges, possunt facere præcepta obligantia totam communitatem, cum multoties id exigat bonum regimen, vt notat Suarez *lib. 1. de leg. cap. 10. num. 11.* & alij.

71 Colligitur secundò. Legem differre à statuto, quod lex est actus supremæ potestatis legislatiuæ; statutum verò est actus potestatis subordinatæ superiori principi, vt sunt prouinciç respectu regni. Ciuitates respectu prouinciæ, vt notat inter alios Azor, *part. 1. lib. 5. capitul. 1. quæst. 9.*

DE EFFECTIBVS LEGIS.

DISPVTATIO XLV.

An lex faciat bonos.

SECTIO I.

1 Dicendum est. *Omnem legem efficere subditos aliquo modo bonos, nempe in suo genere.* Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 92. *ar.* 1. Arist. 2. *Ethicor. cap.* 1. Plato. *Dial. 4. de leg.* & habetur ex *leg. 1. ff. De iustitia, & iure.* Et ex illo Psalm. 118. *Lex Domini immaculata conuertens animas,* Et 1. Ad Timoth. 1. *Scimus, quod bona est lex, si quis legitimè ea vtatur.* Probatur. Lex intendit subijcere subditos rectæ rationi. Ergo facit bonos. Antecedens patet. Nam præscribit modum operandi cum conformitate ad rectam rationem. Consequ. probatur. Bonitas moralis consistit in conformitate ad regulas rationis. Ergo eo ipso, quod quis subiicitur rectę rationi, & ipsi conformat suam operationem, est bonus.

2 Dico secundò. *Legem non efficere subditos bonos efficaciter, sed tantum quoad intentionem, & præscriptionem.* Probatur. Vt faciat efficaciter bonos, debet exequutioni mandari; spectat autem ad subditos mandare exequutioni.

3 Obiicitur. Ad Roman. 4. *Lex iram operatur.* Et cap. 5. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum,* ergo si lex Diuina non facit bonos, nulla facit. Respondetur. Negando consequentiam. Nam etiam lex vetus, de qua ibi loquitur Apostolus, de se faciebat bonos; & solum per accidens malos, quatenus natura corrupta, & subiecta concupiscentijs peccabat contra legem, quia non liberabatur a gratia.

4 Obiicitur secundò. Lex non iustificat. Ad Galatas 2. & 3. Ergo non facit bonos. Respondetur. Non facit bonos tanquam principium præscriptiuum, nego. Tanquam exequutiuum concedo; quia exequutio legis dependet à gratia.

5 Obiicitur tertiò. Lex aliquando præcipit solos actus externos, & impleri potest per actus malos. Ergo non facit bonos. Respondetur quicquid sit de antecedenti distinguitur consequens. Non facit bonos simpliciter quælibet lex singularis; facit tamen bonos secundum id, quod præcipit, vnde quando præcipit solum actum externum, facit quod homo in tali actu ordinatè se habeat.

6 Obiicitur quartò. Lex ciuilis permittit plura mala. Ergo non facit bonos. Respondetur negando consequent. Nam non permittit ipsum factum malum, sed solùm non puniri; & proinde obligat exequutores legum ad non puniendum, & hoc pacto facit ipsos bonos, quatenus concernit bonum commune, quod non puniantur.

An obligatio sit effectus omnis legis.

SECTIO II.

7 Dicendum est. *Legem obligare subditos, ita vt nulla sit, quæ non obliget.* Ita Arist. 10. *Ethico. capit. vltimo.* Plato *cap. 16. de Regno,* D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. Et desumitur ex *l. 1.* & 2. & *l. Legis virtus. ff. De legibus,* & ex D. August. *De statu virginitatis. capit.* 14. Et ex illo. Ad Roman. 2. *Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Et cap. 13. *Ideò necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Probatur. Lex imponitur subditis. Ergo ipsos obligat. Consequentia probatur. Lex de se habet vim obligatiuam, quia præscribit, quod est necessarium secundum exigentiam boni communis, & subditi sunt capaces talis obligationis, quia tanquam membra sunt propter totum, atque adeò tenentur cooperari bono ipsius. Ergo eo ipso, quod lex imponitur, consurgit in ipsis obligatio.

8 Obiicitur. Lex pęnalis non inducit obligationem, quia nemo tenetur ex se subire pœnam. Ergo. Respondetur negando antecedens. Quia obligat iudices ad imponendas pœnas, & delinquentes ad substinendas.

9 Obiicitur secundò. Lex permissiua non obligat. Ergo. Respondetur negando antecedens. Nam obligat, ad quos spectat, nè puniant.

10 Obiicitur tertiò. Plures leges sunt solum consulentes. *l. Pacto, c. De Transact.* & *l. 1. ff. De inofficioso testam.* Respondetur. Non esse propriè leges, sed impropriè quatenus conueniunt cum lege in virtute directiua, vt notant communiter cum Bartol. *in l. Legis virtus. ff.* De legib. vnde in hoc lex differt à Consilio, quod Consilium solum dirigit, non autem obligat.

11 Colligitur ex dictis. Obligationem, quæ est effectus legis,

legis, esse obligationem communem, & publicam fundatam in iurisdictione; & proinde distinguitur ab obligatione personali, qualis est obligatio voti, iuramenti, &c.

12 Colligitur secundò. Legem positiuam obligare semper, sed non pro semper; legem vero negatiuam etiam pro semper, vt docent communiter. Lex enim obligat iuxta necessitatem illius, quod præcipit: est autem necessarium, quod subditus semper abstineat ab eo, quod prohibetur: non autem, quod semper faciat quod præcipitur.

An præcipere, vetare, permittere, & punire sint effectus legis.

SECTIO III.

13 Tribuuntur hi effectus legi tanquam actus ipsius in *l. Legis virtus. ff. De legib.* & in cap. *Omnis distinct. 3.* & recipiuntur communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst. 92. art. 2.*

14 Dico primò. *Hi effectus non conueniunt singulis legibus in particulari, sed singuli diuersis legibus*. Probatur. Hi effectus sunt incompossibiles, si enim lex permittit, non potest prohibere, & si præcipit, non permittit, nec prohibet, nec punit. Ergo non possunt omnes singulis legibus conuenire.

15 Dico secundò. Permittere, vt est actus legis, sumitur in ampla significatione, non solùm, vt dat facultatem aliquid faciendi, sed etiam, vt est permissio iuris in ordine ad mala, quatenus permittit, quod non puniantur. Prob. Permissio, vt est actus legis, debet adæquare legē, quæ non est præceptiua, aut prohibitiua, aut pœnalis; non adæquat autem si non sumatur in tota amplitudine. Ergo. Minor prob. Lex æterna, & naturalis non permittunt aliquod malum, vt docet D. August. *lib. 1. de libero arbitrio. cap. 5. & 6.* Quia eo ipso, quod malum esset permissum, non esset malum, quia esset secundum regulas rationis. Similiter etiam lex Diuina non permittit aliquod malum, & tamen hę leges multa concedunt, & sola lex ciuilis permittit aliqua mala. Ergo permissio, vt adęquatus actus legis permissiuę, est in ordine tum ad malum, tum ad concessionem.

16 Dico tertiò. *Permissio, vt est actus legis, non est sola negatio prohibitionis, sed positiua determinatio, qua lex determinat talem permissionem, atque adeò obligat eos, ad quos spectat ad concedendum, quod permittitur.* Probatur. Permissio, quæ est actus legis, prouenit à potestate legislatiua, & est ordinatiua communitatis. Ergo debet esse positiuus actus, quia à causa positiua prouenit effectus positiuus.

17 Dico quartò. *Punire, vt est specialis actus legis, importat determinationem pœnæ.* Probatur. Taxare pœnam pro delictis confert ad bonum communitatis, & est actus potestatis legalis. Ergo est actus specialis alicuius specialis legis. Consequentia probatur. Omnis ordinatio rationis in ordine ad bonum commune à potestate legislatiua est lex. Ergo omnis actus eiusdem rationis est actus legis.

18 Colligitur ex dictis. Hos actus non esse effectus legis, si actiuo modo considerentur, quia hoc pacto important vim præceptiuam prohibitiuam, &c. & proinde constituunt ipsas leges in suo esse: sed tantum passiuè acceptos, prout transeunt in subditos, & ipsos subijciunt legi speciali modo subiectionis.

19 Obijcitur. Lex naturalis non taxat pœnas. Ergo in genere legis naturalis non reperitur lex punitiua. Respond. Non taxare pœnas in speciali, taxare tamen in communi, quatenus continet dictamen intimatiuum, quòd pœna debet esse proportionata delicto, quod sufficit, quia lex naturalis continet solum præcepta vniuersalia.

20 Obiicitur secundò. Premiare non est actus legis, Ergo nec etiam punire. Respondetur negando consequ. Quia premiare est actus virtutis, & potest esse à priuata persona auctoritate priuata; non autem punire, cum sit actus iurisdictionis.

21 Instabis. Priuatę personę possunt punire, vt Pater filios, magister discipulos, &c. Ergo est eadem ratio, ac de præmiare. Respondetur. Priuatas personas posse punire certa mensura punitionis, non priuata auctoritate, sed auctoritate legum, quę id ipsis concedunt, vt exequutoribus *l. sed & si § Si magister. ff.* Ad *legem aquiliam*, & cap. *Ad audientiam.* De *homicidio*, & *cap. 1.* & cap. *Cum de voluntate.* De *Sententia excommunic.*

22 Instabis secundò. Ideo punire est actus legis, quia lex decernit pęnam. Sed etiam decernit premium. Ergo. Respondetur decernere pœnam priuatiuè quoad alios, quia ad alios non spectat taxare pœnas, premium verò non decernit priuatiuè quò ad alios, cum quilibet priuatus possit decernere, & ideò punire est actus proprius legis, non autem premiare.

An dentur alij effectus legis.

SECTIO IV.

23 Solent alii effectus tribui legi, vt irritare actum, inhabilitare personam, abrogare legem, reuocare priuilegia, taxare pretium, transferre dominium, &c.

24 Dicendum est. Predictos effectus legis esse adequatos, & omnes alios ad illos reduci, ita communiter cum D. Th. 1. 2. *quæst. 2. art. 2.* contra Glos. & Bartol. *in l. Legis virtus. ff.* De *legib.* Probatur. Actus legis non possunt excedere potestatem legislatoris, cum effectus non possit excedere causam. Ergo quatuor actus enumerati sunt adequati. Conseq. probatur. Tota potestas legislatoris vel est ordinatiua communitatis, vel coactiua. Si primum: adequatur per pręcipere, & prohibere, nam tota ordinatio perficitur per id, quod est faciendum, & id, à quo est abstinendum iuxta illud. *Declina à malo, & fac bonum*. Si secundum; adequatur per punire, aut permittere; potestas enim coactiua debet procedere secundum regulas rationis, atque adeò aut punire, aut permittere iuxta exigētiam boni communis.

25 Colligitur ex dictis. Irritationem reduci ad legem vel precipientem, vel prohibentem: nam si fundetur in eo, quod actus careat debita forma, est effectus legis preci pientis: si vero fundetur in prohibitione, pertinet ad legem prohibentem, quę potest prohibere non solum actum, sed etiam vsum potentię, & tunc consurgit irritatio. Similiter inhabilitatio, si sit ob defectum, est actus legis prohibitiuę, si verò sit intuitu delicti, est actus legis punitiuę. Rursus abrogatio legis, si est actus legis, semper talis lex erit pręceptiua, aut prohibitiua, quod etiam contingit in reuocatione priuilegij, quando fit per legem. Taxatio verò prætii etiam reducitur vel ad legem prohibitiuam, qua prohibetur, nè res pluris vendatur, aut preceptiuam, qua præcipitur, vt tanti vendatur. Deniquè translatio dominij, cum importet modum acquisitionis, qui pręscribitur à lege, est actus legis pręceptiuę.

26 Colligitur secundò. Legem definiendam esse, quod sit *Intimatio rationis, illius, quod est necessarium pro recto ordine communitatis*. In hac enim definitione includuntur omnes conditiones essentiales legis saltem implicitè, de quibus supradictum est.

DE LEGE AETERNA.

DISPVTATIO XLVI.

An detur lex æterna.

SECTIO I.

1 SVpponendum est, Legem propriè dictam posse diuidi vel secundum variam virtutem ipsius, vel secundum diuersum ordinem potestatis legislatiuæ. Primo modo diuiditur secundum illam diuersitatem virtutis, secundum quam causat actus diuersos, atque adeò in præceptiuam, prohibitiuam, permissiuam, & punitiuam. Secundo modo diuiditur in Imparticipatam, & Participatam. Primo modo consurgit lex æterna, secundo modo lex temporalis, quæ est immediatè imposita creaturæ. Rursus lex temporalis vel est indita naturæ, & tunc est lex naturalis; vel est imposita ab extrinseco, & consurgit lex positiua. Rursus lex positiua vel est secundum potestatem Diuinam, & habetur lex Diuina; vel secundum humanam; & consurgit lex humana. Denique vel potestas humana est spiritualis, & consurgit lex Canonica; vel politica, seu ciuilis, & consurgit lex ciuilis.

2 Dicendum est. *Dari legem æternam in Deo*. Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst. 91. art. 1. & quæst. 93. ar. 1.* Platone *Dialogo* 10. *de leg.* August. 1. *de lib. arbitr. capit. 5. & 6.* & *lib. 22. contra Faustum. cap. 27.* Probatur. Datur lex participata, quæ consistit in actu intellectus, aut voluntatis. Ergo etiam imparticipata, & æterna. Consequentia probatur. Omne participatum debet reduci in aliquid tale vel formaliter, vel eminenter per essentiam. Ergo lex participata debet reduci in aliquid imparticipatum, quod pertineat ad intellectum vel voluntatem, & sit tale per essentiam formaliter, quia participatio in genere intellectiuo fit secundum idem esse formale, licet secundum diuersum modum essendi.

3 Dico secundò. *Legem æternam denudari ab iis conditionibus, quas dicunt leges participatæ, vt tales; atque adeo non fundari in potestate, sed esse priorem ipsa; imo potestatem fundari in ipsa, atque adeo esse primam rationem mensuræ intra ordinem naturalem.* Probatur. Omnis potestas, cum sit facultas operandi rationabiliter, est ordinata. Ergo debet supponere regulam rationis, cui se conformans sit ordinata. Ergo cum etiam in Deo potestas sit rationabilis, debet supponere regulam rationis. Ergo legem æternam, quia lex æterna vt prima regula per essentiam debet præcedere id, quod est ordinatum.

4 Colligitur ex dictis. Legem æternam habere diuersum modum essendi quoad suam rationem quidditatiuam a lege temporali, quia cum sit in sua quidditate infinita, & actus purissimus, distat infinito modo distantia quidditatiua à lege temporali; vnde nō cōuenit cū ipsa in aliquo conceptu communi, sed intra eandem lineam comparantur ad inuicem vt imparticipatum, & participatum.

5 Colligitur secundò. Legem æternam esse veram legem, nam dicit primam rationem legis existentem per essentiam, ita vt sit mensura, cui cæteræ leges debeant conformari. Quod autem est primum in vnoquoque genere, est proprijssimè tale. Et cum lex temporalis sit participata ab ipsa, & vt defectibilis deducatur ad æternam, vt ad primam rationem indefectibilem, debet æternam perfectiori modo continere rationem legis.

In quo consistat formaliter lex æterna.

SECTIO II.

6 PRima Sententia asserit, consistere in actu libero diuinæ voluntatis dispositiuo rerum secundum rationem diuinam; & proinde legem æternam ita fuisse in Deo ab æterno, vt tamen potuerit non esse. Ita Suar. *lib. 2. de leg. cap. 3.* Gordon. *lib. 2. Theolog. moralis. quæst. 4. cap. 2. num. 6.* Putean *par. 2. quæst. 90. ar. 1.* Probatur. Lex æterna habet pro materia opera Dei ad extra. Ergo cum libera sint, inuoluunt respectum liberum, atque adeo actum voluntatis. Secundò. Lex pertinet ad gubernationem, atque adeo supponit gubernationem. Gubernatio autem exercetur per actum liberum.

7 Secunda Sententia asserit, consistere in actu intellectus, & esse rationem sapientiæ diuinæ, secundum quam res gubernentur. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst. 93. ar. 1.* Medi. Martinez Malder. *ibidem.* Lorca *disput. 5. de legib. sectio. 1.* Duual *tract. de leg. quæst. 2.*

8 Dico primò. *Lex æterna est actus intellectus diuini importans iudicium suo modo intimatiuum illius, quod est faciendum.* Probatur. Lex æterna respicit ea, quæ sunt facienda circa gubernationem vniuersi. Ergo consistit in tali actu. Consequentia probatur. Quæ pertinent ad gubernationem, debent esse expressa in ratione diuina in ordine ad executionem. Ergo intellectus diuinus dicit actum, per quem exprimatur, quod sint tali, vel tali modo instituenda. Ergo iudicium intimatiuum. Ergo lex æterna consistit in hoc iudicio, quia respicit exercitium executionis.

9 Dico secundò. *Lex æterna est actus necessarius, atque adeo antecedens omne decretum liberum.* Probatur. Importat per modum loquutionis intimatiuæ, quid sit faciendum circa gubernationem. Ergo dicit quid necessarium. Conseq. patet. Tum quia dicit perfectionem intrinsecam; nam dicit aliquid de ipsa loquutione diuina, quæ est quid vitale: Tum quia in Deo est verbum infinitum, atq; adeo loquutio infinita importans omnem rationem loquutionis. Lex autem æterna dicit aliquam rationē loquutionis. Tum quia dicit aliquam vim regulatiuam; vis autem regulatiua est aliqua perfectio in ordine intellectuali, & pertinet ad complementum causæ regulantis.

10 Colligitur ex dictis. Legem æternam esse omnino immutabilem, non solum eo modo, quo decreta diuina sunt immutabilia, sed etiam quia habent esse necessarium, sicuti cæteræ perfectiones diuinæ, vt docet D. Aug. *1. de libero arbitr. cap. 6.*

11 Colligitur secundò. Legem æternam non esse notam viatoribus in se ipsa, sed tantum beatis, quia viatores ipsam cognoscunt solum secundum aliquam participationem, quæ est in aliis legibus, & per discursum, vt docent communiter cum D. August. *de vera religio. cap. 14.* & D. Thom. 1. 2. *quæst. 93. art. 2.*

12 Colligitur tertiò. Legem æternam non esse prouidentiam vt contra Mol. *par. 1. q. 2. ar. 1.* & alios docet D. Th. *quæst. 5. de verit. ar. 1. ad 6.* Lorca *disp. 5. de leg. memb. 1.* sed ab ipsa distingui eo modo proportionaliter, quo distinguuntur leges temporales ab executione ipsarum. Lex enim æterna præscribit, quid sit faciendum, prouidentia verò iuxta præscriptionem legum disponit ordinē rerum, & mandat executioni.

13 Colligitur quartò contra Vasquez 1. 2. *quæst. 92. ar. 1.* & alios. Legem æternam non esse ideam, vt docet Lorca *disp. 5. de legib. memb. 1.* Quia idea est mensura rerum faciendarum quoad ipsarum essētiam per modum artis, seu exemplaris, & se tenet ex parte principij productiui. Lex verò, quia respicit ordinem in finem, supponit id, quod est ordinandum, atque adeo lex æterna supponit ideas.

14 Colligitur quintò. Ad rationem legis æternæ non requiri promulgationem, neque formalem, neque virtualē; quia

quia promulgatio est necessaria, quando lex dirigitur ad alterum. Lex autem æterna non dirigitur, quia est illa, secundum quam Deus operatur.

15 Ad primum. Negatur conseq. Quia lex æterna habet pro materia res ad extra, non vt actu ordinatas, sed vt ordinabilis; actualis enim ordinatio dependet ab applicatione legis in ordine ad exequutionem, hæc autem applicatio est contingens, & inuoluit actum liberum. Ad secundum. Lex supponit creationem, quantum ad exequutionem, non autem secundum actum primum, quatenus est virtus directiua; & ideo solum supponit actum liberum sumpta in actu primo exercito; non autem in actu signato.

An lex æterna versetur circa ea, quæ sunt in Deo.

SECTIO III.

16 Supponendum est. Legem æternam non versari circa actus diuinos æternos, & necessarios, vt docent communiter cum D. Thom. 1. 2. *q.* 93. *art.* 4. Quia licet productio Spiritus Sancti fundetur in cognitione, nō tamen cognitio habet rationem legis, quia talis cognitio non versatur circa aliquid factibile, cum Spiritus Sanctus sit talis per essentiam. Difficultas ergo est quoad actus liberos.

17 Prima sententia est negatiua. Ita Alensis 3. *part. q.* 26. *memb.* 8. *art.* 1. Medin. 1. 2. *quæst.* 93. *artic.* 4. Conrad. *ibidem*. Salas *disp.* 4. *de leg. sect.* 2. *conclus.* 2. Suar. *lib.* 2. *de leg. capitul.* 2. & alij. Probatur ex D. August. *quæst.* 53. *ex* 83. *Qui quærit causam voluntatis Diuinæ, quærit maius voluntate Diuina.* Sed lex est causa, ergo. Secundò. Ex D. Anselmo *libr. cur Deus homo.* Cum *Deus liber sit nulli legi, nulliusque iudicio subiacet.* Tertiò. Voluntas Dei est prima ratio omnium, primæ autem rationis non datur alia ratio, atque adeo nec lex. Quartò. Quod dirigitur lege, ordinatur in aliquem finem; nihil autem in Deo dirigitur propter finem, ergo

18 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Molina *in concordia quæst.* 14. *art.* 13. *disput.* 32. Duual. *tract. de leg. quæst.* 2. & Desumitur ex D. Thom. *part.* 1. *quæst.* 21. *artic.* 1. *ad* 2.

19 Dicendum est. *Legem æternam versari circa actus liberos Dei, ita vt recti sint per conformitatem ad ipsam.* Desumitur ex D. August. *de ver. relig. capitul.* 31. Probatur. Lex æterna est ratio Diuinæ gubernationis, ergo quæcunque conformantur tali rationi, conformantur legi æternæ, & lex æterna versatur circa ipsa, vt directiua; actus autem liberi Dei conformantur rationi Diuinæ gubernationis, quia Deus in gubernatione vult illum ordinem, quem præscribit ratio æterna.

20 Dices. Ex hoc solum sequi, quod Diuina gubernatio ad extra sit secundum legem æternam, non autem actus Diuinæ volūtatis. Cont. Gubernatio Dei ad extra est secundum præscriptionem legis æternæ, ergo etiam actus Diuinæ voluntatis, quia gubernatio non participat ordinem legis æternæ, nisi mediante diuina voluntate, quatenus lex præscribit Diuinæ voluntati talem ordinem esse sequendum. Confirmatur. Vel Diuina voluntas amplectitur ordinem gubernationis, quem intimat lex æterna; vel non. Si primum; ergo in operando, & volendo sequitur legem æternam, atque adeò eam implet. Si secundum, ergo cum amplecti sit velle, non vellet talem ordinem, quod tamen est falsum.

21 Ad primum respondetur. Qui quærit causam extrinsecam voluntatis Diuinæ, quærere aliquod maius; nō autem qui quærit rationem intrinsecam, sicut est lex æterna. Ad secundum D. Anselmum loqui de lege, & iudicio extrinseco, & eodem modo intelligendæ sunt aliæ similes auctoritates. Ad tertium voluntatem Dei esse primam rationem, non formaliter; sed identicè, & ideo posse ad intra habere rationem, ita vt actus liber fundetur proportionaliter in lege æterna eo modo, quo actus voluntatis fundatur absolutè in cognitione. Ad quartum. Quæ sunt in Deo necessaria non esse in ordine ad aliquem finem; secus autem, quæ sunt libera, quia actus liberi sunt propter ipsum Deum vt finem cum habeant pro motiuo Diuinam bonitatem.

22 Colligitur ex dictis contra Suar. 2. *de leg. cap.* 2. *n.* 8. Quod licet lex æterna non intimet alicuius voluntatem respectu voluntatis Diuinæ, non per hoc deficit à ratione legis, quia non conuenit legi per essentiam intimare voluntatem alterius, sed tantum participatæ. Sed sufficit si iudicatiuo modo contineat, quid sit faciendū, vnde quia voluntas Diuina est per se recta, est talis, quia est ipsa ratio legis æternæ, & proinde est quidditatiuè, & per essentiam intimata ab ipsa lege æterna.

An omnes actiones morales subdantur legi æternæ.

SECTIO IV.

23 Supponendum est. Necessaria secundum propriū esse non esse materiam legis, vt docent Martinez 1. 2. *quæst.* 93. *art.* 5. *conclus.* 3. Lorca *disp.* 5. *de leg. memb.* 1. contra Salas *disput.* 4. *de leg. sect.* 3. & alios. Quia lex ex sua natura respicit res secundum ordinem in finem, atque adeò supponit ipsas res, quæ ordinentur; & proinde lex æterna respicit ordinem vniuersalem, quo omnia diriguntur in vltimum finem, & supponit res ipsas constitutas secundum proprium esse.

24 Supponendū secundò. Irrationalia quoad suas actiones, & ordinem in finem non esse immediatè subiecta legi æternæ: sed tantum mediante voluntate Diuina, quatenus ipsis imprimit determinata principia, per quæ agūtur in suos fines, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 93. *art.* 5. Quia lex non potest exercere vim suam, nisi percipiatur; non potest autem percipi ab irrationali natura, quia importat ordinem rationis, qui non est intra obiectum ipsius; vnde sola natura rationalis est capax legis capitul. *Mulier.* 11. *quæst.* 1.

25 Supponendum tertiò. Omnes naturas rationales subdi legi æternæ, vt docent communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 93. *art.* 6. Quia habent cognitionem legis æternæ, non immediatè in se ipsa, sed tantum per aliquam irradiationem mediante lege naturali, aut supernaturali, vnde subiectio non est immediata, sed mediata. Difficultas autem est, an subdatur secundum omnes actiones morales.

26 Prima sententia est affirmatiua. Quia etiam opus consilij potest cadere sub præcepto quoad animi præparationem, si sit necessarium ad Dei honorem. Ita Suarez *lib.* 2. *de leg. capit.* 2. *num.* 15. Vigers. 1. 2. *quæstion.* 93. *articul.* 6.

27 Secunda Sententia est negatiua, asserens actus, qui non sunt præcepti, aut vetiti, non subdi legi æternæ. Ita Gerson *libr.* 2. *Theol. moral. quæst.* 4. *capitul.* 3. *num.* 13. & alij.

28 Dico primò. *Actiones morales non subdūtur immediate legi æternæ; sed tantum media alia lege deriuata à lege æterna.* Loquendo de creatura rationali non vidente clare Deum. Probatur. Actio moralis non potest subijci immediate illi legi, quæ non est secundum se ipsam promulgata operanti. Sed lex æterna non est promulgata secundum se non videnti clare Deum, ergo. Maior patet. Quia licet lex habeat vim obligatiuam, non tamen actu obligat, nisi promulgetur, quia causa non potest producere effectum in subiecto, cui nō applicetur. Minor etiam patet. Nam lex æterna non potest secundum se ipsam manifestari, nisi manifestetur Deus cum sit ipsamet ratio Diuini intellectus.

29 Dices. Deum posse manifestare legem æternam per locutionem extrinsecam, sicut legislator creatus manifestat suam legem, & ideo non esse necesse, quod cognoscatur in se ipsa. Contra. Eo ipso, quod per signū extrinsecum

secum manifestatur lex æterna non manifestatur secundum propriam rationem adæquatè, sed solum secundum aliquam participationem; quia talis manifestatio continet solum aliqua specialia dictamina; non autem totam præscriptionem legis æternæ, ergo fit lex temporalis.

30 Dices secundò. Legem æternam esse in Deo, vt in legislatore; in nobis verò vt in subditis per impressionem legis naturalis. Contra. Lex naturalis non deriuat ab æterna secundum totalem præscriptionem ipsius, sed solum secundum partem, quatenus est quædam peculiaris intimatio, ergo non potest dici, quod eadem lex, quę est in legislatore, sit etiam in nobis.

31 Dico secundò. *Omnes actus morales subijcitur mediatè legi æternæ velut præceptiuæ, vel vt prohibitiuæ, vel vt permißiuæ.* Probatur. Omnes actiones morales ingrediuntur ordinem moralem creaturæ rationalis respectu finis, ergo sunt intra præscriptionem legis æternæ. Consequentia probatur. Lex æterna in ratione legis præscribit hunc ordinem, ergo cum infinito modo præscribat, prescribit etiam de omnibus actibus.

32 Colligitur ex dictis. Obiectum adæquatum legis æternę esse gubernationem Diuinam, quia extra ipsam non est aliud, quod immediatè ipsi subijciatur; vnde actiones morales creatæ sunt intra obiectum legis æternæ, vt disponuntur à Deo; vt verò disponuntur à creatura, sunt intra obiectum ipsius tantum mediante alia lege.

33 Colligitur secundò. Præceptum de præparatione animi ad quoscumque actus, si sint necessarij ad Dei honorem, non esse speciale preceptum, sed tantum esse præceptum de Deo colendo, quod de se extenditur ad omnia, quæ sunt necessaria pro Dei honore, sic etiam præceptum de modo, quo debent fieri actus morales, quando fiunt, non est nisi præceptum promouendi se ipsum ad vltimum finem, tunc enim operatio fit recto modo, quando seruat debitum ordinem ad finem.

An damnati subdantur legi æternæ?

SECTIO V.

34 Dicendum est. *Damnatos subdi legi æternæ non immediate sed mediante voluntate Diuina exequente circa ipsos, quod præscribit lex æterna.* Ita communiter cum D. Thom. 1.2. *quæst.93. articul.6.* D. August. 1. *de libero arbit. cap.15. & De Cathechetizandis rudib. cap.18. & c.100. Enchirid.* Probatur. In damnatis exercetur continuo iustitia punitiua, ergo exercetur lex æterna, quia iustitia punitiua est effectus legis, secundum quam Deus gubernat omnia.

35 Obijcitur Iob. 10. *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, ergo si apud damnatos non est ordo, nec etiam requiritur lege ęterna. Respondetur. Non esse ordinem in inferno, non secundum se; sed quoad ipsos damnatos, quia ob perturbationem mentis illum non agnoscunt, & hoc ob maiorem pœnam, quia, si agnoscerent ordinem iustitiæ, minus punirentur, quia iudicarent se iustè puniri, vt notat D. Gregorius *lib.9. moral. capitul. 39.*

An lex æterna sit vna vel multiplex.

SECTIO VI.

36 Certum est realiter loquendo, esse vnam simplicissimam, quia est ipsa ratio Diuini intellectus cum Deo identificata. Rursus etiam certū est, quod obiecta, ad quæ terminatur, plura sunt, quia res omnes pertinent ad Diuinam gubernationem. Difficultas solum est, an secundum rationem sit multiplex, sicuti multiplex est idæa.

37 Prima sententia est affirmatiua. Ita Alensis 3. *part. quæst.96. memb.8.* Salas *disp.4. de leg. sect.1. n.3.* Suar. 2. *de legib. cap.3.* Probant. In lege æterna sunt plura dictamina in ordine ad plura obiecta, ergo distinguuntur plures leges cum fundamento in re, sicuti distinguuntur plures ideæ.

38 Secunda sententia asserit, esse vnam etiam ratione. Ita D. Thom. 1.2. *q.93. art.1. ad 3.* Vigeos, Mald. *ibidem* Martin. *concl.2.* Lorca *disp.5. de leg. memb.1.* & alij.

39 Dico primò. *Lex æterna formaliter est vna in ratione legis, etiam secundum rationem.* Prob. Obiectum formale legis æternæ est vnum, ergo etiam lex, cum sumat specificationem, & vnitatem ab obiecto. Antecedens probatur. Lex æterna est vniuersalissima, & prima lex habens pro obiecto ordinem vniuersi secundum exigentiam vltimi finis. Hic autem ordo est vnus formaliter, quia dicit, quod quælibet res sit coordinata cum vltimo fine, ergo

40 Dices. Leges humanæ habent pro obiecto bonum communitatis, & tamen non sunt vna lex, ergo. Respondetur negando Conseq. Quia lex æterna habet pro obiecto adæquatum ordinem, ita vt præscribat primam, & adæquatam rationem ipsius; legis autem humanæ important aliquos speciales ordines, & secundarios; vnde licet omnes tendant ad bonum communitatis, tendunt tamen diuersis vijs, quę non coalescunt in vnum formaliter, quia non dicunt primam rationem ordinis, sed quædam supplementa pro ijs, in quibus natura rationalis deficit à lege æterna.

41 Dico secundò. *Lex æterna materialiter est multiplex.* Ita D. August. 9. *de Ciuitate c.22.* Prob. Lex æterna dicit ordinem ad plura obiecta, in quibus subsistit ordo in finē, qui partialiter est in vno, & partialiter in alio, ergo materialiter possumus in lege ęterna distinguere plures leges in ordine ad plura obiecta, quatenus possumus considerare rationem præscriptiuam ordinis in tali, & tali subiecto seorsim ab alio.

42 Ad Fundamentum in oppositum respondetur. In lege æterna esse plura dictamina materialiter, non formaliter, quatenus considerantur in ordine ad diuersa obiecta materialia. Nec est eadem ratio de Idæis, quia Idæa respiciunt res singulares secundum propriam singularitatem. Lex verò æterna res omnes prout communicant in vnica ratione ordinis.

An lege æterna deriuentur omnes leges?

SECTIO VII.

43 Dicendum est. *Omnes leges deriuare ab æterna, tanquam participationes ipsius.* Ita communiter cum D. Th. 1.2. *quæst.93. art.3.* D. Aug. 1. *de lib. arb. cap.5.* vbi ait. *Nihil est in temporali lege iustum, quod ex lege æterna non deriuetur*, & de vera religione cap. 31. *Conditor legum temporalium si vir bonus est, & sapiens est illam ipsam consulit æternam, vt secundum eius incōmutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum, vetandumue, discernat.* Probatur. Omnis vis causatiua, quocūque modo causet, est quædam participatio primæ causæ. Sed omnis lex importat vim aliquam causatiuam in genere ordinatiuo, ergo. Maior patet. Quia omnis vis causatiua, quæ non est talis per essentiam, est participata, atq; adeo proueniēs à virtute causatiua per essentiam. Minor prob. Lex est mensura directiua, & intimatiua ordinis, ergo est causatiua ipsius, atque adeo debet prouenire à prima virtute causatiua ordinis, quæ est lex æterna.

44 Obijc. Lex politiua Diuina non prouenit ab æterna, cum sit ipsa æterna promulgata ergo. Resp. neg. antecedens. Nam Diuina etiam in legislatore distinguitur ab æterna secundum rationem, & suo modo prouenit ab ipsa, nam æterna antecedit in Deo potestatem, vt regula ipsius & omne decretum liberum. Lex verò Diuina, vt in ipso Deo, supponit potestatem, & decretum liberum præfigens finem supernaturalem naturæ intellectualis, & im-

portat illas liberas intimationes suo modo deriuatas à lege æterna, quæ sunt necessariæ in ordine ad talem finem.

45 Obijcitur secundò. Si omnes leges deriuarent ab æterna, participarent ab ipsa vim obligandi, ergo obligarent obligatione Diuina. Respondetur. Participarent, &c. Originatiuè; non potestatiuè. Lex autem obligat iure illius, cuius potestate sancitur.

46 Obijcitur tertiò. Leges aliquando sunt sibi inuicem contrariæ, & vna est abrogatiua alterius, ergo non possunt prouenire ab æterna, quia hæc non potest continere dictamina contraria. Respondetur negando antecedens, nam non præcipiunt contraria pro eodem tempore, & concurrentibus ijsdem circumstantijs; stante autem diuersitate temporis, & circumstantiarum bonum commune exigit contraria præcipi, atque adeo etiam lex æterna ostendit esse præcipienda.

47 Obijcitur quartò. Lex æterna non permittit mala; sed omnia punit, ergo lex permissiua non deriuat ab illa. Respondetur negando Conseq. Nam simul stat, quod lex æterna puniat omnia mala, & quod simul ostendat, aliqua non esse punienda à lege humana.

48 Obijcitur quintò. Dantur leges iniquæ, quæ non possunt deriuare à lege æterna, ergo. Respondetur negando antecedens. Nam lex iniqua non est vera lex, vt dictum est suo loco.

49 Obijcitur sextò. Lex fomitis non deriuat à lege æterna, & tamen est lex. Ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis*. Respondetur. Non esse propriè legem, sed metaphoricè, sicuti etiam leges iniquæ dicuntur leges.

DE LEGE NATVRALI.

DISPVTATIO XLVII.

An lex naturalis sit ipsa natura rationalis.

SECTIO I.

1 SVpponendum est tanquam certum de fide. Dari legem naturalem. Ad Romanos secund. *Eiusmodi legem habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*; vnde Diuus Augustinus 2. *confession. capitul. 4.* ait. *Lex tua Domine in cordibus hominum scripta est, quæ nec vlla vnquam delet, nec delebit iniquitas.* Cum enim natura rationalis moueatur in finem, finit necessaria regula dirigens huiusmodi motum intra debitos terminos secundum exigentiam finis; & cum motus iste sit connaturalis, & ab intrinseco, etiam regula debuit esse connaturalis, & ab intrinseco.

2 Prima sententia asserit, legem consistere in ipsa natura rationali, quatenus est prima regula bonitatis, & malitiæ; Nam quod ipsi congruit, est bonum; quod non congruit, est malum. Ita Bolognet. *tractatu de Iure, et æquit. cap. 3. num. 25.* Vasquez 1. 2. *disp. 9. cap. 3.* & *disput. 6. cap. 2. & disput. 150. cap. 3.* Marat. *tom. 1. summ. disput. 2. de leg. sect. 1. & 2.* Probant, Aliqui actus sunt intrinsecè mali independenter à quocunque iudicio, & voluntate, vt mendacium, ergo sunt tales per difformitatem cum natura rationali, ergo natura rationalis est lex, cum sint tales per difformitatem ad legem.

3 Secunda sententia est negatiua. Ita Sot. 1. *de Iustitia, & iure quæst. 4. art. 1.* Medina 1. 2. *quæst. 94. artic. 1.* Lorca *disp. 6. de leg.* Suar. 2. *de leg. cap. 5.* Salas, *disp. 5. de leg. sect. 1.* & alij.

4 Dicendum est. *Legem naturalem non consistere in ipsa natura rationali, quatenus exigit hos, vel illos actus.* Desumitur ex illo ad Roman. secund. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Si enim lex scribitur in corde, pertinet ad cor, non ad naturam; & est aliquid manifestatiuum, cum scriptura ex natura sua sit manifestatiua. Probatur. Ideo natura esset lex naturalis, quia exigit hos, vel illos actus tanquam sibi conformes, & alios respuit tanquam difformes sibi. Sed hoc non facit per se ipsam, sed dependenter à ratione, ergo. Minor probatur. Tum quia natura est facta dependenter à scientia diuina practica, à qua recipit determinationem proprij esse, vt à regula, et ideo habet ab ipsa exigentiam in ordine ad actus morales; atque adeo prius à ratione Diuina præscribitur, quid ipsi conueniat, aut non conueniat, ergo etiam à ratione naturali, quia naturalis est participatio Diuinæ; Tum quia talis conuenientia est in ordine ad naturam, nõ qua natura est, sed qua rationalis est, ergo est conuenientia secundum rationem, & ideo debet commensurari secundum mensuram rationis.

5 Ad Fundamentum in oppositum negatur assumptum. Nam actus intrinsecè mali sunt tales, quia discrepant ab intrinseco à regulis æternis, atque adeò per discrepantiam à lege æterna. Et quia ratio creata, & lex naturalis est quædam participatio Diuinæ, ideò etiam sunt tales per discrepantiam à ratione creata.

6 Instabis. Mentiri non ideò est malum, quia iudicatur malum, sed econtra, ergo. Respondetur Antecedens esse verum in ordine ad coghitionem speculatiuam; non autem in ordine ad practicam, quæ est mensura bonitatis, & malitiæ.

7 Instabis secundò. In cæteris naturis mensura boni, & mali est ipsa natura, ergo etiam in rationali. Respondetur quicquid sit de antecedenti, negatur Conseq. Quia respectu cæterarum naturarum bonum, & malum est in genere transcendentali; & ideo mensuratur secundum ipsum esse naturæ; in natura autem rationali est in genere morali, quod sola ratione mensuratur.

8 Instabis tertiò. Si lex consisteret in ratione posset dari lex erronea, sicuti etiam datur conscientia, ergo, &c. Respondetur negando sequel. Quia lex est iudicium vniuersale proueniens ex naturali determinatione; Conscientia verò iudicium particulare formatum ab ipso homine, qui cum sit defectibilis, potest deficere in formatione talis indicij.

An lex naturalis sit habitus, vel actus.

SECTIO II.

9 PRima sententia asserit, esse habitum, quo bonum à malo possumus discernere. Ita Alens. 3. *part. qu. 27. membr. 2.* Diuu. Bonauent. *in 2. distinct. 39. art. 2. quæstion. 1. ad 5.* & alij. Probant. Lex naturalis habet esse permanens, & est immobilis à natura, ergo est habitus. Secundò. Lex naturalis est impressa naturæ, ergo supponit naturam, ergo est quid superadditum vt habitus.

10 Secunda sententia asserit, consistere in actu rationis. Ita Diuus Thomas 1. 2. *quæstion. 94. articul. 1.* Caietanus, Medina *ibidem*. Sotus 1. *de iustitia, & iure quæst. 4. art. 1.* Suar. 2. *de legibus capitul. 5.* & alii communiter.

11 Dicendum est. Legem naturalem non esse habitum, sed actum rationis. Ita Diuus Augustinus; *libr. secundo, de sermon. Domini in monte capitul. 15.* vbi habet, quod Deus scribendo legem naturalem in cordibus hominum, loquitur in omnium conscientia. Prob. Lex naturalis est illa, cui naturaliter subiicitur natura rationalis, vt regulæ discretiuæ, ergo consistit in actu, non

non in habitu. Consequent. probatur. Regula directiua debet ostendere, quid, & quomodo sit operandum. Ergo debet consistere in actu, quia sicuti per solum actum natura intellectiua cognoscit; ita etiam per solum actum potest aliquid ipsi ostendi, vnde, Psalm. 118. Lex dicitur lumen ostendens, & dirigens semitas.

12 Ad primum. Distinguitur antecedens. Lex naturalis, habet esse permanens in actu primo, quatenus intellectus ex vi sui luminis est determinatus, vt exeat in actum quò ad actualia præcepta; non autem in actu secundo, quo præciso non datur lex actualis, quia non adest, nec directio nec intimatio. Ad secundum. Lex naturalis est impressa naturæ ratione determinationis intellectus ad ipsa actualia dictamina; vnde est quid superadditum naturæ quoad actum secundum; non quoad actum primum.

An lex naturalis consistat formaliter in iudicio rationis, an in propositione obiectiua.

SECTIO III.

13 PRima Sententia asserit, consistere in veritate practica obiectiua connotante iudicium rationis, ita maior *in 4. distinct. 1. quæst. 1.* Lorca *1. 2. disputat. 6. de leg.* Montesin. *disp. 22. quæst. 2. difficul. 1.* & alij.

14 Secunda Sententia, asserit, consistere formaliter in iudicio rationis. Ita Caietan. *1. 2. quæst. 94. artic. 1.* Conrad, Medina *ibidem.* Salas *disput. 1. de leg. sect. 2.* & alij.

15 Dicendum est. Legem naturalem non consistere in veritate practica obiectiua, sed in iudicio rationis. Probatur. Lex naturalis dicit aliquid practicum ordinatiuum per modum mensuræ operationis moralis. Ergo consistit in iudicio, non autem in veritate obiectiua. Consequent. probatur. Veritas obiectiua se habet ad veritatem formalem, quæ est in intellectu, vt quid operabile. Ergo comparatur vt quid posterius dependens, & à quo accipiat suam determinationem. Quia veritas practica non supponit, sed facit obiectum, ergo veritas formalis erit lex vt mensurans veritatem obiectiuam.

16 Obijcitur. Propositiones obiectiuæ, quæ proponunt ut seruandæ, vt sunt præcepta Decalogi, dicuntur lex. Ergo lex consistit in veritate obiectiua. Respondetur. Propositiones obiectiuas dici legem, non formaliter; sed quatenus sunt effectus legis, quia continent id, quod ex vi legis implendum est.

17 Instabis. Veritas practica obiectiua habet suum esse ideale independenter à iudicio rationis. Ergo secundum hoc est lex. Respondetur negando antecedens. Quia esse ideale ipsius consistit in cognitione practica diuina, à qua dependet esse obiectiuum, atque adeò etiam à ratione practica creata, vt à participatione rationis diuinæ.

In quonam actu consistat formaliter lex naturalis.

SECTIO IV.

18 SVpponendum est cum D. Thom. Legem naturalem distingui a Synderesi, quia Synderesis est vis iudicatiua animę circa bonum, & malum. Lex naturalis est ipsa regula dirigens operationes.

19 Dico primò. *Lex naturalis non consistit in principijs practicis, quæ correspondent Synderesi.* Probat. Principia vniuersalia sunt veritates practicæ præscribentes in communi, quid sit faciendum vel non; & præscindunt à materia determinata loco, tempore, &c. Ergo non sufficiunt ad constituendam legem. Antecedens patet. Quia correspondent proportionaliter principijs speculatiuis, vt enim per se notæ inseruiunt ad inferendas conclusiones. Consequ. probatur. Lex est regula operandi respiciens exequutionem, ergo de suo formali determinatè præscribit, quid quisque facere debeat, aut vitare, & non abstrahit à materia determinata, nec a loco, tempore, &c.

20 Dico secundò. *Lex naturalis importat formaliter iudicium intellectus intimatiuum vnicuique illius, quod ex principijs practicis exprimitur vel tanquam faciendum, vel tanquam fugiendum habita ratione loci, temporis, &c.* Probatur. Lex respicit exequutionem vt causatiua illius. Ergo debet consistere in hoc iudicio. Antecedens patet. Quia non respicit ordinem in finem quocunque modo, sed vt ponendum. Consequ. probatur. Iudicium, quod non est intimatiuum, ostendit solum, quomodo sit operandum, & potest esse in eo, qui non debet operari. Vnde Beati iudicant, quid debeant viatores operari, & tamen hoc iudicium non est lex, quia non est intimatiuum respectu ipsorum, ergo, &c.

21 Obijcitur. Sequeretur, quod lex naturalis non distingueretur a conscientia, nam etiam conscientia dicit iudicium intimatiuum. Respondetur negando sequellam. Quia conscientia dicit iudicium particulare, quod hic, & nunc constringit ad operandum in ordine ad vnam numero actionem, non in virtute propria, sed vt applicans legem, quæ saltem respicit operationem secundum speciem, & vt perpetuam constringentem ad operandum in virtute propria.

22 Obijcitur secundò. Sequeretur, quod lex naturalis non distingueretur ab imperio. Respondetur distinguendo sequellam. Non distinguitur ab imperio communi intimante ordinem superioris. Nego. Ab imperio, quod respicit actiones in singulari. Concedo. Hoc enim imperium est illud, quod mandat exequutioni ipsam legem.

An lex naturalis sit tantum ostensiua, an etiam præceptiua.

SECTIO V.

23 PRima sententia asserit, non esse propriè præceptiuam, sed tantùm ostensiuam. Ita Ariminens. *in 1. distinction. 34. quæst. 1. art. 1.* Gabriel, *distinct. 38. quæst. 1. articul. 1.* Cordub. *lib. 3. quæst. 10. ad 2.* Vasquez *1. 2. disputat. 97. cap. 3.* Salas *disputat. 5. de leg. sectio. 4.* & alij.

24 Secunda sententia asserit, legem naturalem non esse de se præceptiuam, aut prohibitiuam, sed solùm prohibitionem, & præceptum habere à voluntate diuina, ita vt ea seclusa, nihil sit præceptum, aut prohibitum, ita Ocham. *in 2. quæst. 19. ad 3. & 4.*

25 Tertia sententia vult, legem naturalem esse præceptiuam ratione voluntatis diuinæ, à qua completur in ratione legis. Ita Medina *1. 2. quæst. 18. art. 1.* D. Bonauent. *in 2. distinction. 35. dub. 4. circa litt.* Castr. *de leg. pen. libr. 1. capit. 1.* Suarez *libr. 2. de leg. capitul. 7. numer. 5.* & alij.

26 Dico primò. *Lex naturalis nō habet vim præceptiuam à voluntate, quę faciat malum, quod prohibet, & bonum, quod non prohibet, sed cum subordinatione ad legem æternam ostendit ex se quædam esse mala ex sui natura, & quædam bona.* Ita D. Th. *1. 2. q. 7. ar. 6. ad 4.* D. Aug. *1. de libero arbitr. cap. 3.* Probatur. Principia practica sunt necessaria, & immutabilis veritatis: Diuinum autem decretum licet ex suppositione non possit aliter se habere, potuit tamen aliter se habere. Ergo actus, qui sunt obiectum horum principiorum, habent suam bonitatem, aut malitiam necessariam, & immutabilem. Ergo independenter à decreto diuino, quia immutabile non potest dependere ab eo, quod potest aliter se habere. Consequentia prima probatur. Principia practica enuntiant bonitatem, & malitiam operationum. Ergo si ipsa sunt immutabilia, etiam bonitas, & malitia erit immutabilis.

Thomus Secundus. Q 2 27 Dico

27 Dico secundò. *Licet lex naturalis habeat annexam voluntatem Diuinam volentem, aut nolentem id, quod ab ipsa ostenditur faciendum, vel non faciendum; non tamen per hanc voluntatem completur in ratione legis.* Probatur. Ante decretum Diuinum lex naturalis ex se proponit aliquid tanquam necessariò faciendum, vel fugiendum, ergo lex naturalis in ratione legis non dependet à decreto libero Diuino. Antecedens probatur. Natura rationalis ex se est determinata ad sequendum honestum, & fugiendum turpe, ita vt non possit aliter operari. Sed lex naturalis independenter à decreto Dei proponit aliquid immutabiliter honestum, & immutabiliter turpe, ergo ex vi suæ propositionis facit, quod voluntas non possit aliter operari, atque adeo ipsam constringit. Minor patet. Quia lex naturalis est intimatio secundum dictamen principiorum practicorum, quæ sunt immutabilia.

28 Dico tertiò. *Lex naturalis est obligatiua, & præceptiua ex vi iudicij intimatiui.* Probatur. Principia euidentia constringunt intellectum persuasiuo modo ad assensum speculatiuum conclusionis, ita vt assentiendo principijs, cogatur assentiri etiam conclusioni, ergo principia practica constringunt intellectum ad assensum practicum, & ad inferendam conclusionem practicam, atque adeo voluntatem ad operandum. Sed præcepta naturalia in sua intimatione continent euidentem veritatem practicam principiorum, ergo. Conseq. prima probatur. Principia practica mouent ad operationem, ergo quando ratione subiectæ materiæ debent applicari ad operationem, cogunt intellectum ad iudicandum hic, & nunc esse operandum, ergo cum voluntas sequatur intellectum, constringetur etiam ipsa ad operandum.

29 Dices. Sequeretur, quod voluntas cogeretur ad operandum, sicut intellectus ad assentiendum. Respondetur negando sequel. Nam quod est coactio respectu intellectus, est obligatio respectu voluntatis. Intellectus enim, cum sit potentia naturalis, constringitur secundum suam determinationem, & ideò cogitur; voluntas verò, cum sit potentia libera, ita constringitur, vt possit ex alio motiuo resistere, & ideò talis constrictio est obligatio, non autem coactio.

30 Obijcitur. Si lex naturalis non haberet vim obligandi à voluntate Diuina, facere contra ipsam, non esset difformis voluntati Diuinæ, ergo Deus odio haberet, qui non esset difformis suæ voluntati, nam odio habet, qui facit contra legem. Respondetur. Negando sequel. Quia licet lex naturalis non habeat vim obligandi à voluntate Diuina, Deus tamen vult quod seruetur. Instabis. Lex naturalis habet annexam voluntatem Diuinam, ergo est præceptiua ratione ipsius, quia recta ratio dictat, quod mala prohibeantur, & bona præcipiantur speciali præcepto. Respondetur negando consequent. Ad probationem. Rectam rationem solum exigere, quod mala prohibeantur, & bona præcipiantur præcepto ordinario se tenente ex parte rationis, & applicato per actum voluntatis.

31 Obijcitur secundò. Iudicium rationis ostendit, an sit obiectum honestum, an verò turpe, ergo non habet rationem legis; nisi ratione voluntatis determinantis, quid sit faciendum, vel non faciendum. Respondetur. Distinguendo antecedens. Iudicium rationis dictatiuum ostendit, quid sit honestum, & turpe: iudicium verò intimatiuum non solum ostendit, sed etiam præcipit, & vetat.

Quænam sit materia legis naturalis.

SECTIO VI.

32 Prima sententia asserit, continere solum ea, quæ habentur in primis principijs per se notis; non autem, quę habentur in conclusionibus. Ita ij, qui putant, præcepta Decalogi non continere ius naturale, sed gentium. Probatur. *l. 1. 2. & 3.* & *l. Omnes populi, ff. De Iust. & iure*, tribuuntur iuri gentium, quæ per consequentiam euidentem sequuntur ex principijs, ergo sola principia pertinent ad legem naturæ. Secundò. Lex naturalis non potest ignorari, quæ autem non sunt prima principia, possunt ignorari, vt quod Deus sit colendus. Ad Rom. 1. *Non sicuti Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed errauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor eorum.*

33 Secunda sententia asserit, legem naturalem complecti ea omnia, quę comitantur institutionem naturæ, & non pendent ab aliqua extrinseca institutione, siue sint principia, siue conclusiones. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst. 95. art. 2. & quæst. 100. art. 2. & 3.* Caietanus, & Medina ijsdem locis, & communiter.

34 Dicendum est. *Ad legem naturalem pertinere, nedum, quæ continentur in primis principijs, sed etiam in conclusionibus euidenter deductis, atque adeò ea omnia, quæ habent veritatem practicam necessariam, & immutabilem.* Ita Aristot. 5. *Eth. capitul. 7.* Diuus Augustinus *libr. 1. de libero arbitrio capitul. 3.* Probatur. Quę habent euidentem veritatem practicam, & immutabilem, sunt simpliciter necessaria pro recto ordine morali naturæ rationalis, ergo pertinent ad legem naturæ, ergo non solum principia, sed etiam conclusiones, nam etiam ipsæ continent talem veritatem. Antecedens probatur. Omnes veritates practicæ necessarię, & immutabiles pręscribunt, quid sit agendum, aut fugiendum ex necessitate, ita vt si operatio non sit conformis ipsis, deficiens sit, & inordinata, quia non habet ordinem præscriptum à ratione, ergo. Cum tales veritates sint immutabiles, etiam operatio debet esse immutabiliter conformis ipsis, ergo sunt absolutè necessaria pro recto ordine morali. Consequentia probatur. Quia Deus per legem naturalem sufficienter prouidit pro recto ordine morali, atque adeo complectitur omnem illam regulam, quę est necessaria pro rectè operando.

35 Ad primum respondetur. Illas conclusiones tribui iuri gentium, quia confunditur cum iure naturę. Ad secundum distinguitur maior. Lex naturalis non potest ignorari speculatiuè per deficientiam scientiæ, potest tamen ignorari practicè in ordine ad exequutionem, ita vt mens obtenebrata concupiscentijs nesciat applicare ad praxim principia, & conclusiones.

36 Colligitur ex dictis. Legem naturalem, supposito statu eleuationis, præscribere, quid etiam in ipso sit faciendum, vel non faciendum, vt notat D. Thom. 1. 2. *qu. 100. articul. 1.* vnde consurgit obligatio simul de iure naturali, & Diuino, quia vtrumque ius obligat ad eundem actum, sic obseruantia voti, quatenus promissio est de iure naturali, quatenus facta Deo, est de iure Diuino, quia lex naturalis obligat ad seruanda promissa, & virtus religionis obligat ad ipsa, prout est promissio religiosa.

An lex naturalis contineat plura præcepta.

SECTIO VII.

37 Communiter docent cum Diuo Thom. *prima secunda quæst. 94. articul. 2.* Legem naturalem continere plura præcepta, quæ tamen vniuntur in vnicam legem.

38 Dico primò. *Præcepta legis naturalis sunt plura iuxta diuersitatem principiorum, & conclusionum, quæ ad ipsam spectant.* Probatur. Lex naturalis prohibet diuersa vitia, & præcipit diuersas virtutes, ergo continet plura præcepta. Conseq. probatur. Quælibet virtus habet diuersum motiuum proprium, vt præcipiatur; & vitiũ vt prohibeatur, ergo sunt plura præcepta, quia distinguuntur ex diuersitate motiuorum.

39 Dico

39 Dico secundò. Omnia præcepta naturalia vniuntur in vnicam legem, immo etiam in illud vnicum præceptum vniuersale; *Declina a malo, & fac bonum*. Probatur. Lex naturalis habet pro obiecto adæquato ordinem moralem, ita vt singula præcepta aliquid de ipso importent, ergo omnia præcepta vniuntur in dicto præcepto. Consequentia. Probatur. Si fiat bonum necessarium, & declinetur à malo, habetur adæquatus ordo moralis, & nihil deficit. ergo

40 Dico tertiò. *Sub hoc præcepto vniuersali possunt distingui plura præcepta vniuersalia, quæ importent veluti plures leges particulares naturales*. Probatur. Sub hoc præcepto continentur diuersæ series præceptorum, quæ respiciunt certum finem, & vniuntur in vnum præceptum adæquatum illi fini, ergo consurgunt diuersæ leges partiales, Antecedens patet. Nam ordo seruandus cum Deo vt vltimo fine, exprimitur vnico illo præcepto. *Diliges Deum ex toto corde*, &c. ordo seruandus cum proximo in illo Matthæi 10. *Omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis* seu *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*.

An præcepta legis naturæ se extendant ad omnes actus virtutum.

SECTIO VIII.

41 Certum est, omnes actus virtutum esse secundum legem naturalem, quia natura rationalis habet inclinationem ad ipsos tanquam ad partes integrantes honestatem, vt docet Diuus Augustinus *quæst. 20. ex 83.* Rursus certum est etiam, quod si lex naturalis sumatur secundum omnes suos effectus, omnes actus virtutis sunt obiectum ipsius, quia saltem est permissiua, solum difficultas est, an lex naturæ præcipiat omnem actum virtutis.

42 Prima sententia est affirmatiua, non quia lex obliget ad omnes, & singulos pro omni loco, & tempore, sed quia debito loco, & tempore obligat ad aliquos actus singularum virtutum pro diuersa conditione personarum itaut obliget vnum ad vnum actum alicuius virtutis, aliũ vero ad actum alterius virtutis. Ita Sot. 1. *de iustitia, & iure quæst. 4. ar. 3.* Salas *disp. 5. de leg. sect. 5.* Suar. 2. *de legib. cap. 7.* & alij.

43 Secunda sententia est negatiua. Ita Caietan. 1. 2. *qu. 104. art. 2.* Medina 1. 2. *quæst. 94. articul. 3.* Mald. & Putean. *ibidem*.

44 Dicendum est. *Illos solos actus esse de lege naturæ, vt præceptiua, qui important rectitudinem necessariam pro ordine morali naturali, atque adeo necessarij sunt ad excludendum aliquod vitium*. Prob. Nõ possunt plus extendi actus virtutum, qui sunt de lege naturæ, quam se extendat veritas practica eiusdem legis. Sed hęc non se extendit vltra dictos actus. ergo. Minor probatur. Lex naturalis habet pro obiecto tantum ordinem moralem naturæ rationalis, ergo vt obligatiua non obligat, nisi ad talem ordinem, ergo solum ad actus necessarios pro ipso, atque adeò exclusiuos alicuius vitij.

45 Colligitur ex dictis. Legem naturalem ratione præcepti de honestè viuendo se extendere per accidens etiam ad actus legis supernaturalis; quia cum teneamur seruare hoc præceptum, & non possimus honestè viuere, nisi seruemus legem supernaturalem, lex naturalis indirectè nos obligat ad actus supernaturales, quando sunt necessarij ad honestè viuendum.

An lex naturalis sit eadem apud omnes.

SECTIO IX.

46 Certum est; Lumen rationis, in quo fundatur lex naturalis, esse idem apud omnes, & proinde omnes habere principia innata de iudicando iusto, & iniusto, & ad habenda in mente expressa omnia pręcepta. Difficultas est de ipsis præceptis.

47 Dico primò. *Lex naturalis quoad præcepta est eadem, & semper fuit apud omnes*. Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *q. 94. art. 4.* Et desumitur ex Arist. 5. *Ethicor. c. 7.* D. Aug. 3. *de doctrina Christiana c. 14.* Prob. Natura est eadem, & semper fuit in omnibus, ergo etiam lumen naturale, ergo etiam lex naturalis. Conseq. probatur. Lex naturalis est cognita lumini naturali, ita vt ex se exeat in actum præceptorum naturalium, & ab intrinseco, ergo si lumen est idem, eadem erit lex, nam ab eodem principio habetur idem effectus.

48 Dico secundò. *Licet lex sit eadem apud omnes, per accidens tamen fieri potest, quod ab omnibus non cognoscatur secundum omnia sua præcepta*. Ita D. Th. *cit.* docens non esse eamdem quoad præcepta minus vniuersalia. Probat. Vt lex naturalis sit nota secundum omnia sua præcepta, debent cognosci nedum omnia principia practica, sed etiam omnes conclusiones necessariæ, & immutabiles. Sed contingit aliquas nõ cognosci, ergo. Min. prob. Intellectus humanus est obtenebratus ob concupiscentiã, & inclinationem ad bonum sensibile, ergo potest impediri, ne deducat conclusiones, in quibus consistunt præcepta naturalia, & potest deficere in deducendis, aut non aduertere ad omnia principia.

49 Obijcitur. Diuersæ nationes habuerunt leges contrarias præceptis naturalibus; Nam apud aliquas fuerunt approbata adulteria; apud alias furta, &c. ergo non est eadem lex. Resp. Disting. Conseq. Non est eadem quoad esse, & obligationem. Nego. Quoad cognitionem omniũ præceptorum concedo; Nam ratione obtenebrationis intellectus non cognoscuntur omnia; imo iudicantur licita, quæ ex natura sua sunt illicita.

50 Colligitur. Legem naturalem quoad vniuersalia principia non posse deleri de cordibus hominum, sed solum quoad præcepta secundaria, quæ consistunt in conclusionibus, vt communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst. 94. art. 6.* D. Aug. 2. *Confess. c. 4.* Licet autem non possit deleri quoad principia, quia congenita sunt lumini naturali, potest tamen impediri applicatio ipsorum pro materia particulari, & praxi, & ita accipiendum est illud Psal. 52. *Dixit insipiens in corde suo; non est Deus*, & Ad Rom. 3. *Non est intelligens, non est requirens Deum*, &c.

51 Colligitur secundò contra Alens. 2. *p. q. 153. artic. 3.* Dur. *in 3. distinct. 2. q. 1.* Glos. *in c. final.* De *Consuetud.* & alios. Posse dari ignorantiam inuincibilem de præceptis naturalibus, quæ consistunt in conclusionibus, præsertim in adolescentibus, & rudioribus, vt desumitur ex cap. *Flagitia 32. q. 10.* & cap. *Obijciuntur 1. q. 4.* Et docet Sot. 1. *de iustitia, & iure q. 4. ar. 4.* Cord. *lib. 2. q. 4.* Salas *disput. 5. de leg. sect. 6. n. 28.* Suar. 2. *de legib. c. 8.* & alij. Quia potest intellectus ita obtenebrari, vt nesciat deducere conclusiones; quod etiam potest contingere ob solam stupiditatem intellectus.

An lex naturalis sit ab intrinseco immutabilis.

SECTIO X.

52 Certum est, quod lex naturalis extrinsecè mutari potest per superadditionem nouæ legis positiuæ, vel per subtractionẽ subiecti, vt si tollatur vsus rationis. Difficultas autem est de mutatione intrinseca.

53 Dicendũ est. *Legem naturalem esse omnino immutabilẽ ab intrinseco, tã secundum se totã, quã secundum eius partes*. Ita communiter cum D. Th. 1. 2. *q. 94. art. 5.* & D. Aug. *de vera religio. c. 31.* & 1. *de libero arb. cap. 6.* Prob. Non potest mutari, nisi mutetur veritas practica, quam intimatiuo modo continet. Sed hęc est omnino immutabilis, ergo. Maior patet. Præcepta naturalia important veritatem practicam intimatiuo modo in ordine ad esse morale, ita vt essentialiter consistat in tali veritate, ergo non possunt mutari, nisi mutetur hęc veritas.

54 Dices. Veritatem practicam retinendo suam immutabilitatem posse non obligare. Contra. Præcepta naturalia enuntiant, quid sit faciendum, vel non faciendum practico modo, ergo si sunt immutabilia quoad veritatem, sunt etiam talia quoad obligationem, quia enunciare intimatiuo modo, quid sit faciendum, vel non faciendum, est obligare.

55 Obijcitur. Est preceptum legis naturæ, quod reddatur depositum Domino, & quod non occidatur, & tamen gladius non est reddendus Domino furioso, & malefactor est à Iudice occidendus, ergo lex naturalis aliquando mutatur. Respondetur negando consequentia. Quia quod in tali casu non sit reddendum depositum, & sit occidendum, non prouenit quia mutetur præceptum naturale, sed quia mutatur materia precepti, & subtrahitur ab illo precepto, & fit materia alterius præcepti; vnde reddere gladium Domino furioso non est materia præcepti iustitiæ, sed materia prohibita præcepto charitatis; & occidere malefactorem est materia præcepta à iustitia, non autem prohibita præcepto. *Non occides*.

56 Colligitur Ex dictis, Obligationem legis naturalis posse extensiue augeri, & minui extrinsecè tantum ratione materiæ manentibus immutabilibus ipsis præceptis. Quod dupliciter contingit, vel quia noua materia addatur, aut subtrahatur, quod fieri potest per legem positiuam, vt quando determinat modum honorandi parentes, tunc enim lex naturalis extenditur ad illam materiam. Et per priuatam voluntatem, vt si alicui donem pecuniam, tunc enim sequuta acceptatorie, teneor lege naturali dare pecuniam, & si remittat debitum, non teneor. Secūdò modo contingit ex eo, quod materia afficiatur diuersis circumstantijs, & transit de vno præcepto ad aliud, sic occidere filium est materia prohibita per præceptum. *Non occides*. Quando autem Deus præcepit Abrahæ, vt immolaret filium, tunc occisio filij ratione præcepti facta est materia obedientiæ, quia de prohibita facta est precepta. Lex naturalis precipit obedire Deo.

DE IVRE GENTIVM.

DISPVTATIO XXXXVIII.

An ius gentium distinguatur à naturali, & in quo consistat.

SECTIO I.

1 NOmine Iuris Gentium intelliguntur leges illæ, quæ communes sunt omnibus nationibus, vt desumitur ex §. *Ius autem*. Instit. *De iure naturali*, & l. *Omnes populi ff.* De *Instit. & iur.* & cap. *Ius gent. Distinct.* 1. vt sunt leges diuisionis rerum, belli, seruitutis, & aliæ huiusmodi; vnde quando Vulpianus *l.* 1. §. *Ius naturale ff.* De *Instit. & vir.* docet, quod ius naturale est illud, quod est commune omnibus animalibus, non intelligit de ipso iure quoad regulam formalem, sed quoad effectus; quatenus ius naturale est illud, quod perducit ad finem intentum à natura; quod habet locum etiam in brutis; & proinde secundum ipsum ius gentium importat leges communes solis hominibus, atque adeo magis speciales.

2 Prima sententia asserit. Ius gentium esse idem cum naturali. Ita Corus, *libr.6. miscell. cap. vltimo* Lorca 1. 2. *disput. 7. de leg.* §. *Ex quibus* Mendosa *libr.* 8. *de pact. cap.* 1. *quæst.* 1.

3 Secunda sententia constituit duplex ius gentium. Primarium, & hoc est idem cum naturali; Et secundarium; & hoc est diuersum. Ita Bart. *in l. Ex hoc iure ff.* De *iust. & vire* Castrens. *ibidem*. Angel. ibid. Vasq. *lib.* 1. *illustr. controu. cap.* 18.

4 Tertia sententia asserit, vius naturale importare conclusiones deductas ex principijs sine aliqua suppositione; Ius verò Gentium importare conclusiones, quę deducuntur facta aliqua suppositione, qua sit posterius. Ita Sotus 3. *de Iust. & iure quæst.* 1. *artic.* 3. Arag. 2. 2. *quæst.* 57. *art.* 3. Medina 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 4. & alij.

5 Quarta sententia asserit, ius gentium esse ius positiuū institutum ab ipsis hominibus secundum dictamen rationis in ordine ad humanam societatem. Ita Couaru. *regula Peccatum part.* 2. §. 11. *num.* 4. Salon. 2. 2. *quæst.* 57. *art.* 3. Bannes, *ibidem* Scot. *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 2. Salas *disp.* 2. *de legib. sect.* 3. *conclus.* 4. & desumitur etiam ex D. Thom. 1. 2. *q.* 95. *art.* 4.

6 Dico primò. *Ius gentium distinguitur a iure naturali*. Desumitur ex *lib.* 1. *ff. de iust. & iure*, & cap. *Ius autem. Distinct.* 1. Probatur. Leges diuiduntur in sua genera iuxta fines diuersos, ad quos ordinantur, ergo ius gentium est distinctum à naturali. Antecedens patet. Quia leges respiciunt bonum subditorum, atque adeo finem ipsorum, & sunt regulę circa media, quibus peruenitur ad finem, ergo istæ regulæ coalescunt in vnum genus ex vnitate finis Consequentia probatur. Lex naturalis respicit finem naturæ rationalis vt talis, qui cum sit honestè viuere, præscribit media necessaria ad honestè viuendum. Rursus homines vt sociabiles habent pro fine societatem humanam, pacificam, &c. ergo fuerunt necessarię leges dirigentes ad hunc finem; hæ autem constituunt ius gentium, ergo.

7 Dices. Etiam ius naturale respicere hanc societatem, quia homo est natura sua sociabilis. Contra; Ciuilis societas non conuenit homini vt instituta à natura, sed vt instituenda, ergo neque leges, quibus est regulanda, conueniunt homini vt institutæ à Natura, sed vt instituendæ, atque adeo debent ab ipso fieri.

8 Obijcitur. Plura præcepta naturalia respiciunt societatem ciuilem, vt quod non sit inferendum bellum iniustum; quod non sit prodenda respublica, ergo ius gentium non est id, quod respicit humanam societatem. Respondetur distinguendo antecedens. Respiciunt per se primò, & nego, vt stant sub aliqua determinatione, & cōcedo; Nā talia præcepta non important puras obligationes naturales, sed vt applicatas materiæ institutæ ab hominibus; & proinde huiusmodi præcepta subintrant in iure gentium, sicut etiam in iure positiuo.

9 Obijcitur secundò. Præceptum naturale non potest esse posterius iure gentium; sed esset, si ius gentium distingueretur ab illo, ergo. Minor probatur. Præceptum nō furandi est naturale, & tamen supponit ius gentium, nempe rerum diuisionem, ergo est posterius iure gentium. Respondetur negando minorem. Ad probationem negatur secunda pars antecedentis. Nam stante rerum communitate adhuc furtum habuisset locum, sicuti modo habet apud religiosos, nam nemo habuisset dominium rerum, sed fuisset apud communitatem, vnde si quis vsurpasset, quæ non debebat, furtum commisisset.

10 Dico secundò. *Ius gentium est ius positiuum constitutum ab hominibus pro communitate omnium nationum* Desumitur ex §. *Ius autem gentium*. Instit. *De iure naturali*. Et ex cap. *Ius naturale Dist.* 1. Probatur. Societas communis omnium nationum est instituta ab ipsis hominibus, non autem a natura; sicuti, & ea, quæ concernunt talem societatem, vt rerum diuisio, bellum, &c. ergo etiā leges, quibus dirigitur.

11 Dico tertiò. *Ius gentium est institutum communi consensu omnium nationum rationabiliter viuentium, quatenus consuetudine inualuit, ita communiter dictante ratione*. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 57. *art.* 3. Probatur. Ratio habet vim cogendi ad ea, quę honesta sunt, & necessaria pro statu singulorum, ergo potuit etiam cogere homines ad ea, quæ erant necessaria pro conseruanda communi socie-

societate. Antecedens patet. Rationabilia quando sunt talia euidenter cogunt intellectum ad assensum in ordine ad praxim, & inferunt exequutionem, quia voluntas est determinata ad honestatem: vnde subditi, qui per vim non possunt cogi, coguntur ad obediendum ab ipsa ratione. Conseq. etiam probatur. Ratio ostendit plura, vt necessaria ad conseruandam communem societatem, ergo habet vim ad cogendos homines, vt in ipsa consentiant.

12 Colligitur ex dictis. Ius Gentium distingui à naturali, quod naturale respicit ea, quæ ex natura sua mala sunt, aut bona absolutè necessaria ad viuendum honestè; Ius autem gentium solum ea, quę necessaria sunt pro communi societate seruanda.

13 Colligitur secundò. Ius Gentium non esse ab intrinseco immutabile, quia non versatur circa ea, quæ habent absolutam necessitatem pro morali rectitudine, & proinde est capax mutationis, vt ait Suarez 2. *de leg. c.* 20.

14 Colligitur tertiò. Ius Gentium continere conclusiones deductas ex principijs tantum probabiliter, sed cum morali certitudine, quia cum pendeat à voluntate hominum volentium se ita obligare, non habet vim ab ipsa natura, & proinde non importat veritates practicas natura sua euidentes.

15 Colligitur quartò. Ius Gentium differre à ciuili, quia continet conclusiones deriuatas ex lege naturæ sicuti ex principijs; Ius verò Ciuile continet ea, quæ deriuant à lege naturæ per modum partialis determinationis, iuxta exigentiam particularium communitatum, vt docet Diu. Thom. 1. 2. *quæst.* 95. *artic.* 4. & proinde ius ciuile est magis remotum à iure naturali; & quod in generali dicit ius naturæ, ius Ciuile importat in speciali, sic cum ius naturæ dicat, quod mali puniantur, ius Ciuile dicit, quod puniantur tali pœna.

An ius gentium sit præceptiuum.

SECTIO II.

16 Prima sententia est negatiua. Ita Vasq. 1. 2. *disput.* 157. *cap.* 3. & alij, qui volunt, quod solum concedat ea, quæ toti naturæ humanæ conueniunt, quatenus homines socialiter viuunt. Probatur. Quæ reducuntur ad ius gentium *l. Ex hoc iure ff.* De *Iust. & iure*. Sunt tantum quędam permissiones, non autem pręcepta, vt bella, captiuitates. ergo

17 Secunda sententia asserit, esse pręceptiuum, & prohibitiuum, ita Martinez 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 4. Lorca *disp.* 7. *de leg.* Suar. 2. *de legib. cap.* 18. & alij.

18 Dicendum est. *Ius gentium continere vim præceptiuam, & prohibitiuam.* Probatur. Ius gentium est pro cōseruanda societate humana, ergo debet esse obligatiuum. Consequentia probatur. Tunc lex habet vim obligandi, quando est medium necessarium pro assequutione finis, quia cum non possit obtineri sine obseruantia legis, lex obligat ad obseruantiam, cum sit ex pręefficaci intentione finis, sed quę sunt de iure gentium, sunt necessaria ad conseruandam humanam societatem, quę efficaciter pręintenditur, vnde bellum est necessarium pro redigendo ad officium eos, qui deficiunt, fędera pro conseruatione regnorum, &c. ergo. Confirmatur. Illud est ius gentium, quod ex communi consensu inualuit apud omnes nationes. Sed datur tale aliquod ius obligatiuum, ergo: minor probatur. Nam legati recipiendi sunt sub saluo conductu; commercia non sunt prohibenda inter nationes amicas, &c. quę si non fiant, violatur ius gentium. ergo

19 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum. Nam etiam circa ipsa adest obligatio, sic bellum aliquādo obligat. Nam sicuti aliquando quisque tenetur se defendere etiam cum morte aggressoris, ita etiam quęlibet natio, & princeps quando tenetur defendere iura sui populi, tenetur etiam suscipere bellum, quando est necessarium pro ipsis vindicandis.

20 Obijcitur. Lex obligatiua habet annexam potestatem coactiuam, sed ius gentium, non habet annexam, quia non datur aliquis superior, qui possit cogere omnes nationes, ergo. Respondetur distinguendo minorem. Ius obligatiuum ex iurisdictione potestatiua habet annexam vim coactiuam, non autem ius obligatiuum ex mutuo consensu partium.

DE POTESTATE LEGISLATIVA Ciuili.

DISPVTATIO XXXXIX.

An detur potestas legislatiua ciuilis.

SECTIO I.

1 Svpponendum est. Quod licet lex humana non sit absolutè necessaria ad honeste viuēdum, cum possit sufficere lex naturalis, quia tamen plures sunt rudis ingenij, & natura humana est corrupta, & subiecta concupiscentijs, ideò debuit per aliquas leges instrui, & contineri intra semitam rationis, & proinde moraliter sunt necessariæ leges politiuæ, vt notat Arist. 7. *Polit. cap.* 6.

2 Dicendum est. *Adesse in Republica potestatem legislatiuam.* Est de fide vt docent communiter contra Anabaptistas, & Trinitarios, & Transyluanos, qui non solum excludunt potestatem legislatiuam, sed etiam magistratum, & vsum gladij. Probatur Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit. Dei ordinationi resistit*. Ad Hebr. vltimo. *Obedite præpositis vestris.* Confirmatur. Leges humanæ sunt necessariæ etiam pro communitate christiana, ergo debet esse in communitate potestas legislatiua. Antecedens probatur. Communitas debet esse benè ordinata in omnibus, ergo cum lex naturalis, & euangelica non præscribat de omnibus, debent dari aliæ leges, quæ præscribant de ipsis. Conseq. patet. Quia leges non ponuntur absque potestate legislatiua.

3 Dices. Sufficere rationem, & inclinationem ad bonum honestum. Contra. Non obstante hac inclinatione, natura trahitur à concupiscentijs ad peccata, ergo. Secundò. Inclinatio, & ratio non ostendunt in omnibus, quid agendum sit, cum sint obscuratę concupiscentijs. ergo

4 Obijcitur. Iacob. 4. *Vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & saluare*, ergo præter Deum non dantur legislatores. Respondetur. Loqui de legislatore, & iudice quoad secreta cordium, vt patet ex contextu.

5 Obijcitur secundò. Matth. 7. Christus repræhendit seruantes leges humanas, ergo. Respondetur negando antecedens. Nam reprehendit seruantes superstitiosè mandata hominum, & violantes diuina.

6 Obijcitur 3. Ad Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis nisi, vt diligatis inuicem*, ergo non debet christianus subesse legi. Respondetur. Negando conseq. Nam loquitur Apostolus de solutione debitorum, & quod nullum debitum quis retineat, nisi charitatis; nam hoc non potest ita solui, quin semper obliget.

7 Obijcitur quartò. Christiani sunt constituti in libertate Ioann. 8. *Si Filius vos liberauit, verè liberi estis*. 2. Ad Corynth. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, ergo nō sunt subditi. Respondetur. Legem euangelicam constituere liberos non à legibus; sed à peccato, & seruitute Diaboli, iuxta illud Ad Rom. 6. *Cum serui essetis peccati, liberi facti estis*.

8 Obijcitur quintò. Lex euangelica est suauis Matth. 11.

Iugum

Iugum meum suaue est. Si autem essent instituendæ leges, esset intolerabilior antiqua, quia leges humanæ modo sunt plures, quam tunc, ergo. Respondetur negando sequel. Ad probationem minoris. Tunc legem fieri intolerabilem multitudine præceptorum, quando præcepta important noua onera supra legem naturæ, leges autem humanæ non important, quia sunt determinationes legis naturæ in ordine ad speciales actiones.

A quonam sit potestas legislatiua.

SECTIO II.

9 Dicendum est. *Potestatem legislatiuam ciuilem esse à Deo vt auctore naturæ, & esse congenitam eidem naturæ.* Ita Caietan. *tom. 1. opusculo de potestate Papæ*. Vict. *Relect. de potestat. ciuili num. 1. & 6.* Suarez *2. de leg. cap. 3.* & communiter. Probatur. Ad Corinth. 13. *Non est potestas nisi à Deo; quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt.* 1. Petri 2. *Subiecti igitur estote omni creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti.* Io. 19. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Confirmatur. Potestas legislatiua est ad aliquos actus, qui de se excedunt facultatem creaturæ, vt occisio malefactorum, quia cum solus Deus sit Dominus vitæ, ad ipsum solum pertinet occisio, ergo cum potestas legislatiua contineat actus proprios Dei, debet esse ab ipso participata.

10 Dicendum secundò. *Hæc potestas non communicatur à Deo hominibus speciali commissione, sed naturali modo vt quid debitum naturæ rationali, atq; adeo à Deo vt auctore naturæ.* Probatur. Quod est debitum naturæ, non est ex speciali commissione, sed est ipsi congenitum. Talis autem potestas est debita naturæ rationali, ergo. Maior patet. Quia quod est debitum naturæ, non potest non tribui supposita ipsa natura: quod autem est ex speciali commissione potest non tribui. Minor probatur. Natura rationalis exigit ciuilem societatem, atque adeò etiam ordinem, secundum quem instituatur, ergo etiam potestatem legislatiuam, per quam præscribatur huiusmodi ordo.

11 Dices. Talem ordinem posse poni per naturale lumen. Contra. Societas est communis omnibus, ergo etiã ordo societatis, ergo etiam mensura. Non esset autem cõmunis, si quilibet ad proprium libitum regularet ordinem quia non conuenirent omnes in eadem regula, ergo debet adesse potestas legislatiua ponens hanc regulam, & obligans omnes ad ipsam.

Quibus sit communicata potestas legislatiua.

SECTIO III.

12 Dico primò. *Potestas legislatiua est communicata immediatè omnibus hominibus, quatenus sociabilibus in eadem communitate.* Ita D. Th. 1. 2. *quæst. 90. art. 3.* Probatur. Potestas legislatiua est in hominibus ex eo, quod natura sua sunt sociabiles, atq. adeò debent habere omnia necessaria ad formandam, & conseruandam societatem, ergo est in singulis hominibus vt sociabilibus, quia talis potestas est debita naturæ vt sociabili, atque adeo singulis participantibus eandem naturam Confirm. Omnes homines sunt æquales in natura, ergo omnibus æqualiter est debita libertas, nec est maior ratio, de vno quàm de alio, quod sit subditus, vel superior.

13 Dices. Hanc potestatem conuenisse Adæ, vt capiti, & alijs per successionem. Contra. Adam ex natura rei fuit tantum caput propagationis humanæ; hæc autem ratio capitis non exigit potestatem legislatiuam. Vnde D. Aug. 19. *de Trinit. cap. 15.* ponderat, Deum dixisse, *Faciamus hominem, vt præsit piscibus maris*, &c. non autem vt præsit hominibus.

14 Dico secundò. *Hæc potestas conuenit hominibus ex vi luminis naturalis, & ex vi voluntatis.* Probatur. Potestas legislatiua, residet in illis potentijs, ex quibus prouenit actus legis; sed prouenit ex intellectu, & voluntate, ergo. Minor patet. Quia actus legislatiuæ potestatis est ordinare communitatem, & ipsi dominari. Rursus lex naturalis continet principia, ex quibus deriuant leges humanæ, ergo etiam ipsa concurrit ad hanc potestatem.

15 Dico tertiò. *Voluntas congregandi se ipsos in vnam communitatem est necessaria ad potestatem legislatiuam tanquam condicio, vt sit in statu proximo ad ferendas leges.* Ita Salas *disp. 7. de leg. sect. 2. num. 23.* & alij contra Suar. 3. *de leg. cap. 7. num. 6.* Qui vult, quod talis potestas non resultet, nisi postquam homines in vnam communitatem congregantur. Probatur. Potestas legislatiua est facultas se obligandi simul cum alijs certis legibus. Sed hæc potestas conuenit ex vi naturæ, quatenus habet iudicium iudicans, quid sit necessarium pro ciuili societate, ergo consequitur naturam, non vero requirit congregationem, vt resultet. Rursus non potest reduci ad actum, nisi facta congregatione, ergo requiritur congregatio, tanquam condicio.

16 Dico quartò. *Ista potestas ita conuenit communitati, vt possit illam transferre in personas determinatas siue vnam, siue plures.* Ita communiter. Probatur. Est sub dispositione ipsius communitatis, ergo potest transferre ipsam, in quem voluerit. Antecedens probatur. Est sub potestate cuiuscunque se subiicere alteri, & non vti potestate propria, sed consentire in vsum potestatis alterius, ergo potestas legislatiua est sub dispositione communitatis, cum quisque possit ipsi renuntiare, & consentire, quod aliquis solus, aut plures illa vtantur.

17 Dico quintò. *Communitas tenetur transferre hanc potestatem in vnum, aut plures, qui assistant regimini.* Ita Sotus 4. *de iustit. & iure quæst. 4. art. 1.* Molina, *tractat. 2. de iust. & iure disput. 27.* Victor. *Relection. de potestate ciuili num. 5.* Bellarmin. *lib. 3. de Laicis capitul. 3.* & alii. Probatur. Quando quis tenetur ad aliquem finem, tenetur etiam ad media necessaria pro illo fine; sed eo ipso, quod quis vult viuere in societate, tenetur ad debitum ordinem societatis, ergo etiam ad media; sed vnum ex mediis necessariis est, quod aliquis, aut plures assistant regimini, nam impossibile est, quod omnes conueniant in vnam determinationem, & quia multitudo non sequitur rationem, sed impetum passionum, vt notat Arist. *1. Ethicor. cap. 1.* ergo, &c.

18 Colligitur ex dictis. Non esse determinatum regimen politicum ex natura rei, sed pertinere ad communitatem eligere, quicquid voluerit. Quia finis humanæ societatis obtineri potest per varias formas regiminis. Est autem Triplex Regimen Monarchicum, in quo vnus dominatur; Aristocraticum, in quo pauci, sed optimates gubernant, & Democraticum, in quo plures populares præsident.

19 Colligitur secundò. Reges habere potestatem regalem immediatè à communitate, & proinde non esse tales de iure Diuino, vt docent communiter cum D. Thomas 1. 2. *quæst. 90. art. 3.* Et iurisperiti *in l. 1. ff. De const. princ.* & *in l. 2. ff. De orig. iuris*, & habetur ex ipsis textibus. Cum enim ex natura rei potestas legislatiua sit in communitate, non potest deriuare in aliquem, nisi ex consensu communitatis; vnde quando Deus dicitur dare regna, &c. intelligitur secundum cursum ordinarium prouidentiæ, atque adeo mediantibus ipsis hominibus, vt notat D. August. *tractat. 6. in Ioann.* & *lib. 2. contra Faustum cap. 72.* vnde principis gerunt vicem Dei in terris, quatenus accepta potestate à communitate ministrant ordinem prouidentiæ circa rempublicam.

20 Colligitur tertiò, Iniustè occupãtes, & per vim aliquod

regnum, non habere supra ipsum potestatem, sed remanere apud populũ. Quia tamen fieri potest, quod populus paulatim consentiat in ipsorum dominium; ideò tunc acquirunt hanc potestatem, vt docent communiter præsertim Suar. 3. *de leg. cap. 4. num. 4.*

21 Colligitur quartò. Quod quamdiu Tyrannus legitimè non imperat, potest Respublica, si non valet resistere, tolerare, & exequi, quę ille iustè præcipit: imò tenetur exequi, alioquin communitas pateretur notabile damnũ, vt notat Vict. *De potestate ciuil. num. 23.* Suar. 3. *de leg. cap. 10. num. 9.*

An potestas legislatiua semel concessa possit reuocari.

SECTIO IV.

22 Dicendum est. *Non posse reuocari*. Supposito tamen quod à principe seruentur conditiones, cũ quibus est ipsi concessa. Ita Isernia, *In proemio Constit. Neap.* Suar. 3. *de leg. cap. 4. num. 6.* Bonac. *quæ. 1. de leg. punct. 6. num. 6.* & desumitur ex regula. *Quod semel, ff.* De *Iusti. & iure.* Probatur. Per talem concessionem princeps acquirit supremam potestatem, per modum contractus, quo populus se obligat obedire principi, & princeps regere populum. Ergo acquirit potestatem irreuocabilem. Consequentia probatur. Tum quia contractus est ex natura sua irreuocabilis. Tum quia si potestas esset reuocabilis, non esset suprema, nam adesset potestas reuocatiua, quæ sibi subijceret potestatem principis.

23 Colligitur ex dictis. Hanc potestatem posse ex causa reuocari à communitate, & primo, si Princeps fieret Tyrannus, vt desumitur ex *l. 2. §. Ex actib. ff. De orig. iur.* Si enim abutatur potestate, consurgit in communitate ius naturalis defensionis contra abusum potestatis, atque adeo ius auferendi potestatem. Secundò. Si princeps non esset idoneus ad regendum, vt notat Iern. *citat.* & alij. Quia stante inhabilitate redditur princeps incapax potestatis. Tertiò. Si princeps excedat terminos principis, vt notat cit. doctor, nam tunc non est amplius princeps cap. *scelus. 11. quæ. 1.* & cap. *Non omnes. quæ. 7.*

An alicui sit data potestas ciuilis in totum orbem.

SECTIO V.

24 Certum est. Non posse esse in aliquo, nisi sit in Imperatore; nam cæteri principes habent potestatem limitatam ad certas Prouincias, & Regna.

Prima Sententia asserit, Imperatorem habere iurisdictionem in totum orbem; & ideo posse ferre leges obligantes omnes populos. Ita Cinus *in l. 1.* Cod. *De summ. Trin.* Castrens. *ibidem.* Bartol. *in l. Hostes; num. 7. ff.* De *captiu.* qui ait, oppositum esse hæreticum. Castal. *De Imperatore quęs. 52.* & alii.

25 Secunda sententia est negatiua, ita Isernia *lib. 2. de feud. c. 1. De pace firmanda.* Vasq. *lib. 1. illustr. quæs. cap. 21.* Cassan. *par. 5. catal. glor. mund. consid. 28.* Mol. *disput. 30. de Iust. & iure.* & communiter Theologi, & recentiores Iuristæ.

26 Dicendum est. *Imperatorem non habere iurisdictionem in totum orbem, atque adeò nec potestatem legislatiuam.* Probatur. Plura regna non sunt subiecta imperatori, nec de facto, nec de iure *l. Mercat. c.* De *commerc.* & *l. Rom. C.* De *Eunuch.* Et cap. *Super specula.* De *Priuil.* & cap. *Nouit.* De *iudic.* & constat etiam ratione. Quia Principi non acquiritur subiectio populorum, nisi voluntaria deditione, aut iusta subiugatione, aut concessione illius, qui habet supra ipsos supremam iurisdictionem. Sed nunquam populi totius orbis se subiecerunt Imperatori; nec iustè subiugati sunt, nec eorum principes concesserunt dominium, vt constat ex historijs. Ergo.

27 Obiicitur Lucæ 22. *Ecce duo gladij.* Nempe duo principes Pontifex, & Imperator, & Christus respondit. *Satis est.* Et cap. *Solitæ. De Maiorit. & obedien.* Pontifex interpretatur, quod duo luminaria maius, & minus sint Pontificia, & Imperatoria dignitas. Ergo imperator habet totam ciuilem iurisdictionem in totum orbem. Respondetur negando consequ. Quia duo gladij non signant duos principes, sed duas potestates spiritualem, & temporalem; sicuti etiam duo luminaria. Potestas autem temporalis non est in vno principe, vt etiam colligitur ex dicto cap. *Solitæ.*

28 Obijc. secundò. Imperator dicitur Dominus mundi. *l. Benè à Zenone. C. De quadriennali præscript.* Et cap. *Ita Dominus. Distinct. 19.* Ergo habet vniuersalem iurisdictionem. Respondetur. Dici Dominum mundi antonomasticè, quia videlicet tunc ab Imperatoribus melior pars mundi obtinebatur, cum cæteri populi haberentur pro barbaris, & veluti de alio mundo.

29 Obijcitur tertiò. Pontifex habet potestatem spiritualem in totum orbem. Ergo & Imperator temporalem. Respondetur negando cõsequentiam. Quia potestas spiritualis est a Deo, & proinde secundum institutionem ipsius; temporalis verò est à populis, à quibus nunquam est concessa vnico principi.

30 Colligitur ex dictis. Imperatorem posse ferre leges solùm pro suis subditis, quibus immediatè vel mediatè dominatur, vt docent communiter, & proinde potest etiã obligare subditos fæudatariorum.

31 Colligitur secundò. Leges imperiales, quæ sunt in corpore iuris, non habere vim apud Regna, & prouincias, quæ non subijciuntur Imperatori, nisi aliqua lege, aut consuetudine sint acceptatæ, quia videlicet non sunt impositæ ab habente potestatem supra ipsam, vt docent communiter, quod etiam est verum, quando nulla adest lex pro illo casu, de quo procedit lex Imperialis.

32 Colligitur tertiò. Ius Imperiale retinere vim directiuam, etiam apud eos, qui non subsunt imperio; & proinde plurimum prodesse ad regimen, vt cum communi notat Sal. *disp. 10. de leg. sectio. 9.*

33 Colligitur quartò. Reges, & omnes principes non recognoscentes superiorem posse ferre leges pro suis subditis, vt docent communiter cum D. Thom. 2. 2. *quæ. 51. ar. 2.* quod etiam est verum de communitate, quæ non recognoscit superiorem; nam vbi est suprema potestas, ibi etiam est potestas legislatiua.

An Summus Pontifex habeat potestatem ciuilem in totum orbem.

SECTIO VI.

34 Prima sententia asserit, habere iurisdictionem in totum orbem, etiam in infideles. Ita Host. *in cap. super his. De Voto.* Tryumphus *quæs. 1. de Potest. Eccles. ar. 1. 7. & 8.* Ioan. Paris. *De potestate Papæ. cap. 1. & 11* Bozius *de Monarch. Ecclesias. lib. 5. cap. vltimo.*

35 Secunda sententia asserit, habere iurisdictionem temporalem in omnes Christianos, non in actu, sed solum in habitu. Ita Panorm. *in cap. Nouit. De Iudic.* Castald. *de imperat. quæ. 15.* Iocobat *lib. 1. de consil. ar. 8.* & alii plures cum D. Thom. 3. *de Regimin. Princip. cap. 10. & 19.*

36 Tertia sententia asserit, non habere iurisdictionem temporalem in totum orbem directè, sed tantum indirectè in ordine ad spiritualem. Ita Almain. *De libert. Eccle. cap. 6.* Caiet. *opusculo de auctoritat. Pap. p. 2. cap. 13.* Victo. *de Potestat. Ecclesiæ quæ. 6.* Salas *disp. 7. de leg. sect. 7.* Suar. 3. *de leg. cap. 6.* & alii apud ipsos.

37 Dico primo. *Summus Pontifex non habet iurisdictionem aliquam, siue spiritualem, siue temporalem in infideles.* Desumitur ex illo 1. Ad Corinth. cap. 5. *Quid mihi de illis, qui foris sunt iudicare, non ne de ijs, qui intus sunt*

vos

vos iudicatis; nam de ijs, qui foris sunt, Deus iudicabit; per eos autem, qui foris sunt, intelligit infideles, qui sunt extra Ecclesiam. Probatur. Pontifex habet solum illam potestatem, quæ ipsi conuenit vt Christi vicario, & capiti vniuersali Ecclesiæ. Ergo non habet potestatem in infideles. Conseq. probatur. Christus est tantum caput Ecclesiæ. Ergo Pontifex vt Christi vicarius respicit tantum Ecclesiam. Ergo eos solum, qui sunt intra Ecclesiam.

38 Dico secundò. *Summus Pontifex non habet iurisdictionem temporalem in totum orbem Christianum, atque adeò neque potestatem legislatiuam*. Desumitur ex D. August. 15. *de Ciuitate*. & ex cap. *Duo sunt. Distinct.* 26. & cap. *Inter hæc*. 33. *quæst*. 2. & cap. *Si Imperator. dist*. 96. & alibi passim. Probatur. Pontifex non potest habere maiorem iurisdictionem, quam habuit Christus in terris, Christus autem non habuit dominium temporale. Minor probatur ex illo Ioan. cap. 18. *Non venit filius hominis in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*. Et rursus Christus dixit. *Regnum meum non est de hoc mundo*. & Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*. Deinde declarat, quod ista potestas sit tantum spiritualis, subdens. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos*. Ergo Christus non habuit quò ad exercitium dominium temporale. Confirmatur. Ista potestas Pontificis habetur ex illis verbis Math. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, & Ioan. 21. *Pasce oues meas*. Ergo est tantum potestas spiritualis, quia ex his locis Patres, & concilia colligunt tantum potestatem spiritualem.

39 Dico tertiò. *Pontifex ratione potestatis spiritualis potest disponere circa temporalia, quando ita exigit finis spiritualis, & hoc est habere indirectè iurisdictionem temporalem*. Et ex hoc capite transtulit imperium, constituit electores cum facultate eligendi Imperatorem, priuauit reges regno, & alios huiusmodi actus exercuit circa temporalia, quia ita exigebat finis spiritualis. Probatur. Potestas spiritualis habet pro fine bonum spirituale communitatis; temporalis verò temporale. Ergo temporalis subditur spirituali, quia facultas subordinatur sicut subordinantur fines: bonũ autem temporale subordinatur spirituali. Ergo temporale dependet à spirituali. Ergo spiritualis potest reordinare temporalem, quando deficit, & supplere defectum ipsius.

40 Obijcitur. Christus habuit iurisdictionem temporalem in totum orbem, vnde Apocal. 1. dicitur, *Princeps Regum terræ*. Ergo, & Pontifex. Respondetur negando antecedens. Quia Christus, quatenus homo, non assumpsit talem iurisdictionem, vnde Nicol. III. cap. *Exijt*; De *verborum significat*. ait, Christum etiam exemplo docuisse paupertatem.

41 Obiicitur secundò. Alexander VI. tribuit dominiũ Indiarum Regibus Castellę, & legionis. Ergo potest Põtifex disponere de regnis terrenis. Respondetur negando antecedens. Nam solum assignauit loca Indiarum, ad quæ illi Reges mitterent prædicatores Euangelij, & protegerent eos, qui conuerterentur ad fidem.

42 Obijcitur tertiò. Ecclesia Christi est vna per totum orbem. Ergo etiam in temporali est perfecta Monarchia. Ergo vna potestas temporalis, & spiritualis in eodem capite. Respondetur negando conseq. Quia Ecclesia vt talis non habet nisi potestatem spiritualem.

43 Obijcitur quartò. Ex Bonifacio VIII. Ex cap. *Vna Sancta. De Maioritat. & obedien*. vbi ait, in Pontifice esse vtrumque gladium, & spiritualem, & Temporalem. Respondetur. Habere gladium temporalem, quatenus spiritualis extenditur indirectè ad temporalem.

44 Colligitur. Pontificem vacante imperio iudicare de causis Imperialibus, non quia habeat iurisdictionem temporalem, sed quia Iudex Ecclesiasticus succedit in causis Laicorum, quando non adest iudex temporalis. cap. *Licet. De foro compet*. vbi Glos. verbo *Vacante*.

An Pontifex vt Princeps politicus habeat potestatem politicam.

SECTIO VII.

45 Dicendum est. *Posse Pontificem habere potestatem temporalem*; ita Leo Papa *Epistol*. 88. D. August. *in Psalm*. 98. Dion. *cap*. 1. *De Eccles. Hierarch*. & communiter Catholici contra Caluinistas, qui volunt Pontificem non posse habere iurisdictionem temporalem. Probatur. Ciuilis potestas non repugnat cum spirituali ex natura rei, nec ex Christi institutione. Ergo possunt esse simul. Antecedens patet. Quia temporalis inseruit spirituali; & vtraque est necessaria pro adæquato regimine. Ergo cum tendant ad fines subordinatos, qui constituunt vnicum finem adæquatum, non sunt incompossibiles ad inuicem ex natura sua; nec constat quod Christus instituerit, quod non sint simul, cum id non habeatur neq; ex scriptura, neque ex traditione.

46 Obijcitur Math. 20. *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum; non ita erit inter vos*. Ergo Christus prohibuit Ecclesiasticis dominium temporale. Respondetur negando consequentiam. Nam solum prohibuit dominari, sicut dominabantur principes gentium, nempe tyrannicè.

47 Obijcitur secundò. Christus Lucæ 12. ait. *Quis me constituit Iudicem*. Ergo nec Pontifex potest esse iudex temporalis. Respondetur negando consequen. Nam Pontifex est constitutus iudex, cùm ipsi fuerit concessum dominium temporale.

48 Obijcitur tertiò. 2. Ad Thimot. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit*. Ergo. Respondetur negando consequen. Quia verbum implicari, importat ita vinciri, vt non possit militiæ Dei incumbere, alioquin nullus Christianus posset vacare negotijs secularibus, cum sit miles Christi ratione baptismi.

49 Obijcitur quartò. Ex cap. *Cum ad bellum. dist*. 96. vbi habetur, quod post aduentum Christi fuerint distincta iura Imperatoris, & Pontificis. Ergo Pontifex non potest habere, &c. Respondetur negando consequ. Quia tantum intelligitur de potestate imperatoria; non autem de qualibet iurisdictione temporali.

An potestas legislatiua ciuilis dependeat a fide, vel moribus Principis.

SECTIO VIII.

50 Dicendum est. *Principes ratione infidelitatis, aut cuiuscunque peccati non amittere dominium, & potestatem legislatiuam*. Est de fide ex Concil. Constant. *sess*. 10. approb. à Martino V. contra Armacan, Michlef. & Ioan. Hus, qui oppositum asserebant, & desumitur ex D. August. 5. *de Ciuitat. cap*. 21. Probatur. Iob. 24. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Et ex illo Lucæ 20. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, &c*. Et ad Rom. 13. Vbi Apostolus præcipit obedire potestatibus, &c. qui tunc erant infideles, & peccatores. Confirmatur. Peccatum infidelitatis non priuat bonis temporalibus. Ergo nec potestate regnandi, quæ est in ordine naturali.

51 Obijcitur. Potestas legislatiua est propter bonum cõmune. Ergo non potest esse in principe peccatore. Vnde 1. Reg. 15. Saul fuit priuatus regno ob peccata. Respondetur negando conseq. Quia princeps peccator potest rectè administrare Rempublicam; Saul autem fuit priuatus regno à Deo in pœnam peccatorum.

52 Obijcitur secundò. Oseæ 8. Ipsi regnauerunt, sed non ex me. Ergo peccatores non sunt veri reges. Respondetur. Reprehendi, quia non regnabant secundum præscriptio-

ptionem Dei, & quia cum populus esset sub speciali regimine Dei, postulauit reges in consulto Deo.

53 Obijcitur tertiò ex D. Clement. 2. *Constit. Apost. cap.* 8. Nec *enim Rex impius est vtique rex, sed tyrannus; nec Episcopus ignorantia, & mala mête oppressus est amplius Episcopus.* Ergo. Respondetur. Hæc verba esse supposititia. Quicquid tamen sit, debent intelligi de ijs, qui male regunt, quatenus tunc non exercent verum munus rectoris.

54 Obijcitur quartò. Conspirans contra principem punitur pœna capitis, & confiscatione bonorum *l. Quisquis C. Ad leg. Iul. maiest.* ergo etiam qui Deum offendunt. Respondetur negando conseq. Quia de hoc non extat lex, sed solum, quod *in alia vita* puniatur pœna æterna.

55 Colligitur ex dictis. Quod licet infideles non decidant à Dominio, quod habent, non possunt tamen eligi in principes à fidelibus, vt docet D. Thom. 2.2.*q.* 10. *art.* 3. & habetur ex Distinct. 45. & ex titulo *De iudæis, & Sarac.* quod etiam habet locum in hæreticis cap. *Venerabilem. De elect.* Immo est etiam prohibitum iure Diuino Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus,* nempe vt non communices cum ipso. Ratio autem est, quia ex institutione Diuina potestas ciuilis est subordinata potestati Ecclesiasticæ, vt inseruiens ipsi, & ideò non potest tribui personæ, quæ non sit subiecta Ecclesiæ.

An mulieres sint capaces potestatis legislatiuæ ciuilis,

SECTIO IX.

56 Dicendum est, *Fæminas esse capaces iurisdictionis temporalis, & regiæ.* Desumitur ex capit. *Ex parte* 2. De *priuileg.* & cap. *Dilectus*, De *arbitris*, & tradunt communiter. Probatur. Talis potestas nec de iure positiuo, nec naturali est incompossibilis cum fæmina, ergo. Antecedens patet quoad positiuum ex *citat. text.* & quoad naturale. Quia fœmina habet eandem naturam cum homine.

57 Obijcitur ex *l. Femin. ff.* De *regul. iur.* Mulieres sunt arcendæ ab officijs ciuilibus, ergo non sunt capaces iurisdictionis ciuilis. Respondetur. Esse arcendas, quando aliunde non conuenit iurisdictio, quia nimirum non debent eligi libera electione.

An ciuitates subditæ habeant potestatem legislatiuam,

SECTIO X.

58 Prima sententia est negatiua. Ita Vasquez t. 2. *disput.* 122. *num.* 27. Suar. 3. *de leg. c.* 9. *num.* 23. Salas *disp.* 7. *de leg. sect.* 4. & alij. Probant. Non possunt introducere consuetudinem, nisi approbetur à principe, ergo nec facere statuta. Secundò. Statutum non differt à lege, nisi in ordine ad subditos, quatenus minus extenditur, ergo requirit eandem potestatem, ac lex, ergo

59 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Bart. *in l. Omnes populi ff.* De *iust. & iure.* Bald. Castrens. Salicet. *ibidem.* Innocent. *in c. Cum accessissent.* De *constit.* Tusch, *verbo.* Statutum. *Conclus.* 429.

60 Dicendum est. *Communitatem alteri subiectam posse de iure cômuni condere statuta, dummodo sit apud ipsam aliqua forma regiminis, & statuta non sint contra leges Principis, cui subijcitur.* Probatur. Vbicunque est potestas ordinatiua communitatis, ibi potest poni ordo pro bono communi proportionatus potestati. Sed vbi est aliqua forma regiminis specialis contradistincti à regimine supremi principis, ibi est potestas ordinatiua, &c. Tale autem regimen est in illis ciuitatibus, in quibus præter officiales principis adest senatus, aut quid simile.

61 Ad primum negatur assumptum, si loquamur de consuetudine municipali. Ad secundum negatur assumptum. Nam lex non subordinatur alicui superiori, & est actus supremæ potestatis. Statutum verò subordinatur, & est actus potestatis subordinatæ.

An Principes recognoscentes superiorem possint condere statuta.

SECTIO XI.

62 Prima sententia est negatiua. Ita Ias. *in l. Omnes populi ff.* De *iust. & iure.* Bologn. *ibidem nu.* 65. Lorca t. 2. *disp.* 13. *de leg. diffic.* 1. Bobadil. *lib.* 2. *Polit. c.* 6. & alij. Probant. Condere leges est de primo gradu meri impij, qui nunquam intelligitur concessus, nisi in specie exprimatur. Secundò. Fæudatarij se habent ad instar magistratus, magistratus autem non potest facere, nisi ius temporale pro modo officij. §. 1. *instit.* De *perpetua, & temporali actione.*

63 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Bart. *in leg. Omnes populi quæst.* 1. *ff.* De *iust. & iure.* Isernia *in rubr. Quæ sint regal. n.* 3. Tuschus *litt. B. conclus.* 428. *num.* 18 & alij.

64 Dicendum est. *Principes fæudatarios posse condere statuta pro suis subditis exceptis ys, qui sunt in regnis Hispaniæ, cum id ipsis prohibeatur legibus regijs.* Prob. Feudatarij habent iurisdictionalem potestatem, & dominium vtile perpetuum, ergo possunt facere statuta. Conseq. probatur. Statuta important specialem prouisionem circa speciales indigentias communitatis, ergo cum feudatarii habeant totum regimê speciale, cui incumbit princeps supremus, debet in Fæudatario esse facultas ad necessarias prouisiones per statuta, alioquin non esset sufficienter prouisum illis populis.

65 Ad primum respondetur. Condere leges propriè dictas pertinere ad primum gradum meri imperii, nô autem condere statuta; nam pro his non requiritur primus gradus meri imperij, sed sufficit merum, & mistum imperium, quod conceditur Fæudatariis. Ad secundum. Fæudatarios se habere in aliquibus instar magistratus: in aliquibus autem excedere, Tum quia habent dominium perpetuum. Tum quia habent merum imperium, licet non in primo gradu.

DE POTESTATE LEGISLATIVA Ecclesiastica.

DISPVTATIO L.

An detur in Ecclesia potestas legislatiua.

SECTIO I.

1 Svpponendum est tanquam certum de fide. Adesse in Ecclesia sufficientem potestatem ad ipsam regendam. Matth. 16. *Tibi dabo claues regni calorum, quodcunque ligaueris,* &c. Ioann. 21. *Pasce oues meas.* Actor. 20. *Quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Ratio est. Quia cum Ecclesia sit quoddam corpus, cuius caput est Christus, & Christus non sit visibiliter præsens, opus fuit capite, et ministris visibilibus, qui dirigerent Ecclesiam, & manutenerent homines intra ordinem præscriptum à Christo solû differentia est, an adsit etiam in Ecclesia potestas legislatiua.

2 Dicendum est. *In Ecclesia esse potestatem condendi leges obligantes in conscientia.* Est de fide definitum in VI. Synodo *act.* 4. & VIII. Synodo *act.* 1. Et in Concilio Con-

Constant. *sess*.8. & 5. in Concilio Calced. *art*. 5. in Trid. *sess*.6.*can*.20. Probatur. Actorum. 13. *Visum est Spiritui sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis, &c.* per hoc autem significatur potestas condendi leges. Et rursus *ibidem* de Paulo dicitur, *Perambulabat autem Syriam, & ciliciam confirmans Ecclesias præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum*. Ergo Apostoli imposuerunt præcepta, & cap. 16. *Tradebant eis custodire dogmata, quæ decreta erant ab Apostolis, & senioribus, qui erant in Ierusalem*. Ergo est in Ecclesia potestas legislatiua. Confirmatur. Omnis communitas, vt sit ordinata, indiget potestate legislatiua, per quam congruis legibus ordinetur, vt docet Aristo. 7. *Politi. cap.6. & 9.* & Plato *lib. 2. de Repub.* & *lib.8. de legib.* aliàs nō posset dirigi in suum finem per congrua media. Ergo etiam in Ecclesia, cum sit communitas bene ordinata, & sibi sufficiens est huiusmodi potestas.

3 Dices. Sufficere leges diuinas positas à Christo. Contra. Lex diuina non præcipit de omnibus, quæ necessaria sunt, vt patet inductiuè; neque quō ad ea, quæ præcipit determinat tempus, & modum. Ergo est necessaria potestas legislatiua. Confirmatur secundò. Vicarius Christi habet supremam potestatem in ordine ad finem supernaturalem Ecclesiæ, vnde habet iura cælestis imperij cap. *Quanto. De trausl. Episcop.* & præest omnibus, quæ concernunt animam cap. *Imperator.* & cap. *Duo sunt dist. 96.* & omnes ipsi subijciuntur vt capiti cap. *Solitæ.* De *maiorit. & obedien.* vnde Matth. 16. *Tibi dabo claues.* &c. Et Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Ergo habet potestatem legislatiuam. Consequentia probatur. Potestas legislatiua imbibitur in suprema potestate, quia suprema potestas debet habere actum supremum in ordine ad regimen, qualis est condere leges. Ergo si Pontifex habet supremam potestatem, habet etiam potestatem legislatiuam.

4 Dico secundò. *Hæc potestas legislatiua Ecclesiastica est spiritualis, & supernaturalis.* Probatur. Hæc potestas est participatio potestatis, quam habuit Christus, vt caput Ecclesiæ. Ergo est spiritualis, & supernaturalis. Antecedens patet. Quia est in Vicario Christi, quatenus talis est. Consequentia probatur. Potestas Christi, vt capitis Ecclesiæ est spiritualis, & supernaturalis; vnde Christus ait. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Confirmatur. Potestas Pontificis dicit claues regni cælorum Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Hæc autem claues important potestatem in ordine ad finem supernaturalē.

5 Obijcitur Matth. vltimo. *Docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Ergo Christus non dedit potestatem præcipiendi, sed tantum docendi præcepta ipsius. Respondetur. Non dedit tunc; dedit tamen, quando instituit Petrum Vicarium suum.

6 Obijcitur 2. Deuteron. 12. *Hoc præcipio tibi: hoc tantum facito, non addes quidquam, nec minues.* Ergo. Respondetur negando conseq. Nam loquitur tantum de præceptis cæremonialibus, quibus nihil volebat addi, aut detrahi; & tantum pro lege veteri, quando non erat ista potestas Ecclesiastica.

7 Obijcitur 3. Ad Galat. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis anathema sit.* Ergo præter legem Christi nullum præceptum est imponendum. Respondetur negādo conseq. Quia loquitur de Euangelizatione fidei, quæ continet credenda, quia solùm à testimonio Diuino esse possunt.

8 Obijcitur 4. Christus nos liberauit à iugo legis. Ad Galat. 3. *Spes nos redemit a maledicto legis.* & cap. 4. *Non sumus ancillæ filij, sed liberi, qua libertate Christus nos liberauit.* Ergo non tradit potestatem ad nos premendos de nouo iugo legis. Respondetur. Non dedit potestatem ad imponendum iugum seruitutis, qualis erat lex vetus, quæ timore pœnæ tantùm inducebat ad obseruantiā; dedit tamen ad imponendam legem conformem euangelicæ, quæ est lex charitatis, & libertatis inducens ad operandum ex amore Dei.

9 Obiicitur 5. Ex D. Augustin. *Epist.* 119. *cap.* 19. Vbi reprehendit eos, qui pluribus præceptis onerant homines. Ergo. Respondetur. D. Augustinum solùm reprehendere eos, qui abutuntur potestatem legislatiuā imponendo nimia onera; non autem dicit, quod non ad sit talis potestas. Plures obiectiones ex Patribus affert, & solum Turrect. *lib. 2. de Eccl. cap.* 45.

An Summus Pontifex habeat potestatem legislatiuam immediatè à Christo.

SECTIO II.

10 SVpponendum est. Tanquam certum de fide hanc potestatem fuisse à Christo immediatè concessam Petro Math. 16. *Tibi dabo claues.* &c. Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Ex quibus locis colligitur potestas regendi gregem Christi, est perducendi ad finem supernaturalem, atque adeo plena potestas ad ea decernenda, quæ pro fine inseruiunt, vt communiter Patres, & desumitur ex cap. *Ita Dominus. Distinct.* 19. & cap. *Omnibus.* & cap. *Manet.* & cap. *Loquantur.* 24. *quæst.* 1. & passim ex distinct. 96. vbi DD. difficultas autem est, an Pontifex habeat hanc potestatem immediatè à Christo.

11 Dicendum est. *Summum Pontificem habere potestatem immediatè à Christo, quatenus eam tradidit Petro non personaliter, sed vt vicario: & proinde instituta est propria ipsius vicarij Christi.* Est de fide definitum in Concilio Lugdunen. vt refertur in cap. *Vbi periculum. De elect.* In conclusio *Floren. in litter. vnionis.* In Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. ab Anaclet. Papa *Epist.* 3. *ad omnes Episcopos. cap.* 3. Innocent. *Epist.* 26. *ad Concilium Milleuitan.* & passim aliis Pontificibus. Probatur Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā, & tibi dabo claues, &c.* Ergo potestas non solùm Petro, sed etiam successoribus fuit collata à Christo. Conseq. probatur. Fuit collata Petro tanquam fundamento, cui inniteretur Ecclesia quòad regimen, atque adeò tanquam Christi Vicario. Ergo cum Ecclesia sit perpetua, debuit hoc fundamentum potestatis esse perpetuum; non esset autem, nisi permaneret in successoribus. Confirmatur. Romanus Pōtifex est Vicarius Christi ex eo, quod succedit Petro, siquidem Christus instituit Petrum suum Vicarium. Ergo cum Vicarius habeat potestatem ab eo, cuius est Vicarius, etiam Romanus Pontifex habebit à Christo.

An Summus Pontifex possit condere leges absque consilio Cardinalium.

SECTIO III.

12 PRima sententia est negatiua. Ita Monach. *in cap. super eo. De hæret. in* 6. Anchar. *ibidem.* Cardin. *in Repet. cap. Perpendimus. De sententia excommunicationis.* Andreas Sicul. *De præst. Cardinal. par.* 1. & alii. Probatur. Cardinales sunt consiliarii Summi Pontificis, & per præscriptionem habent ius acquisitum, quod Pontifex sine consilio ipsorum non resoluat causas graues. Ergo non potest eos priuare hoc iure. Condere autem leges est causa grauis, ergo 2. Ex cap. *Per venerabilem. Qui fol. sint leg'timi.* Cardinales iure leuitico assistunt Pontifici, vt coadiutores sacerdotalis officij, ergo. 3. Ex capit. *Anastas. dist.* 19. arguitur Anastasius Papa, quod sine cōsilio cleri communicauerit cum hæreticis.

13 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Panormit. *in cap. 1. num. 4. de cleric. non resident.* Felin. *num.* 2. Dec. *ibidem, quæst.* 3. Suar. *lib. 4. de leg. cap.* 3. *num.* 14. Salas *disp. 8. de leg. sect.* 3. *num.* 23.

14 Dicendum est. *Pontificem posse condere leges sine consi-*

consilio Cardinalium. Desumitur ex cap. *Duo sunt Dist.* 96. & cap. *Significasti.* De elect. & c. *Cuncta per mundum* 9. *quæst.* 3. Probatur. Potestas Pontificis est omnino independens à Cardinalibus, ergo potest Pontifex sine ipsis condere leges. Consequentia patet. Quia si non dependet, non debet necessario requirere consensum eorum. Tum quia est eadem cum potestate Petri, quæ fuit independens ab omni alio. Nam Christus soli Petro dixit, Matth. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Ioann. 21. *Pasce oues meas.* Tum quia potestas Pontificia est antiquior cardinalatu.

15 Ad primum: Negatur secunda pars antecedentis. Quia vt habetur ex cap. *Bonæ* 2. *De postul. prælat.* non valet consuetudo contra supremam potestatem Papæ, cum non valeat contra ius Diuinum. Ad secundum. Cardinales iure Leuitico assistere Pontifici exemplariter; non præceptiuè, quia exemplo Leuitarum sunt assumpti ab ipso, vt coadiutores. Ad tertium. Illud caput esse Apocrit. vt habetur in Decret. Gregor. Quicquid tamen sit, non loquitur de potestate legislatiua, sed de communicatione cum hæreticis; quæ vt scandalosa, fuisset digna reprehensione, quia Pontifex non communicasset clero suum consilium, vt tolleret scandalum.

An Apostoli habuerint potestatem legislatiuam immediate à Christo.

SECTIO IV.

16 Dico primò. *Habuisse immediate à Christo.* Ita Caietanus *de potest. Papæ cap.* 3. Victor. *relect.* 2. *de potestat. Ecclesi. quæst.* 2. & communiter cõtra Turrecrem *lib.* 2. *summ. cap.* 14. & Iacobat *libr.* 10. *de Concil. art.* 7. Probatur Ioann. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* ergo quia Christus non erat instituturus Ecclesiam per totum orbem, misit Apostolos, qui nomine ipsius instituerent. Vnde etiam 2. Ad Corinth. 15. *Pro Christo legatione fungimur,* ergo vt legati Christi instituebant Ecclesiam.

17 Dico secundò. *Potestas Apostolorum fuit inferior potestate Petri.* Ita Suarez 4. *de leg.* & communiter, & Desumitur ex D. August. *tract.* 3. *in Ioann. & lib.* 1. *de Doctrina Christiana cap.* 17. Cyprian. *lib. de vnit. Ecclesiæ.* Probatur. Hæc potestas fuit data Petro vt capiti, & ipsi specialiter fuit dictum. *Pasce oues meas,* & tanquam fundamento, cui inniteretur Ecclesia Matthæi 26. *Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Et fuit potestas ordinaria; Apostolis vero fuit data vt ouibus, nam tanquam oues Christi erant pascendi à Petro, & fuit delegata.

18 Dico tertiò. *Potestas Apostolorum fuit subordinata Petro.* Ita Suar. 4. *de leg.* & communiter contra Bellarmin. *lib.* 4. *de Pontifice cap.* 24. ver. *At contra.* Probatur. Petrus vt Vicarius est caput Ecclesiæ, ergo Apostoli habuerunt potestatem cum subordinatione ad ipsum. Consequentia probatur. Tum quia caput Ecclesiæ etiam tunc fuit vnum, & ideo non poterant ad esse plures potestates non subordinatæ; alioquin tot fuissent capita, quot potestates independentes, nam ratio capitis constituitur per potestatem. Tum quia solus Petrus fuit petra, supra quam fuit fundata Ecclesia, & ideo omnis potestas Ecclesiastica debet in ipso fundari, quod fieri non potest nisi ipsi subordinetur.

19 Obijcitur. Delegatus summi Pontificis potest esse in omnibus subditus Episcopo, præterquam in potestate delegata, ergo licet Apostoli fuerint subditi Petro, non tamen quoad potestatem ipsis delegatam. Respondetur negando consequentiam. Quia fuit ipsis delegata potestas cum tali subordinatione, ita exigente vnitate capitis Ecclesiæ.

An detur aliqua potestas Ecclesiastica immediatè in toto cætu Ecclesiæ.

SECTIO V.

20 Affirmant Hæretici, præsertim Illiric. *Centur.* 1. *lib.* 2. & ex Catholicis Almain. *de potest. Eccles.* Abul. *quæst.* 148. *in cap.* 18. *Matth.* Panormitan. *in caput significasti.* De elect.

21 Dicendum est. Nullam potestatem Ecclesiasticam esse in toto cætu Ecclesiæ immediate. Ita Vict. *de potestat. Eccles. quæst.* 2. Et est de fide ex Tridentino, *sess.* 23. *cap.* 4. Et desumitur ex 1. Ad Corynth. c. 11. Probatur. Potestas ista non est naturalis, nec debita, nec sicut ciuilis, sed est supernaturalis, ergo non est tribuenda, nisi ijs, quibus constat fuisse communicatam; nõ constat autem fuisse communicatã, nisi Petro vt capiti Ecclesiæ, & pastori.

22 Obijcitur. Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus,* ergo Ecclesia habet potestatem. Respondetur negando consequentia. Quia nomine Ecclesiæ intelliguntur ministri Ecclesiæ.

23 Obijcitur secundò. Actor. 15. *Placuit nobis collectis in vnum mittere,* &c. ergo potestas est in congregatione Ecclesiæ. Resp. neg. conseq. Nam illa congregatio fuit Apostolorum simul cum Petro; & ideo ratione ipsorum adfuit potestas.

An concilia habeant potestatem legislatiuam.

SECTIO VI.

24 Certum est. Habere talem potestatem, quando interuenit summus Pontifex, vt notant cõmuniter Canonistæ in c. *Oseis.* De elect. & infra citandi, quia tũc interuenit caput, in quo talis potestas est. Rursus etiã certum est, quod, quando Pontifex neque per se, neq; per suos legatos præsidet, non habet concilium talem potestatem, quia non est legitimè congregatum, & ideo non repræsentat totam Ecclesiã. Difficultas autẽ est, quando legitimè congregatur, absque præsentia Pontificis, an habeat talem potestatem independenter ab eius assensu, & confirmatione; Nam certum est, quod interueniente assensu, aut confirmatione leges Concilij obligant totam Ecclesiam. Omissis autem hæreticis inter Catholicos.

25 Prima sententia asserit, Concilium posse condere leges obligantes totam Ecclesiam, & etiam ipsum Pontificem, quia Concilium est superius Papa, quatenus accepta potestate à Christo potest ipsum obligare. Ita Ioann. Gerson. *tract. de potestat. Eccles.* Cusan. *de concordia Can. lib.* 2. *cap. vltimo.* Panormit. *in capit. Signific.* De elect. Abulens. *quæst.* 108. *in capit.* 18. *Exodi.* Almain. *de potestate Eccl. c.* 10. Sot. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2.

26 Secunda sententia asserit, Concilium nedum non posse ferre leges, quæ obligent Pontificem, sed neq; etiam totam Ecclesiam independenter ab ipso Pontifice, ita Canonistæ, in c. *signific.* De elect. & in c. *si Papa dist.* 40. D. Thom. *opuscul.* 9. c. 4. Caietan. *opuscul.* 2. *de auctorit. Papæ part.* 1. Bellarm. *lib.* 2. *de Conc. cap.* 4. Salas *disp.* 8. *de legib. sect.* 14. & communiter.

27 Dico primò. *Concilium non potest ferre leges obligantes summum Pontificem.* Est definitum in Flor. & Later. *sub Leone X.* Prob. Pontifex est caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi habens plenitudinem potestatis c. *Ad hon.* De *vsu pallij,* & c. *Decr.* 2. *q.* 6. & c. *fin.* Causa 1. q. 3. ergo Concilium non potest ferre leges obligantes Pontificem. Consequentia probatur. Si posset ferre, haberet potestatem supra Pontificem, nam posset ipsum ligare suis legibus: vnde non esset caput Ecclesiæ, quia super caput non datur superior auctoritas, cum potestas capitis sit prima; nec esset Vicarius Christi, quia Vicarius in ea potestate, in qua est Vicarius, non subijcitur, nisi illi, cuius est Vicarius. Pontifex autem intra ordinem potestatis Ecclesiasticæ subijceretur Concilio, nec haberet plenitudinẽ

potestatis; quia plenitudo est tantum illius, qui in nullo recognoscit superiorem, & quia Concilium haberet aliquam potestatem, quam non haberet Pontifex.

28 Dico 2. *Concilium vniuersale secluso consensu Pontificis, aut approbatione ipsius non potest facere leges obligantes totam Ecclesiam*. Constat ex praxi, nam sēper Concilia petierunt confirmari à Pontificibus, quæ ab ipsis decreta erant. Probatur. Concilium repræsentat corpus Ecclesiæ, non autem potestatem Ecclesiasticam. Ergo nō potest ferre leges obligantes totam Ecclesiam. Antecedens probatur. Potestas Ecclesiastica supra totam Ecclesiam est concessa Pontifici vt Christi Vicario, Ioan. 21. *Pasce oues meas*, ergo vbi non concurrit Christi Vicarius, nec etiam concurrit potestas supra totam Ecclesiam. Confirmatur. Ecclesia est ædificata supra auctoritatem Pontificis tanquam supra fundamentum Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā*. Ergo potestas Concilij dependet à potestate Papæ tanquam à fundamento cui innititur, & tanquam à capite, à quo dirigatur. Ergo sine voluntate Papæ non potest facere leges obligantes totam Ecclesiam.

29 Dico 3. *Concilium legitimè congregatum tempore schismatis, vel quando Pontifex incidit in hæresim, habet facultatem deponendi Pontificem, aut declarandi verum Pontificem*. Ita Caietan. *Opusculo 1. de auctor. Papæ c. 16* Bellarm. 2. *de concil. c. vltim.* Victor. *Relect. vlti. de potestate eccles. p. 1. q. 2.* Salas *disp. 8. de leg. sect. 14.* Probat. Debet esse in Ecclesia potestas sufficiens ad regimen ipsius, & ad eiusdem conseruationem. Ergo debet posse tollere schisma, & deponere caput infectum hæresi, alioquin status Ecclesiæ perturbaretur, & ex hac perturbatione oriretur destructio, nec esset circa res fidei, & morum regula infallibilis. Antecedens probatur. Tum quia Ecclesia vt instituta à Christo, & rectè ordinata, non potest relinqui sine remedio in dictis casibus. Tū quia Christus assistit Ecclesiæ, Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi*. Ergo cum non assistat visibiliter debet assistere per alios; nō assisteret autē, si in his casibus non posset per suos rectores aliquid decernere. Tum quia portæ inferi prævalerēt aduersus Ecclesiā, si orto schismate non posset concilium statuere, quæ pertinent ad pacē.

30 Dico 4. *Hæc potestas conuenerit Concilio ex iure naturali diuino*. Ita alas *disp. 8. de leg. sect. 14.* Suar. *4. de leg. c. 6.* Martin. *p. 2. q. 90. ar. 3.* Probatur. Cuilibet communitati conuenit de iure naturæ expellere à se malum, cum hoc pertineat ad ius naturale defensionis. Ergo etiam Ecclesia habet hoc ius atque adeò potest tollere schisma, & sibi prouidere de capite. Rursus Episcopi secūdū institutionē diuinā sūt pastores propriæ Ecclesiæ, a qua debent arcere damna spiritualia iuxta illud Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos regere Ecclesiā Dei*. Ergo debēt arcere malum ex institutione diuina, quod oritur ex schismate.

31 Obiicitur Synodus VIII. affirmat se habere potestatem a Deo. Ergo. Respond. Id dicere, quia habebat potestatē delegatam a Pōtifice in ordine ad negotium Photii; hęc autē potestas erat a Deo, quia erat potestas Pōtificis.

32 Obiicitur secundò, Conc. Const. *sess. 15.* definit, quod Cōcilium vniuersale habet potestatem à Christo, cui etiā Pontifex tenetur obedire, & hoc Conciliū fuit cōfirmatū à Martino V. Respondetur. Concilium non loqui vniuersaliter, sed tantum de se ipso, quia videlicet vt congregatum occasione schismatis habebat facultatem decernendi circa Pontifices, qui tunc extabant, & declarādi, an aliquis esset verus Pontifex, an non; & reformandi omnia mēbra ex capite; vt nimirum decernendo circa caput, omnia mēbra possent subiici vni vero capiti. Deinde hoc Conciliū fuit confirmatum tantum quoad ea, quæ spectant ad fidē.

33 Obiicit. tertiò. Episcopi habent potestatē immediatè a Christo. Ergo cōciliū quoque in totam Ecclesiam. Respondetur, quicquid sit de antecedenti, negando consequ. Quia Episcopi sunt pastores propriæ Ecclesiæ, non autem sunt pastores etiam simul sumpti vniuersalis Ecclesiæ.

34 Ob. 4. Matth. 18. *Vbi fuerunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ego sum*. Quod de Concilio intelligitur. Ergo Concilia habent immediatè potestatem à Christo. Resp. Intelligi de concilio cum suo capite, ratione cuius adest potestas.

35 Ob. 5. Frustra congregarentur concilia, ergo: Resp. negando sequel. Quia inseruiunt pro maiori consultatione, & discussione negotiorum, & ad melius informandum Pontificem, & pro maiori consolatione fidelium.

An Concilia naturalia, prouincialia, & Synodalia habeant potestatem legislatiuam.

SECTIO VII.

36 Concilia nationalia sunt illa, in quibus omnes Episcopi alicuius nationis interueniunt cōgregati, vel à Patriarcha, vel à Primate. Prouincialia in quibus interueniunt Episcopi Prouinciæ congregati ab Archiepiscopo. Synodalia in quibus interuenit solus Episcopus cum paucis de clero.

37 Dicendū est. *Omnia hæc Concilia habere potestatē legislatiuā pro Ecclesiis nationū, vel prouinciæ, vel diæcesis*, ita communiter, & desumitur ex *c. cathol. dist. 11.* & ex *c. dij cernimus, dist. 19.* & ex Trid. *sess. 24. c. 2. de refor.* Prob. Patriarchæ, Primates, & Metropolitani sunt instituti à sede Apostolica in ordine ad talia Concilia. Ergo Concilia ab ipsis congregata habent potestatem legislatiuā, cum tali potestas sit necessaria ad finem, pro quo cōgregantur. Confirmatur. Episcopus potest per se ipsum condere leges pro sua diæcesi, *c. cum dilect. de consuetud.* Ergo etiam Concilium diæcesanum, in quo ipse præsidet.

38 Dicendum 2. *Huiusmodi Concilia non posse condere leges contrarias iuri communi*. ita communiter, & habetur ex *cap. Quod super his, de maiorit. & obed.* & *cap. fin. de offic. Archipresbyteri*. Probatur. Potestas legislatiua horum conciliorum est inferior potestate Pontificis. Ergo non potest ipsi contraire; contrairet autem, si faceret legem contrariam iuri communi.

39 Dicendum 3. *Talia Concilia non posse condere leges circa maiores, & grauiores causas*. Ita communiter, & desumitur ex *cap. præceptis dist. 12.* & *cap. multis.* & *c. Nec licuit, dist. 17.* Causæ autem maiores sunt illæ, quæ ex natura sua concernunt statum vniuersalis Ecclesiæ, aut sunt specialiter Pontifici reseruatæ, *c. maiores, de baptis.* & *c. cum dilect. de consuet.* Probatur. Talia Concilia non habent iurisdictionem in Ecclesia vniuersali, sed subordinatam Pontifici. Ergo non possunt aliquid statuere circa ea, quæ pertinent ad vniuersalem Ecclesiam, nec circa reseruata Pontifici.

40 Ob. Ex Cap. *Ad abolendum, de hæret.* Vbi excommunicantur omnes, qui hæretici iudicantur ab Ecclesia Romana, vel à Prouinciali, aut Diæcesano Concilio. Ergo ista Concilia possunt definire res fidei, quę spectant ad vniuersalem Ecclesiam. Resp. negando conseq. Quia excommunicantur, qui per sententiam iudicantur hæretici, quod non est declarare res fidei, sed iudicare personas, an inciderint in hęresim damnatam.

An Episcopi, & Archiepiscopi habeant potestatem legislatiuam.

SECTIO VIII.

41 Dicendum est. *Habere potestatem legislatiuā in ordine ad proprias Ecclesias tantū, & subordinatā Sūmo Pontifici*. Ita comm. Et desumitur ex c. *Quod super his. De maior. & obediētia*, & c. *final. De off. Presbyt.* & Clem. Ne Romā. *De elec.* & ex illo Act. 20. *Posuit eos spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiā Dei*. Prob. sunt Pastores suarū Ecclesiarū. Ergo possunt pro ipsis cōdere

dere leges in ijs, de quibus non disponit ius cōmune. Conseq. prob. Eo ipso quod sunt pastores, debent ducere oues ad salutem, & sic ostendere viam per leges necessarias.

42 Dicendum 2. *Non posse condere leges contrarias iuri communi*. Ita communiter, & desumitur ex ijsdem Text. Probatur. Ius commune est ius superioris. Ergo nō possunt condere leges contra ipsum, quia inferior non potest contra superiorem; & causa essentialiter subordinata non potest agere contra motum subordinantis.

43 Dicendum 3. *Non posse condere leges circa res maiores*. ita cōmuniter, & desumitur ex *c. 1. de translat. Episc.* & *c. 1. & 2. de Relig. & venerat. Sanctor.* Prob. Res maiores sunt cōmunes toti Ecclesię. Ergo ex natura sua spectant ad dispositionem capitis, cui vt membra subduntur Ecclesię; mēbra aũt, quatenus talia, debēt regulari à capite.

44 Ob. Quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi à Papa impediatur. Ergo poterit condere leges de rebus omnibus. Resp. antecedens esse verum seruata proportione, ita vt quidquid potest papa in tota Ecclesia quòad res communes, possit Episcopus quoad res particulares, vnde negatur consequentia.

45 Ob. 2. Qualibet communitas potest inducere consuetudinem, etiā sine voluntate principis. *c. 1. de constit. in 6.* ergo etiam quęlibet Ecclesia, & ipsius caput Episcopus poterit condere leges circa res quaslibet. Resp. Posse introducere consuetudinem circa ea, quæ sibi sunt propria; non circa ea, quæ pertinent ad principem, quia in his non præsumitur eius voluntas, *cap. final. de consuet.*

46 Quæres. An possint instituere leges sine consilio capituli. Resp. De iure communi non posse, sed debere requirere consiliū, licet non teneantur sequi, nisi in casibus à iure expressis, vt desumitur ex *c. Quanto.* & *c. Nouit. de his quæ fiunt à Prælatis.* vbi decernitur quod circa negotia Ecclesiæ debeant Episcopi requirere consiliū capituli.

An Cardinales habeant potestatem legislatiuam.

SECTIO IX.

47 Certum est. Non habere pro tota Ecclesia, cū talis potestas conueniat soli Pontifici. Rursus etiā certum est, quod possunt condere leges pro Ecclesiis sui tituli, vt communiter DD. *in rubr. de const.* Suar. 4. *de leg. c. 50. n. 4.* Salas *disp. 8. de leg. se. 8.* Quia in his Ecclesiis habent iurisdictionē quasi Episcopalem, *c. his, quæ de maiorit. & obed.* & *c. querelam de elect.* & Paulus IV. *in Bul. de Decano Card.* & ideò habent potestatem legislatiuam. Solum difficultas est. An tempore sedis vacantis possint omnes simul condere leges pro tota Ecclesia.

48 Dicendum est. Collegium Cardinalium non habere sede vacante potestatem legislatiuam, sed solùm posse decernere, quæ de præsenti necessaria sunt. Ita communiter, & est determinatum in Clement. *Ne Rom. de elect.* Prob. Collegium Cardinalium non habet potestatem legislatiuam sede vacante ex natura rei; nec ex concessione Pontificis. Ergo nullo modo. Antecedens patet. Quia potestas legislatiua Ecclesiastica est à Christo concessa soli Summo Pontifici, vt capiti; nec etiam est concessa ab ipso Pontifice, vt constat ex citat. Clem. *Ne Romani.*

49 Ob. Cardinales eligunt Summum Pontificem. Ergo etiam possent condere leges, quia sede vacante sunt loco Pontificis. Respondetur negando conseq. Quia non sunt loco Pontificis quòad iurisdictionem, sed solum quòad defensionem Ecclesiæ.

An legatus Pontificis habeat potestatem legislatiuam.

SECTIO X.

50 Legati sunt in triplici differentia. Alii sunt legati nati, qui sunt tales ex officio annexo dignitati, *c. 1. de offic. legati.* Alii sunt legati constituti, seu tēporarii, quibus ad tempus cōmittitur officiū legationis pro certa prouincia, aut regno *c. Placuit, 7. q. 1.* Alii sunt legati à latere, qui emanant à latere Pontificis, qui licet non sit necessarium, quod sint Cardinales, *c. per tuas, de maiorit. & obed.* vsus tamen obtinuit, vt non sint nisi Cardinales, *cap. Ad eminent. de sent. excom.*

51 Dico 1. *Omnes prædicti legati habent potestatem legislatiuam iuxta terminos suæ legationis*, ita Host. *in sum. Tit. de offic. legati.* Panormit. *in c. fin. de offic. legati*, vbi etiam cæteri Canonistæ Suar. 4. *de leg. c. 5. n. 4.* & cōmuniter, & determinatur ab Innocentio III. *in cap. fin. de offic. legati.* Probatur. Legatus est instar Principis habens regiam potestatem, vt const. ex *cap. fin. de offic. leg.* & *cap. cum venerab. de consuet.* Ergo habet etiam potestatem legislatiuam tanquam necessariam ad munus suum vtiliter exequendum.

52 Dico 2. *Legati habent potestatem legislatiuam ordinariam.* Ita cōmuniter, & desumitur ex toto Tit. *de offic. legat. c. legat. de offic. legat. in 6.* Prob. Hæc potestas est annexa muneri, & dignitati. Ergo est potestas ordinaria, cum sit pars potestatis conuenientis ratione muneris.

53 Dico 3. *Legati non possunt condere leges contra ius commune, neq; contra consuetudinem vniuersalem prouinciæ, neq; contra priuilegia cōcessa Prouinciæ à Papa, neq; circa ea, quæ sunt specialiter reseruata Pontifici.* Ita Butr. *in Clem. 3. de rescript.* Immola *ibid.* Dec. *Rubr. de constitut. num. 22.* Felin. *in cap. Quod super his, de maiorit. & obedien.* & communiter. Probatur. Legati habent iurisdictionem pendentem ex nutu Pontificis; nam ad nutum possunt amoueri ab officio. Ergo non possunt exercere iurisdictionem contra Pontificem siuè directè, siuè indirectè. Exercerent autem, si statuerent contra ea, quæ ab ipso statuta sunt, aut approbata, aut concessa, aut sibi ipsi reseruata.

54 Colligitur ex his. Etiam Nuntios Apostolicos posse condere leges pro sua prouincia; nam sunt legati vt not. Butr. *in c. ex parte, de verbor. significat.* Innoc. *in c. cum accessissent. de constit.* Salas *disp. 8. de leg. sec. 11. nu. 52.*

An, & quomodo apud Regulares sit potestas legislatiua.

SECTIO XI.

55 Supponendum est. Apud Religiosos non esse ex natura rei potestatem legislatiuam, quia non sūt communitas exempta, nā licet sint exempti à iurisdictione ordinariorum, sunt tamen subiecti Summo Pontifici. Ex concessione tamen Summi Pontificis Religiones approbatæ habent regulariter potestatem legislatiuam secūdum eam mensuram, secundum quam est concessa; & proinde non se extendit contra ius commune; & regulariter pertinet ad capitulum generale. Difficultas est, an se extēdat ad ea, quæ sunt supra, vel extra Regulam.

56 Prima sententia est affirmatiua, ita Glos. *in reg. quod omnes, de reg. iur. in 6.* Innocent. *in c. super eo, num. 30.* Panorm. *n. 6.* Cardin. *n. 2.* Butr. *n. 9.* Henric. *nu. 18. de reg.* & communiter veteres Canonistæ. Probatur. De facto est imposita lex Monialibus de perpetua clausura, quā prius ex regula non habebant, vt *in cap. vltim. de statu reg. in 6.* Ergo si potest Pontifex, potest etiam religio, cum habebant potestatem legislatiuam à Pontifice sine aliqua restrictione. 2. Religiosi transtulerunt suam voluntatem in superiorem. Ergo possunt obligari per leges non concernentes regulam.

57 Secunda sententia est negatiua, ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 186. art. 9.* D. Bonauent. *in 2. dist. 4. art. 3. quæst. 2.* Durand. *quæst. 4.* Sanch. *lib. 6. summ. cap. 2. numer. 18.* Vasquez 1. 2. *disp. 154. cap. 4.* & communiter Theologi.

58 Dico 1. *Non posse Religiosis imponi nouas leges, neq; etiam à Sūmo Pontifice quòad ea, quæ non continen-*

tur in regula, sed sunt supra, vel præter ipsam. Probatur. Potestas legislatiua in ordine ad religiosos est specialis, & fundatur in voluntaria subiectione ipsorum. Ergo solù potest obligare religiosos, in ijs, in quibus se subiecerunt. Sed se subiecerunt in ijs tantum, quæ continentur in regula, quia tota subiectio fundatur in voto obediētiæ, & hoc fit tantum secundùm regulam, & in ordine ad ea solùm, quæ continentur in ipsa, ergo.

59 Ad 1. negatur conseq. Nam clausura est imposita monialibus, vt pertinent indirectè ad regulam, nam est necessaria pro secunda castitate promissa, ita Glos. *c. vnic. de stat. regul. in 6.* Dominic. *num.* 11. Franc, *nu.* 5. & communiter. Ad 2. Religiosos transtulisse suam voluntatem in superiores, non absolutè; sed limitato modo, nempe secūdum mensuram regulæ; & ideò solùm secundùm regulam possunt obligari.

An capitulum Cathedralis Ecclesiæ habeat potestatem legislatiuam.

SECTIO XII.

60 SVpponendum est. Viuente Episcopo non habere capitulum potestatem legislatiuam pro Diæcesianis; quia tota potestas est in Episcopo, ex *cap. cum consuet. de consuetud.* potest tamen aliqua decernere circa ea, quæ pertinent ad capitulum, si sint ex minoribus, & non contradicat Episcopus, vt docet communiter, quia seorsim ab Episcopo est quoddam corpus ex *cap. vnico. Ne sede vacan. in 6.* & ideò potest habere proprium motiuum, quo se dirigat secundum propriam exigentiam. Difficultas autem est. An sede vacante habeat potestatem legislatiuam, cum ad ipsum deuoluatur regimen Ecclesiæ, *cap. cum olim. de maiorit. & obedien.* & decernit Tridēt, *sess. 24. cap. 16. de reformat,*

61 Prima sententia est affirmatiua, ita Panormit. *in cap. cum olim, num. 24. de maior. & obed,* Pauin. *de potest. cap. p. 1. quæ. 6.* Nauar. *lib. 1. concl. 7. de offic. iudic.* Murtin. *1. 2. quæst. 91. art. 3. dub. 2. concl. 16.* & alij. Probant. Capitulum sede vacante succedit in iurisdictione Episcopi. 2. Potest capitulum imponere generalia præcepta toti diœcesi. Ergo etiam leges, quia parum refert, quod ferantur per modum legis.

62 Secunda sententia est negatiua. Ita Glos. *in clem. 1. §. 1. de hær.* Felin. *in c. cum omnes, n. 10. de constit.* Malder. *1. 2. q. 95. ar. 1. du. 4.* & alii.

63 Dicendum est. *Capitulum sede vacante non habere potestatem legislatiuam.* Probatur. Non est asserenda potestas legislatiua in aliquo, quæ conueniat per communicationem, nisi constet fuisse communicatam. Non constat autem, fuisse communicatam capitulo sede vacante, ergo, minor probatur. Nam iura loquuntur solùm de administratione Ecclesiæ, vt constat ex *cap. si Episcopus de supplenda negligentia Prælatorum, in 6.* & Trid. *sess. 24. cap. 16. de reform.* Administratio autem non importat potestatem legislatiuam, sed tantum gubernatiuam. Cō. firmatur. Sede vacante nihil potest innouari, quod præsertim verum est, si leges tenderent in præiudicium Episcopi vt possunt tendere. Confirmatur 2. Capitulum sede vacante non habet plenam potestatem Episcopalem, *cap. 2. Ne sede vacan.* ergo non potest ferre leges, quia ferre leges est actus magis supremus quā potestas, & ideò *in cit. c. 4.* Pontifex arguit, capitulum non posse cōferre beneficia, cum talis potestas non sit in iure expressa; vnde cum neque sit potestas legislatiua expressa in iure, non est concedenda capitulo.

64 Ad 1. Respondetur. Capitulum succedere in iurisdictione Episcopi, quo ad administrationem Ecclesiæ: non autem quoad potestatem iurisdictionalem. Ad 2. negatur conseq. Quia præcepta expirant creato nouo Episcopo, leges autem sunt perpetuæ.

An potestas legislatiua Ecclesiastica dependeat ex fide, aut moribus legislatoris.

SECTIO XIII.

65 SVpponendum est tanquam certum. Prælatos inferiores Papa per hæresim externam, licet per accidens sit occulta, amittere vsum omnis iurisdictionis Ecclesiæ. Nam ipso facto incurrunt excommunicationem, qua impediūtur, ne possint exercere actum iurisdictionis. Difficultas autem est, an deperdatur per heresim potestas legislatiua, nam non dependere à moribus constat ex dictis de potestate ciuili,

66 Prima sententia asserit per hæresim statim amitti potestatem legislatiuam. Ita vt etiam Papa cesset esse Papa. Ita Turrecr. *lib. 4. summ. cap. 4.* Syluest. *verbo Papa, n. 4.* Aucon. *de potest. eccles. quæs. 5. ar. 5.* Castr. *li. 2. de hæret. punc. 2.* Probatur. De iure Diuino tenemur non communicare cum hæreticis. Ad Tit. 3. *Hæreticum hominē post primam, & secundam admonitionem deuita.* ergo nec illi obedire. 2. Fides est fundamētum specialis ædificij, & qui caret fide, non est membrum Ecclesiæ, ergo nec caput. 3. Ecclesia nullum haberet remedium contra Pontificem hæreticum, quia semper si remaneret Pontifex, posset impedire concilium, ergo.

67 Secunda sententia asserit. Hæreticum occultum non amittere potestatem legislatiuam; publicum verò amittere. Ita Valdens. *lib. 7. c. 2.* Canus, *li. 4. de locis Theol. c. 2.* Bellarm. *li. 2. de Pont. c. 30.* Valent. *tom. 3. disput. 1. qu. 1. punc. 7. §. 45. ad 6. Argumentum principale.*

68 Tertia sententia asserit. Potestatem legislatiuam non pendere à fide, vnde Pontifex hæreticus illam retinet, donec deponatur, ita Caiet. *Opusc. 1. de potest. Papæ, c. 18.* Victor. *Relect. 1. de potestate eccles. n. 6.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. ar. 20.* Richard. *dist. 18. art. 3. q. 1.* Salas *disp. 8. de leg. sect. 20.*

69 Dico 1. *Hæreticus purè mentalis non amittit potestatem legislatiuam: atque adeò potestas non dependet à fide interna.* Probatur. Fides interna non est fundamētū talis potestatis, sed tantùm character baptismalis. Ergo non deperditur ex amissione fidei. Antecedens probatur. Fides pertinet ad statum supernaturalem, vt fundamentū; & vnit cum capite vnione spirituali pertinente ad esse status supernaturalis; non autem vnione hierarchica, ita vt constituat ordinem militantis Ecclesiæ, cum hic habeatur per characterem baptismalem. Ergo non fides, sed character baptismalis est fundamentum huius potestatis, cum spectet ad ordinem hierarchicum Ecclesiasticum, & ad regimen eorum, qui sub eodem charactere vniuntur in vnum ordinem militantis Ecclesiæ.

70 Dico 2. *Hæreticus publicus, quantum est ex vi hæresis, non amittit potestatem legislatiuam, sed solùm ratione censurarum Ecclesiasticarum.* Probatur. Hæresis, licet publica, non est incompossibilis ex natura sua cum tali potestate, cum solum opponatur fidei, quę est in alio ordine, ergo. Confirmatur. Ius Canonicum iubet deponi hæreticum, qui cum non possit puniri, nisi probetur hæresis, intelligit etiam de publicis. Ergo supponitur, quod simul cum hæresi habeat potestatem legislatiuam.

71 Dico 3. *Summus Pontifex non cadit à Pontificatu per hæresim siuè occultam, siue publicam quousque deponatur, atque adeò retinet potestatē legislatiuā.* Probatur. Non potest cadere iure Ecclesiastico, cum ipsi non subsit vi coactiua; nec iure Diuino, cum non adsit tale ius: nec ex natura rei, quia iurisdictio non pandet à fide, vt constat ex dictis, ergo. Confirmatur. Si per hæresim amitteretur iurisdictio, non recuperaretur, nisi per nouam electionem; & non est necessaria noua electio, sed sufficit resipiscentia, *cap. maxim. 1. quæst. 7.* Confirmatur 2. Pontifex, licet per hæresim desinat esse membrum

brum Ecclesiæ, prout ecclesia est corpus spirituale, cuius cōpaginatio est fides, non tamē definit esse membrū, quatenus Ecclesia est corpus hierarchicum, quia in tali corpore habet rationem capitis ex vi electionis, & gradus acquisitus per electionē non amittitur ratione hæresis, ergo.

72 Ad 1. Negatur assumptum. Ad probationem. Illa verba Apostoli non continere nisi vis humanum, & proinde Ecclesia seruat, quod heretici denunciati vitentur. Ad 2. Fidem esse fundamentum spiritualis ædificij quoad statum supernaturalem; non autem quoad ordinem hierarchicum. Ad 3. negatur sequel. Nec Pontifex prohibere potest, quin congregetur Concilium, quia congregabitur iure naturalis defensionis, & hoc ius est naturale Diuinū. Quia corpus Ecclesiæ debet se defendere, cum quilibet habeat ius ad se conseruandum in eo statu, in quo est positus. Instabis Pontifex habet auctoritatem à Christo. Ergo si non caderet à Pontificatu, non posset deponi. Respondetur negando conseq. Quia sicut habet potestatem à Christo mediante electione, ita etiam Christus solum posita conditione depositionis illam aufert.

73 Obiicitur. Patres docent, Hereticos nihil habere potestatis, vt Cypr. *lib. 2. epist. 6.* Ambros. 1. *de pœnit. cap. 2.* August. *cap. 65. enchirid.* ergo. Respondetur loqui de Hereticis declaratis, atque per sententiam exclusis ab ordine Hierarchico Ecclesiæ.

An potestas legislatiua Ecclesiastica subordinet sibi ciuilem.

SECTIO XIV.

74 Dicendum est. *Potestatē legislatiuam Ecclesiasticā subordinare sibi Ciuilem.* ita communiter Catholici, & desumitur ex Clement. *Vnam sanctam, de maioritat. & obedien.* Gelas. Pap. *in cap. duo sunt dist. 96.* Innocen. 3. *cap. solitæ de maiorit. & obedient.* & communiter ex Patribus. Probatur Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo omnes christiani habentes iurisdictionem ciuilem subduntur potestati spirituali, quia omnes sunt oues Christi. Confirmatur. Ecclesia est vnum corpus 1. Ad Cor. 12. Ad Rom. 12. Ad Ephes. 3. & huius corporis caput est Christus, cuius vices in terris gerit summus Pontifex, qui est caput Ecclesiæ in terris, & omnes christiani sunt membra huius capitis. Ergo oēs subiecti sūt Christi vicario, quia omnes subiecti sunt capiti. Cōfirm. 2. Potestas legislatiua Ecclesiastica est in ordine ad finem supernaturalē. Ergo subiicit sibi potestatē ciuilem. Conseq. probatur. Tū quia finis potestatis ciuilis subiicitur fini supernaturali. Tū quia debet potestas Ecclesiastica curare, quod Principes rectè vtātur potestate ciuili, & eo modo, quo exigit finis supnaturalis.

75 Colligitur. Reges non habere potestatem condendi leges Ecclesiasticas in proprio regno. Quia soli Petro dictum est. *Tibi dabo claues regni cælorum, & Pasce oues meas.* Vnde 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. & Actor. 20. Non Reges, sed Episcopi positi sunt ad regendam Ecclesiam; vnde antequam fundaretur Ecclesia erant Reges, & tamen non habebant talem potestatem.

An potestas legislatiua Ecclesiastica sit delegabilis.

SECTIO XV.

76 Supponendum est. Potestatem legislatiuam Ecclesiasticam ex natura sua esse delegabilē, vt docent cōmuniter, & constat ex toto *Tit. de offic. deleg.* non potest tamē coueniēnter delegari, pro tota Ecclesia. Quia si delegaretur, non esset cū illa prærogatiua assistentiæ Diuinæ, quā habet in Pontifice in ordine ad regimen Ecclesiæ. Solùm difficultas est, an sit delegabilis fœminæ.

77 Prima sententia asserit, esse delegabilem de absoluta potestate. Ita Sal. *disp. 8. de leg. sect. 19.* Bonac. *disp. 1. de leg. quæst. 1. punc. 3. num. 35.* Palaus 1. *p. tract. 3. disput. 1. punc. 23.* & 1j, qui tenent, posse delegari fœminæ iurisdictionem ad ferendam censuram. Probatur. Potestas iurisdictionis non est potestas clauium. Ergo est communicabilis fœminæ, nam intantum non esset communicabilis, in quantum pertineret ad claues. 2. Fœmina, vt Abbatissa potest habere iurisdictionem spiritualem in ordine ad puniendos clericos inseruientes Ecclesiæ. Cap. *Dilecta de maiorit. & obed.* ergo etiam potestatem legislatiuam. Confirmatur Abbatissa habet iurisdictionem spiritualē. Cap. *Dilect. de excess. prælat.* Et cap. *cum dilicta de confirmat. vtil. vel inutil.* ergo.

78 Secunda sententia est negatiua, ita Victor. *Relect. 2. de potest. eccles. p. 2.* Sot. *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 2.* & alii, qui tenent, fœminas non esse capaces iurisdictionis spiritualis.

79 Dicendum est. *Potestas legislatiua Ecclesiastica nō est delegabilis fœminæ.* Desumitur ex cap. *est ordo. 33. quæst. 5.* Probatur. In Ecclesiæ institutione mulier est exclusa ab omni Ecclesiastico officio. Ergo non potest illi delegari potestas legislatiua. Antecedens desumitur ex illo 1. ad Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eas loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et hoc est de iure Diuino; nam subdit Apostolus. *Cognoscant quæ scribo, quoniam Domini sunt mandata.* & 1. ad Timot. 2. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione: Docere autē mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse sub silentio.* Conseq. probatur. Non potest Pontifex inuertere ordinem institutionis Ecclesiæ, cum sit talis ex ordinatione Christi, ergo.

80 Dices. Solùm sequi, quod non possit mulier docere, & exercere actus publicos iurisdictionis spiritualis ex officio, non autem ex delegatione. Contra. Si ex delegatione ferret leges, adhuc faceret actus prohibitos secundum institutionem Christi; nam loqueretur in Ecclesia, & doceret, quia lex est locutio, & doctrina dirigens circa agēda. 2. Secundum institutionem Christi mulier coarctatur, vt sit subdita, & non dominetur in virū; si autē ferret leges egrederetur terminos subiectionis, & dominaretē in virū.

81 Ad 1. distinguo antecedens. Potestas iurisdictionis non est potestas clauium; est tamen ipsis annexa; & ideò vbi non est capacitas clauium, nec est capacitas iurisdictionis, vt arguit Innocent. III. cap. *Nouam de pænit. & remiss.* Ad 2. Abbatissam esse capacem iurisdictionis administratiuæ; non autem dispositiuæ, quia non potest disponere iurisdictionali modo, sed tantum exequi, quæ secundum iurisdictionem sunt determinata, vt notat Glos. *in cit. tex* Ad confirmationem. Ex illis Textib. solum colligi, quod Abbatissæ tanquam procuratissæ administrēt ea, quæ sunt iurisdictionis: non autem, quod ipsæ habeant iurisdictionem: vt habetur ex cap. *dilect. de excess. Prælat.*

DE MATERIA LEGIS CIVILIS.

DISPVTATIO LI.

An lex ciuilis præcipiat actus omnium virtutum.

SECTIO I.

1 Supponendum est. Finem legis ciuilis esse rectū ordinem communitatis, atq; adeò illā pacē, & felicitatē quæ cōsurgit ex hoc ordine, vt docēt cōmuniter cū Arist. *1. ethic. c. 2. & 4.* Vnde ex natura sua potestas legislatiua ciuilis tendit in vltimum finem naturalem, quia finis immediatus ipsius subordinatur vltimo fini. Quia autem potestas

testas ciuilis subordinatur Ecclesiasticę, & illi inseruit, ideo ex ordinatione legislatoris extenditur etiam ad finem supernaturalem, vt docet August. 5. *de Ciuit. c.24.*

2 Dicendum est. *Legem humanam ciuilem non solum versari circa materiam iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum.* Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. q. 96. *artic.* 3. Caietanus Medina, Conrad. *ibidem* contra Sarmient. *De reditibus Eccles. part.* 4. *cap.* 5. Probatur. Lex ciuilis habet pro obiecto, & fine bonum communitatis, ergo potest præcipere de ijs omnibus, quæ sunt necessaria pro bono communitatis; sed aliqui actus omnium virtutum aut in vno, aut in alio sunt necessarij, ergo. Minor ita probatur. Bonum commune requirit rectum ordinem in humana societate, ergo requirit actus aliquos omnium virtutum. Conseq. probatur. Virtutes aut sunt ad alterum, aut ad se. Si primum; sunt necessariæ, vt seruetur debitus ordo cum alijs. Si secundum; sunt necessariæ, vt quisque quoad se ipsum ordinate se habeat.

3 Dico secundò. *Lex Ciuilis non potest præcipere omnes actus omnium virtutum, vnde non potest præcipere virginitatem, statum religionis, &c.* Probatur. Lex ciuilis non potest præcipere vltra exigentiam proprij finis, ergo non potest præcipere omnes actus omnium virtutum. Conseq. probatur. Ad seruandum rectum ordinem in communitate non sunt necessarij omnes actus omnium virtutum, cum neque sint necessarij respectu vltimi finis, ergo non possunt præcipi a lege ciuili.

4 Dico tertiò. *Lex ciuilis non potest prohibere omnia vitia.* Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 2. Probatur. Finis legis ciuilis est mensura potestatis legislatoris, ergo hæc potestas non potest prohibere omnia vitia. Consequentia probatur. Quia finis non exigit prohiberi, cum non omnia contrarientur bono communi.

5 Dices. Lex naturalis prohibet omnia vitia, ergo frustra ponitur prohibitio legis positiuæ. Respondetur negando Conseq. Tum quia prohibitio legis naturalis non est omnibus nota. Tum quia positiua tollit omnem excusationem, & imponit pœnam.

An lex ciuilis possit præcipere, aut prohibere ea solum, quæ lege naturali prohibentur, aut præcipiuntur.

SECTIO II.

6 Dicendum est. *Legem ciuilem posse præcipere, aut prohibere, quæ alias non præcipiuntur, aut prohibentur.* Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. contra Gers. *Lect.* 4. *de vita spirit.* [illegible] 62. Probatur. Lex ciuilis habet pro fine bonum communitatis, ergo potest præcipere quicquid est secundum eius exigentiam ipsius. Plura autem, quæ non sunt præcepta lege naturali, possunt esse necessaria pro bono communitatis, vt constat ex ijs, quæ præcipiuntur in legibus ciuilibus, ergo

7 Obijcitur. Lex humana debet deriuare à naturali, ergo non potest præcipere, nisi quæ præcipiuntur lege naturali. Respondetur negando conseq. Quia deriuatio non consistit in eo, quod eadem præcipiat, sed quod præcipiat, quæ conformia sunt dictamini naturali.

An lex ciuilis possit præcipere, aut prohibere actus indifferentes.

SECTIO III.

8 Dicendum est. *Posse præcipere, & prohibere.* Ita Suar. 3. *de leg. cap.* 12. Mart. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 3. *dub.* 5. Probatur. Lex ciuilis potest præcipere quicquid est necessarium pro bono communi, & prohibere quicquid illi nocet, ergo potest præcipere, & prohibere indifferentia, quia aliquando conducunt ad bonum commune, & aliquando nocent.

9 Dicendum secundò. *Non posse præcipere, aut prohibere indifferentia ex obiecto, quatenus manent in sua indifferentia, sed solum, quatenus ratione circumstantiarum fiant determinate bona, vel mala.* Probatur. Lex ciuilis in sua potestate mensuratur à fine, ita vt solum possit præcipere, quæ finis exigit, & prohibere, quæ ipsi contrariantur. Sed indifferentia, quatenus talia, nec exiguntur, nec contrariantur, ergo. Minor probatur. Quod exigitur est necessarium pro fine, ergo est bonum, quia sumit specificationem ab ipso. Rursus quod contrariatur, est impeditiuum finis, ergo est malum.

10 Obijcitur. Non potest lex ciuilis præcipere omnes actus omnium virtutum, ergo nec indifferentia, quia hæc habent minorem connexionem cum fine, quam habeant omnes actus omnium virtutum. Respondetur negando Conseq. quia aliqui actus virtutum non connectuntur cum fine legis, vt necessarii, sicuti aliquando connectuntur actus indifferentes.

11 Obijcitur secundò. Ideo indifferentia possent prohiberi, quia nocent bono communi. Sed hoc non sufficit, quia etiam aliqui actus boni possunt nocere, ergo. Respondetur negando Minor. Et Ad probationem. Etiam actus boni, quando noxii sunt communitati, possunt prohiberi.

An lex ciuilis possit præcipere, aut prohibere actus internos.

SECTIO IV.

12 Dicendum primò. *Non posse directè, & immediate præcipere, aut prohibere actus merè internos.* Ita Martin. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 3. *dub.* 5. Suarez 3. *de leg. cap.* 13. & communiter, & desumitur ex l. Cogitationis ff. de pœnis. Probatur. Lex est regula directiua in ordine ad bonum commune, ergo non potest habere pro materia immediata actus internos. Consequentia probatur. Non potest habere pro materia nisi ea, quę sunt capacia directionis, quam lex potest inducere. Nō potest autem inducere in actus internos, quia respicit solum ordinē politicum, atque adeo solum inducit directionem politicam quæ est publica contendens ad pacem, & societatem ciuilem, cuius solæ operationes externæ sunt capaces. Confirmatur. Quod non cadit sub cognitionem, non est capax directionis, quia directio non cadit in subiectum incognitum; actus autem interni sunt omnino incogniti legislatori ciuili, ergo.

13 Obijcitur: sequeretur, quod nec actus externus omnino occultus posset prohiberi, aut puniri, quia non cadit sub cognitionem. Respondetur. Non posse puniri per accidens, posse tamen per se, quia ex natura sua, vt externus, est manifestus, quod sufficit.

14 Obijcitur secundò. Lex aliquando punit, quia quis cogitauit aliquod scelus l. *Diuus ff.* Ad *leg. Com. de sicar.* & *l. siquis C.* Ad *leg. Iul. maiest.* ergo lex ciuilis potest prohibere actus internos. Respondetur. Punire cogitationem, quando transiuit aliquo pacto in actum externum, quamuis non fuerit consummata; non autem, quando est mera cogitatio interna, & ita intelliguntur citatæ leges.

15 Dicendum secundò. *Lex ciuilis potest indirectè præcipere, vel prohibere actus internos, præcipiendo, aut prohibendo actum externum, qui trahat secum internum.* Probatur. Actus externus est materia legis ciuilis, quatenus conducit ad debitum ordinem humanæ societatis, ergo actus internus correspondens est materia indirecta. Conseq. probatur. Actus externus conducens ad humanam societatem est actus humano modo exercitus, ergo dependens ab interno. Confirmatur: Concesso vno intelliguntur concessa ea omnia, sine quibus ad illud perueniri non potest *l.* 1. *ff. De iurisdictione omnium iudic.* & *l. Ad legatum ff. De procurat.* ergo etiam imperato vno, aut

aut prohibito, censentur imperata, aut prohibita omnia, sine quibus ad ipsum perueniri non potest, talis autem est actus internus respectu externi.

16 Dices. Prohibito aliquo actu, qui de se non sit malus, si quis ita sibi complaceat, quod ipsum esset operaturus, nisi timeret pœnam, complacentia est mala, saltem quando lex ciuilis obligat in conscientia, ergo talis lex directè prohibet actum internum, quia non solum prohibet actum efficere, sed etiam simplicem complacentiam. Respondetur negando consequentia. Quia talis complacentia non est mala, quia sit contra legem ciuilem; sed quia est contra legem naturalem. Lex enim ciuilis solum immutat materiam faciendo malum, quod de se non est tale; facta autem mutatione subintrat lex naturalis prohibens omnem actum internum prosequutionis circa ipsam.

An lex ciuilis versetur circa actus præteritos.

SECTIO V.

17 Supponendũ est. Leges omnes versari circa actus futuros cap. 1. *& fin.* De *Constit.* Quia cum lex sit regula, supponit operationes faciendas, vt possint directionem recipere. Vnde Difficultas est de actibus præteritis, nam præsentes sunt materia legis, cum ab ipsa actu dirigantur.

18 Supponendum secundò. Certum esse, aliquos effectus legis posse extendi ad actus præteritos, vt punitio irritatio, &c. Nam actus præteritus potest per legem puniri, aut etiam in pœnam irritari, &c. econtra verò non potest lex extendere effectum directionis ad actum præteritum, quia vt iam factus non est capax directionis.

19 Dico primò. *Lex constituens nouum ius non habet pro materia actus præteritos, sed tantum futuros.* Ita cõmuniter cum Glos. *in cap.* 1. De *Cler. non resid. in 6. & in Clement.* 1. verbo *Deputatis*. De *testam.* Probatur. Lex constituens nouum ius est obligatiua, ergo non potest habere pro materia nisi actus futuros. Antecedens patet. Quia constituere nouum ius est imponere nouam obligationem. Conseq. probatur. Actus præteritus non potest non fuisse, nec potest habere aliam mensuram ab ea, cum qua est factus, ergo obligatio in ordine ad agenda est tantum circa futura, quatenus prohiberi, vel imperari possunt.

20 Dico secundò. *Lex declaratoria extenditur etiam ad præterita.* Ita Abbas, Dec. Felin. & alij *in cap. final.* De constit. Bartol. & alij *in l. leges. C.* De *legib.* Probatur. Lex declaratoria non inducit nouum ius, sed tantum declarat, quid in antiquo sit statutum l. *Asse toto* §. *Quid ff.* De *testam.* & Clem. 1. *De iurepatron.* ergo habet pro materia etiam actus præteritos. Consequentia probatur. Habet eamdem materiam, quam habet lex declarata: Hec autem habet pro materia actus præteritos, quia respectu illius erant futuri.

21 Dices. Si lex declaratiua extenderetur ad preterita, quæ iam continebantur sub lege declarata, non posset limitari, ne ad præterita traheretur; sed hoc est falsum, ergo. Respondetur negando sequellam. Quia tunc apponitur particula limitatiua, quando lex declarata accipiebatur in alio sensu, & proinde cum lex declarans determinet sensum, in quo debeat accipi, quoad hoc respicit futurum; vel quando præter declarationem aliquid constituit: quando verò fit pura declaratio, quia respicit purum sensum legis, secundum quem ex sua natura obligat, non potest non trahi ad præterita.

DE MATERIA LEGIS Canonicæ.

DISPVTATIO LII.

An materia legis canonicæ sit eadem cum materia legis ciuilis.

SECTIO I.

1 Supponendum est. Legem Canonicam conuenire cum ciuili in hoc, quod non possit præcipere omnes actus omnium virtutum, quia fundatur in potestate humana, quæ potest exerceri solum secundum humanam capacitatem, & secundum exigentiam finis humani. Finis autem non exigit omnes actus omnium virtutum.

2 Supponendum secundò. In eo conuenire etiam, quod non prohibet omnia vitia, quia non cogit, vt ab iis abstineamus, sed relinquit in suo statu tanquam prohibita lege naturali, & Diuina. Differt tamen, quod lex ciuilis permittit aliqua mala vetans puniri. Lex verò Canonica non vetat puniri, sed negatiue se habet nihil decernens.

3 Supponendum tertiò. In eo etiam conuenire cum lege Ciuili, quod potest præcipere, & prohibere, quæ lege naturali, aut Diuina non præcipiuntur, aut prohibentur, quia possunt esse necessaria pro fine, quem intendit.

4 Supponendum quartò. Legem Canonicam habere finem diuersum à Ciuili: nam hæc respicit bonum temporale communitatis: illa verò spirituale, atque adeo regulat communitatem iuxta exigentiam finis supernaturalis, & in ordine ad salutem animæ.

5 Supponendum quintò. Materiam legis esse duplicem, proximam, & remotam. Proxima sunt ipsæ operationes, quæ cadunt sub determinatione legis. Remota verò sunt res, seu personæ, circa quas versantur operationes. Materia remota potest esse eadem respectu vtriusque legis, cum possit vtraque de iisdem rebus, & personis disponere, immo etiam de iisdem operationibus materialiter sumptis. Difficultas autem est de materia proxima.

6 Dicendum est. *Materiam proximam legis canonicæ esse diuersam saltem secundum determinationem à materia legis ciuilis.* Ita communiter in *cap. Ecclesia.* De *constit. & in l. Omnes populi. ff.* De *iust. & iure.* Et desumitur ex cap. *Solitæ.* De *maior. & obedient.* Et cap. *Si Imperator.* [illegible] Probatur. Habent fines diuersos, ergo etiam materiam proximam saltem secundum determinationem. Consequentia probatur. Materia legis est mediũ ad assequendum finem, quia respicit finem practico modo, ergo materia legis Canonicæ stat saltem sub diuersa determinatione, quia media stant sub determinatione finis.

7 Objicitur: leges Ciuiles versantur aliquando circa eãdem materiam, vt vsuram, matrimonium, iuramenta, &c. ergo. Respondetur versari circa eandem materiam, sed in ordine ad finem diuersum, atque adeò sub diuersa determinatione; quia Ciuilis disponit iuxta exigentiam finis temporalis; Canonica iuxta exigentiam spiritualis.

8 Objicitur secundò. Leges Ciuiles valent etiam apud Ecclesiam, ergo non habent materiam diuersam. Respondetur: valere non ex vi potestatis ciuilis, sed quia Ecclesia disponit esse seruandas, quatenus conducunt ad proprium finem, quod fit vel generaliter, quatenus disponit, quid deficiente iure Canonico subintret ciuile, vel quia in speciali acceptat aliquam legem ciuilem, & tunc requiritur spe-

ſpecialis approbatio Pontificis. Et in hoc caſu lex ciuilis fit canonica, & acquirit diuerſam materiam ſecundum determinationem.

9 Obijcitur tertiò. Iuſtinianus Imperator ſanciuit plures leges circa res, & perſonas Eccleſiaſticas, ergo Ciuilis non habet diuerſam materiam. Reſpondetur non eſſe veras leges, quatenus reſpiciunt Eccleſiam, cum excedant poteſtatem legiſlatiuam cap. *Litteras*. De *iuram. Calum.* Et *l. priuilegia*. Cod. *De Sacroſanct. Eccl.* vnde fuerunt factæ illæ leges ad obligandos miniſtros Imperiales in ordine ad ea, quæ ſeruanda erant pro Eccleſia.

An lex Canonica verſetur immediatè circa actus internos.

SECTIO II.

10 PRima ſententia eſt affirmatiua. Ita Gloſ. *in cap. Porro*. Et *in c. cum quis*. De *ſentent. excommunicat.* Adrianus *quodlib.* 8. *art.* 1. Panormit. *in cap.* 2. De *offic. ordin.* Bald. *in l. Si quis num.* 1. *&* 9. Cod. *De Epiſcop.* Tiraquel. *in l. Si vnquam num.* 340. C. *de reuocand. donat.* & alij.

11 Secunda ſententia aſſerit, non poſſe legem Canonicam verſari immediatè, & directè circa actus internos. Sed tantum indirectè. Ita D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 96. *artic.* 3. Durand. *in* 4. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 8. *num.* 7. Caietan. *de poteſtate Papæ cap.* 19. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 3. Bannes *art.* 4. *dub.* 2. Palud. *quæſt.* 2. *art.* 2. Gabriel *quæſt.* 2. *dub.* 5. Salas *diſp.* 9. *de leg. ſect.* 1. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 160. & alij communiter.

12 Dicendum eſt. *Legem Canonicam non poſſe per ſe directè, & immediatè verſari circa actus internos, ſed tantum indirectè ratione externorum, quatenus ab ipſis trahuntur.* Deſumitur ex cap. *Cogita*. De *Pœnit. diſtinction.* 1. & cap. *Erubeſcant. Diſt.* 32. & cap. *Tua nos*, & cap. *Sicut tuis*. De *Simonia*. Probatur. Eccleſia non poteſt ferre leges circa ea, de quibus non poteſt iudicare. Sed non poteſt per ſe directè iudicare de actibus internis, ergo. Minor patet. Quia iudicium ſupponit cognitionem. Actus autem interni ſecundum ſe ſunt omnino extra ſphæram humanæ cognitionis, & ſolum cognoſci poſſunt ratione externorum. Minor probatur. Quando fertur lex actus, qui præcipitur, aut prohibetur, fit ſub poteſtate legiſlatoris, nam acquirit ius ad ipſum exigendum, quando præcipitur, & quando prohibetur, ad ipſum puniendum, ergo eo ipſo quod fert legem, debet poſſe iudicare de actibus, quos ſub lege comprehendit.

13 Reſpondet Suar. Non eſſe neceſſe, quod poſſit iudicare de eo, de quo poteſt ferre legem; nam non poteſt iudicare de actu occultiſſimo, & tamen poteſt de ipſo ferre legem. Contra actus occultiſſimus poteſt de ſe eſſe obiectum iudicij, & per accidens eſt, quod non ſit, nam de ſe eſt in materia externa, atque adeò intra ſphæram cognoſcibilitatis humanę; actus verò interni ſunt per ſe extra ſphæram humanæ cognoſcibilitatis.

14 Dico ſecundò. *Nec Deum potuiſſe hominibus tribuere facultatem legiſlatiuam, quæ directè ſe extenderet ad actus internos.* Eſt contra Suar. 4. *de leg. capit.* 12. *num.* 7. Salas *diſp.* 9. *de leg. ſect.* 1. *num.* 1. & alios recentiores. Probatur. Actus interni ſunt ex natura ſua occulti, & ſecreti, & ſub dominio operantis priuatiuè quoad alios homines: ita vt implicet eſſe ſcrutatorem cordis, & actus omnino liberos, & [illegible], & dominio [illegible] creaturę, ergo ex natura ſua non ſunt capaces, vt ſint ſubiecti poteſtati legiſlatiuæ creatæ, [illegible] materiam intra ſphæram proprij dominij, & propriæ cognitionis.

15 Obijcitur. Eccleſia aliquando prohibet, & præcipit ſolos actus internos, vt in [illegible] cap. 1. De *hæret.* pręcipitur Inquiſitoribus, [illegible], &c. exequantur proprium munus, & cap. *Dolentes*. De *celebrat. miſſarum*, præcipitur recitatio Diuini officij cum attentione, & cap. *Si quis per ſuperbiam diſt.* 30. & alibi paſſim prohibentur actus interni, nempe hæreſis, præſumptionis, &c. ergo. Reſpondetur. Actus internos præcipi, aut prohiberi non ſecundum ſe; Sed quatenus redundant in externos, ratione quorum præcipiuntur, aut prohibentur, vnde præcipitur attentio in recitatione officij, quatenus eſt neceſſaria pro actu externo orationis: prohibetur præſumptio, &c. quatenus aliquid cauſat in actu externo.

16 Inſtabis. Pęna non infligitur, niſi præſumentibus, ita vt ſi fiat, quod prohibetur ex ignorantia, aut bona fide, non habeat locum pœna, ergo pœna eſt impoſita pro actu interno. Reſpondetur negando conſeq. Quia pœna eſt impoſita pro actu externo, quatenus procedit ex interna præſumptione.

17 Obijcitur ſecundò. Eccleſia præcipit confeſſionem internorum peccatorum, ergo actus internos. Reſpondetur negando antecedens. Quia præceptum confeſſionis eſt diuinum, & Eccleſia ſolum determinat tempus, in quo eſt implendum.

18 Obijcitur tertiò. Confeſſarius poteſt imponere pœnitenti orationem mentalem, vel alium actum internum pro ſatisfactione, ergo lex poteſt præcipere actus internos. Reſpondetur negando Conſeq. Quia in Confeſſione cauſa ſpectat ad forum conſcientiæ, & ideò poteſt imponi ſatisfactio per actus internos, quia Confeſſarius iudicat vt miniſter Dei, & nomine ipſius; & ideò exercet illud iudicium, quod exercendum eſſet à Deo. Lex autem pertinet ad forum externum, & ideo non poteſt ſe extendere ad ea, quæ ſunt fori conſcientiæ. Sic etiam reſeruatio peccatorum pertinet ad poteſtatem fori interni, non autem ad poteſtatem legiſlatiuam; nec habet pro obiecto actus internos; ſed tantum iuriſdictionem alteri communicandam in ordine ad forum internum.

19 Obijcitur quartò. Chriſtus vt homo eſt caput Angelorum, & animarum ſeparatarum, ergo poteſt ipſis pręcipere, & prohibere actus internos, ergo potuit communicare eamdem poteſtatem puro homini. Reſpondetur negando Conſequentiam. Quia Chriſtus fuit legiſlator nomine Dei, & fuit conſtitutus iudex quoad actus internos, quæ prærogatiua non poteſt conuenire puro homini. Vnde quando Petro fuit dictum. *Quodcunque ligaueris, &c.* intelligitur de poteſtate quoad actus externos, & de poteſtate iudiciaria in foro conſcientiæ quoad actus internos.

An lex Canonica ſe extendat ad actum internum coniunctum cum externo ex ſola voluntate operantis.

SECTIO III.

20 CVm ſe extendat indirectè ad actus internos. Difficultas eſt, an ſe extendat ad eos, qui non requiruntur per ſe ad actum externum; ſed tantum coniunguntur cum ipſo ex voluntate operantis, qualis eſt intentio, cum qua fit operatio.

21 Prima ſententia eſt affirmatiua. Ita Caietan. *verbo* Excommunicatio *cap.* 3. Sot. *libr.* 10. *de Iuſt. & iure, quæſt.* 5. *artic.* 2. *concluſ.* 7. Nauar. *capit.* 13. *De hor. canonic. num.* [illegible]. Salas *diſput.* 9. *de leg. ſect.* 1. *numer.* 18. Martin. 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 3. *dub.* 5. Lorca *diſput.* 16. *de leg. num.* 2. & alij. Probant. Pontifex poteſt præcipere ſacerdoti, non ſolum vt offerat ſacrificium. Sed etiam vt applicet ſecundum ſuam intentionem, & tamen hæc applicatio eſt accidentalis ſacrificio, ergo. Secundò. *Cap.* 7. 8. *&* 17. *Diſt.* 30. Excommunicantur qui ex contemptu, aut ex interna ſuperſtitione ieiunia Eccleſiaſtica non ſeruauerint, ergo

22 Secunda ſententia eſt negatiua. Ita Caſtr. *libr.* 1. *de iuſta hæretic. punitione capitul.* 18. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 160. *num.* 14. Malder. *diſput.* 96. *art.* 6. *dub.* 2. Suarez 4. *de leg.*

de leg. cap. 13. num. 14. Marat. tom. 1. summ. disp. 11. de legib. sect. 3.

23 Dicendum est. *Legem Canonicam non posse versari circa actus internos, qui contingenter ex voluntate operantis coniunguntur cum externis.* Probatur Tales actus sunt adhuc intra sphæram secretorum cordis, ergo sub solo dominio operantis, ergo non sub iurisdictione humana, cum hæc non se extendat ad secreta cordium; nec possit ea regere tanquam incognita.

24 Ad primum negatur secunda pars antecedentis. Quia licet applicatio sit accidentalis sacrificio præcise accepto, non tamen sacrificio pro tali persona; Nam tunc requirit per se applicationem: vnde cum sacrificium vt opus externum possit præcipi pro tali persona, potest etiam indirectè præcipi applicatio. Ad secundum. Illas excommunicationes inferri in contemptum extrinsecus manifestatum aliquo signo.

An potestas legislatiua se extendat ad actus internos coniunctos per se cum solo esse morale.

SECTIO IV.

25 PRima sententia est negatiua. Ita Durand. *in 4. distinct.* 15. *quæst.* 12. Palud. *quæst.* 5. *art.* 3. Castr. *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punit. capit.* 18. Vasquez 1. 2. *disp.* 160. *num.* 32. Coninch. de sacram. *quæst.* 83. *artic.* 6. *num.* 29. Marat. *tom.* 1. *summ. disput.* 11. *de legib. sect.* 3. ver. *Pertrahit me.* Probatur. Lex non potest versari, nisi circa ea, de quibus potest ferri sententia. Sed de his actibus non potest ferri, cum nullo modo manifestentur per externos, ergo. Secundò. Ideò lex non potest versari circa actus internos accidentaliter coniunctos cum externis, quia non fiunt sensibiles per ipsos, sed neque actus per se coniuncti, quando pertinent ad solum esse morale, fiunt sensibiles. ergo

26 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. In fine Aragon. *ibidem.* Sylu. *Concl.* 4. Malder. *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 7. Suar. 4. *de legibus cap.* 17. *num.* 6. Salas *disput.* 9. *de leg. section.* 1. *numer.* 24. & alij.

27 Dico primò. *Potestas legislatiua Canonica, & etiam ciuilis se extendit indirectè ad actus internos necessarios pro validitate actus externi.* Probatur. Potestas legislatiua habet ius præcipiendi actus externos cum sua validitate, ergo etiam actus internos necessarios pro tali validitate. Consequentia probatur. Nam si habet ius ad validitatem, habet etiam ius ad causam validitatis. Antecedens probatur. Habet ius ad actus externos, prout inseruiunt fini intento à lege, & sunt necessarij pro ipso; tales autem actus non inseruiunt fini, nisi quatenus validi sunt vnde collatio sacramenti non inseruiret, nisi sacramentum esset validum.

28 Dico secundò. *Potestas legislatiua non se extendit per se primò, & ratione sui ad hos actus internos; sed tantum ratione legis siue naturalis, siue Diuinæ, quatenus hæ leges obligant ad actum internum pro validitate externa*, vnde quando lex humana prohibet, vel præcipit actum externum, subintrat obligatio Diuina, vel naturalis pro actu interno. Probatur. Tales actus ex sua natura requirunt actum internum ad suam intrinsecam validitatē, ergo quando præcipiuntur à lege humana subintrat ex natura rei lex naturalis, aut Diuina obligans ad actum internum necessarium pro validitate. Conseq. probatur. Quia lex humana præcipit hos actus, quales sunt ex sui natura.

29 Dico tertiò. *Lex humana non se extendit ad actus internos necessarios pro moralitate externorum, quando moralitas non pertinet ad validitatem.* Probatur. Lex humana non potest amplius se extendere, quam exigat finis, ergo non potest se extendere ad hos actus internos. Consequentia probatur. Finis legis solum requirit actum validum in sua specie, ergo non potest se extendere ad actum internum, quia non trahitur in consequentiam ex vi substantiæ, & validitatis actus externi.

30 Dices, Lex Canonica est in ordine ad finem supernaturalem, ergo requirit actum pro moralitate vi tuosa, vt possit inseruire tali fini. Respondetur. Esse in ordine ad finem supernaturalem proximum, non autem remotum, quia hic est finis operantis; proximus autem finis est ordo fidelium intra corpus ecclesiæ secundum institutionem Diuinam; vnde sufficit, si actus sint tales secundum substantiam, nec requiritur moralitas ex fine remoto. Sic sufficit si eleemosina sit in subleuationem miseriæ, vt habeatur finis legis; nec requirit, quod ordinetur ad finem vltimum supernaturalem. Instabis. Posito, quod Ecclesia præcipiat tales actus, subintrat obligatio legis naturalis, aut Diuinæ, vt fiant debito modo, ergo. Respondetur. Subintrare non ex vi substantiæ actus, sed ex vi propria, quatenus lex naturalis, & Diuina obligat ad fugiendum omne malum, & ad bene operandum.

31 Ad primum. Respondetur. Legem humanam non posse versari circa ea, de quibus potest iudicare, quantum est ex vi sua; posse tamen versari cum subsidio alterius legis, quando ex vi exigentiæ proprij finis trahit ipsum ad complendam vim obligatiuam, quod tunc contingit, quando actus, quo indiget, dependet etiam ab obligatione alterius legis. Ad secundum. Non posse versari circa actus internos accidentaliter coniunctos cum externis, quando non exigit subsidium alterius legis, atque adeo in virtute propria præcisè sumpta: posse tamen versari in virtute alterius legis, quia tunc non requiritur, quod sint sensibiles per actus externos.

DE FORMA LEGIS HVMANAE.

DISPVTATIO LIII.

Quaenam sit forma legis humanæ.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Legem humanam participare cōditiones legis in communi proportionali modo in ordine ad proprium finē; & ex his conditionibus resultat forma intrinseca, per quam constituatur in statu proximo obligandi, & manifestatur vis intrinseca obligatiua legis.

2 Dico primò. *Pro forma legis extrinseca requiritur signum expressiuum præcepti, qualia sunt verba*, præcipio, iubeo, *& alia huiusmodi.* Ita communiter cum Glos. *in Clement. Pastoralis*, verbo *De more. De sententia, & re iudic.* Et desumitur ex clement. *Exiuit.* De *verborum significat.* Probatur. Lex est essentialiter imperium superioris respectu subditi, ergo debet per modum imperij subsistere in signo extrinseco, per quod transeat ad subditos. Consequentia probatur. Si non subsisteret in tali signo per modum imperij, non transmitteretur ad subditos secundum suam propriam rationem, ergo non haberet vim obligandi, quia non applicaretur tanquam imperium, & secundum vim obligatiuam.

3 Dico secundò. *Signum sensibile, quo exprimitur lex, potest se habere vel in actu quasi signato, vt sunt verba, de quibus dictum est; vel in actu quasi exercito, quo efficaci modo intimetur, quid sit faciendum, vel non faciendum*, vt sunt verba soluat. Intersit. Non præsumat. Non aggrediatur. Desumitur ex Tridentino, *sess.* 13. *cap.* 17. vbi imponens præcepta sacerdoti, qui vrgente necessitate celebrat cum conscientia peccati mortalis, ait *Quamprimum confiteatur.* Probatur. Hæc verba sunt monitiua, vel prohibitiua, & important efficaciam in ordine ad exequu-

exequutionem, ergo quando sunt verba legislatoris, habent vim applicandi virtutem constrictiuam legis, atque adeò obligandi.

4 Colligitur ex dictis. Verba imperatiui modi ex sui natura non importare præceptum, atque adeò nec inducere obligationem, vt habetur ex clement. *Exiuit* §. *Item quia verlic.* *Nos itaque De verb. signif.* Quia non magis important imperium, quàm exhortationem, & animationem ad aliquid faciendum, aut etiam consilium.

An sententia habeat rationem legis.

SECTIO II.

5 Difficultas procedit non de quacunque sententia, sed solùm de sententia illius, qui habet potestatem legislatiuam. Est autem certum apud omnes, sententiam declaratiuam habere rationem legis, quando declarat ipsum ius, vt habetur ex *l. vltima. Cod. de leg.* & ex cap. *Inter alia. De sent. excommunicat.* Nam tunc interpretatio fit auctoritatiuè, atque adeò est actus potestatis legislatiuæ. Et ideo solum remanet difficultas de sententia non declaratiua.

6 Dico primò. *Sententia Principis potentis condere leges, si sit lata ab ipso cum cognitione causæ, & circa ea, de quibus potest ferre leges, habet rationem legis vniuersalis.* Ita Ias. *l. 1. num. 1. ff.* De *constit.* Felin. *in Rubr. De rescript.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 1. num. 4.* & communiter, & habetur *ex l. vltima C. De leg. & l. 1. ff. de constit. Princip.* Probatur. Sententia Principis constituit debitum ordinem inter partes iuxta exigentiam boni communis, ergo ex sui natura est regulatiua communitatis, ergo habet rationem legis.

7 Obijcitur ex *l. 2. C. de legat.* vbi habetur, quod ea, quæ statuuntur ex relatione iudicantium, non sunt iura generalia. Respondetur cum Glosa. Intelligi de ijs, quę statuuntur habita ratione peculiarium circumstantiarum; atque adeò quæ ex natura sua respiciunt casus speciales, & continent rationem generalem.

8 Dico secundò. *Non solum sententia Definitiua, sed etiam interlocutoria habet rationem legis, quando cōcurrunt conditiones prædictæ.* Ita communiter, & habetur ex *l. 1. ff. de constit. Princ.* Est autem definitiua sententia illa, per quam principalis quæstio determinatur. Interlocutoria vero est illa, quæ fertur super ijs, quę emergunt inter principium, & finem causæ. Probatur. Non minus est ordinatiua communitatis sententia interlocutoria, quam definitiua, ergo habet vim legis. Antecedens patet. Quia interlocutoria decernit debitum ordinem in punctis minus principalibus causę.

9 Dico tertiò. Vt sententia habeat vim legis, requiritur, quod sit lata ex voluntate stabiliendi certum ius, atque adeo quod promulgetur tanquam communis regula seruanda. Ita Sanchez *lib. 2. summ. cap. 29. n. 14.* Salas *disp. 14. de leg. sect. 8. num. 49.* & alij contra Vasquez 1, 2. *disput. 157. num. 46.* Probatur. Lex est actus potestatis legislatiuæ respiciens ordinem communitatis, ergo sententia non potest habere rationem legis, nisi proueniat à tali potestate, non prouenit autem, nisi ordinetur ad ordinandam communitatem, atque adeò nisi interueniat voluntas legislatoris stabiliendi certum ius.

An rescripta, & epistolæ Principum habeant rationem legis.

SECTIO III.

10 Dicendum est. *Rescripta, & Epistolas Principum, licet in casu particulari, & habere rationem legis.* Ita communiter. Et desumitur ex cap. 1. *Distinct. 19.* Et ex cap. *Sancta Romana distinct. 15.* & ex *l. 3. ff. de Constitut. Princip.* Probatur. Huiusmodi responsa licet ad casus particulares sint ordinatiua communitatis, & vt talia emanant à Principe, ergo habent rationem legis. Antecedens patet. Quia licet sint pro casu particulari, continent tamen rationem vniuersalem, & proinde se extendunt ad extensionem rationis, atque adeò vniuersaliter.

11 Dico secundò. *Vt habeant rationem legis, debent prouenire ex voluntate Principis tanquam regula communis, atque adeo debent esse promulgata.* Ita Decius *in rubr. De rescript. num. 7.* Suar. *3. de leg. cap. 15. num. 2.* & alij. Probatur. Vt habeant rationem legis, debent participare conditiones ipsius, ergo debent prouenire vt regula publica à voluntate Principis.

12 Dico tertiò. *Epistolas decreta es Pontificum habere rationem legis, etiamsi non sint insertæ in corpore iuris.* Ita expresse statuitur à Nicolao 1. *cap. 1. distinct. 19.* Sunt autem epistolę Decretales illę, quibus Pontifices respondebant ad diuersas instantias circa ea, quæ seruanda, vel vitanda erant. Probatur. Huiusmodi Epistolę scribebantur, vt essent regula eorum, quę concernunt communitatem, ergo, etiamsi non sint insertę in corpore iuris, habent vim legis, quia continent actus potestatis legislatiuæ, & vt communis regula proueniebant à Pontificibus.

13 Dices. Non sunt promulgatæ, ergo non habent rationem legis. Respondetur negando antecedens. Nam sunt publicè expositę, & constat ex ipsis mentem esse Pontificum, quod seruentur.

14 Obijcitur. A rescripto Principis appellatur capitul. *Signific. De Rescript.* à lege autem non appellatur *l. 1. ff. A quibus appellari non licet*, ergo Rescriptum non habet rationem legis. Respondetur appellari à Rescripto, non quatenus rescriptum est, sed quatenus fundatur in falsa informatione, vt habetur ex *leg. 1. ff. de appellat.*

An dicta Sanctorum Patrum in serta in decreto Gratiani habeant rationem legis.

SECTIO IV.

15 Prima sententia est affirmatiua. Ita Archid. *in capitul. de his distinct. 21.* Præpos. *quæstion. 5.* Turrecrem. *numer. 14.* Panormitan. *in capitul. 2. num. 9.* De *rescription.* & alij Probant. Decretum Gratiani fuit approbatum ab Eugenio III. Et ex longa consuetudine affertur in iudicijs ad decisionem causarum, ergo habet rationem legis.

16 Secunda sententia est negatiua. Ita Ioann. Andr. *In cap. ex parte. De rescript.* Maior *in 4. distinct. 27. quæst. vltima.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 2.* Suar. *4. de legib. cap. 5. num. 6.* & alij.

17 Dicendum est. *Dicta Sanctorum Patrum inserta in Decreto Gratiani non habere vim legis.* Desumitur ex cap. *De libellis distinct. 20.* Probatur. Leges condere est actus iurisdictionalis potestatis; hęc autem potestas in ordine ad totam Ecclesiam non fuit in Sanctis Patribus; nec in Gratiano. ergo

18 Ad Fundamentum in oppositum respondetur. Non constare de tali approbatione, & si adesset, non tribueret vim legis, nisi hoc expresse statueret; sed solum faceret, quod possent adhiberi vt directiua. Ex consuetudine autem adhibentur non tanquam leges obligatiuæ, sed solum tanquam quædam directiones.

DE

DE PROMVLGATIONE LEGIS.

DISPVTATIO LIV.

Quæ promulgatio sit necessaria ex natura rei.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Necessariam esse sufficientem promulgationem, vt lex obliget. Non est tamen necesse vt singulis intimetur, vt habetur ex cap. 1. *De postul. prælat.* alioquin nulla lex posset obligare, cum sit impossibile moraliter, quod singulis intimetur, sed sufficit, quod promulgetur communitati.

2 Supponendum secundò. Non sufficere, quod lex sit solemniter edita, sed insuper requiri promulgationem, vt docent communiter 1.2. *quæst.* 90. *art.* 4. cum D. Th. contra Castrens. *in l.* 1. *ff. de actione emptionis.* Angel. *ibidem*, & nonnullos alios. Et desumitur ex capit. *In istis Dist.* 4. & ex *l. Leges sacratissimæ. C.* De legib. Quia cum sit regula pro tota communitate, debet ipsi promulgari, cum non possit causa producere suum effectum, nisi applicetur subiecto.

3 Supponendum tertiò. Certum esse, quod quando lex fertur pro vna tantum ciuitate, aut prouincia, sufficit, quod in illa ciuitate, aut prouincia promulgetur, vt docent communiter cum Panormit. *cap.* 1. *num.* 7. De *constit.* Ioan. Andr. *In proem. Clement.* Quia talis promulgatio sufficit, vt facile lex perueniat ad omnium notitiam. Difficultas ergo est, quæ promulgatio sit necessaria, quando lex imponitur pluribus prouincijs, aut regnis.

4 Prima sententia asserit, Non sufficere, quod lex promulgetur in curia Principis, sed debere promulgari etiam in alijs locis. Ita Caiet. 1.2. *quæst.* 90. *art.* 4. Conradus. Medina *ibidem*. Sot. 1. *De iust. & iure quæst.* 1. *artic.* 4. Decius *in capitul. Cognoscentes num.* 44. De *Constitut.* Butr. Panormit. Imola, & alij *ibidem*. Probant. Lex non est sufficienter promulgata, nisi possit moraliter peruenire ad notitiam omnium, non potest autem peruenire, si in sola curia promulgetur. ergo

5 Secunda sententia asserit sufficere promulgationem in curia. Ita Martinez 1.2. *quæst.* 90. *art.* 3. Malder. *dub.* 3. Lorca *disp.* 18. *de leg.* Suarez 3. *de leg. cap.* 16. Vasquez 1. 2. *disp.* 156. *cap.* 2. & alij.

6 Dicendum est. *Ex natura rei sufficere promulgationem in curia Principis.* Probatur. Ex natura rei sufficit promulgatio, per quam lex proponatur communitati, sed eo ipso, quod promulgatur in curia, proponitur, ergo. Minor probatur. Per talem promulgationem lex venit in notitiam publicam immunitatis, & potest moraliter deduci ad omnium notitiam, quia curia communicat cum omnibus partibus regni tanquam caput cum membris, ergo

7 Ad Fundamentum in oppositum negatur minor, nam quæ fiunt in curia, facilè possunt innotescere omnibus subditis.

An quando plura regna non faciunt vnam communitatem sufficiat promulgatio in curia.

SECTIO II.

8 PRima sententia asserit, debere publicari in pluribus regnis, non ex natura rei, sed ex consuetudine. Ita vt sufficiat promulgari in curia, si Princeps ita velit. Ita Salas *disp.* 12. *de leg. sect.* 2. & alij. Probatur. Nullo iure Princeps astringitur ad faciendas plures promulgationes, ergo potest velle, quod vna sufficiat.

9 Secunda sententia asserit, debere promulgari in omnibus regnis. Ita Sot. *lib.* 1. *de iust. & iure quæst.* 1. *art.* 4. §. *Ad hoc primum.* Medina 1.2. *quæst.* 90. *artic.* 4. Lorca *disp.* 18. *de legib.* & alij.

10 Dicendum est. *Ex natura rei requiri, quod lex promulgetur in singulis regnis.* Probatur. Non potest Princeps velle, quod lex obliget, nisi promulgetur communitati, pro qua ponitur. Sed per id, quod promulgatur in curia, non promulgatur cæteris regnis, ergo: minor probatur. Ciuitas curiæ, non est pars aliorum regnorum, ergo per id, quod lex promulgatur in curia, non promulgatur cæteris regnis, quia in tantum censeretur promulgari toti communitati, in quantum promulgaretur in aliquo loco ipsius.

11 Dices. Per id, quod promulgatur in curia, potest peruenire ad notitiam omnium regnorum, ergo. Respondetur. Posse peruenire per diuulgationem, sicuti peruenit ad notitiam etiam non subditorum; non autem ex vi promulgationis, quæ fiat auctoritate publica, & intimet legem seruandam.

12 Ad Fundamentum in oppositum respondetur. Principem non attingi iure positiuo ad promulgandam legem in singulis regnis, sed ex natura rei, quia non potest velle impossibile, nempe quod causa producat effectum in subiecto, cui non applicatur.

Quomodo debeant promulgari leges Ciuiles.

SECTIO III.

13 SVpponẽdum est. Quod si leges sint supremi Principis, qui non recognoscat superiorem, sufficere si promulgentur promulgatione, quæ sufficiat ex natura rei. Quia cum non obligetur legibus, potest vti illa promulgatione, quæ sufficiat ex natura rei; atque adeò sufficit si promulgentur in sola curia, vel in ciuitatibus capitalibus, si habeant plura regna, vnde difficultas procedit de iure communi.

14 Dicendum est. *Leges ciuiles de iure communi Imperiali esse publicandas in omnibus ciuitatibus capitalibus prouinciæ.* Ita communiter cum Glosa *in Authent. vt fact. nou. Const.* contra Vasquez 1. 2. *disput.* 156. *cap.* 3. qui vult, sufficere de iure communi, si promulgentur in curia Principis. Probatur. Quia ita decernitur in dicta Authentica, *vt factæ nouæ const. cap.* 1.

15 Respondet Vasquez. Imperatorem loqui solum de legibus testamentarijs. Contra. Licet loquatur de legibus testamentarijs, Rubrica tamen loquitur de omnibus legibus, vt notat Glos. & DD. *ibidem*. Et ita communis sensus Doctorum interpretatur dictam Authenticam, ergo est extendenda ad omnes leges, quia lex extenditur iuxta generalitatem rubricæ, & communem sensum Doctorum.

Quomodo debeant promulgari leges Pontificiæ.

SECTIO IV.

16 PRima sententia asserit, non sufficere, quod promulgentur in curia Romana. Ita Panormit. *in c. cognoscentes num.* 9. *De constitut.* Felin. *num.* 7. Decius *num.* 44. Zabarel. *num.* 14. Imol. Butr. Bero. *ibidem.* Medina 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. *dubio vltimo.* Molin. *tract.* 2. *de iustitia, & iure disput.* 395. *num.* 4. & alij. Probant. Quando ius Canonicum aliquid non decernit, standum est iuri communi ex capitul. 1. De noui oper. nuncia, ergo cum ius Canonicum nihil decernat, debet lex Canonica promulgari sicut promulgatur ciuilis. Secundo Pius IV. *in Bulla de tempor. quo Trident. cæpit. obligat.* mouetur ex iure Ciuili ad concedendum certum tempus, antequam incl-

inciperet obligare ergo etiam quoad promulgationem lex Canonica conformatur ciuili. Tertiò. Ecclesia est amplissima diffusa per totum orbem, ergo est moraliter impossibile, quod lex Romę promulgata innotescat omnibus. Quartò Innoc. III. Cap. *Cum infirm. De pæn. & remission.* vult legem latam circa medicos non obligare, quamdiù fuerit promulgata per Prælatos locorum, ergo

17 Secunda sententia asserit sufficere promulgationem in curia Romana, ita Monarch. *in capit. Generaliter*. De *regul. iuris in 6.* Bald. *consil.* 10. Sylu. *verbo.* Lex *quæst.* 6. Salas *disp.* 12. *de leg. sect.* 2. Lorca 1. 2. *disput.* 18. *de legibus.* Malder *quæst.* 90. *articul.* 4. *dub.* 3. Martin. *dub.* 2. *conclus.* 2.

18 Dico primò. *Quando Pontifex explicat, quod lex non obliget, quamdiu fuerit promulgata in singulis prouincijs, aut diœcesibus, tunc vt obliget, requiritur talis promulgatio.* Probatur. Modus talis promulgationis non est determinatus ex natura rei, ergo cum dependet à voluntate Principis, lex nō sortitur suum effectum, nisi promulgatio fiat eo modo, quo Princeps decernit.

19 Dico secundò. *Quando Pontifex explicat, se velle, quod promulgatio in curia sufficiat, non est necessaria alia promulgatio, vt lex obliget.* Probatur. Talis promulgatio sufficit ex natura rei, cum per ipsam lex intimetur toti Ecclesiæ, quæ repræsentatur in ciuitate primaria, ergo quando Pontifex vult illa vti, lex sortitur suum effectum.

20 Dico tertiò. *Quando Pontifex nihil explicat, sed tantum promulgat legem in curia, adhuc ista promulgatio sufficit.* Desumitur ex Bulla: *Confirmat Concil. Tridentin.* vbi Pontifex confirmans Concilium, cum talis confirmatio fuisset Romę promulgata, supponit talem promulgationem sufficere. Probatur. De facto leges Pontificiæ latæ pro toto orbe solum Romæ promulgantur, & hoc solo modo plures decretales, Clementinæ, & alię constitutiones, quæ continentur in Bullario, & in Bulla Cænæ promulgatæ sunt, ergo adest consuetudo habens vim legis, quod talis promulgatio sufficiat, nam Pontifex vult, tales leges obligare omnes. Confirmatur. Talis promulgatio sufficit ex natura rei, ergo quando sola adhibetur, parit effectum, quem potest parere ex sui natura, quia Pontifex illam assumit, vt sit efficax.

21 Ad primum. Distinguitur antecedens. Standum est iuri Ciuili, quando Canonicum nihil decernit in his, de quibus ius ciuile potest disponere; non autem in ijs, de quibus non potest, vt est promulgatio legis Canonicæ. Ad secundum negatur consequentia. Nam non constat, quod Pontifices velint sequi ius ciuile quoad promulgationem legis; immo constat de opposita voluntate, vt patet ex dictis.

22 Ad tertium. Negatur conseq. Nam omnes Catholici habent commercium cum Romana curia, & recurrunt ad summum Pontificem, quando oportet. Ad quartum. Negatur consequentia. Quia ex causa speciali decernit Pontifex, quod illa lex promulgetur in singulis diœcesibus, quia nimirum prohibet ab ingressu Ecclesiæ Medicos transgressores, vt non possent prętendere ignorantiam.

Quomodo debeat promulgari lex irritatoria, & inhabilitans.

SECTIO V.

23 SVpponendum est. Quod licet lex irritatoria, & inhabilitans non pendeat ex cognitione subditi, sed habeat suum effectum non obstante ignorantia, non tamen potest sortiri effectum, nisi promulgetur, quia sine promulgatione non est applicata ad irritandum, & inhabilitandum: causa autem non applicata non producit suum effectum.

24 Supponendum secundò. De iure Ciuili communi nō sufficere, quod lex irritans promulgetur in curia, sed debet promulgari in singulis Prouincijs ex Authentica *vt fact. nou. Const.* Difficultas remanet de legibus Principum, qui non recognoscunt superiorem, & de Pontificijs, de quibus, cum nihil sit determinatum de iure positiuo, videndum est, quid ex natura rei requiratur.

25 Prima sententia asserit, debere promulgari in singulis locis. Ita Medina 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. Præposit. *dub.* 7. Molina *de iust. & iur. tract.* 2. *disp.* 395. Salas *disp.* 12. *de leg. sect.* 2. *num.* 11. & alij. Probatur. Si promulgaretur in sola curia, sequerentur plura incommoda, vt si irritaret matrimonium intra quintum gradum; nam tunc mulier esset separanda cum præiudicio notabili.

26 Secunda sententia asserit, sufficere promulgationem in curia. Ita Panormit. *in cap. Cognosc.* De *Const.* Felin. *ibidem num.* 7. Nauar. *consilio* 1. *numer.* 11. De *Constit.* Vasquez 1. 2. *disput.* 156. *numer.* 23. Lorca *disp.* 18. *de leg.* & alij.

27 Dico primò. *Promulgatio in sola curia sufficit pro lege irritanda, & inhabilitanda, quantum est ex natura rei.* Probatur. Promulgatio non est necessaria, vt lex omnibus innotescat, sed vt publico modo intimetur, ergo etiam pro lege irritanda sufficit promulgatio in curia: neque enim debet magis innotescere ex vi promulgationis, quam sufficiat, vt sit intimata communitati; vnde in aliquibus legibus ponitur particula ex nunc, ita vt de præsenti incipiat actus esse irritus.

28 Dico secundò. *Quando lex irritans respicit actum, ad quem subditi habent ius, & sit talis conditionis, vt si irrito modo fiat, damnificentur, debet promulgari in singulis locis*, vt decreuit Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* de leg. irritante matrimonium. Probatur. Lex debet esse vtilis communitati, ita vt si præualeat damnum, non sit vera lex. Sed in casu prædicto, si lex publicaretur tantum in curia, plus damni sequeretur, quam vtilitatis, ergo. Minor probatur. Quia vbi non esset promulgatio, fierent plures actus irriti cum damno notabili.

Ad Fundamentum in oppositum constat ex secunda Conclusione.

An lex reuocatoria alterius legis indigeat promulgatione.

SECTIO VI.

29 PRima sententia est negatiua, ita Medina 1. 2. *qu.* 90. *art.* 4. Martin. *dub.* 7. Præposit. *disp.* 1. *dub.* 7. Duual. *tract. de leg. quæst.* 5. *art.* 5. Suar. 6. *de leg. cap.* 27. Probant. Lex dependet in obligando à voluntate Principis, ergo cessante voluntate cessat etiam obligatio legis absque promulgatione. Secundò. Cessante iustitia legis, cessat etiam ipsa lex sine aliqua promulgatione, ergo etiam cessante voluntate Principis.

30 Secunda sententia est affirmatiua, ita Vasquez 1. 2. *disput.* 156. *capitul.* 4. Salas *disput.* 12. *de leg. section.* 8. Maratius *tom.* 1. *summ. disput.* 12. *de legibus section.* 3. & alij.

31 Dicendum est. *Esse necessariam promulgationem, sicut etiam in alijs legibus.* Probatur. Lex est Regula publica communitatis, ergo non potest cessare, nisi reuocatio publicè intimetur. Consequentia probatur. Ad tollendum effectum requiritur causa eiusdem ordinis, quia causa inferior non potest in superiorem effectum; vnde inferior non potest tollere legem superioris, ergo ad tollendam legem, cum sit effectus publicus, requiritur causa publica.

32 Ad primum. Distinguitur antecedens. Lex dependet à voluntate Principis publica, & promulgata; non autem priuata, & ideo potest tolli solum per voluntatem publicam. Ad secundum negatur consequentia. Quia cessante iustitia legis, de se innotescit, & cessat cessantia ipsius,

At

At cessante voluntate Principis non innotescit, nisi promulgetur, & non est illa voluntas, à qua obligatio legis dependet.

DE ACCEPTATIONE LEGIS.

DISPVTATIO LV.

An lex ciuilis dependeat ab acceptatione populi.

SECTIO I.

1 PRima sententia asserit, non obligare antequam acceptetur à populo; Ita Glos. *in cap.* 1. De *Tregua & pace* Felin. *num.* 12. & alij *ibidem.* Domini *in capit. In istis distinct.* 4. Archidiac. Præpos. Turrecrem. *ibidem.* Couaruu. 2. *Variarum capitul.* 163. *num.* 6. & alij plures. Probant. Princeps habet potestatem condendi leges à populo, ergo intelligitur concessa, quod leges non obligent, nisi acceptentur à populo. Secundò. Communitas potest per contrariam consuetudinem abrogare legem, ergo etiam impedire non acceptando quod non sortiatur effectum obligandi.

2 Secunda sententia est negatiua. Ita Zabar. *In Proem. Clement. quæst.* 2. Hostiens. *in cap.* 1. *De Tregua, & pace.* Butr. Imol. & alij ibidem. Medina 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 1. Malder *quæst.* 90. *dub.* 2. Lorca, *disp.* 20. *de leg.* Vasq. *disput.* 156. *num.* 36. Mærat. *tom.* 1. *sum. disp.* 12. *de leg. sect.* 5. & alij.

3 Dico primò. *Princeps independenter à subditis potest imponere leges, atque adeo non dependet ab acceptatione populi.* Probatur. Potestas legislatiua ex natura sua est ordinatiua communitatis secundum exigentiam boni communis, ergo subditi tenentur acceptare legem iustam & legitimè positam. Consequentia probatur. Tum quia tenentur cooperari bono communi, & rectè viuere, quod fieri nequit, nisi in ordine ciuili ordinatè se habeant. Tum quia potestas legislatiua subijcit sibi populos in ordine ad exigentiam boni communis. Confirmatur. Omnes populi subijciuntur legislatori suo. Ad Rom. 11. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ergo non habent voluntatem contra legem iustam positam à legislatore. Consequentia probatur. Vbi adest subiectio, ibi voluntas non dominatur, sed subijcitur dominanti, ergo cū lex sit actus potestatis dominatiuę, substernit sibi voluntatem subditorum, ergo voluntas subditorum non potest resistere, & si resistit, Dei ordinationi resistit.

4 Dico secundò. *Leges dependent à populo, quoad experimentum iustitiæ, vtilitatis, & aliarum conditionum, quæ necessariæ sunt pro lege, ita vt non sortiantur effectum, nisi censeantur communi iudicio habere debitas cōditiones.* Desumitur ex Aristotele 2. *Polit. cap.* 6. Et ex Cap. *In istis* §. *leges dist.* 4. Et ex *l. De quibus ff.* De legibus, ibi. *Ipsæ leges nulla alia de causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ sunt.* Probatur. Lex, si non habeat necessarias conditiones, non obligat, ergo si communitas iudicat carere his conditionibus, potest non acceptare tanquam non expedientem communi bono, ergo dependent in approbatione à iudicio populi. Conseq. prob. Communitas in tantum tenetur acceptare legem, in quantum debet cooperari bono communi, ergo si iudicat non conducere bono communi, potest non acceptare. Cōfirmatur. Legislator vult per legem obligare subditos, in quantum potest, ergo si lex non iudicatur expediens pro bono communi, censetur legislator obligare nolle, quia non potest per potentiam legislatiuam obligare, nisi quantum expedit communitati.

15 Ad primum negatur consequentia. Nam si potestas legislatiua esset concessa a populo sub illa conditione, non esset reuera concessa; sed tantum commissum munus inueniendi leges, quia solum haberent vim obligandi à voluntate populi. Ad secundum, legem posse abrogari per consuetudinem rationabilem; secus autem si non sit rationabilis, & ideo lex non dependet ab acceptatione, si habeat conditiones necessarias, sed solùm ab approbatione quoad suam rationabilitatem.

An lex canonica dependeat ab acceptatione populi.

SECTIO II.

6 PRima sententia est affirmatiua. Ita Glos. *in capit. Vir.* De *Secundis nuptijs* Maior. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. Felin. *in cap.* 1. *num.* 12. De *Treg. & pace*, vbi cæteri. Abbas *in cap. final. num.* 13. De *Consuet.* Azor. 1. *part. lib.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 1. Præposit. 1. 2. *quæst.* 95. *disp.* 1. *dub.* 9. & alij. Probant. Præsumitur voluntas Prælatorum benigna, quod lex non obliget, nisi acceptetur, ergo. Secundò. Populus præscripsit, ne possit legibus obligari, nisi eas acceptet. ergo

7 Secunda sententia est negatiua. Ita Felin. *in capitul. si quando.* De *rescript.* Ioann. Medina de restit. *quæst.* 36. *ad* 5. Cordub. *lib.* 4. *quæst.* 7. Lorca 1. 2. *quæst.* 20. *de leg.* Malder. *quæst.* 95. *art.* 3. *dub.* 2. Vigers. *quæst.* 96. *art.* 4. *dub.* 6. Suar. 4. *de leg. cap.* 16. & alij.

8 Dico primò. *Leges Pontificiæ obligant independenter ab acceptatione populi.* Probatur. Lex Pontificia, si dependeret ab acceptatione populi, non posset Pontifex exercere potestatem legislatiuam, nisi dependenter à voluntate populorum; sed hoc est falsum, ergo. Minor probatur, Nam sequeretur, quod populus participaret in potestate legislatiua cum Pontifice, quod est falsum, quia Christus soli Petro dixit Ioann. 21. *Pasce oues meas.* Cōfirmatur. Pontifex est supremum caput Ecclesiæ, & solus habet supremam potestatem, ergo leges ipsius obligant independenter ab acceptatione. Consequentia probatur. Si non obligarent, nisi consentiente populo, potestas Pontificis non esset exempta a voluntate populorum, sed esset ipsi alligata sicuti quidam Reges alligantur voluntati senatus, aut parlamenti, ergo non esset suprema & absoluta.

9 Dico secundò. *Etiam leges Ecclesiasticæ Prælatorum inferiorum obligant independenter ab acceptatione populi seclusa tamen præscriptione in oppositum.* Quia cū potestas inferiorum Prælatorum sit de iure humano, potest contra ipsam præscribi, vt communiter cum Glos. in capitul. *Cum omnium* De cler. *Coniugat.* Probatur. Potestas Prælatorum inferiorum est participatio potestatis Pontificiæ in ordine ad finem supernaturalem subijciens sibi populos, ergo est eadem ratio proportionaliter de ipsa, ac de Pontificia.

10 Dico tertiò. *Lex Ecclesiastica dependet in approbatione à iudicio populi.* Desumitur ex dictis *sect. præcedenti.* Et ex Tertull. *in Apolog.* vbi ait. *Nulla lex sibi soli conscientiam iustitiæ suæ debet, sed eis, à quibus obsequium expectat. Cæterum suspecta lex est, quæ probari se non vult; improba autem, si non probata dominetur.* Probatur. Consuetudo rationabilis potest euertere legem Canonicam, non quia consuetudo est; sed quia rationalis. Ex capit. *fin.* De *Consuet.* ergo lex in obligando dependet ab approbatione populi. Consequentia probatur. Ideò consuetudo potest tollere legem, quia ratio iudicat esse tollendam; & lex non potest prævalere contra iudicium rationis, ergo quando de nouo ponitur, non potest prævalere contra rationem, cum sit eadem ratio, ergo si non approbatur a iudicio populi, non poterit obligare. Confirmatur. Potestas legislatiua est in ædificationem, non autem in destructionem. Secundò. Ad

Corinth. 13. & proinde est potestas pascendi gregem, non autem dispergendi, ergo lex non potest obligare, nisi à iudicio communitatis approbetur. Consequent. probatur. Alioquin esset in destructionem. Tum quia faceret quod subditi operarentur contra dictamen rationis. Tum quia lex haberetur pro tyrannica, vnde esset occasio ruinæ. Tum qia grauaret subditos iniustè.

11 Dices. Summus Pontifex non potest errare in ponendis legibus, ergo non dependet ab approbatione communitatis. Respondetur. Non posse errare, quatenus non potest ponere leges malas ex parte materię, & finis: potest tamen, cum non cognoscat omnes circumstantias locorum ponere leges, quæ ratione circumstantiarum non sint expedientes.

12 Ad primum. Negatur assumptum. Nam præsumitur, quod lex obliget, quando debet obligare. Tunc autem debet obligare, quando est expediens, & vt talis debet approbari. Ad secundum negatur antecedens. Nam contra potestatem Pontificis non potest præscribi, cum sit à Deo.

An vt lex non acceptata desinat obligare requiratur consensus Principis.

SECTIO III.

13 Conueniunt omnes, quod lex rationalis, & quæ potest sortiri suum effectum, non obliget, si non acceptetur, vt notat Glos. *in cap.* 1. *De Treg. & Pace*, Difficultas est, an requiratur consensus Principis.

14 Prima sententia asserit, requiri, quod Princeps sciat legem non recipi, & taceat, ita Syluest. *Verbo.* Lex. *quæst.* 6. Reginal. *lib.* 13. *num.* 162. Probatur. Populus iniustè resistit, ergo vt lex desinat obligare, requiritur consensus Principis.

15 Secunda sententia est negatiua. Ita Felin. *in capit.* 1. *num.* 13. *De Tregua, & pace.* Suarez 5. *de leg. capitul.* 5. *num.* 10. Salas *disput.* 13. *de leg. sect.* 2. & alij. Probant, per non vsum repudiantur plures leges, etiamsi Princeps ignoret non seruari, præsertim in locis remotis. ergo

16 Tertia sententia vult, in solis legibus Pontificijs requiri consensum. Ita Abb. *in cap. fin. numer.* 13. *De Tregua, & Pace.* Couaruu. *libr.* 2. *variar. capitul.* 16. *num.* 6.

17 Dico primò. *Quando Princeps excludit non vsum, aut contrariam consuetudinem, lex non desinit obligare, nisi accedat saltem tacitus consensus ipsius.* Probatur. Non vsus est iam reprobatus, ergo non potest præualere contra legem, nisi admittatur a Principe. Consequentia probatur. In tali casu voluntas Principis semper manutenet legem in suo robore contra non vsum, ergo non vsus non potest præualere. Quia voluntas inferioris non potest præualere contra voluntatem superioris.

18 Dico secundò. *Lex Pontificis concernens iura Apostolicæ sedis non potest per non vsum tolli sine consensu ipsius.* Desumitur ex Bulla: Vrbani VIII. *super præseruat. vir. Roman. sed*: quæ incipit: *Romanus Pontifex.* Probatur. Nemo potest sine consensu proprio priuari proprio iure, ergo quando. Lex tendit ad conseruanda iura Romanæ sedis, non potest impediri per non vsum, nisi consentiat Pontifex, quia per non vsum violaretur aliquid ius Pontificis;

19 Dico tertiò. *Vt cæteræ leges Pontificiæ, & ciuiles impediantur per non vsum, non requiritur tacitus consensus Principis.* Probatur. Leges possunt impediri per non vsum peccantibus ijs, qui principi resistunt, ergo sine tacito consensu. Consequentia probatur. Si esset necessarius talis consensus, non peccarent, nam id facerent ex præsupposita voluntate Principis; lex autem non obligat, quando adest voluntas Principis, quod non obliget.

20 Ad Fundamentum primæ sententiæ negatur consequentia. Quia talis consensus non potest interuenire, vt ex dictis constat. Ad Fundamentum secundæ, quatenus procedit contra primam, & secundam conclusionem, negatur assumptum.

Per quos actus sciente Principe inducatur non vsus legis.

SECTIO IV.

21 Prima sententia asserit, sufficere duos, vel tres actus. Ita Panormitan. *in cap.* 1. *De Treg. & pace.* Azor. *part.* 1. *libr.* 5. *capitul.* 4. *quæstion.* 6. Reginal, *lib.* 17. *numer.* 162. Caspeu s. 1. *part. curs. Theolog. disputat.* 1. *de leg, section.* 5. Probant. Dico, aut tres actus sufficiunt ad inducendam consuetudinem, ergo etiam non vsum.

22 Secunda sententia asserit, requiri tot actus, qui sufficiant, vt prudenter possit præsumi tolerantia Principis. Ita Suarez 4. *de leg. capitul.* 16. Salas *disputat.* 13. *de leg. section.* 6.

23 Dico primò. *Quando actus contra legem exercetur à communitate, aut est actus personarum publicarum, sufficit vnus actus.* Probatur. Sufficiunt illi actus, qui faciunt præsumere, quod Princeps consentiat in non vsum. Sed ex vnico actu tolerato in ipsa communitate id arguitur, ergo. Minor probatur. Sicut communitas sufficienter se declarat per vnicum actum se nolle recipere legem: ita etiam Princeps se consentire, si tolerat.

24 Dico secundò. *Quando lex concernit priuatas actiones, requiruntur tot actus, quot sufficiunt vt non vsus sit communis, atque adeò maioris partis eorum, ad quos lex pertinet.* Probatur. Lex ponitur pro communitate, ergo non vsus, vt impediat obligationem legis, debet esse communitatis; quia contra legem non potest præualere, nisi communitas.

25 Ad Fundamentum in oppositum respondetur. Duos actus inducere frequentiam pro consuetudine facti, non autem iuris vt habetur ex cap. *Ita nos.* 25. *quæst.* 1. *& leg. Palam. ff. De ritu nuptiarum.*

Quodnam tempus requiratur ad non vsum legis ignorante Principe.

SECTIO V.

26 Prima sententia asserit, ignorante Principe, sufficere decennium, si autem sit Canonica, requiri quadraginta annos. Ita Panormit. *in capit.* 1. *De Tregua, & pace*, & alij.

27 Secunda sententia asserit, sufficere decennium etiam pro lege Canonica. Ita Imola *in cap.* 1. *De Tregua, & Pace.* Suarez 4. *de leg. capitul.* 16. Salas *disput.* 13. *de leg. sect.* 2. & alij.

28 Tertia sententia asserit, non requiri tempus determinatum, sed sufficere actus in aliquo numero, arbitrio prudentis viri. Ita Glos. *in cap. fin. De Consuet. in* 6. Innocent. *in c. cum Petr. De fide* instituen. Domini *in cap. In istis dist.* 4. & alij.

29 Dicendum est. *Vt lex cesset per non vsum ignorante Principe, non requiritur tempus determinatum, sed sufficit quod actus contrarij sint communes communitati.* Prob. De iure positiuo non est aliquid determinatum siue pro lege Ciuili, siue pro Canonica, ergo sufficit illud tempus, quod requiritur ex natura rei; non requiritur autem tempus determinatum, sed sufficiunt actus, quibus communitas declaret se non recipere legem, quia tunc constat sufficienter, quod lex non acceptetur. ergo

30 Obijcitur. Ad tollendam legem requiritur longum tempus, ergo non sufficiunt omnes contrarij cõmunes cõmunitati. Resp. Ad tollendã legẽ iam firmatã requiri lõgũ tempus

tempus: secus autem ad impediendum vsum legis.

35 Colligitur ex dictis. Ad inducendum non vsum legis requiri scientiam ipsius; quia stante ignorantia non potest populus facere aliquid contra legem humano modo; quia non potest esse voluntarium, quod est ignotum; non vsus autem legis debet esse voluntarius, quia debet procedere ex intentione contra legem.

An omnis lex desinat obligare per non vsum.

SECTIO VI.

32 DIfficultas procedit de lege, quæ reprobat consuetudinem in contrarium, & non vsum.

Dico primò. *Omnis lex potest cessare per non vsum, etiamsi reprobet consuetudinem in contrarium* Ita Felin. *in cap.* 1. *De Tregua, & pace* Socin. *in l. si filius ff. De liber. & posthum.* Probatur. Licet deroget consuetudinem, non potest derogatio habere effectum, nisi habeat lex ipsa, pro cuius vigore est annexa derogatio, ergo si non vsus impedit principalem dispositionem legis, impediet etiam irritationem connexam Consequentia probatur. Quia corruente principali dispositione, corruunt etiam accessoriæ, cum accessorium sequatur principale.

33 Dico secundò. *Non vsus non habet vim contra legem, à qua dependent iura legislatoris.* Probatur. Nemo potest priuari inuitus proprio iure, ergo nec etiam legislator, ergo non vsus non habet vim, quando sequitur talis priuatio.

An quando supplicatur Principi contra legem, suspendatur effectus legis.

SECTIO VII.

34 PRima Sententia asserit, non suspendi. Ita Baldus *in capitul. Apud nos.* De *appellat.* Suarez 4. *de leg. capitul.* 16. *numer.* 8. & alij. Probatur. Non potest appellari à lege, ergo non suspenditur exequutio ipsius, quia sola appellatio suspendit exequutionem. Secundò. Omnes debent obedire legibus, etiamsi duræ videantur, *l. Prospexit ff. Qui & a quibus.* ergo.

35 Secunda sententia asserit, suspendi. Ita Archidianus *in capitul. nulla Distinction.* 26. Malder 1. 2. *quæst.* 90. *articul.* 3. *dub.* 2. Salas *disputat.* 13. *de leg. section.* 4. & alij.

36 Dicendum est. *Interposita supplicatione suspendi exequutionem legis.* Probatur. Interposita supplicatione suspenditur exequutio rescripti etiam Pontificij capitul. *Si quando.* De *rescription.* ergo etiam exequutio legis. Consequentia probatur. Ratio, cur suspenditur exequutio rescripti, est, quia potest continere aliquid, quod non expediat; sed etiam hoc potest contingere in lege. ergo

37 Dices. Esse diuersam rationem, quia cum rescriptum sit in negotio particulari, potest procedere ex falsa informatione. Contra. Etiam lex potest fundari in ignorantia circumstantiarum, & consuetudinum particularium, ex quo procedat, quod non congruat moribus populorum. ergo

38 Ad primum negatur Consequentia. Quia non solum appellatio suspendit exequutionem, sed etiam supplicatio vt constat de rescriptis. Ad secundum. Omnes deberent obedire legi iam receptæ, & stabilitę, quia tunc præsumitur habere necessarias conditiones; secus autem, quando nondum est stabilita.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

DISPVTATIO LVI.

An lex ciuilis statim obliget, ac est promulgata.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Ignorantes inuincibiliter legem nedum excusari ab obseruantia, sed nec etiã obligari. Desumitur ex cap. 2. *De constitut. in* 6. & ex Authent. *Vt fact. nou. Constitut. Collat.* 5. Ratio est. Quia causa non producit effectum, nisi in subiecto, cui applicatur; Lex autem non applicatur subditis, nisi mediante cognitione. Si tamen lex sit irritans quoad irritationem sortitur suum effectum, etiam apud ignorantes, quia facit, quod actus fiat, absque debita potestate, siquidem tollit facultatem agendi.

2 Dicendum est. *Legem Ciuilem de iure ciuili non obligare, nisi post duos menses à publicatione, supposito quod supremus princeps non declaret, se statim obligare.* Ita Glos. *in capitul.* 2. De *rebus Ecclesias. non alien.* & communiter contra Vasquez 1. 2. *disputat.* 146. *num.* 9. Probatur. In Authentica *vt fact. nou. constitut.* decernitur, quod leges non obligent, nisi post duos menses; & cum rubrica sit generalis, & posita ab ipso Imperatore, trahitur constitutio ad omnes leges, etiamsi loquatur de solis testamentarijs. ergo

3 Dico secundò. *Leges Principum, qui non recognoscunt superiorem, nec seruant ius Imperiale, statim obligant.* Probatur. Lex ex natura sua habet vim obligandi, ergo statim obligat. Quia causa applicata statim producit effectum.

4 Dico tertiò. *Leges inferiorum statim obligant, ac sunt promulgatæ.* Ita communiter cum Panormit. *in cap. tua nos.* De *Const.* Probatur. Circa has leges non est aliquid de iure positiuo determinatum, quia dicta Authentica loquitur solum de legibus Imperatorijs, ergo obligãt, quando ex natura sua possunt obligare. Possunt autem obligare statim, ac sunt promulgatæ.

An lex canonica obliget statim ac est promulgata.

SECTIO II.

5 PRima sententia asserit, non obligare, nisi post duos menses. Ita Angel. *Verbo.* Lex *n.* 12. Dual. 1. 2. *quæst.* 1. *de leg. articul.* 5. Felin. *in capitul.* 2. *num.* 7. De *constitution.* Panormitan. Butr. & alij. *ibidem.* Probatur ex capitul. 1. *De concess. præbend. in* 6. assignatur tempus, post quod lex generaliter obliget, ergo. Secundò Ius Canonicum adiuuatur à ciuili capitul. 1. *De noui operis nunciat.* ergo cum ciuile assignet duos menses post promulgationem, etiam leges Canonicæ obligabunt solũ post duos menses. Tertiò. Pius IV. *in Bull. de obligat. Concil. Trident.* ex eo, quod ius Ciuile concedat duos menses, antequam lex promulgata obliget, ipse etiam cõcedit tres menses à publicatione pro obligatione Tridentini. ergo

6 Secunda sententia asserit, statim obligare. Ita Glos. *in capitul. in singul.* De *præbend. in* 6. Bald. *tractat. de statut.* §. *De ignor. numer.* 2. Castrens. 1. *de leg. pæn. capit.* 1. Sotus 1. *de iust. & iur. quæst.* 1. *articul.* 4. *conclus.* 3;

Salas disput. 12. de leg. section. 3. Malder. 1. 2. quæst. 90. art. 4. dub. 3. Martinez dub. 7. & alij.

7 Dicendum est. *Leges Pontificias, & omnes alias Canonicas obligare statim a promulgatione.* Desumitur ex capitul. 1. *De concess. præbend. in 6.* vbi habetur; Constitutiones obligare omnes, ad quorum notitiam peruenerunt ex capitul. 1. *De postul. prælat.* Satis esse, vt quis teneatur lege, quod sciat esse promulgatam. Probatur. Tale tempus post promulgationem non esse necessarium ex natura rei, nec ex iure politiuo, ergo lex statim obligat. Antecedens patet. Quia nullum ius suspendit obligationem legis, & quando Pontifex vult suspendi, se declarat in ipsa lege; & lex habet omnia requisita ad obligandum, & est applicata per promulgationem.

8 Ad primum respondetur. Assignari tempus post promulgationem, quod lex ex natura sua requirit pro absentibus, vt possit ad ipsorum notitiam peruenire; non autem, in quo obligatio legis suspensa maneat. Ad secundum. Ius Canonicum iuuari à Ciuili in ijs, quæ ex natura sua sunt sub dispositione ipsius, vt sunt ea, quæ pertinent ad iudicium, testamenta, &c. non autem in cæteris. Ad tertium. Dispositionem Pij IV. fuisse specialem pro illo casu, & solum habuisse ius ciuile pro motiuo.

9 Colligitur ex dictis. Contra Glos. *in clement. 2. De hæresi.* Legem non obligare omnes in eodem instanti, sed successiue, prout ad ipsorum notitiam potest peruenire, vt tradunt communiter Theologi cum D. Thom. 1. 2. *quæstion. 90. articul. 4. ad 2.* Et desumitur ex capit. *primo de concess. præbend. in 6.* vbi dicitur. Quod lex non obligat, nisi post tempus, intra quod ignorari minimè debuisset. Et Ratio est, quia promulgatio non est sufficiens, nisi quatenus coniungitur cum tempore in quo moraliter potest diuulgari; nec lex potest loqui ad absentes, nisi interposito tempore necessario pro diuulgatione loquutionis ipsius, seu intimatione.

10 Colligitur secundò. Quod quando legi præfigitur tempus, quo elapso incipiat obligare, ante illud tempus neque obligat in conscientia, vt docent Medina 1. 2. *qu. 90. articul. quarto.* Suarez 3. *de leg. capitul. 18. numer. 5.* Quia præfixio temporis suspendit obligationem legis, atque adeò lex non potest sortiri suum effectum obligandi, cum in eo dependeat à voluntate legislatoris.

An lex humana obliget ad opus virtuoso modo factum.

SECTIO III.

11 Supponendum est. Legem humanam negatiuam non obligare ad aliquem actum, sed solum ad non actum externum, cum non præcipiat ex se actus internos. Legem verò positiuam obligare ad actum externum humano modo exercitum, quia regulat operationes, quatenus respiciunt finem rationalis naturæ; vnde qui coactè faceret, quod lex præcipit, vt si assisteret missæ ex coactione, non impleret præceptum; secus autem, si faceret ex metu, quia metus non excludit voluntarium simpliciter. Difficultas autem est, an talis actus debeat virtuoso modo fieri.

12 Prima sententia est affirmatiua. Ita Adrian. *in 4. qu. 5. de Confess. dubio quarto* Maior. *distinction. 15. quæst. 3.* Cistercien. *in 3. distinction. 17. articul. 3.* Molina *tract. 1. de iustitia, & iure disputat. 58.* Probant. Lex præcipiendo actum, constituit ipsum in aliqua specie virtutis iuxta motiuum, sub quo præcipit, ergo nisi fiat actus talis virtutis, non impletur lex. Secundò. Actus malus non est cultus Dei: nec virtus supernaturalis, ergo, quando lex præcipit tales actus, non impletur per actum malum.

13 Secunda sententia est negatiua. Ita Diuus Thomas 1. 2. *quæstion. 100. articul. 9.* Caietan. Medina *ibidem,* Martin. *quæst. 96. art. 3. dub. 2.* Suar. 7. *de legib. cap. 24. num. 6.* & alij.

14 Dico primò. *Lex positiua præcipiens nouam materiam, quæ non sit præcepta lege naturali, aut Diuina, non obligat, vt actus virtuoso modo fiat.* Probatur. Lex humana non se extendit ad actus internos, nisi indirectè; vnde finis præcepti non cadit sub præcepto, vt communiter docent cum Diuo Thomas 1. 2. *quæstion. 96. articul. 3.* Quia intentio operantis non pertinet ad substantiam operationis, ergo non potest obligare, quod actus virtuoso modo fiant, cum non possint fieri virtuoso modo, nisi fiant ex iusta intentione.

15 Dices. Sequeretur. Quod talis actus non inseruiret legi, quia non inseruiret fini, quem lex intendit, ergo nec etiam impleret legem. Respondetur. Non inseruiret legi quoad intentionem ipsius; inseruiret tamen quoad præceptionem, cum sit ille actus secundum substantiam, qui præcipitur.

16 Dico secundò. *Quando lex solum determinat tempus, aut modum implendi legem naturalem, aut Diuinam, tunc requirit actum virtuoso modo factum.* Probatur. Lex humana habet pro materia obseruantiam legis naturalis, aut Diuinæ, ergo vt impleatur requirit actum vndique bonum. Antecedens patet. Nam determinando tempus, aut modum implendi tales leges, præcipit obseruantiam ipsarum. Consequentia probatur. Non impletur lex humana, nisi impleatur naturalis, aut Diuina, ergo cum non possit impleri, nisi per actus vndique bonos, quia obligat etiam ad actus internos, & ad operandum cum debito ordine ad vltimum finem, neque lex humana poterit impleri, nisi per actum vndique bonum.

17 Ad primum. Distinguitur consequens. Non impletur lex, nisi fiat actus talis virtutis ex obiecto: impletur tamen licet non sit vndique bonus. Ad secundum. Distinguitur consequentia. Non impletur lex præcipiens modum, aut tempus circa tales actus, quia tunc subintrat etiam obligatio legis naturalis, aut Diuinæ, secus autem si addat nouam materiam concernentem tales virtutes.

An lex obliget ad intentionem satisfaciendi præcepto.

SECTIO IV.

18 Dicendum est. *Non obligare, sed impleri præceptum absque intentione seruandi legem, si fiat, quod præcipitur.* Ita Sanch. *libr. summ. capitul. 13. num. 9.* Rodriquez 2. *part. summ. cap. 23. numer. 2.* Suarez 3. *de leg. capitul. 29.* Caspens. *part. 1. curs. Theolog. disputat. 3. de leg.* contra Martinez 1. 2. *quæstion. 96. artic. 6. dub. 2.* Malderum *quæstion. 90. articul. 4. dub. 4.* Probatur. Lex solum obligat ad id, quod præcipit, ergo non ad intentionem implendi legem. Antecedens patet. Quia obligatio non plus extenditur, quam se extendat intimatio, hæc autem non se extendit, nisi ad materiam legis. Consequentia probatur. Intentio non est materia legis, cum sit extrinseca operationi, quæ præcipitur. ergo

19 Dices. Lex obligat ad obedientiam, ergo ad intentionem satisfaciendi præcepto. Respondetur obligare ad obedientiam virtualem, nempe quod fiat humano modo, quod ab ipsa præcipitur; non autem ad obedientiam formalem. Instabis. Præceptum obligat ad sui notitiam, ergo quia non potest impleri absque intentione implentis. Respondetur negando consequentiam. Nam obligat ad sui notitiam, quia, qui non cognoscit, est expositus periculo non implendi.

20 Dices secundò. Dans centum Petro absque intentione extinguendi debitum, non extinguit, sed censetur

tur donasse, ergo faciens, quod pręcipitur, non implet legem, nisi intendat implere. Respondetur negando antecedens cum Sanchez *libr. 2. consilio Moral. capitul. 3. dub. 121.* Hurtad. *disputation. 9. de iustitia, & iure difficultat. 8.* Layman. *libr. 3. section. 5. tractat. 2. capitul. 12. numer. 9.* quia etiamsi non intendat extinguere, habet tamen voluntatem interpretatiuam prius satisfaciendi propriæ obligationi, quam præstandi quod non debet, cum præsumatur operari prudenter.

An lex impleatur, si interueniat positiua voluntas non implendi per illud opus.

SECTIO V.

21 PRima sententia asserit, non impleri. Ita Rodriquez *1. part. summ. cap. 144. num. 2.* Palat *in 4. distinct. 5. disput. 10.* Caspens. *1. part. cursus Theolog. disputation. 3. de leg. section. 5.* Malder. *1. 9. quæst. 90. articul. 4. dub. 4.* & alij. Probant. Actus non operatur vltra intentionem agentis *l. Non omnes ff. Si certum petatur*, ergo cum intentio sit contra impletionem legis, actus non implet. Secundò. Debens centum, si det cum expressa intentione non satisfaciendi, non satisfacit. ergo

22 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Aragon. *2. 2. quæstion. 83. numer. 13.* Salas *disputation. 9. de legibus section. 2. num. 34.* Sanch. *libr. 1. summ. capitul. 3. num. 13.* & alij.

23 Dicendum est. *Legem impleri si fiat, quod ab ipsa præcipitur, etiamsi adsit intentio non implendi per illud opus.* Probatur. Intentio non implendi non tollit, quin fiat, quod præcipitur; nec etiam voluntatem necessariam; vt fiat humano modo, ergo nec tollit, quin lex impleatur; Nam eo ipso impletur, quod fit, quod ab ipsa præcipitur. Confirmatur. Protestatio contraria facto nihil operatur, quando ordinatur ad tollendum ipsum factum *leg. in Bello §. Facti secundo ff. De captiuis, & post limin. reuersis.* Et Nouell. *97. capitul. primo.* Sed in casu nostro intentio, quæ est quædam protestatio non seruandi legem per talem actum, ordinatur ad tollendum factum, ergo nihil operatur.

24 Ad primum respondetur. Actus non operatur vltra intentionem agentis in ijs, quæ pendent ab intentione; secus autem in ijs, quæ non pendent. Obseruantia autem legis non dependet ab intentione, cum consistat in mera exequutione. Ad secundum negatur consequentia. Nam ideò non satisfacit, non quia non extinguat debitum; sed quia virtuali modo assumit nouam obligationem, quod non contingit in exequutione legis; quia obligatio legis non est voluntaria, sed ab alio imponitur, & hoc est verum si manifestet suam intentionem creditori, & ab ipso acceptetur: secus autem si non manifestet.

An lex obliget ad tot actus, quot sunt præcepta.

SECTIO VI.

25 CErtum est, non posse impleri obligationem plurium præceptorum vnico actu, quando sunt præcepta iustitiæ, vt communiter Doctores; vnde si debeo Petro centum ratione mercedis; & alia centum ex promissione acceptata, non satisfacio vtique obligationi dando centum. Rursus etiam certum est satisfieri vnico actu pluribus pręceptis, quando habent idem motiuum, vt quando ex duplici præcepto concurrente eodem die teneor audire missam; Nam tunc præcepta non sunt plura formaliter, sed tantum materialiter: vnde Difficultas est de præceptis, quæ obligant ex diuersis motiuis.

26 Dico primò. *Aliquando possunt impleri plura præcepta obligantia ex diuersis motiuis vnico actu.* Probatur. Idem actus est capax diuersarum virtutum, ergo si aliud non obstet, potest extinguere obligationem plurium præceptorum. Antecedens patet. Quia potest elici ex motiuis pluribus. Consequentia probatur. Præceptum exigit actum sub ratione virtutis, ergo quando actus habet diuersam rationem virtutis, potest extinguere obligationem plurium præceptorum, cum solum requiratur, quod ponatur id, quod præcipitur.

27 Dico secundò. *Quando actus est debitus ex obligatione iustitiæ Commutatiuæ, non sufficit etiam pro alijs præceptis.* Est contra Palaum. *1. part. tractat. 3. disputat. 1. punct. 19. numer. secundo.* Probatur. Actus debitus ex obligatione iustitiæ, est de iure illius, cui est debitus, ergo non potest inseruire operanti ad satisfaciendum alteri præcepto. Consequentia probatur. Est satisfaciendum præcepto ex proprijs, quia lex exigit vsum illarum operationum, quæ sunt sub libera dispositione operantis, ergo non potest vti operatione, quæ sit sub iure alterius ex titulo iustitiæ, cum non habeat de ipsa liberam dispositionem.

28 Dico tertiò. *Quando præcepta obligant ex titulo oneroso, non possunt plura impleri per eundem actum.* Probatur. Quando obligatio est ex titulo oneroso, computatur ipsa materia, ita vt pręceptum obliget nedum ad actum virtutis, sed etiam ad ipsam materiam, ergo plura præcepta exigunt plures materias, quia vnum quodque exigit sibi exhiberi propriam materiam.

29 Obijcitur. Si quis debeat centum extremè indigenti, & det illi, satisfacit præcepto iustitiæ, & charitatis, ergo. Respondetur. Non satisfacere præcepto charitatis, sed tantum subtrahit materiam talis præcepti, quia eo ipso, quod soluit debitum, facit, quod non sit amplius extremè indigens, atque adeò quod desinat obligatio pręcepti charitatis ex desitione materiæ.

30 Quæres. An pluribus actibus eodem tempore exhibitis possint impleri plura præcepta. Respondetur posse impleri. Si actus sint compossibiles cum illis qualitatibus, quas exigunt pręcepta, vt docent communiter, quia sufficit, quod mandatur exequutioni id, quod præcipitur. Lex autem præcipit tantum actum, non autem quod fiat diuerso tempore vt docet Sanchez *libr. 1. sum. cap. 14. num. 11.*

An quando totum præceptum non potest impleri, sit implenda illa pars, quæ impleri potest.

SECTIO VII.

31 DIfficultas est: Quando materia implenda est diuisibilis. Est autem diuisibilis, non quia habeat partes, sed quia forma, secundum quam pręcipitur, reperitur in diuersis partibus: vnde in materia iustitiæ, qui non potest implere pręceptum pro toto, debet implere pro parte, & ideo qui non potest totum, debet partem restituere, si potest.

32 Dico primò. *Quando præceptum non potest impleri in toto, attendenda est consuetudo an obliget ad partem.* Vnde infirmus qui non potest recitare totum officium neque tenetur recitare partem, ita interpretante consuetudine. Probatur. Consuetudo interpretatur legem capitul. *Cum dilectus De Consuetud.* ergo quando dubitatur, an lex obliget ad aliquam partem præcepti, quando alię non possunt impleri, recurrendum est ad consuetudinem.

33 Dico secundò. *Quando materia diuisibilis præcipitur per modum vnius actus, qui non potest implere illam partem, per quam censeatur implere actum secundum substantiam, non tenetur ad alias partes.* Sic qui non potest inter esse missæ tempore consecrationis, non tenetur interesse cæteris partibus, quia in consecratione consistit substantia missæ. Probatur. Lex obligat solum ad sui obseruantiam, ergo quando non impletur secundum substantiam non obligat ad aliud, quia tunc non potest interuenire obseruantia legis.

34 Dico tertiò. *Quando lex præcipit aliquid vt diuisum, & per modum plurium actuum, obligat semper ad quamcunque partem, quæ possit impleri, nisi aliter interpretetur consuetudo.* Probatur. Quando lex præcipit aliquid vt diuisum, obligat ad ipsum vt ad plures actus æq; & per se primo intentos, ergo quando non potest impleri in vno actu, debet impleri in alio, quia tunc præceptum est virtualiter multiplex.

35 Obijcitur. Pars maior trahit ad se minorem, ergo semper quando pars maior potest impleri, debet impleri. Respondetur. Partem maiorem trahere ad se minorem, quando in ipsa saluatur substantia actus, & quando concurrit cum minori ad idem totum; non autem, quando se habet vt actus distinctus; & ideo si potest impleri pars minor absque maiori, debet impleri, si sit per modum actus distincti, vt contingit in horis Canonicis seclusa infirmitate.

An lex humana obliget in conscientia.

SECTIO VIII.

36 DIco primò. *Lex Ciuilis obligat in conscientia.* Ita communiter cum Glos. *in cap.7. De const. in 6.* & D. Thom. 1.2. *quæst.94. art.4. & 5.* Et hæc conclusio ab aliquibus censetur de fide, ab alijs verò ita certa, vt oppositum sit erroneum. Probatur. Ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt; itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, ergo leges Ciuiles obligant in conscientia. Consequentia probatur. Tum quia debet quisque ex ordinatione diuina obedire Principibus, atque adeo legibus ipsorum. Tum quia resistens legibus resistit Dei ordinationi, cui ex conscientia non possumus resistere. Tum quia qui resistit, acquirit sibi damnationem, quæ non imponitur, nisi fiat contra obligationem conscientiæ.

37 Dico secundò. *Lex Ecclesiastica obligat in consciétia* est de fide. Probatur 1. Ad Thessal. 4. *Scitis, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum.* Præcepta autem data per Christum obligant in conscientia, & Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*, &c. Et Matthæi 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*, &c. ergo cum lex Canonica obliget in virtute potestatis ipsius Christi, obligat in conscientia.

38 Obijcitur. Conscientia est forum Dei, ergo non potest homo obligare in foro conscientiæ, quia non potest obligare, vbi non potest iudicare. Respondetur distinguendo consequens. Non potest obligare directè, & immediatè, potest tamen indirectè, & mediatè, quatenus obligando in foro externo resultat obligatio in interno.

39 Obijcitur secundò. Obligare in conscientia sub mortali, est obligare sub pœna priuationis amicitiæ Dei, & inferni. Sed homo non potest ad id obligare, ergo. Respondetur distinguendo antecedens. Non potest homo obligare ad talem pænam per se primo, & vt ab ipso infligenda; potest tamen consequutiuè, & vt infligenda à Deo, cum ita sit institutum ex ordinatione Diuina.

40 Obijcitur tertiò. Homo non potest soluere in foro conscientiæ, nisi ministerialiter per sacramenta, ergo nec ligare. Respondetur. Posse soluere eo modo, quo potest ligare: Nam sicut potest ligare per legem, ita etiam soluere auferendo legem.

41 Obijcitur quartò. Peccatum est contra legem Dei vt ait August. *lib.22. contra Faustum cap.27.* ergo quod est contra legem humanam, non est peccatum. Respondetur Negando Consequentiam. Quia quod est contra legem humanam, est etiam contra legem Dei æternam, cum ab ipsa deriuet lex humana.

An omnis lex obliget in conscientia.

SECTIO IX.

42 SVpponendum est. Omnem legem inducere aliquã obligationem in conscientia, nam etiamsi non obliget eos, quibus imponitur, obligat tamen exequutores legum ad procurandam exequutionem ipsius. Difficultas est an semper obliget in conscientia eos, quibus imponitur.

43 Dicendum est. *Non semper legem etiam Ecclesiasticam obligare in conscientia.* Ita communiter cum D. Thom. 2. 2. *quæst.186. art.9. ad 2.* Et desumitur ex Clement. *Exiui*. versic. *Nec tamen.* De *verbor. signific.* Probatur. Actus non operatur vltra intentionem agentis *l.3. §. 1. ff. de obligat. & action.* ergo si legislator non intendit obligare in conscientia, lex non obligabit, quia vt actus potestatis ipsius non obligat vltra eius intentionem.

44 Obijcitur. Lex naturalis, & Diuina nos obligat, vt obediamus legibus humanis, ergo non potest esse lex, quę non obliget in conscientia. Respondetur. Lex naturalis, & Diuina nos obligant, vt obediamus legibus eo modo, quo obligant: vnde si obligant ad culpam, teneamur in conscientia obedire. Si vero solum ad pœnam, tenemur solùm in foro externo.

45 Obiicitur secundò. Lex non potest obligare ad pœnam, nisi obliget ad culpam, quia pœna supponit culpam, ergo. Respondetur. Non posse obligare ad pœnam moralem, nisi obliget ad culpam; posse tamen ad pœnam ciuilem, quia pœna ciuilis supponit tantum defectum ciuilem.

An lex fundata in falsa præsumptione obliget in conscientia.

SECTIO X.

46 PRæsumptio est duplex; alia iuris, quæ se tenet ex parte legis, quia nimirum inducitur, & approbatur à lege, vt docent communiter cum Bald. *rubr. de præsumpt. num.3.* Et alia est iuris, & de iure quæ fundatur in aliquo facto, & est dispositio legis aliquid præsumentis, & super præsumpto tanquam sibi comperto statuentis, vt Desumitur ex c. *His, qui fidem. De sponsal.* & communiter docent.

47 Dico primò. *Lex fundata in præsumptione falsa iuris, & de iure non obligat in conscientia.* Ita Bartol. *in l. si his qui ff. De vsucapion.* Abbas *in cap. 1. De in integr. restit.* Dec. *in cap.1. num.18. De constit.* Probatur. In foro conscientiæ attenditur sola veritas cap. *Ita nos*. De *Sponsal.* ergo, cum lex fundetur in falsa præsumptione, nõ obligat. Consequentia probatur. Non obligat absolutè, sed ex suppositione veritatis præsumptionis. Nam lex imponitur, quia præsumptio habetur pro vera, ergo si in foro conscientiæ non est vera, non subsistit obligatio legis.

48 Dico secundò. Lex supponens præsumptionem iuris licet falsam, obligat in conscientia, ita Lorca 1. 2. *disput. 21. de leg. memb.2.* Salas *disput.16. de leg. sect.4.* Suarez *3. de leg. cap.23. num.6.* & alii. Probatur. Lex, quæ supponit præsumptionem iuris, non dependet à veritate præsumptionis, ergo licet præsumptio sit falsa, non desinit obligare. Antecedens probatur. Præsumptio iuris est

est solum causa impulsiua ponendi legem: non autem fundamentum obligationis legis, neque finis ipsius, ergo lex non dependet à veritate præsumptionis.

An vt lex humana obliget sub mortali, requirat grauitatem materiæ.

SECTIO XI.

49 PRima sententia asserit, etiam in materia leui posse obligare, sub mortali, si legislator ita intẽdat. Ita Angelus. *Verbo*. Lex. *nu.* 3. Syluest. *verbo*. Præceptum *quæst.* 3. Caiet. *verbo*. Præcepti *transgres.* & alij. Probatur. Lex obligat secundum intentionem legislatoris, ergo in materia leui obligabit ad mortale, si ita velit legislator. Secundò. Apud Religiosos ponuntur præcepta obedientiæ pro rebus minimis. ergo.

50 Secunda sententia est negatiua. Ita Medina 1. 2. *qu.* 96. *art.* 4. *reg.* 1. Martin. *dub.* 2. Malder. *dub.* 3. Lorca *disput.* 27. *de leg.* Suar. 3. *de leg. cap.* 25. *num.* 4. & communiter.

51 Dicendum est. Legis latorem non posse obligare sub mortali in materia leui. Desumitur ex D. Augustino 2. *de Baptist. contra Donatistas cap.* 6. Probatur. Potestas legislatoris non se extendit vltra terminos rationis, alioquin non esset in ædificationem, sed in destructionem, ergo non potest obligare in materia leui sub mortali. Consequentia probatur. Recta ratio dictat, quod obligatio non debeat excedere exigentiam materiæ, alioquin grauaret subditos iniustè, quia grauaret absque necessitate, ergo

52 Ad primum. Respondetur. Legem obligare secundũ intentionem legislatoris, non quamcunque, sed rationabilem. Ad secundum. Apud Religiosos non posse poni præcepta obedientiæ de rebus minimis; nisi ratione circumstantiarum fiant graues.

An lex in materia graui possit obligare solum sub veniali.

SECTIO XII.

53 PRima sententia est affirmatiua. Ita Henricus, *quodlib.* 3. *quæst.* 21. & 22. Salas *disput.* 10. *de leg. sect.* 7. Suar. 3. *de legib, cap.* 27. Sanch. *lib.* 6. *summ. cap.* 4. *num.* 25. & alij plures. Probant Obligatio grauis, & leuis in eadem materia sunt eiusdem rationis, ergo qui potest ponere, grauem potest etiam ponere leuem. Secundò. In materia capaci obligationis ad culpam potest poni sola obligatio ad pœnam, ergo in materia capaci obligationis ad mortale potest poni sola obligatio ad veniale, Tertiò. Ecclesia tantum prohibet sub veniali communicationem cum excommunicato; posset tamen prohibere sub mortali. Quartò. Christus obligauit solum sub veniali ad Sacramentum confirmationis, & potuisset obligare sub mortali. ergo

54 Secunda sententia est negatiua. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. *ad* 2. Arag. *quæst.* 62. *art.* 3. *dub.* 3. Sa- lon. *quæst.* 77. *art.* 1. *contr.* 8. Victor. *de potestat. ciuil. numer.* 19. Sot. 1. *de iust. & iur. quæst.* 6. *articul.* 4. Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Martin. *dub.* 2. *concl.* 8.

55 Dico primò. *Quando materia est grauis in ordine ad finem communitatis, nõ potest lex in illa materia obligare tantum sub veniali.* Probatur. Vbi est grauis dissonantia ad rectam rationem, ibi est obligatio grauis. Sed quando materia est grauis in ordine ad finem communitatis, transgressio continet grauem dissonantiam ad rectã rationem, ergo. Maior patet. Quia dissonantia grauis debet vitari sub mortali, minor probatur. Recta ratio exigit quod communitas obtineat suum finem, ergo tendere contra finem grauiter, est grauiter dissonare à recta ratione. Confirmatur. Lex Diuina, & naturalis in materia graui nunquam obligant sub veniali, nec potest obligare, ergo nec humana. Antecedens patet. Cum hæ leges respiciãt vltimum finem, posset quis facere grauiter contra talem finem, atque adeò se auertere ab ipso grauiter Deum offendendo, & peccando solum venialiter, quod implicat. Consequentia vltima prob. Quia est eadem ratio proportionaliter de lege humana.

56 Dico secundò. *Lex potest obligare sub veniali tantum si materia sit grauis secundum se, & non in ordine ad finem communitatis.* Probatur. Obligatio legis debet esse secundum mensuram exigentiæ finis, ergo si finis non exigit grauiter talem materiam, nec etiam obligatio erit grauis.

57 Ad primum respondetur. Quicquid sit de antecedenti distinguitur Consequens. Qui potest ponere grauem obligationem, potest etiam ponere leuem non in eadem materia, sed in diuersa, quia est ponenda secundum exigentiam finis, & materiæ, vt ponatur rationabili modo. Ad secundum. Quicquid sit de antecedenti, negatur consequentia. Quia quando materia est capax obligationis ad mortale ex vi finis exigit talem obligationem. Ad tertium. Ecclesiam posse prohibere sub mortali communionem cum excommunicato, si concurrunt circumstantiæ, quæ ipsam reddant notabiliter nociuam communitati; secus autem, si non concurrant. Ad quartum. Christum obligare sub veniali ad Sacramentum cõfirmationis, quia non est materia grauis habita ratione finis. Si autem obligasset sub mortali constituisset ipsam materiam grauem, quia fecisset necessariam ad finem.

An ex verbis præceptiuis, aut prohibitiuis, seu æquipollentibus colligatur obligatio sub mortali.

SECTIO XIII.

58 PRima sententia est affirmatiua. Ita Gabriel. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 1. Angelus. *Verbo*. Lex *nu.* 3. Syluest. *verbo*. Præceptum *quæst.* 2. Caietanus 2. 2. *qu.* 186. *art.* 9. & alij. Probant ex Clement. *Exiuit*. De *verb. signific.* §. *cum igitur*, vbi Pontifex decernit, quod in regula Sancti Francisci ea obligent sub mortali, quæ exprimuntur per verba præceptiua, aut æquipollentia.

59 Secunda sententia asserit, non colligi obligationem sub mortali, nisi etiam concurrat grauitas materiæ. Ita Medina 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 4. Martin. *dub.* 6. Lorca *disp.* 22. *de leg.* Vasquez *disp.* 158. *cap.* 4. Sanchez *lib.* 6. *sum. c.* 4. *n.* 7. Suarez 3. *de legib. cap.* 26.

60 Dicendum est. *Verba præceptiua, & prohibitiua seu æquipollentia non semper importare obligationem, sub mortali, sed tantum concurrente grauitate materiæ.* Probatur. Sunt indifferentia ad obligationem sub mortali, vel veniali, ergo non important sub mortali, nisi aliunde determinentur. Antecedens patet. Nam dantur præcepta obligantia solum sub veniali, vt præceptum non furandi, non mentiendi in materia leui; & proinde peccatum veniale est contra præceptum.

61 Ad Fundamentum in oppositum, respondetur. Pontificem declarare, quod quæ continentur in regula Sancti Francisci sub verbis præceptiuis obligẽt sub mortali; Tum quia concurrebat grauitas materiæ in ordine ad finem intentum. Tum quia certum erat, quod Diuus Franciscus volebat obligare ad plura sub mortali; & cum quædam posuerit in regula præceptiuè, quædam verò non præceptiuè, deducebatur, quod obligabant sub mortali, quæ erant præceptiua.

An

An ex appositione pœnæ temporalis colligatur quod lex obliget sub mortali.

SECTIO XIV.

62 PRima sententia asserit, quod leges, quæ habent adiunctas pœnas temporales, non obligent in conscientia. Ita Hostiens *in cap. Relatum*. *Ne cler. vel Monachi*. Io. Andr. *ibidem*. Felin. *in cap.* 1. *numer.* 18. *De sponsal*. Dec. *in cap. Nam concupisc. num.* 22. *De Const.* Nauar. *in Manuali cap.* 23. *num.* 55. Duar. *in Bull. cœnæ can.* 5. *quæst.* 12. *num.* 9. Miranda *tom.* 2. *manual. qu.* 25. *art.* 18. Probatur: lex pœnalis est odiosa, ergo est benignè interpretanda, quod obliget solum ad pœnam. Secundò. Qui de duobus vnum exprimit, & aliud tacet, censetur illud excludere cap. *Nonne De præscript.* ergo cum legislator exprimat pœnam, & taceat culpam, præsumitur excludere culpam. Tertiò. Princeps infidelis obligat subditos suis legibus, sicut fidelis, & tamen non obligat ad culpam, cum ipsam ignoret. ergo

63 Secunda sententia ait, obligare ad culpam, si vtatur verbis præceptiuis, aut æquipollentibus. Ita Castro 1. *de leg. pœn. cap.* 18. Sotus 1. *de iustitia, & iure quæst.* 6. *art.* 4. *&* 5. Sanch. *lib.* 6. *summ. cap.* 4. *num.* 60. Arag. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Medina 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. *dub.* 3. Martin. *ibidem*. Malder. *dub.* 3. Lorca *disp.* 27. *de leg.* Suar. 3. *de leg. cap.* 3. Salas *disp.* 10. *sect.* 9.

64 Dico primò. *Lex decernens pœnam grauem obligat etiam sub mortali, si vtatur verbis prohibitiuis, & præceptiuis, & pœna sit proportionata materiæ.* Probatur. Appositio pœnæ non tollit vim præceptiuam legis, ergo neque effectum obligationis in conscientia. Anteced. probatur. Appositio pœnæ non tollit voluntatem legislatoris ponendi legem præceptiuo modo, nec immutat intrinsecam naturam legis, ergo cum vis obligatiua sit legi intrinseca, non tollitur per appositionem pœnæ. Confirmatur. Appositio pœnæ est effectus potestatis coactiuæ, ergo est ad corroborandam obligationem legis, quia potestas coactiua est in subsidium legislatiuæ.

65 Dico secundò. *Quando lex humana habet admixtam obligationem legis naturalis, aut Diuinæ, semper ex appositione pœnæ colligitur obligatio in conscientia.* Probatur. Lex naturalis, & Diuina obligant semper in conscientia, ergo quando miscentur cum lege humanæ nunquam ex appositione pœnæ excluditur obligatio in conscientia.

66 Dico tertiò. *Quando legislator protestatur se nolle obligare ad culpam, sed solum ad pœnam, etiamsi lex cōstet verbis præceptiuis, non inducit obligationem ob culpam, vt in legibus plurium religionum.* Probatur. Verba præceptiua ex se solum inducunt obligationem, ergo vt inducant talem, vel talem obligationem, debent determinari, ergo quando legislator exprimit, quod nolit obligare ad culpam, ex appositione pœnæ determinatur, quod obligent solum ad pœnam.

67 Ad primum. Negatur consequentia. Quia tunc habet locum benigna interpretatio, quando sumus in dubijs: non autem, quando sumus in certis. Quando autem lex vtitur verbis præceptiuis, & non constet aliunde, quod nō obliget ad culpam, habetur pro certo, quod obliget. Ad secundum negatur consequentia. Nam quando lex vtitur verbis præceptiuis cum appositione pœnæ, non tacetur obligatio ad culpam, cum exprimatur in ipso præcepto. Ad tertium negatur secunda pars antecedentis. Nam infideles obligant per suas leges eo modo, quo possunt; vnde obligatio ad culpam, & pœnam æternam consurgit ex natura rei, ex vi ipsius legis, licet non ex expressa intentione legislatoris.

68 Quæres. Quænam sint pœnæ graues, ex quibus colligatur obligatio sub peccato mortali. Respondetur: Esse pœnam mortis, mutilationis alicuius membri; grauis infamia; exilij perpetui, aut longi temporis; perpetui, aut longi carceris; amissionis omnium bonorum, aut maioris partis; seruitutis, & in his conueniunt omnes. Et secundū Sanch. *lib.* 6. *summ. cap.* 4. *num.* 65. & alios, est etiam grauis pœna priuatio beneficiorum, & officiorum, si sint magni momenti. Similiter etiam pœna fustigationis, licet aliquando imponatur hæc pœna absque culpa, nam tunc imponitur pro culpa ciuili, & lex est merè pœnalis.

An pœna excommunicationis sit signum obligationis ad mortale.

SECTIO XV.

69 DIfficultas procedit de excommunicatione maiori, quia sola imponitur pro peccato mortali: vnde quando est excommunicatio latæ sententiæ, est signum, quòd lex obliget ad mortale, quia vt docent communiter, non potest imponi, nisi ob mortale, vt desumitur ex cap. 1. & cap. *Romana*, & cap. *Dilectus*. *De sententia excommunication.* vnde Difficultas solum remanet quando est sententiæ ferendæ.

70 Prima sententia asserit, esse signum obligationis ad mortale. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 4. Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. Sanchez *lib.* 6. *summ. cap.* 4. *num.* 50. Salas *disput.* 10. *de lege sect.* 9. *num.* 58. & alij. Probatur. Quando lex imponit pœnam excommunicationis ferendæ, potest iudex excommunicare exequendo pœnam, ergo supponitur peccatum mortale.

71 Secunda sententia. Tunc asserit, esse signum obligationis ad mortale, quando vt feratur, non est opus admonitione præuia; secus autem, si sit opus. Ita Nauar. c. 23. *Manual. num.* 53. Vasquez 1. 2. *disput.* 158. *capit.* 5. Suar. 4. *de legib. cap.* 18. *num.* 17. Henriq. *libr.* 13. *summæ cap.* 17. *num.* 2. Lorca 1. 2. *disputation.* 22. *de legibus*, & alij.

72 Dico primò. *Excommunicatio sententiæ ferendæ requirens admonitionem præuiam non est signum obligationis ad mortale.* Probatur. Quando requiritur præuia admonitio, excommunicatio est tantum comminatoria, & requirit, vt feratur, contumaciam, ergo non est signum obligationis ad mortale. Conseq. prob. Quia, vt feratur, requirit nouum peccatum.

73 Dico secundò. *Quando lex non requirit præuiam admonitionem, vt feratur excommunicatio, sed ipsa lex sufficienter monet, tunc est signum obligationis ad mortale.* Probatur. Tunc pœna excommunicationis est debita transgressori ex vi legis. Quia, quando lex assignat pœnam absque aliqua conditione, statim fit debita, ergo supponit peccatum mortale, cum non possit imponi nisi ob mortale.

74 Ad Fundamentum primæ sententię respondetur. Iudicem posse exequi talem pœnam, quando non requiritur præuia admonitio, secus autem, si requiratur.

75 Quæres. An suspensio, seu interdictum sit signum obligationis ad mortale. Respondetur affirmatiuè. Si suspendant, aut interdicant in re graui: secus autem si in re leui. Ita Suar. 4. *de leg. cap.* 18. Sanch. *lib.* 6. *summ. cap.* 4. *num.* 54. & alij communiter, quia sunt pœnæ grauissimæ, & proinde supponunt culpam grauem in ijs, quibus per se primò imponuntur.

76 Quæres secundò. An irregularitas sit signum obligationis ad mortale. Respondetur affirmatiuè, quando est ex delicto, vt docent Sanch. & Suar. *cit.* Salas *disput.* 10. *de legib. sect.* 9. & communiter. Quia etiam irregularitas, quando imponitur per modum pœnæ inhabilitantis, non imponitur nisi ex causa graui, atque adeo nisi pro peccato mortali; vnde quando imponitur pro homicidio casuali, non habet locum, nisi negligentia sit mortaliter culpabilis, vt docent Sylu. *verbo*. Homicidium 2. *qu.* 27. Sotus 5. *de iust. & iure quæst.* 2. *articul.* 9. Nauarr. *cap.* 27.

cap. 27. Manualis num. 137. Salas *disp.* 10. *de legib. sect.* 9. *num.* 64.

An lex humana obliget cum periculo vitæ.

SECTIO XVI.

77 PRima sententia asserit, semper obligare cum periculo vitæ. Ita Durand. *in 4. distinct.* 18. *quæst.* 5. *ad* 3. Gabriel *quæst.* 3. *dub.* 4. Adrian. *quæst.* 3. *de clauibus* Ioann. Andr. Host, Panormit. Fel, & alij in capit. *Sacris. De his, quæ vi*, &c. Probant. Lex est ordinata ad bonum commune, ergo obligat cum periculo vitæ, quia bonum cõmune est præferendum priuato. Secundò. Non excusatur à peccato, qui metu mortis communicat cum excommunicato cap. *sacris*. *De his, quæ vi*, &c.

78 Secunda sententia asserit, aliquando obligare cum periculo vitę, non tamen semper. Ita Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. *ad* 2. Palud. *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 6. *ar.* 2. Suar. 3. *de legib. capitul.* 30. Medina 1. 2. *quæst.* 96. *ar.* 4. *dub.* 2. Martinez *dub.* 6. *concl.* 1. Malder. *dub.* 14. Vasq. *disp.* 163. *cap.* 2. Lorca *disp.* 23. *de legib.* & alij. Probatur. Lex potest se extendere ad præcipiendum, quod est necessarium pro bono communi. Sed aliquando sunt necessariæ actiones, quę habent annexum periculum vitæ. ergo

79 Tertia sententia asserit, legem humanam nunquam obligare cum periculo vitæ. Ita Almain. 1. *mor. capitul.* 3. Maior. *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 4. Sotus 1. *de iustit. & iure quæst.* 6. *art.* 4. Syluest. *verbo.* Metus. *quæst.* 7.

80 Dico primò. *Lex humana vt talis non potest obligare cum periculo vitæ.* Probatur. Non potest plus obligare, quam se extendat potestas legislatiua, ergo non potest obligare cum periculo vitæ. Consequentia probatur. Potestas humana non habet ius contra vitas hominum, ergo non potest disponere de ipsis; disponeret autem, si obligaret.

81 Dices. Licet non habeat dominium, habet tamen vsum, Contra. Vel habet vsum secundum determinationẽ ab alio factam, & tunc non obligat cum periculo vitæ, quia non imponit de nouo obligationem ad exponendam vitam, vel potest vsum determinare, & tunc haberet ius supra vitam, quia disponeret de ipsis in ijs, in quibus ex natura rei non est facta determinatio.

82 Dico secundò. *Lex humana ex vi suæ determinationis potest facere subintrare obligationem legis Diuinæ, aut naturalis ad exponendam vitam, quatenus applicat personas ad ea quæ ex vi legis naturalis, aut Diuinæ implenda sunt, etiam cum periculo vitæ.* Probatur. Lex Diuina, & naturalis obligant cum periculo vitæ, ergo cum lex humana possit facere determinationes aliquas circa ipsas, potest etiam facere, quod subintret obligatio ipsarum ad exponendam vitam.

83 Ad primum negatur consequentia. Quia prouisum est per legem naturalem, & diuinam pro casibus, in quibus bonum commune est prę ferendum priuato, etiam cum periculo vitæ. Ad secundum. Textum illum debere intelligi de communicatione in crimine criminoso, aut in contemptum.

84 Ad primum secundę sententiæ negatur minor. Nam quando est exponenda vita pro bono communi, id prouenit ex obligatione legis naturalis, aut Diuinæ.

DE IIS, QVI SVBDVNTVR Legibus,

DISPVTATIO LVII.

An iusti subijciantur legibus.

SECTIO I.

1 DIcendum est. *Omnes, quantumuis iustos, & sanctos subijci legibus etiam humanis*, est de fide ex Clem. 1. *Ad nostrum, De hæret.* Et Trident. *sess.* 6. *can.* 9. *&* 20. contra Hæret. Beguar. & Beguin. & Caluinistas. Probatur Matth. vltimo, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis*, ergo omnes baptizati siue iusti, siue non, teneantur seruare mandata. Confirmatur. Ad Rom. 14. *Omnis anima potestatibus* sublimioribus subdita sit, ergo si omnis anima, etiam iusti.

2 Obijcitur. Ad Galatas 5. *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege*, iusti autem spiritu ducuntur, in quo clamant *Abba Pater*. Ad Rom. 8. ergo. Respondetur. Intelligi de ijs, qui sub lege euangelica ducuntur ab inspirationibus Spiritus Sancti, qui non sunt sub lege veteri, quæ est lex seruitutis, quæ premebat, & minabatur, non autem adiuuabat, ita Augustinus *de natura, & Gratia cap.* 57. Et hoc pacto etiam intelligitur illud Ad Rom. 6. *Non enim estis sub lege; sed sub gratia.*

3 Obijcitur secundò 2. Ad Corinth. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*; Spiritus autem Domini, est in iustis. Respondetur. Vbi Spiritus Domini ibi libertas à concupiscentijs, atque adeo à seruitute peccati; non autem à solutione legum.

4 Obijcitur tertiò. Ad Timoth. 1. *Iusto lex non est posita, sed iniustis.* ergo. Respondetur. Iusto non esse positam legem vt coactiuam, quia illam seruat ex amore, & delectabiliter, vt explicat August. *in Psalm. primum.*

5 Obijcitur quartò. Ex cap. *Duæ sunt.* 19. *quæst.* 2. *Qui lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt publica constringatur*, ergo. Respondetur. Per legem priuatam intelligi instinctum Spiritus Sancti, vt ibi explicat Pontifex. Nam ratione ipsius potest quis excipi ab omni lege, vt constat de Sampsone, qui ex instinctu Spiritus Sancti se occidit.

An legislator subijciatur proprijs legibus.

SECTIO II.

6 DIfficultas procedit de legislatore, qui si aliqua particularis persona, nam si sit communitas, vt senatus, singuli de ipsa subijciuntur legibus, quia se habent vt priuatæ personæ. Similiter difficultas procedit quando solum materia est communis tàm subditis, quàm legislatori; nec procedit de subiectione proprie dicta, quia hæc requirit distinctionem personarum, sed tantum de impropria, quæ importat obligationem seruandi legem.

7 Supponendum est. Omnes, qui sunt de communitate, subiici legibus illius communitatis, quia lex subiicit sibi omnes, ad quos loquitur, vt habetur Ad Roman. 3. vnde cum imponatur communitati, loquitur ad omnes, qui sunt de communitate.

8 Supponendum secundò. Legislatorem non teneri suis

legibus

legibus quoad vim coactiuam, vt communiter docent cũ D. Thoma 1. 2. *quæst. 96. articul. 5. ad 3.* Quia vis coactiua requirit essentialiter subditum, & superiorem tanquam distinctas personas, & proinde pœna debet esse ab aliquo maiore, vt habetur ex *l. Nam magistrat. ff. De arbitr.* Communiter docent cum D. Thoma. 1. 2. *quæst. 96. art. 5. ad 3.* legislatorem teneri ad seruandas suas leges ex vi directiua ipsarum,

9 Dico primò. *Quando lex humana coniungitur cum obligatione legis naturalis, aut Diuinæ, tenetur legislator obseruare suas leges.* Probatur. Legislator subijcitur legi naturali, & Diuinæ, ergo tenetur obseruare proprias, quando cum ipsis coniunguntur, quia propriæ accipiunt vim obligandi à naturali, & Diuina.

10 Dices. Posset non ponere tales leges, ergo cum ex voluntate ponat, non obligabitur. Respondetur negādo vniuersaliter antec. Nam aliquando bonũ communitatis exigit, quod ponantur. Vnde cum debeat facere, quod exigit, tenetur ponere. Deinde negatur etiam consequentia. Quia supposito, quod posuerit, subintrat ad ipsum obligandum lex naturalis, et diuina, cum ipsarum obligatio in ipsis legibus humanis imbibatur.

11 Dico secundò. *Legislator tenetur suis legibus purè humanis non semper, sed tantum aliquando,* & ita intelligitur capitul. *Iustum. Distinct. 9.* & capit. *cum omnes. De Constit.* & alia huiusmodi iura, in quibus habetur, quod Princeps seruare debet proprias leges. Probatur Matth. 23. Reprehenduntur Pharisæi, quod alligent onera importabilia, & digito suo nolint ea mouere. Confirmatur, Princeps est subiectus rectę rationi, ergo tenetur ex vi directiua seruare proprias leges. Consequentia probatur. Lex humana deriuat à naturali, ergo cum Princeps teneatur sequi dictamen rectæ rationis, tenetur etiam sequi propriam legem, cum contineat tale dictamen.

12 Dico tertiò. *Tunc lex purè humana obligat legislatorem, quando obseruantia est moraliter necessaria etiam in ipso pro bono communitatis.* Probatur. Lex debet esse necessaria pro bono communitatis, vt dictum est suo loco; alioquin non est vera lex, ergo non obligat legislatorem, nisi etiam in ipso specialiter sit necessaria obseruantia pro bono communitatis; alioquin grauaretur iniustè.

13 Dices. Principem esse partem communitatis, & ideò eo ipso, quod obligatur communitas, obligari etiam ipsũ. Contra. Princeps est pars superioris ordinis, quia non est membrum, sed caput, ergo lex non extendit ad ipsum suam obligationem ex eo, quod extendat ad communitatem; sed solum ex speciali necessitate obseruantiæ in ipso Principe.

14 Colligitur ex dictis. Principem obligari suis legibus, etiam ciuiliter, quatenus obligatio ciuilis est illa, quæ prouenit à lege ciuili; non autem quatenus iudicialiter possent leges ciuiles in ipso mandari executioni. Vnde quando transgreditur leges, fit dignus pęna non in ordine ad exequutionem ciuilem, sed tantum in ordine ad Deum.

An legislator obligetur proprijs legibus sub mortali.

SECTIO III.

15 PRima sententia asserit, obligari solum sub veniali. Ita Less. *libr. 2. capit. 35. num. 34.* Azor *par. 1. lib. 5. cap. 11. quæst. 1.* Salas *disput. 14. de leg. sect. 2. n. 127.* & alij. Probant. Lex non obligat vltra voluntatem legislatoris; non censetur autem, quod legislator voluerit se obligari sub mortali.

16 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Couarru. *Cap. Alma mater part. 1. §. 1. num. 5.* Vict. *Relect. de Simon. n. 39.* Sot. *in 4. distinct. 18. quæst. 1. art. 5.* Malder. 1. 2. *qu. 96. artic. 5.* & alij.

17 Dicendum est. *Legislatorem obligari suis legibus sub mortali, quando alias habent vim obligandi tali pacto.* Probatur. Tunc leges obligant sub mortali, quando ex transgressione oritur grauis difformitas ad rectam rationem. Sed oritur, quando Princeps non seruat leges, quas tenetur seruare, ergo. Minor probatur. Tum quia recta ratio exigit, seruari legem, & si non seruetur in re graui, consurgit grauis difformitas ad rectam rationem. Tũ quia cum transgressio sit in re graui, legislator non se habet ordinario modo respectu finis; solutio autem ordinis cum fine est grauis dissonantia ad rectam rationem.

18 Ad Fundamentum in oppositum distinguitur Maior. Lex non obligat vltra voluntatem legislatoris quoad applicationem ad obligandum; non autem quoad qualitatem obligationis, nam hæc consurgit ab intrinseco legis, vt suo loco dictum est.

Vnde oriatur obligatio seruandi proprias leges in legislatore,

SECTIO IV.

19 PRima sententia asserit, oriri ex eo, quod Deus vt auctor potestatis legislatiuę censetur illam concedere cum pacto virtuali, quod etiam legislator seruet leges à se positas. Ita Suarez 3. *de legibus capit. 35. numer. 11.* Granad. 1. 2. *controuers. 7. tractat. 3. part. 2. disp. 6. num. 7.*

20 Secunda sententia vult, oriri ex pacto cum Republica, quæ concessit talem potestatem cum pacto, quod etiam Princeps seruet leges.

21 Tertia sententia asserit, prouenire ex iure naturali, quod ex æquitate obligat ad seruandas proprias leges, ita Caietan. 1. 2. *quæst. 96. art. 5.* Medina. Mald. *ibidem.* Lorca *disput. 25.* Salas *disput. 14. de legib. sect. 2. numer. 17.* & alij.

22 Quarta sententia asserit, oriri ex vi eiusdem legis, quę secundum vim directiuam obligat etiam legislatorem. Ita Victor. *Relect. de Simon. num. 39.* Syluester. *Verbo. Lex. quæst. 14.* Conrad. 1. 2. *quæst. 96. artic. 5.* Martin. *dub. 1. Conclus. 4.* & alij.

23 Dico primò. *Licet Deus velit, quod Legislator seruet suas leges, quando opus est, non tamen hæc voluntas habet rationem pacti, cum quo sit collata potestas legislatiua.* Probatur. Si adesset tale pactum, legislator teneretur iure Diuino ad seruandas proprias leges, nec posset secum in ipsis dispensare, quia non potest dispensare in iure diuino; hoc autem est falsum. ergo

24 Dico secundò. *Legislator non tenetur seruare proprias leges ex pacto cum communitate.* Probatur. Hoc pacto sequeretur, quod Prælatus Ecclesiasticus non teneretur seruare proprias leges, quia non accepit potestatem à communitate, atque adeo non interuenit pactum. Rursus secluso pacto est contra rectam rationem non seruare proprias leges. ergo

25 Dico tertiò. *Obligatio seruandi proprias leges est radicaliter à lege naturali.* Probatur. Lex naturalis obligat ad vitandum omne malum, & ad omne honestum sequendum, quod est necessarium pro malo vitando, ergo obligat Principem ad seruandas proprias leges. Tum quia si non seruaret, non se ordinate haberet respectu communitatis. Tum quia læderet bonum commune. Tum quia cum debeat seruare rectum ordinem in communitate, debet etiam seruare in se ipso.

26 Dico quartò. *Princeps tenetur seruare proprias leges proximè ex vi ipsarum legum.* Probatur. Princeps tenetur seruare proprias leges, quia ita exigit bonum cõmune, ergo proxime ex vi ipsarum. Consequentia probatur. Lex ab intrinseco suo est secundum exigentiam boni communis, ergo vt intimatiua illius, quod est secundum talem exigentiam, obligat immediatè principem.

27 Objicitur. Lex est actus potestatis iurisdictionalis, ergo cum legislator nõn possit exercere iurisdictionẽ cum se ipso, nec etiam poterit directè obligari à lege. Resp.

esse actum iurisdictionalem, quatenus est actus imperij, non autem, vt est regula ordinatiua communitatis; obligat autem Principem non per modum imperij, sed per modum regulæ ordinatiuæ communitatis determinatis obligationem naturalem.

28 Quæres, An Legislator obligetur propria lege irritante. Respondetur negatiuè, quando irritatio prouenit ex eo, quod non seruetur aliqua forma, quia bonum commune non exigit has leges seruari à Principe, cum non sint necessariæ pro ipso. Si verò irritatio absolutè irritet actum secundum se, tunc Princeps obligatur, si obseruantia legis sit etiam necessaria ipsi, nam tunc actus absolutè prohibetur vt contrarius bono communi.

An Prælati inferiores Ecclesiæ teneantur proprijs legibus.

SECTIO V.

29 Dico 1. *Non teneri quoad pœnas impositas*, Probatur. Imponere pœnam est actus iurisdictionis coercitiuæ, quam nemo potest exercere in se ipsum. Ergo.

30 Dico 2. *Præsules inferiores non tenentur suis legibus, nisi eo modo quo tenentur Principes supremi*. ita Io: Andr. *in cap. Cuilibet* De *Reg. iur. in 6.* Salas *disp. 14. de leg. sect. 3. num. 33.* Probatur. Leges huiusmodi non sunt leges Superioris. Ergo non obligant nisi eo modo, quo Princeps supremus obligatur proprijs legibus.

31 Obijcitur. Præsules inferiores condunt leges vt personæ publicæ, ergo cum sint etiam personæ priuatæ possunt obligari proprijs legibus, sicuti obligantur cęteri. Respondetur negando conseq. Quia vt personæ priuatæ solum possunt ligari legibus illius, respectu cuius sunt tales.

32 Dico 3. Patriarchæ, Archiepiscopi, &c. obligantur legibus Synodi prouincialis, sicuti obligantur cæteri. Ita Vasquez *1.2. disp. 167. cap. 1.* Suar. *3. de legib. cap. 35.* & alij. Probatur. Potestas legislatiua est in omnibus Episcopis, qui conueniunt ad Synodum. Ergo est maior & Superior, quam potestas Patriarchæ, aut Archiepiscopi, cum possit obligare totam prouinciam. Ergo potest obligarę Archiepiscopum, vt vnum de communitate.

33 Obijcitur ex cap. *Graue.* De *præbend.* Archiepiscopus non potest puniri à Synodo. Ergo non ipsi subijcitur, ergo nec legibus ipsius, sed est superior Synodo. Respōdetur esse superiorem non quoad iurisdictionem, sed quia præsidet Synodo, & ideò ob dignitatem præsidentiæ prohibetur puniri.

An infideles apud Christianos obligentur eorum legibus.

SECTIO VI.

34 Dico 1. *Infideles non baptizati non obligantur legibus Ecclesiasticis*. Probatur. Non sunt de corpore Ecclesiæ. Ergo non obligantur legibus positis pro communitate Ecclesiastica. Vnde ad Corinth. 5. *De his, qui foris sunt, nihil ad nos*.

35 Dico 2. *Deficientes à fide subduntur legibus Ecclesiasticis*. Probatur. Pertinent ad corpus Ecclesiæ ratione characteris baptismalis. Ergo subduntur potestati Ecclesiasticæ.

36 Dico 3. *Infideles subduntur legibus ciuilibus Christianorum, quando apud ipsos morantur*. Probatur Infideles sunt de communitate ciuili, cum habeant ciuilem societatem cum Christianis. Ergo obligantur legibus communitatis.

An pueri obligentur legibus humanis.

SECTIO VII.

37 Certum est, non obligari ante vsum rationis, quia nec cognoscunt obligationem legis, nec humano modo operari possunt. Rursus certum est, etiam obligari, quando perueniunt ad vsum rationis, nisi præcepta requirant maiorem cognitionem, quam possit esse in illa ætate, vt est præceptum sumendi Eucharistiã, aut consuetudo aliter interpretetur, vt contingit in præcepto ieiunij. Vnde solum. Difficultas est, an obligentur cæteris præceptis statim, at perueniunt ad vsum rationis.

38 Prima sententia est negatiua, ita Sot. *in 4. distin. 12. quæst. 1. ar. 11.* Henriq. *lib. 8. sum. cap. 42. num. 4.* Victor. *relect. 2. de veniente ad vsum rationis num. 11.* Corduba *in summa quæ. 4.* & alij.

39 Secunda sententia asserit, statim obligare, ita Sot. *in 4. distinc. 18. quæst. 1. ar. 3.* vbi oppositum docet, Palud. *distinc. 15. qu. 4. ar. 1.* Sanch. *lib. 1. sum. cap. 12. nu. 6.* & communiter.

40 Dico 1. *Pueri statim, ac perueniunt ad vsum rationis tenentur legibus humanis, quarum habent capacitatem moralem sufficientem*. Probatur. Possunt statim operari morali modo. Ergo sunt capaces directionis per legem humanam. Ergo obligantur, quia in tantum non obligarentur, in quantum non essent capaces directionis legalis.

41 Dico 2. *Pueri post vsum rationis non statim subsunt pœnis impositis à lege, sed solum quando habent perfectum vsum rationis, nempe circa pubertatem.* Ita Vasq. *3. par. quæst. 90. ar. 2. dub. 4.* Suar. *disp. 36. de pœnit. sect. vltima in fine.* Rodriq. *1. par. Sum. cap. 57. num. 2.* & alij. Probatur esset nimis durum, si punirentur pœna imposita à lege. Tum quia non perfectè percipiunt turpitudinem flagitij. Tum quia non interuenit tanta malitia, quia habent minorem cognitionem. Tum quia ætas facilè falli potest, & ideò est compatiendum. Ergo.

42 Quæres An ementes obligentur legibus. Communiter conueniunt excusari ab obseruantia; sed neq; etiam obligantur, vt docet Medina *1.2. quæst. 94. ar. 1.* Sot. *1. de iust. & iur. qu. 3. ar. 9.* & alij. Quia si fuerunt perpetuò amentes nunquam fuit in illis capacitas proxima ad obligationem, & proinde nunquam lex loquuta est ad ipsos, cum non potuerint audire: Si verò aliquando habuerunt vsum rationis, quando facti sunt ementes desierunt esse capaces obligationis ex defectu debitæ dispositionis; effectus autem non potest conseruari in subiecto aliquo in quo deficit debita dispositio.

An Ciues obligentur legibus proprij loci, dum sunt absentes.

SECTIO VIII.

43 Prima sententia est affirmatiua. ita Paludan. *in 4. dist. 15. ar. 3.* Syluest. *verbo* Ieiunium, *quæst. 2.* Bartol. *in l. Cunctos populos num. 32. c. De Summ. Trinit.* Alexand. *consil. 41. num. 6. lib. 5.* & alij.

44 Secunda sententia est negatiua. Ita Glos. *in cap. Romana.* Abbas *in cap. à nobis.* De *senten. excommun.* Ancharan. *in l. fin. ff. de iurisdictio. omnium iud.* Castren. *ibid.* Bald. *ibid.* Suar. *disput. 5. de censur. sect. 4. & 5.* Sayrus *lib. 7. Clauis regiæ cap. 3. num. 11.* Mærat. *tom. 1. sum. disput. 16. de legibus sect. 3.*

45 Dico 1. *Leges municipales non obligant subditos dum sunt absentes*. Desumitur ex cap. *Romana*, De *sent. excommun.* & cap. *vt animarum.* §. *statuto.* De *Constit. in 6.* Probatur. Potestas legislatiua non se extendit extra locum, cui præest Legislator. Ergo neque obligatio le-

gis

gis cum non possit causa extendere effectum extra propriam Sphæram. Antecedens probatur. Est potestas iurisdictionalis. Iurisdictio autem non extenditur extra proprium territorium, vt habetur ex Clem. p. *De foro compet.* Et ex cap. *Episcop.9.quæst.2.*&cap. *vt animarum De Constit. in 6.*

46 Dices. Subditum obligari lege locali, quando est intra territorium, & portat secum obligationem. Contra quando discedit, fit extra Sphæram iurisdictionis. Ergo subtrahitur obligationi, quia obligatio non potest subsistere extra sphæram potestatis, à qua prouenit.

47 Dico 2. *Vt quis non obligetur legibus proprij loci, decet esse absens non solum formaliter secundum personam, sed etiam virtualiter, ita vt non habeat præsentiam virtualem, quæ consistit in eo, quod secundum aliquid, quod concernat personam, sit præsens, vt sunt bona, munus exercendum, contractus, delictum, &c.* Probatur lex obligat personam ratione materiæ, circa quam versatur. Ergo lex potest obligare absentem formaliter, & præsentem virtualiter, quia potest disponere de ijs, quæ pertinent ad personam, & sunt intra territorium.

48 Obijcitur. Qui est in alieno territorio, est subditus respectu proprij. Ergo subditur legibus. Respondetur esse subditum non in actu, & proximè, sed tantum in habitu, & remotè.

49 Obijcitur 2. Prælatus potest excommunicare subditum existentem extra territorium, & absoluere. Ergo etiam obligare per leges. Respondetur. Posse id facere, si sit virtualiter præsens; secus autem, si non sit.

50 Obijcitur 3. Prælatus potest imponere subdito præceptum vbicunque existat. Ergo etiam obligare per legem. Respondetur. Posse imponere quo ad ea, in quibus est virtualiter præsens, & pertinent ad territorium; non autem in ceteris.

An Aduenæ obligentur legibus loci, in quo sunt.

SECTIO IX.

51 SVpponendum. Posse fieri directè pro aduenis, si hoc spectet ad bonũ communitatis. Ita Host. *in cap. A nobis, De sent. excommunic.* Panor *ibidem*; & communiter, quia quælibet communitas habet potestatem recipiendi aduenas cum illis conditionibus, quas exigit bonum commune. Vnde difficultas procedit de legibus, quæ sunt latæ pro ipsis ciuibus.

52 Prima sententia est affirmatiua; ità Panorm. *in cap. Consilium num.6. De obseruat. ieium.* Præpositus *in cap. Quæ contra dist.8.* Felin. *in cap. Quod cler. De for.compet.* Suar. *3. de legib.cap.3.* Vasq. *3.par.disput.134.cap.3.* & alij.

53 Secunda sententia est negatiua. ita Archidiac. *in cap. Illa distin. 17.* Turrecrem. *ibidem.* Sanch. *lib.3. de matrim.disput.18.num.6.* Paludan. *in 4.distinc.15.qu.4.* Medina *C.de ieiun.quæst.10.* alter Medin. *1.2. quæst. 96. ar. 1.* & alij.

54 Dico 1. *Aduenæ obligantur legibus loci, in quo sunt quo ad actus communes, in quibus communicant cum cæteris, vt sunt contractus, vel qui pertinent ad esse publicum communitatis.* Probatur. Lex obligat omnes, qui subditi sunt; sed aduenæ exercentes hos actus fiunt subditi ratione ipsorum. Ergo: minor probatur. Actus, qui concernunt immediatè esse publicum, sunt sub dispositione legis localis, quia pertinent ad potestatem illius loci regulare esse publicum. Ergo licet aduenæ de se non subijciantur, subijcientur ratione actuum, qui pertinent ad communitatem.

55 Dico 2. *Aduenæ quo ad cæteros actus non tenentur legibus communitatis, in qua sunt.* Probatur, Aduenæ non sunt subditi. Ergo neque tenentur legibus loci, quia lex obligat solos subditos. Antecedens probatur. Aduenæ non incorporantur communitati. Ergo non fiunt subditi, quia subiectio consistit in vnione per modum membri cum capite. Vnde communiter docent cum Glos. *in cap. Statutum, De rescript. in 6.* quod tantum duobus modis contingat subiectio habitualis, nempè ratione originis, & domicilij.

56 Obijcitur. Pars debet congruere toti. Ergo ex tacito pacto aduenæ tenentur legibus loci. Respondetur negando Conseq. Quia Aduena non est pars communitatis.

57 Obijcitur 2. Aduenæ non seruantes legem ex consuetudine puniuntur. Ergò obligantur legibus. Respondetur. Puniri ex consuetudine, quando violant leges, quas tenentur obseruare: quo ad alias verò, si adsit talis consuetudo, fundatur in opposita opinione.

58 Obijcitur 3. Non sunt subiecti legibus proprij domicilij. Ergo legibus loci in quo sunt. Respondetur negando Conseq. Quia licet sentiant commodum absentiæ à proprio domicilio; non debent tamen sentire incommodum loci, in quo sunt: nam tunc solum, qui sentit commodum, debet sentire incommodum, quando vtrumque prouenit ab eadem causa.

59 Obijcitur 5. Lex fertur pro toto territorio in ordine ad bonum regimen. Ergo debet seruari etiam ab Aduenis, alioquin perturbaretur totum regimen. Respondetur negando Consequen. Nam sufficit ad conseruandum rectum regimen, quod aduenæ seruent leges concernentes immediatè esse publicum, & actus communes cum cæteris.

An qui per maiorem anni partem moratur in aliquo loco, obligetur legibus loci.

SECTIO X.

60 PRima sententia est affirmatiua. Ita Felin. *in cap. Quod clerici init. De foro compet.* Dominic. *in cap. quæ contra dist.8.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 18. num.9.* Lessius *lib. 4. de inst. & iure cap. 2. dub.7.num.47.* Martin. *1.2.quæst.96.ar.5. dub.7.* Mald. *ibid.&c.* Probant. Cum quis moratur alicubi maiori anni parte, potest ibi recipere Sacramenta excepto ordine. Ergo acquirit quasi domicilium. Ergo tenetur legibus loci.

61 Secunda sententia est negatiua. Ita Glos. *in cap. His qui. De sepult. in 6.* Bald. *in l. Est verum. Cod. De Incolis.* Alciat. *respons.55. num.9.* Panormit. *in cap. In nostrà num. 10. De sepult.* Gratian. *cap. 171. discept. for. num. 10.* Molina *de iust. & iure tract. 2. disp. 204.* Molfes. *par.1. summ.tract.2.cap.2.num.6.* Rota *decis.188. nu. 1. & 2.par.2. Recent.*

62 Dicendum est. *Commorantes maiori anni parte in aliquo loco absque animo contrahendi domicilium, non tenentur legibus loci.* Probatur. Per quamcumque moram diuturnam in aliquo loco non contrahitur domicilium *l. quæsitum De legat. 3.* & *l. penult. ff. de senat.* & *leg. Nec ipsi. c. De Incol.* & cap. *Romana, De foro compet.* & cap. *His qui. De sepult. in 6.* Ergo non inducit obligationem legis localis. Consequentia probatur. Ad inducendam obligationem legis requiritur potestas iurisdictionis ex vna parte, & subiectio ex alia, ex cap. *fin. De constit. in 6.* & *l. final. ff. De iurisdic. omnium iudic.* vbi autem non est domicilium, non est absoluta subiectio, sed tantum in casibus à iure expressis. Tum quia non adest incorporatio in communitate. Tum quia subiectio non acquiritur nisi voluntariè, atque adeò requirit animum se incorporandi in communitate.

63 Ad fundamentum in oppositum negatur conseq. Nam quod possit recipere Sacramenta, prouenit ex dispositione iuris fingentis quo ad hoc subiectionem ob vitanda incommoda. Fictio autem iuris non debet extendi vltra casus expressos, vt communiter docent, cap. *In præsentia. De probationibus.*

An

An quando lex loci, in quo est aduena, est etiam in proprio domicilio, teneatur ad talem legem.

SECTIO XI.

64 PRima sententia est affirmatiua. Ita Bonacina *disp.1.de legib.quæst.1.punct.6.numer.*52. Caspens. *par.1.Cursus Theolog. disput.2.de legib. sect.*4. & alij. Probatur. Lex obligat in vtroque loco. Ergo non adest causa subtrahens ab obligatione legis.

65 Secunda sententia est negatiua. Ita Io. Sanch. *in selec. de Sacram. disp.*54.*num.*31.& alij.

66 Dicendum est. *Leges locales non obligare aduenas, etiam si sint eadem in proprio domicilio.* Probatur. Non obligantur lege loci, in quo sunt, nec à lege proprij domicilij, quia eius obligatio non extenditur extra territorium. Cap. *A nobis* 1. De *sentent. excommunicat.* & constat ex dictis. Ergo nullo modo obligantur, quia non adest causa, vnde proueniat talis obligatio; nec istæ leges coalescunt in vnam communem vtrique communitati, sed semper sunt pro distinctis communitatibus.

67 Dices. Aduenam obligari lege loci supposita eadem lege in proprio domicilio, tanquam conditione. Contra. Hæc conditio non facit, quod aduena sit subditus iurisdictioni locali. Ergo neque quod obligetur lege.

68 Dices 2. Obligari ex tacito consensu Superiorum. Contra. Superiores non possunt obligare subditos, nisi intra proprium territorium. Ergo nec consentire, quod ab alijs obligentur; qui non habent potestatem, cum per consensum non possit tribuere talem potestatem.

69 Ad fundamentum in oppositum. Respondetur. Legem obligare in vtroque loco eos, qui sunt de loco; non autem aduenas, quia non est vna lex communis omnibus, sed multiplex; & vna non extendit vim suam extra territorium; alia verò non extendit ad non subditos.

An vagi subijciantur legibus localibus.

SECTIO XII.

70 PRima sententia est affirmatiua. Ita Sanch. *lib.*1. *sum.cap.*17.*numer.*23. Suar. *tom.*1.*de relig. tractat.*1.*libr.*2.*cap.*14.*numer.*20. Lorca 1.2. *disputat.* 25. *de legibus.* & alij. Probant. Vagi nullibi habent domicilium. Ergò vbique acquirunt. Ergo vbique subijciuntur legibus localibus. 2. Sequeretur, quod essent exempti ab omnibus legibus municipalibus. 3. Iudices puniunt vagos vbicunque reperiuntur, etiam ob delicta alibi commissa. Ergò etiam subijciuntur legibus.

71 Secunda sententia est negatiua. Ita Medina 1.2. *quæst.* 96. *artic.*5. *in fine*, Sanchez *in select. de Sacram. disputat.*54.*num.*34. Sayrus *lib.*3.*Clau.reg.cap.*4.*numer.* 15. Lessius *lib.*4. *De iustitia, & iure. cap.*2.*dub.*7. *nu.*8. Laiman *lib.*1. *Theolog. moral.tract.*4. *cap.*12. *numer.*7. Boss. *sect.*4.*de Iubil.casu* 18. *num.*58.

72 Dicendum est. *Vagos non obligari legibus loci, quæ concernunt actus merè personales; secus autem si concernant esse publicum, aut requirant consortium incolarum.* Probatur. Lex non plus extenditur, quàm se extendat iurisdictio Legislatoris, atque adeo tantum ad eos, qui sunt membra corporis ciuilis *l.fin.ff.* De *iurisd. omnium iudic.* & cap.2. *de constitut. in* 6. Sed vagi non sunt membra corporis ciuilis. Ergo. Minor probatur. Non potest quis fieri membrum, nisi sit in corpore communitatis, atque habeat animum se incorporandi, cum incorporatio sit actus voluntarius; vagi autem non habent talem animum.

73 Ad 1. Negatur Consequentia. Quia facto ipso contradicunt acquisitores domicilij. Ad 2. Conceditur sequella, quo ad leges concernentes actiones personales, negatur verò quo ad reliquas. Neque hinc sequitur aliquod absurdum. Ad 3. Vagos posse capi ratione delicti vbicunque sint, quia ita decernit ius *l.*1. *cap. vbi de crimine, &c.* An verò debeant remitti pro punitione ad iudicem loci, vbi deliquerunt, non conueniunt Doctores.

An Ecclesiastici obligentur legibus ciuilibus.

SECTIO XIII.

74 SVpponendum est tanquam certum. Non obligari legibus ciuilibus, quæ aliquo modo pugnant cum ipsorum dignitate, aut contrariantur legibus Canonicis, vt est determinatum in iure Canon. præsertim cap. *Nouerint.* De *sentent. excommunic.* Et in Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. *de reformat.* Vnde difficultas est de cæteris legibus.

75 Prima sententia est negatiua. Ita Nauar. *consil.* 4. *num.*5. De *constitut. in* 1. *editione.* Graf. *to.*1.*decis.lib.*2. *cap.* 10. *numer.* 14. Probant. Laici nullam habent potestatem in personas, & res Ecclesiasticas, cap. *Bonum quidem dist.*96. & cap. *Inter hæc* 33. *quæst.*1. Lex autem non obligat in conscientia, nisi proueniat ab eo, qui habet potestatem.

76 Secunda sententia asserit obligare in conscientia. Ita Bartol. *in l. Cuncti populi C.* De *Sum.Trinitat.* Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.*5. Malder. *titul.de Ecclesiast.*& communiter tam Legistæ, quam Theologi.

77 Dico 1. *Leges ciuiles, quæ non repugnant statui Ecclesiastico, & legibus Canonicis, obligant Ecclesiasticos in conscientia in ordine ad communitatem ciuilem.* Probatur. Si Ecclesiastici non seruarent has leges, inuerterent debitum ordinem politiæ ciuilis. Ergo tenentur seruare. Antecedens probatur. Hæ leges eo ipso, quod sunt iustæ, sicut etiam necessariæ pro conseruatione communitatis cum debito ordine. Ergo si non seruentur inuertitur debitus ordo. Consequentia probatur. Ecclesiastici ratione exemptionis non possunt inuertere ordinem, & gubernationem politicam. Ergo. Confirmatur. Qui sunt de diuersa communitate, tenentur seruare leges illius communitatis, vbi est res, de qua agitur, aut vbi fit contractus, & proinde ibi sortitur forum, Cap. *Licet* De *foro compet.* Ergo quando materia, de qua est lex, concernit esse publicum, politiæ ciuilis, aut requirit consortium aliorum, tenentur Ecclesiastici seruare leges, quia agitur de eo, quod est sub dispositione ciuili, cui Ecclesiastici se immiscent.

78 Dico 2. *Ecclesiastici non obligantur legibus ciuilibus, quæ disponunt de actionibus merè personalibus, etiamsi non repugnent Statui Ecclesiastico.* Probatur. Lex non obligat, neque directè, neque indirectè eos, qui sunt de altera communitate, nisi quatenus volunt communicare simul. Sed personæ Ecclesiasticæ sunt de alia communitate sub alio capite. Ergo: minor probatur. Ecclesiastici sunt omnino exempti à iurisdictione laicorum, ita vt laici nullam habeant facultatem imperandi, vt decernit Innocent. III. *cap. Ecclesia S.M.* De *Constit.* Ergo sunt communiter distincta.

79 Ad fundamentum in oppositum negatur Consequent. Quia obligatio in conscientia, licet non proueniat à potestate laica, aliunde tamen prouenit, vt mox explicabimus.

Quomodo Ecclesiastici obligentur legibus ciuilibus.

SECTIO XIV.

80 PRima sententia asserit, solum obligari ex naturali æquitate. Ita Medina *c. de restit. quæst.36.* *Azor.par.1.lib.15.cap.12.quæst.3.*Layman *lib.1.trac.4.* *cap.4.num.6,*Mald.*1.2.quæst.96,ar.5. tit. de Ecclesiasticis,* & alij.

81 Secunda sententia asserit obligari, quia approbantur per Sacros Canones. Ita Decius *in cap. Eccl. 5.in numer.*27.De *Constit.*Panormitanus *num.13.*Butr.*num.17.* Suar.*3.de leg.cap.34.num.13.*Vasquez *1.2.disputat.153 cap. 2.*& alij.

82 Tertia sententia asserit obligari, quia ipsis directè subijciuntur quo ad vim directiuam. ita Bartol.*in l.Cunctos populos,numer. 28. C.De sum. Trinitat.* Victor. *de potest. Ecclesiast.quæst.vltima numer.*4.Sotus *2.de iustitia, & iure quæst.6.artic.7.*Sanchez *lib.7.summ. cap.3. numer.* 20. Marat. *tom.1.sum. disputat. 16. de legibus, sect. 4.*

83 Dico 1.*Seclusa approbatione Ecclesiæ tenentur Ecclesiastici seruare leges ciuiles.* Probatur. Si non seruarent tales leges seclusa approbatione, inducerent defectum in ordine publico communitatis non secus,ac laici,atque adeo in materia graui facerent aliquid inordinatum. Ergò peccarent.

84 Dico 2. *Leges ciuiles non obligant Ecclesiasticos iurisdictionali modo ex vi legis, atque adeo nec ex vi potestatis legislatiuæ, quæ est in laicis.* Probatur. Principes laici non habent aliquam iurisdictionem in personas Ecclesiasticas etiam in ordine ad temporale. Ergo leges ipsorum non possunt ipsas obligare ex vi potestatis legislatiuæ. Antecedens passim statuitur in iure, vt in cap. *Seculares*, De *foro comp.in 6.* & in cap. *Eccles.5.S.M.*De *constit.*& à Leone X.*in Concil. Later. sess.9. in Bulla de reformat.curiæ.*vbi decernit,quod tam iure Diuino, quã humano nulla competit potestas laicis in personas Ecclesiasticas.

85 Dices. Laicos non habere potestatem supra Ecclesiasticos seorsim à Laicis, secus autem quoad leges communes tam laicis, quam Ecclesiasticis. Contra. Si possent imponere leges in communi, adhuc Ecclesiastici essent sub communi iurisdictione simul cum cæteris. Ergò non esset verum, quod laici nullam habent iurisdictionem in Ecclesiasticos contra definitionem Summorum Pontificum.

86 Dico 3.*Obligatio seruandi leges ciuiles in Ecclesiasticis prouenit ex iure naturæ, & ex ipsa lege ciuili non vt imperatiua, sed vt directiua; ita vt coniuncta cum lege naturali compleat vnam vim obligatiuam, quatenus lex naturalis obligat in communi, & lex ciuilis determinat obligationem.* Probatur. Lex naturalis obligat ad seruandum vnicuique ius suum. Ergo obligat Ecclesiasticos ad seruandas dictas leges ciuiles. Consequentia probatur. Communitas habet ius ad rectum regimen sui ipsius. Ergo Ecclesiastici tenentur illi seruare hoc ius. Ergo etiam leges,quia non seruando læderent ordinem politiæ ciuilis, atque adeò ius communitatis.

87 Obijcitur. Patres docent, Ecclesiasticos esse subiectos legibus Regum terrenorum. Ergo. Respondetur. esse intelligendos de subiectione impropria, quæ solum dicit obligationem modo explicato.

88 Obijcitur 2. Episcopus, si occupatur à Rege sine fraude,excusatur à præcepto Metropolitani. *cap.Si vobis 23.quæst.8.*Ergo. Respondetur. Excusari ex indulgentia iuris Canonici;non autem,quia subiectus sit Regi.

89 Obijcitur 3. Princeps tenetur ex iustitia defendere Ecclesiasticos; non tenetur autem nisi respectu suorum subditorum. Respondetur negando minorem. Nam defensio ex titulo iustitiæ non solum est debita titulo subiectionis, sed etiam ex alio capite, vt ex protectione assumpta, &c.Princeps autem tenetur defendere Ecclesiasticos in compensationem ministerij, quod exhibent laicis.

90 Obijcitur 4.Si Ecclesiastici essent exempti à legibus ciuilibus, esset contra rationem, ad ipsas obligari, quia exemptio esset rationabilis. Ergo cum non sit contra rationem,non erunt exempti. Respondetur. Esset contra rationem obligari ex eo capite, ex quo sunt exempti; non autem ex alio capite; sunt autem exempti, quatenus sunt actus iurisdictionis, & ideò est contra rationem ex hoc capite obligari.

An Ecclesiastici subijciantur legibus ciuilibus quo ad vim coactiuam.

SECTIO XV.

91 DIco 1.*Ecclesiastici nullo pacto subijciuntur potestati coactiuæ legum ciuilium in ordine ad laicos.* Ita Sot.*in 4.distin.25.quæst.2.ar.2.*Azor. *1.part. lib.5.cap.12.*Salas *disput.14.de leg.sect.10.* & communiter. Probatur ex cap. *Lege Imperatoris distinct. 10.* & ex cap. *Si Imperator*, & cap. *Nunquam dist.96.*& cap. *Nouerit*,& cap.*Grauiter De sentent.excom.*& alibi passim reprobatur quicquid præiudicat immunitati Ecclesiasticæ;maxime autem præiudicat vis coactiua laicorum. Confirmatur laici nullam habent iurisdictionem in Ecclesiasticos, vt constat ex dictis in Superioribus. Ergo nec etiam possunt exercere vim coactiuam.

92 Dico 2.*Leges ciuiles obligantes Ecclesiasticos accipiunt vim coactiuam à lege naturali.* Probatur. Vis coactiua sequitur vim obligatiuam legis respectu subditorum,quia potestas obligatiua siue coactiua posset frustrari suo fine. Ergo cum lex naturalis communicet legi ciuili vim obligatiuam in ordine ad Ecclesiasticos, communicabit etiam vim coactiuam.

93 Obijcitur ex cap.*Filijs, & Nepot. 16. quæst.7.* Si Metropolitanus defraudet res Ecclesiæ denunciandus est Regi.Ergo debet cohiberi à Rege. Respondetur. Esse denunciandum in ordine ad id,quod est in potestate Regis, vt nimirum moneat, & instet de prouisione apud Summum Pontificem. ita Archid.& Panorm. *ibidem*.

94 Obijcitur 2.ex cap.*Principes 23.quæst.5.* Ecclesiasticos contemnens Ecclesiasticam disciplinam debet cogi rigore Principum. Ergo. Respondetur debere cogi, quando ab Ecclesiasticis imploratur brachium sæculare iuxta caput.1.*De officio ordin.* & cap.*Postulasti. De homic.*non autem, quando non imploratur.

DE EPICHIA, SEV EMENDATIONE Legis.

DISPVTATIO LVIII.

An Epichia habeat locum in lege humana.

SECTIO I.

1 EPichia, vt docet Aristot. 5. *Ethicor.cap.*10. Est emendatio iustæ legis,& importat iudicium,quo Legislator non intendit obligare in tali casu. Dicitur autẽ emendatio legis,quia reducit rigorẽ legis ad æquitatẽ,& differt ab interpretatione,quia hęc est ad omnes casus,vt notat D.Thomas, 2.2.*quæst.* 120. *par.*1. certum est autem habere locum in lege humana,vt communiter docent

cum

cum Aristot. *citato*, quia lex ratione vniuersalitatis potest in casibus particularibus ratione circumstantiarum deficere ab æquitate. Vnde solum difficultas est; an tantum habeat locum, quando seruare leges esset peccatum.

2 Prima sententia est affirmatiua. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.*120.*art.*1. Sotus *de iustitia, & iure quæst.*7.*ar.*8. Vasquez 1. 2. *disputation.*186. *capit.*6. & alij. Probant. Epichia est emendatio legis cum peccat. Sed solum peccat, quando obseruare illam esset peccatum. Ergò 2. Epichia est pars iustitiæ. Ergò reducit legem ad iustitiam. Ergò solum excludit obseruantiam, quæ esset iniusta.

3 Secunda sententia asserit, habere locum etiam quando lex esset nimis dura, & difficilis. ita Suar. 6. *de legib. cap.*7. Gordon. *lib.*2. *Theologiæ moral. quæst.*12. *cap.*3. Lorca 1. 2. *disput.*26. *de legib.* Caspens. 1. *par. cursus Theolog. disput.*6. *de leg. sect.*1. *num.*6.

4 Dicendum est, *Epichiam habere locum, etiam quando lex est nimis dura, & difficilis.* Desumitur ex *l. Nulla. ff. De legibus.* Probatur. Lex debet esse moraliter possibilis; non est autem talis, quando est nimis dura, & difficilis. Ergo in casu particulari, quando fit nimis grauis, habet locum epichia.

5 Dico 2. *Epichiam habere locum, quando potest iudicari, Legislatorem nolle obligare, & si aliàs lex posset obligare.* Probatur. Epichia emendat legem iuxta intentionem legislatoris, vt ait Aristot. 5. *Ethic. cap.*10. Ergò reducit legem ad illam mensuram obligationis, ad quam reduceret Legislator in talibus circumstantijs.

6 Dico 3. *Epichiam habere locum, non solum quando obseruantia legis est contra bonum commune, sed etiam contra particulare, nisi particulare sit exponendum pro communi.* Probatur. Defensio est de iure naturali. Ergò quando obseruantia legis affert notabile incommodum, habet locum Epichia, quod lex non obliget contra ius se defendendi auertendo proprium incommodum.

7 Dico 4. *Non solum Epichia habet locum, quando agitur de vitando damno, sed etiam de non acquirendo commodo.* Ita Caietan. *in sum. verbo.* Festorum violatio. Angelus *verbo* Festa. *numer.*34. Rosel. *ibidem.* Suarez 6. *de leg. cap.*7. & alij contra Bartol. *in leg. Non dubium, numer.*9. *Cap. de legibus.* Syluest. *verbo.* Dominica. *quæst.*4. Probatur. Quilibet habet ius ad iusta lucra. Ergò quando lucrum est notabile, censenda est non priuare tali iure: præsertim quia lucrum cessans æquiualet damno, *l. vnica Cod.* De *sentent. quæ pro ea*, &c.

8 Ad 1. Respondetur. Epichiam esse emendationem legis, quando peccat contra æquitatem, non autem quando solum peccat contra Deum. Ad 2. Epichiam esse partem iustitiæ legalis, atque adeo excludere obseruantiam, quæ non esset secundum ipsam, tunc autem non est, quando est nimis onerosa.

An in dubio de obligatione legis licita sit epichia.

SECTIO II.

9 DIco 1. *Quando dubitatur, an actus comprehendatur sub lege, aut recurrendum est ad superiorem, aut lex est seruanda.* Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.*96. *art.*6. *ad* 2. Probatur. In dubijs melior est conditio possidentis. Ergo quando dubitatur, an casus comprehendatur sub lege, seruanda est lex, nisi aliter Superior declaret, quia lex est in possessione obligandi. Posset tamen aliquis dicere, quod lex non est in possessione obligandi, nisi quatenus eius vis obligatiua est certa; non autem quando est dubia. Quia lex non potest acquirere possessionem fundatam in dubio. Quando autem dubitatur, an casus comprehendatur sub lege, est dubium, an vis obligatiua legis se extendat ad illum casum. E contra verò possessio libertatis subditorum in ijs, in quibus non obligantur à lege, est certa, & proinde melior est conditio ipsorum tanquam possidentium libertatem. Quod an admittendum sit, alijs iudicandum relinquo.

10 Dico 2. *Quando non potest adiri Superior, adhuc seruanda est lex, nec habet locum epichia.* Ita communiter cum D. Thom. *citat.* contra Syluest. *verbo* Papa, *quæst.*15. Henriquez *lib.*14. *capit.*3. *numer.*3. Probatur. Adhuc lex est in possessione obligandi, & subditus habet solum ius dubium, an possit se eximere à lege. Ergo seruanda est lex, quia ius dubium non potest præualere contra certum. Et hoc nisi aliter dicendum sit, vt in prima conclus.

11 Obijcitur necessitas non habet legem. Ergo in tali casu non est seruanda. Respondetur negando Consequentiam. Quia stante dubio, non est necessitas, quæ præualeat.

12 Obijcitur 2. Dubitans de existentia legis, non tenetur seruare. Ergo nec qui dubitat, an lex obliget in tali casu. Respondetur negando consequent. Quia in primo casu lex non est in possessione obligandi, nec habet ius certum ad obseruantiam. Hæc autem procedunt, in consequentiam primæ conclus.

An in iudicio probabili liceat vti epichia.

SECTIO III.

13 PRima sententia est negatiua. Ita Vasquez 1. 2. *disputat.*17. *cap.* 3. Salas *disputat.*2. *de leg. sect.* 10. *numer.* 25. Probant. Lex seruari potest absque peccato, & verba legis comprehendunt casum. Ergo quamdiu certo non constat, non fuisse comprehensum, non licet discedere à lege. 2. Tunc lex non peccat. Ergo non debet emendari per epichiam.

14 Secunda sententia asserit, esse licitam, quando non potest recurri ad Superiorem. Ita Sotus 1. *de iustitia, & iure quæst.*6. *artic.* 8. Suarez 6. *de leg. capit.* 8. *numer.* 8.

15 Tertia sententia asserit, esse absolutè licitam. Ita Lorca 1. 2. *disput.*26. *de legib.* Nauar. *in manu. prælud.*9. *num.*16. & alij

16 Dicendum est. *Epichiam fundatam in iudicio probabili esse simpliciter licitam, etiam quando recurri potest ad Superiorem.* Probatur. Est licitum operari secundum opinionem probabilem. Ergo etiam non seruare legem, quando probabiliter iudicatur, casum non comprehendi sub ipsa. Consequentia probatur. Tunc adest opinio probabilis, quod lex non obligat, quia obligat solum quoad ea, quæ sub ipsa comprehenduntur. Ergo licet non seruare legem sequendo opinionem probabilem.

17 Ad 1. Negatur Consequentia. Quia sufficit, quod probabiliter iudicetur, casum non comprehendi. Ad 2. Distinguitur antecedens. Lex tunc non peccat, quasi præcipiat malum; peccat tamen probabiliter, quatenus si comprehenderet casum, non esset secundum æquitatem legalem.

DE INTERPRETATIONE Legis.

DISPVTATIO LIX.

A quo possit fieri interpretatio legis.

SECTIO I.

1 INterpretatio legis, per quam eruitur verus sensus illius, alia est authentica, quæ fit auctoritatiuè. Alia verò doctrinalis, quæ fit secundum regulas rationis.

2 Dico 1. *Interpretatio authentica potest solum fieri ab eo, qui habet potestatem condendi leges*. Ita communiter cum Glos. *in cap. Contra. De regul. iur. in 6.* Et desumitur ex *l. fin. C. De legib.* Probatur. Interpretatio authentica est actus potestatis legislatiuæ. Ergo non potest fieri, nisi ab eo, qui potest condere leges. Antecedens probatur. Interpretatio authentica habet vim obligandi ad seruandam legem secundum sensum, quem illi tribuit. Ergo.

3 Obijcitur. Successor non habet notam mentem legislatoris. Ergo licet habeat potestatem legislatiuam, non potest legem interpretari. Respondetur. Non habere notam mentem priuatam; habere tamen publicam, quia hæc non desumitur ex secreta cognitione illius, sed ex ratione legis, & exigentia boni communis.

4 Dico 2. *Etiam consuetudo potest potestatiuè interpretari legem*. Ita communiter. Probatur consuetudo potest introducere legem. Ergo etiam interpretationem authenticam, quæ habeat vim obligandi, cum eadem sit ratio.

5 Dico 3. *Interpretatio doctrinalis potest fieri à quolibet doctore, si tamen rationabiliter procedat*. Desumitur ex *l. vnica C. De profess.* & cap. 2. *de Priuil. in 6.* & tradunt communiter. Probatur. Talis interpretatio est facienda iuxta alias leges secundum intentionem legis, & eius rationem. Ergo potest fieri à quolibet doctore, cum ex his omnibus possit eruere verum sensum legis.

An quando lex prohibet interpretationem sit prohibita omnis interpretatio.

SECTIO II.

6 SVpponendum est tanquam certum, non esse prohibitam interpretationem naturalem, & quæ necessaria est ad verum sensum legis, vt desumitur ex cap. *Ex parte. De offic. delegat.* & *l. 1. ff. de muner. & à Honer.* & tradunt communiter cum Bald. *in l. 2. §. His legibus. ff. De orig. iur.* alioquin non posset lex seruari debito modo, quia non haberetur vera mens ipsius. Difficultas ergo est, An sit prohibita omnis alia interpretatio.

7 Prima sententia est affirmatiua. Ita Bald. *in l. Maximum. C. De lib. prætor.* Aretin. *in l. Gallus, §. instituens. ff. De liber. & posth.* Curtius iun. *consil. 6.* & alij. Probant. Prohibitio debet aliquid operari, non operaretur autem nisi esset prohibita omnis alia interpretatio.

8 Secunda sententia asserit, prohiberi solam friuolam, & cauillosam interpretationem. Ita Bartol. *in l. Omnes populi, num. 65. ff. De iust. & iure.* Iason. *in l. Quamuis c. De impuber.* Abbas *in cap. commune omni. De censibus.* Butr. *ibidem.* Alexand. *consil. 10. lib. 1.* Ioan. Andr. *in Reg. Possessor De reg. iur. in 6.* & alii.

9 Dicendum est. Quando lex prohibet interpretationem, non prohibetur legitima interpretatio doctrinalis. Probatur interpretatio legum est necessaria *l. 2. §. His legibus, ff. De orig. iuris*. Ergo quando legitimè procedit, non censetur prohibita. Consequentia probatur. Quia lex non prohibet media necessaria pro obseruantia sui ipsius.

10 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Prohibitionem aliquid operari, quia excludit interpretationem extrinsecam, quæ non desumitur ex intrinseca ratione legis, & mente ipsius.

An lex sit interpretanda ex mente Legislatoris.

SECTIO III.

11 SVpponendum est in interpretatione legum attendendam esse proprietatem verborum, vt docent communiter, nisi inde sequatur aliquod absurdum, aut iniustum, vt desumitur ex *l. Non aliter. ff. De leg. 3.* Significatio autem est duplex, Naturalis, & Ciuilis. Naturalis est illa, quæ habent verba ex primæua significatione. Ciuilis verò est illa, quam habent ex consuetudine iuris, sic Filius naturaliter significat Filium naturalem, Ciuiliter verò significat adoptiuum.

12 Supponendum 2. In legibus præceptiuis, & pœnalibus attendendum esse solam significationem naturalem; in fauorabilibus verò etiam ciuilem, vt docent communiter cum Glos. *in cap. susceptum. De rescription. in 6.* Nam fauores sunt ampliandi; odia verò restringenda.

13 Dico 1. *Lex est interpretanda iuxta mentem Legislatoris*. Ita communiter ex cap. *Humanæ aures. 22. quæstio. 1.* Probatur verba inseruiunt intentioni. Ergo in explicanda lege attendenda est intentio explicata per verba.

14 Dico 2. *Intentio Legislatoris desumitur præcipuè ex præmio legis*. ita Bartol. *in l. fin. ff. de hæred. institut.* Bal. Ang. Imola, *ibidem.* & communiter, & desumitur ex *l. Regula. ff. de iur. & fact. ignorantia*. Probatur. Finis legis mouet Legislatorem ad ponendam legem. Ergò ponitur iuxta exigentiam ipsius. Ergò obligat secundum mensuram finis, atque adeò ex fine habetur intentio legislatoris in ordine ad obligationem.

15 Dico 3. *Intentio Legislatoris colligitur etiam ex materia legis*. Desumitur ex *cap. 2. de translat. Episcoporum*. Probatur, Lex præsumitur prudenter posita. Ergo secundum exigentiam materiæ.

16 Dico 4. *Mens Legislatoris. Colligitur etiam ex alijs legibus*. Ita communiter cum Glos. *in cap. Cupientes De electio. in 6.* Probatur. Legislator respicit bonum communitatis. Ergo præsumitur ponere leges cum conformitate ad iam positas, nisi de opposito constet. Consequentia probatur. Quia nisi hoc præsumeretur, taceret contra bonum commune. siquidem non concordaret cum medijs, quæ tendunt ad bonum commune.

An, & quomodo ex ratione legis sit lex interpretanda.

SECTIO IV.

17 INterpretatio legis desumitur etiam ex ratione legis *l. Cum mulier. ff. soluto matrim.* vbi communiter Doctores.

18 Dico 1. *Ratio legis est anima ipsius, quæ dat ipsi vim, & robur*. Desumitur ex *l. Iure oportet. ff. De excusatione tutor.* Vbi Bald. & alij. Probatur. Lex fundatur

datur in iustitia. Ergo ratio est anima ipsius. Consequent. probatur. Ratio legis dicit conformitatem ad regulam rationis. Ergo facit quod lex sit iusta, cum ex vi huius conformitatis sit participatio legis æternæ.

19 Dico 2. *Quando ratio legis est expressa in lege, est mensura infallibilis obligationis.* Probatur. Lex non potest obligare, nisi intra terminos iustitiæ. Ergò solum secundum mensuram rationis. Ergo ratio est mensura obligationis.

20 Dico 3. *Quando ratio non est expressa in lege, & vnica tantum potest assignari, adhuc est mensura obligationis.* Probatur. Quando vnica ratio potest assignari, est adæquata ipsi legi. Ergo adæquata mensura obligationis.

21 Colligitur ex dictis. Eum violare legem, qui seruans verba, facit contra mentem ipsius, vt habetur ex *l. Non dubium. C. De legibus.* quia tunc non seruatur verè lex, cum non seruetur, quod intendit seruari.

DE CESSATIONE LEGIS.

DISPVTATIO LX.

An cessante fine legis, cesset etiam lex?

SECTIO I.

1 FInis legis potest cessare dupliciter. Contrariè, quando lex sortiretur finem contrarium, ita vt quod prius erat iustum, fiat iniustum, &c. Et negatiuè, quando materia ita mutatur, vt lex non amplius sortiatur in ipsa suum finem. Certum est autem legem cessare, quando cessat finis contrariè; nam tunc lex fit iniusta. Vnde difficultas est, quando finis cessat tantum negatiuè.

2 Prima sententia asserit, non cessare, quando materia est in se honesta, sed solum quando est indifferens. Ita Suar. *lib.6. de legibus cap.9. numer.9.* Gordon. *lib.2. Theolog. moral. quæst.* 12. *cap.* 4. & alij. Probant. Quamdiu durat materia præcepta cum sua ratione formali, durat etiam obligatio legis, sed durat, quamdiu durat honestas ipsius. Ergo. 2. Præceptum non obligat ad finem legis, sed tantum ad rem præceptam: vnde tenetur ieiunare, etiamsi ieiunium non sortiatur suum finem, nempè macerationem corporis. Ergo quamdiu res præcepta manet cum sua honestate, durat obligatio. 3. Taxato pretio tritici durat obligatio legis, quamdiu durat æquitas in ipso pretio; etiamsi cesset finis taxationis. Ergò.

3 Secunda sententia asserit, cessare. Ita Panormitan. *in cap. Quia. De immunit. Eccles.* Innoc. & Butr. *ibidem.* Victor. *de potest. ciuib. num.* 22. & communiter in *cap. Si Christus. De iure iur.*

4 Dicendum est. *Cessante fine legis vniuersali, etiam solum negatiuè, cessat etiam lex.* Desumitur ex cap. *Cum cessante. De Appellat:* & cap. *Post translat. De renunciation.* Probatur. Quando effectus dependet in conseruari à causa, cessante causa solum negatiue cessat etiam effectus. Sed obligatio legis dependet in conseruari à fine legis. Ergo. Minor probatur; obligatio legis dependet à validitate, & validitas ab vtilitate; cessante autem fine cessat vtilitas legis, quia non inseruit amplius, vt medium propriè. Ergò: confirmatur. Lex dependet à voluntate Legislatoris. Ergo cessante fine negatiuè cessat obligatio. Consequentia probatur. Cessante fine cessat voluntas Legislatoris respectu finis. Ergò etiam respectu legis, quia cessante volitione finis cessat volitio eorum, quæ sunt ad finem.

5 Dices. Non cessare finem adæquatè, quia adhuc materia remanet honesta. Contra. Licet materia sit honesta, non inseruit tamen amplius, vt medium pro fine à Legislatore intento. Ergò cessat adæquatè finis, quia materia ratione honestatis se habét, vt medium.

6 Ad 1. Respondetur. Legem durare, quamdiu durat materia præcepta, cum sua ratione formali finali; secus autem, si hæc non duret. Non durat tamen cessante fine extrinseco, quia finis proprius legis non est honestas intrinseca operationis, sed publica vtilitas; nam honestas operationis assumitur à Legislatore, vt medium pro publica vtilitate. In ieiunio autem, quando cessat maceratio corporis, non cessat adæquatè finis: quia habet pro fine etiam satisfactionem pro peccatis, placationem Dei, &c. Ad 2. Negatur Consequentia. Quia licet finis legis non cadat sub præcepto, tamen dependet ab ipso in conseruari. Ad 3. Distinguitur antecedens. Taxatio prætij tritici durat, quamdiu durat æquitas, etiam si cessent rationes extrinsecæ non ex vi legis taxatiuæ; sed ex vi legis naturalis, quæ obligat ad iustitiam in venditione.

An cessante fine legis in particulari cesset lex.

SECTIO II.

7 FInis tunc cessat in particulari, quando cessat in persona determinata, aut in casu determinato. Conueniunt autem omnes, quod quando finis cessat contrariè cessat etiam lex. Vnde difficultas est, quando cessat solùm negatiuè.

8 Prima sententia asserit; non cessare legem. Ita Medina 1.2. *quæst.96. ar.6.* Malder. *ibidem.* Martinez *dub.*3. Vasquez *disputat.*163. *cap.*3. Suarez *lib.6. de leg. cap.*7. Salas *disputat.* 11. *de leg. sect.* 3. & communiter Theologi. Probant. Lex respicit ea, quæ vt plurimum contingunt. Ergo non cessat obligare per id, quod desinit finis in particulari, quia non est posita pro persona particulari, sed pro tota communitate. 2. Sequeretur quod esset licita fornicatio, quando cessaret periculum malè educandi prolem. 3. Possent omitti denunciationes pro matrimonio, quando sponsi sciunt, nullum subesse impedimentum. 4. Voluntas Legislatoris non cessat, cessante fine in particulari, quia mouetur ex fine in communi, ergò nec etiam obligatio legis.

9 Secunda sententia asserit cessare. Ita Bartol. *in l. p. ff. De offic. eius cui man. est iur.* Ioan. Andreas, *in cap. Non debet, De regul. iuris in 6.* Salicet. *in l.* 3. *C. De iniurijs,* Ancharan. *consil.*11. Panormitan. *in cap. Quoniam num.6. De probat.* Angelus *verbo* Lex *numer.*4. Syluest. *quæst.*8. Nauar. *rubric. De iudicijs num.*74. Euerard. *loco A. cessat rat.* & alij.

10 Dico 1. *Quando lex respicit actiones personales priuatæ personæ in ordine ad bonum ipsius personale, ita vt non respiciat per se primo bonum publicum, cessante fine legis in particulari negatiuè, cessat etiam obligatio legis.* Desumitur ex *l. Quod dictum,* & *l. Adigere,* §. *Quamuis. ff. De iure patronat.* Probatur. Cessante fine legis in particulari contrariè, cessat etiam lex. Ergò etiam cessante negatiuè. Consequentia probatur. Tum quia lex fit inutilis, atque adeo iniustè aggrauat subditum. Tum quia cessat voluntas Legislatoris obligantis per suam legem in illo particulari, nam non plus extenditur voluntas legislatoris, quam extenditur finis, à quo mouetur, & ideo non se extendit ad eos, in quibus lex non potest obtinere finem. Confirmatur. Lex de correctione fraterna cessat, quando in particu-

DE INTERPRETATIONE Legis.

DISPVTATIO LIX.

A quo possit fieri interpretatio legis.

SECTIO I.

1 INterpretatio legis, per quam eruitur verus sensus illius, alia est authentica, quæ fit auctoritatiuè. Alia verò doctrinalis, quæ fit secundum regulas rationis.

2 Dico 1. *Interpretatio authentica potest solum fieri ab eo, qui habet potestatem condendi leges.* Ita communiter cum Glos. *in cap. Contra.* De regul. iur. in 6. Et desumitur ex *l. fin. C.* De legib. Probatur. Interpretatio authentica est actus potestatis legislatiuæ. Ergo non potest fieri, nisi ab eo, qui potest condere leges. Antecedens probatur. Interpretatio authentica habet vim obligandi ad seruandam legem secundum sensum, quem illi tribuit. Ergo.

3 Obijcitur. Successor non habet notam mentem legislatoris. Ergo licet habeat potestatem legislatiuam, non potest legem interpretari. Respondetur. Non habere notam mentem priuatam; habere tamen publicam, quia hæc non desumitur ex secreta cognitione illius, sed ex ratione legis, & exigentia boni communis.

4 Dico 2. *Etiam consuetudo potest potestatiuè interpretari legem.* Ita communiter. Probatur consuetudo potest introducere legem. Ergo etiam interpretationem authenticam, quæ habeat vim obligandi, cum eadem sit ratio.

5 Dico 3. *Interpretatio doctrinalis potest fieri à quolibet doctore, si tamen rationabiliter procedat.* Desumitur ex *l. vnica C.* De profess. & cap. 2. *de Priuil. in 6.* & tradunt communiter. Probatur. Talis interpretatio est facienda iuxta alias leges secundum intentionem legis, & eius rationem. Ergo potest fieri à quolibet doctore, cum ex his omnibus possit eruere verum sensum legis.

An quando lex prohibet interpretationem sit probibita omnis interpretatio.

SECTIO II.

6 SVpponendum est tanquam certum, non esse prohibitam interpretationem naturalem, & quæ necessaria est ad verum sensum legis, vt desumitur ex cap. *Ex parte.* De offic. delegat. & *l. 1. ff. de muner. & à Honor.* & tradunt communiter cum Bald. *in l. 2. §. His legibus. ff.* De orig. iur. alioquin non posset lex seruari debito modo, quia non haberetur vera mens ipsius. Difficultas ergo est, An sit prohibita omnis alia interpretatio.

7 Prima sententia est affirmatiua. Ita Bald. *in l. Maximum. C.* De lib. *prætor.* Aretin. *in l. Gallus, §. instituens. ff.* De *liber. & posth.* Curtius iun. *consil. 6.* & alij. Probant. Prohibitio debet aliquid operari, non operaretur autem nisi esset prohibita omnis alia interpretatio.

8 Secunda sententia asserit, prohiberi solam friuolam, & cauillosam interpretationem. Ita Bartol. *in l. Omnes populi, num. 65. ff.* De *iust. & iure.* Iason. *in l. Quamuis C.* De *impuber.* Abbas *in cap. commune omni.* De *censibus.* Butr. *ibidem.* Alexand. *consil. 10. lib. 1.* Ioan. Andr. *in Reg. Possessor* De reg. iur. in 6. & alii.

9 Dicendum est. Quando lex prohibet interpretationem, non prohibetur legitima interpretatio doctrinalis. Probatur interpretatio legum est necessaria *l. 2. §. His legibus, ff.* De *orig. iuris.* Ergo quando legitimè procedit, non censetur prohibita. Consequentia probatur. Quia lex non prohibet media necessaria pro obseruantia sui ipsius.

10 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Prohibitionem aliquid operari, quia excludit interpretationem extrinsecam, quæ non desumitur ex intrinseca ratione legis, & mente ipsius.

An lex sit interpretanda ex mente Legislatoris.

SECTIO III.

11 SVpponendum est in interpretatione legum attendendam esse proprietatem verborum, vt docent communiter, nisi inde sequatur aliquod absurdum, aut iniustum, vt desumitur ex *l. Non aliter. ff.* De leg. 3. Significatio autem est duplex, Naturalis, & Ciuilis. Naturalis est illa, quæ habent verba ex primæua significatione. Ciuilis verò est illa, quam habent ex consuetudine iuris, sic Filius naturaliter significat Filium naturalem, Ciuiliter verò significat adoptiuum.

12 Supponendum 2. In legibus præceptiuis, & pœnalibus attendendum esse solam significationem naturalem; in fauorabilibus verò etiam ciuilem, vt docent communiter cum Glos. *in cap. susceptum.* De *rescription. in 6.* Nam fauores sunt ampliandi, odia verò restringenda.

13 Dico 1. *Lex est interpretanda iuxta mentem Legislatoris.* Ita communiter ex cap. *Humanæ aures. 22. quæstio. 1.* Probatur verba inseruiunt intentioni. Ergo in explicanda lege attendenda est intentio explicata per verba.

14 Dico 2. *Intentio Legislatoris desumitur præcipuè ex præmio legis.* ita Bartol. *in l. fin. ff. de hæred. institut.* Bal. Ang. Imola, *ibidem.* & communiter, & desumitur ex *l. Regula. ff. de iur. & fact. ignorantia.* Probatur. Finis legis mouet Legislatorem ad ponendam legem. Ergò ponitur iuxta exigentiam ipsius. Ergò obligat secundum mensuram finis, atque adeò ex fine habetur intentio legislatoris in ordine ad obligationem.

15 Dico 3. *Intentio Legislatoris colligitur etiam ex materia legis.* Desumitur ex *cap. 2. de translat. Episcoporum.* Probatur, Lex præsumitur prudenter posita. Ergo secundùm exigentiam materiæ.

16 Dico 4. *Mens Legislatoris. Colligitur etiam ex alijs legibus.* Ita communiter cum Glos. *in cap. Cupientes* De *electio. in 6.* Probatur. Legislator respicit bonum communitatis. Ergo præsumitur ponere leges cum conformitate ad iam positas, nisi de opposito constet. Consequentia probatur. Quia nisi hoc præsumeretur, faceret contra bonum commune, siquidem non concordaret cum medijs, quæ tendunt ad bonum commune.

An, & quomodo ex ratione legis sit lex interpretanda.

SECTIO IV.

17 INterpretatio legis desumitur etiam ex ratione legis *l. Cum mulier. ff. soluto matrim.* vbi communiter Doctores.

18 Dico 1. *Ratio legis est anima ipsius, quæ dat ipsi vim, & robur.* Desumitur ex *l. Iure oportet. ff.* De *excusatione tutor.* Vbi Bald. & alij. Probatur. Lex fundatur

datur in iustitia. Ergo ratio est anima ipsius. Consequent. probatur. Ratio legis dicit conformitatem ad regulam rationis. Ergo facit quod lex sit iusta, cum ex vi huius conformitatis sit participatio legis æternæ.

19 Dico 2. *Quando ratio legis est expressa in lege, est mensura infallibilis obligationis*. Probatur. Lex non potest obligare, nisi intra terminos iustitiæ. Ergò solum secundum mensuram rationis. Ergo ratio est mensura obligationis.

20 Dico 3. *Quando ratio non est expressa in lege, & vnica tantum potest assignari, adhuc est mensura obligationis*. Probatur. Quando vnica ratio potest assignari, est adæquata ipsi legi. Ergo adæquata mensura obligationis.

21 Colligitur ex dictis. Eum violare legem, qui seruans verba, facit contra mentem ipsius, vt habetur ex *l. Non dubium. C. De legibus*. quia tunc non seruatur verè lex, cum non seruetur, quod intendit seruari.

DE CESSATIONE LEGIS.

DISPVTATIO LX.

An cessante fine legis, cesset etiam lex?

SECTIO I.

1 Finis legis potest cessare dupliciter. Contrariè, quando lex sortiretur finem contrarium, ita vt quod prius erat iustum, fiat iniustum, &c. Et negatiuè, quando materia ita mutatur, vt lex non amplius sortiatur in ipsa suum finem. Certum est autem legem cessare, quando cessat finis contrariæ; nam tunc lex fit iniusta. Vnde difficultas est, quando finis cessat tantum negatiuè.

2 Prima sententia asserit, non cessare, quando materia est in se honesta, sed solum quando est indifferens. Ita Suar. *lib. 6. de legibus cap. 9. numer. 9.* Gordon. *lib. 2. Theolog. moral. quæst. 12. cap. 4.* & alij. Probant. Quamdiu durat materia præcepta cum sua ratione formali, durat etiam obligatio legis, sed durat, quamdiu durat honestas ipsius. Ergo. 2. Præceptum non obligat ad finem legis, sed tantum ad rem præceptam: vnde tenetur ieiunare, etiamsi ieiunium non sortiatur suum finem, nempè macerationem corporis. Ergo quamdiu res præcepta manet cum sua honestate, durat obligatio. 3. Taxato pretio tritici durat obligatio legis, quamdiu durat æquitas in ipso pretio; etiamsi cesset finis taxationis. Ergò.

3 Secunda sententia asserit, cessare. Ita Panormitan. in *cap. Quia. De immunit. Eccles.* Innoc. & Butr. *ibidem*. Victor. *de potest. ciuib. num. 22.* & communiter in *cap. Si Christus. De iure iur.*

4 Dicendum est. *Cessante fine legis vniuersali, etiam solum negatiuè, cessat etiam lex*. Desumitur ex cap. *Cum cessante. De Appellat.* & cap. *Post translat. De renunciation.* Probatur. Quando effectus dependet in conseruari à causa, cessante causa solum negatiue cessat etiam effectus. Sed obligatio legis dependet in conseruari à fine legis. Ergo. Minor probatur; obligatio legis dependet à validitate, & validitas ab vtilitate; cessante autem fine cessat vtilitas legis, quia non inseruit amplius, vt medium propriè. Ergò: confirmatur. Lex dependet à voluntate Legislatoris. Ergo cessante fine negatiuè cessat obligatio. Consequentia probatur. Cessante fine cessat voluntas Legislatoris respectu finis. Ergò etiam respectu legis, quia cessante volitione finis cessat volitio eorum, quæ sunt ad finem.

5 Dices. Non cessare finem adæquatè, quia adhuc materia remanet honesta. Contra. Licet materia sit honesta, non inseruit tamen amplius, vt medium pro fine à Legislatore intento. Ergò cessat adæquatè finis, quia materia ratione honestatis se habet, vt medium.

6 Ad 1. Respondetur. Legem durare, quamdiu durat materia præcepta, cum sua ratione formali finali; secus autem, si hæc non duret. Non durat tamen cessante fine extrinseco, quia finis proprius legis non est honestas intrinseca operationis, sed publica vtilitas; nam honestas operationis assumitur à Legislatore, vt medium pro publica vtilitate. In ieiunio autem, quando cessat maceratio corporis, non cessat adæquatè finis: quia habet pro fine etiam satisfactionem pro peccatis, placationem Dei, &c. Ad 2. Negatur Consequentia. Quia licet finis legis non cadat sub præcepto, tamen dependet ab ipso in conseruari. Ad 3. Distinguitur antecedens. Taxatio prætij tritici durat, quamdiu durat æquitas, etiam si cessent rationes extrinsecæ non ex vi legis taxatiuæ; sed ex vi legis naturalis, quæ obligat ad iustitiam in venditione.

An cessante fine legis in particulari cesset lex.

SECTIO II.

7 Finis tunc cessat in particulari, quando cessat in persona determinata, aut in casu determinato. Conueniunt autem omnes, quod quando finis cessat contrariè cessat etiam lex. Vnde difficultas est, quando cessat solùm negatiuè.

8 Prima sententia asserit; non cessare legem. Ita Medina 1. 2. *quæst. 96. ar. 6.* Malder. *ibidem*. Martinez *dub. 3.* Vasquez *disputat. 163. cap. 3.* Suarez *lib. 6. de leg. cap. 7.* Salas *disputat. 11. de leg. sect. 3.* & communiter Theologi. Probant. Lex respicit ea, quæ vt plurimum contingunt. Ergo non cessat obligare per id, quod desinit finis in particulari, quia non est posita pro persona particulari, sed pro tota communitate. 2. Sequeretur quod esset licita fornicatio, quando cessaret periculum malè educandi prolem. 3. Possent omitti denunciationes pro matrimonio, quando sponsi sciunt, nullum subesse impedimentum. 4. Voluntas Legislatoris non cessat, cessante fine in particulari, quia mouetur ex fine in communi, ergò nec etiam obligatio legis.

9 Secunda sententia asserit cessare. Ita Bartol. *in l. p. ff. De offic. eius cui man. est iur.* Ioan. Andreas, *in cap. Non debet, De regul. iuris in 6.* Salicet. *in l. 3. C. De iniurijs*, Ancharan. *consil. 11.* Panormitan. *in cap. Quoniam num. 6. De probat.* Angelus *verbo* Lex *numer. 4.* Syluest. *quæst. 8.* Nauar. *rubric. De iudicijs num. 74.* Eucard. *loco A. cessat rat.* & alij.

10 Dico 1. *Quando lex respicit actiones personales priuatæ personæ in ordine ad bonum ipsius personale, ita vt non respiciat per se primo bonum publicum, cessante fine legis in particulari negatiuè, cessat etiam obligatio legis*. Desumitur ex *l. Quod dictum*, & *l. Adigere, §. Quamuis. ff. De iure patronat.* Probatur. Cessante fine legis in particulari contrariè, cessat etiam lex. Ergò etiam cessante negatiuè. Consequentia probatur. Tum quia lex fit inutilis, atque adeo iniustè aggrauat subditum. Tum quia cessat voluntas Legislatoris obligantis per suam legem in illo particulari, nam non plus extenditur voluntas legislatoris, quam extenditur finis, à quo mouetur, & ideo non se extendit ad eos, in quibus lex non potest obtinere finem. Confirmatur. Lex de correctione fraterna cessat, quando in particu-

ticulari non potest obtineri finis, neque emendatio, licet lex sit vniuersalis, & obliget omnes quantum est de se. Ergo cessant etiam aliæ leges, cum sit eadem ratio. Respondet Suar. Tunc cessare finem correctionis contrariè, quia correctio esset otiosa, & inutilis. Contra. Adhuc correctio esset actus charitatis, quia procederet ex motiuo illius, & solum esset otiosa, & inutilis, quia non obtineret finem. Sed neque lex obtinet finem, quando cessat negatiuè. Ergo.

11 Dico 2. *Quando lex concernit actiones, quæ spectant ad esse publicum, aut in quibus singulares personæ inuicem publico modo communicant, cessante fine negatiuè in particulari, non cessat obligatio legis, vt in legibus contractuum, &c.* Probatur. Tunc non cessat finis legis, & ratio ipsius adæquatè. Ergo non cessat obligatio legis, quia solum cessat ex adæquata cessatione finis. Antecedens probatur. Finis legis non obtinetur in actionibus priuatis, ex quibus postea resultet publica vtilitas, sed per se primò obtinetur in actione publica concernente immediatè esse publicum. Ergo non potest adæquatè cessare ex eo, quod cessat in persona priuata.

12 Ad 1. respondetur. Legem respicere, quæ vt plurimum contingunt; quo ad causam impulsiuam, non autem quò ad finalem; nam hæc fundat rationem ipsius; & ideò lex non plus extenditur, quam extendatur finis. Ad 2. Negatur sequella. Quia mala educatio prolis non est finis adæquatus, ob quem fornicatio est prohibita, sed etiam quia contrariatur recto ordini propagationis. Ad 3. Negatur sequel. Quia denunciationes sunt actus concernentes esse publicum; quando autem lex concernit immediatè esse publicum, non cessat, licet finis cesset in particulari: quia tunc non cessat finis adæquatè, cum non obtineatur, nisi per actiones publicas. Ad 4. patet ex dictis, nam legislator licet moueatur à fine in communi, voluntas tamen ipsius non extenditur, nisi vbi habet locum finis.

DE ABROGATIONE LEGIS.

DISPVTATIO LXI.

An lex possit abrogari.

SECTIO I.

1 Abrogatio legis differt à cessatione, quia prouenit ab extrinseco, & cadit contra legem manentem adhuc in suo rigore.

2 Dico 1. *Lex humana potest abrogari.* ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *q.* 97. *ar.* 1. Probatur. Lex dependet à voluntate Legislatoris. Ergo potest illam reuocare.

3 Dico 2. *Lex non potest abrogari sine peccato, quando non adest iusta causa: abrogatur tamen validè.* ita communiter cum D. Thom. *citato*. Probatur. Lex dependet à voluntate Legislatoris. Ergo etiam si non adsit iusta causa, potest Legislator illam abrogare, quia dependet in conseruari ab eius voluntate. Rursus tenetur ex iustitia legali procurare bonum communitatis. Ergo facit contra ipsum, quando abrogat sine iusta causa, cum tollat, quod prodest communitati.

4 Dico 3. *Princeps abrogans legem sine iusta causa, tenetur illam restituere.* Probatur. Lædit communitatem contra exigentiam iustitiæ legalis. Ergo tenetur resarcire damnum.

A quonam possit lex abrogari.

SECTIO II.

5 Dico 1. *Lex potest abrogari ab eo, qui habet potestatem legislatiuam æqualem legi: vnde non solum potest quis reuocare proprias leges, sed etiam sui antecessoris.* Ita communiter probatur. Abrogatio legis est actus potestatis legislatiuæ. Ergo non potest esse nisi à potestate legislatiua proportionata. Antecedens probatur, Est actus iurisdictionis pertinens ad regulandam communitatem.

6 Dico 2. *Superior potest abrogare legem inferioris sibi subordinati,* ita communiter. Probatur. Superior habet sub propria dispositione iurisdictionem inferioris, cum sit ipsi subordinata. Ergo potest abrogare leges ipsius, quia causa subordinata potest impediri à subordinante.

An lex inferioris possit ab ipso abrogari, si sit confirmata à Superiori.

SECTIO III.

7 Supponendum est. Non posse abrogari, si solum ex confirmatione accipit vim obligandi, vt notant communiter cum Bald. *in l. omnes populi. num.* 35. *ff.* De *iustitia, & iure*. Quia tunc non est verè lex inferioris sed ipsius Superioris. Vnde difficultas est de lege, quæ habet vim obligandi ex potestate ipsius inferioris.

8 Prima sententia est negatiua. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 17. *nu.* 30. alios citans Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 7. & alij. Probant ex cap. *Si Apostolica*. De *præbend.* vbi Pontifex ait. *Illa nostra facimus, quibus authoritatem impertimur*. Ergo cum lex confirmata fiat lex Superioris, non potest abrogari ab inferiori. 2. Per talem confirmationem lex fit ius publicum, iuri autem publico non potest derogari à priuato cap. *Si diligenti*. *De foro compet.*

9 Secunda sententia asserit non posse abrogari, si confirmatio fit ex certa scientia. Ita Rodriquez *tom.* 1. *quæst. regul. quæst.* 68. *art.* 5. Anguian. *lib.* 3. *de legib. controu.* 6. *num.* 6. Marian. *par.* 4. *de iurisdictione centuria* 1. *cas.* 99. & alij. Probatur confirmatio ex certa scientia est noua concessio, & reualidat actum nullum. cap. *Veniens*. De *transact.* Ergo facit legem tanquam emanantem ab ipso Superiori. 2. Excommunicatio lata à Superiori, & confirmata à Pontifice ex certa scientia non potest tolli ab inferiori, ergo ita etiam in lege.

10 Tertia sententia asserit, posse abrogari. Ita Bart. *in l. Omnes populi ff.* De *iustitia, & iure*. Castreas. *in l. Omnium* C. De *testam.* Bald. *in cap. Cum accessissent numer.* 2. De *Constitut.* Felin. *num.* 3. Ancharan. *in cap. Cum aliquibus*. De *rescript. in* 6. & cæteri Canonistæ *in cap. Cum dilecto*. De *præbend.* Suar. *lib.* 6. *de legib. cap.* 26. *num.* 22. & alij.

Dicen. *Legem inferioris confirmatam à Superiori, etiam ex certa scientia posse abrogari ab inferiori*. Desumitur ex *l. omnium C. De testam.* Vbi statuitur, quod testamentum confirmatum à Principe, possit reuocari à solo testatore. Et cap. *Cum Dilecto*. De *præbend.* Vbi solum negatur, id posse fieri, quando in confirmatione Apostolica expressè additur clausula, vt quicquid in contrarium factum fuerit, irritum sit. Probatur. Confirmatio supponit legem, cui tribuit robur, nec illam extrahit à suo ordine, sed relinquit in suo statu, intra quem illam roborat, ergo remanet intra sphæram potestatis legislatiuæ, à qua emanauit. Confirmatur. Substantia virtutis obligatiuæ est à potestate legislatiuæ inferioris, ergo si cesset influxus talis potestatis ex eo, quod legislator nolit amplius talem legem obligare, cessabit

bit etiam lex secundum substantiam.

11 Ad primum respondetur. Illa fieri principis, quibus authoritatem impertitur eo modo, quo auctoritatem impertitur, & proinde confirmatio facit solum, quod lex confirmata sit Principis non originatiuè, sed corroboratiuè. Ad secundum negatur Maior, Nam solum confirmatio facit ius publicum illas leges, quæ sine confirmatione non habent vim obligandi.

12 Ad primum secundæ sententiæ respondetur. Certam scientiam importare nouam concessionem in ijs, quæ iam concessa sunt a principe, & reualidare actum solum intra suam sphæram, itavt tribuat illam validitatem, quam alias esset habiturus ex suis causis, & sic reualidat legem inferioris; si non est valida ea validitate, quam posset habere ab inferiori. Ad secundum negatur consequentia. Nam Pontifex confirmans legem ex certa scientia refundit influxum propriæ potestatis in actum iurisdictionalem inferioris, & ideò recipitur secundum capacitatem eiusdem actus, & proinde relinquit ipsum in sua natura: At quando confirmat ex certa scientia excommunicationem inferioris, exercet actum iudicij, & ideo noua sententia ligat excommunicatum; ex quo fit, quod non posit absolui ab inferiori.

Quando lex censeatur abrogari.

SECTIO IV.

13 LEx Dupliciter abrogatur, vel expresſè cũ Princeps expresſè declarat, aliquam legem nõ obligare; vel tacitè, & de hoc modo procedit difficultas.

14 Dico primò. *Lex posterior opposita priori, quando cum ipsa concordari non potest, censetur abrogare priorem.* Ita communiter, & habetur ex cap. 1. *de Constitut. in* 6. Probatur. Lex posterior contraria priori est incompossibilis cum ipsa, ergo illam abrogat.

15 Dico secundò. *Lex specialis contraria alteri speciali pro eadem cummunitate illam abrogat, etiamsi de ipsa nulla fiat mentio.* ita Bartol. *in l. Omnes populi numer. 29. ff.* De *iust. & iure*, & communiter. Probatur. Quia est eadem ratio de speciali, ac de vniuersali.

16 Dico tertiò. *Lex specialis derogat generali, si sit illi contraria: non autem abrogat.* Ita Bartol. *in l. Nam & posteriores ff.* De *legib.* & communiter. Probatur. Lex specialis non est totaliter incompossibilis cum generali, sed tantum secundum quid, ergo illam non abrogat, sed tantum secundum quid illi derogat.

17 Dico quartò. *Lex posterior generalis non abrogat priorem specialem, sed potius generalis limitatur secundum specialem.* Ita communiter, & decernitur in cap. 1. *De constitut. in* 6. Probatur; princeps condens legem vniuersalem præsumitur ignorare particularem, & solum respicit regimen vniuersale, ergo non abrogat legem particularem, quia quod est ignotum, non cadit sub intentionem. Confirmatur. Lex vniuersalis potest habere suum effectum subsistente particulari, quę præsumitur necessaria pro regimine particulari, ergo vniuersalis non abrogat particularem.

18 Dico quintò. *Si lex vniuersalis habeat clausulas derogatorias, non abrogat legem specialem.* Ita Glos. *authentic. de successione ab intestat.* Tiraq. *de retract.* §. 15. Menoch. *lib. 6. præsumpt. 38. num. 20.* & alij. Probatur. Clausula derogatoria respicit leges, quæ impediunt executionem legis nouæ, ergo non extenditur ad leges speciales, quia hæ non impediunt, sed tantum limitant.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

DISPVTATIO LXII.

Quinam possit dispensare in lege.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Dispensationem esse relaxationẽ obligationis legis; atq; adeò tunc solum habere locum, quando lex verè obligat, vt habetur ex capitul. *Dispensat.* & cap. *Tanta 1. quæst. 7.* & cap. *Multa*. De *præbend.* Difficultas autem est, à quo posit fieri huiusmodi dispensatio.

2 Dico primò. *Qualibet lex humana potest dispensari,* ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst. 97. art.* 4. Probatur. Lex dependet a voluntate legislatoris, ergo potest ab ipso relaxari.

3 Dico 2. *Superior potest dispensare in leges inferioris sibi subordinati.* Probatur potestas legislatiua inferioris subordinatur superiori, ergo etiam actus, atque adeo est sub ipsius dispositione.

4 Dico tertiò. *Legislator potest dispensare in proprijs legibus etiamsi firmatæ sint iuramento.* Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 17. num. 31.* Salas *disput. 20. de legibus sect. 4.* contra Azor. *part. 1. libr. 5. cap. 15. quæstion. 7.* Barbos. *part. 2. de potest. Episcopi allegat. 34. num. 6.* Probatur. Tum, quia potest secum dispensare in iuramento. Tum quia iuramentum habet annexam implicitam conditionem æquitatis, & nisi adsit iusta causa aliter faciendi.

5 Dico quartò. *Legislator non potest dispensare in propria lege, quando est per modum contractus.* Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 3. num. 29.* Salas *disputat. 20. de legibus sect. 4.* Pontius *libr. 8. de matrim. cap. 5. num. 7.* Probatur. Legislator ex vi legis naturalis tenetur seruare contractus, ergo non potest dispensare in propria lege, quæ se habet per modum contractus, alioquin faceret contra iustitiam.

An inferior possit dispensare in lege superioris.

SECTIO II.

6 DIcendum est. *Non potest dispensare ex vi suæ potestatis ordinariæ.* Ita communiter contra Sot. *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.* Victor. *de potest. Eccl. num. 18.* & habetur expresſè in clement. *Ne Romani.* De *elect.* Probatur. Iurisdictio inferior non potest præualere contra superiorem, ergo nec voluntas inferioris quoad actus iurisdictionales contra voluntatem superioris. Præualeret autem, si inferior posset dispensare, quia tolleret obligationem, quam voluntas superioris imponeret.

7 Obijcitur. Quilibet Episcopus potest in sua Ecclesia quicquid Papa in vniuersali seclusa reseruatione, ergo potest dispensare suos diœcesanos in legibus superioris. Respondetur. Antecedens solum esse verum seruata proportione, vt nimirum quicquid potest Papa in Ecclesia vniuersali quoad negotia vniuersalia, posit Episcopus in sua Ecclesia quoad particularia talis Ecclesiæ; leges autem superioris non pertinent ad statum particularem talis Ecclesiæ.

8 Obijcitur secundò. Prælatus Inferior potest absoluere ab excommunicatione non reseruata ex capitul. *Nuper*, De *sent. excommunic.* ergo etiam dispensare in non reseruatis. Respondetur. Negando consequentia. Quia ius concedit, quod quisque resipiscens posit absolui a cen-

iuris non reseruatis, quia cum sint propter bonum animę iam obtinuerunt suum finem; non autem concedit posse dispensare in legibus superioris.

9 Obijcitur tertiò. Episcopus potest dispensare in votis non reseruatis, ergo etiam in lege. Respondetur negando consequentiam. Quia vota pertinent ad statum particularem cuiuscunque personę: leges autem superioris pertinent ad statum vniuersalem Ecclesiæ, qui non est sub dispositione inferioris.

An aliquando possit inferior dispensare in lege superioris.

SECTIO III.

10 CErtum est, posse dispensare, quando id ei conceditur vel à iure, vel ex delegatione ipsius superioris: vnde etiam poterit dispensare, quando lex concedit posse dispensari non exprimendo à quo possit fieri dispensatio, vt docent communiter cum Glos. *in capit. in quibusdam.* De pœnis. Quia talis concessio debet esse facta alicui, qui alias non possit dispensare.

11 Dico quartò. *Inferior potest dispensare in lege superioris, quando materia est leuis, & casus frequenter occurrit.* Ita communiter cum Caietan. 2.2. *quæst.* 143. *art.* 4. & 1.2. *quæst.* 97. *artic.* 4. Probatur. In his casibus est moraliter impossibilis recursus ad legislatorem, ergo cum sit necessarium pro bono regimine, subditos posse dispensari, censetur concessa potestas etiam inferioribus.

12 Dico secundò. *Inferior potest dispensare in lege superioris in casu magnæ necessitatis, vel vtilitatis, si non possit recurri ad superiorem.* Ita Sot. *lib.* 1. *de iust. & iure quæst.* 7. *art.* 3. & alij. Probatur. Voluntas superioris præsumitur rationabilis circa regimen subditorum, ergo præsumitur, quod velit dispensari in dictis casibus, cum ratio id exigat.

13 Dico tertiò. *Inferior potest dispensare in lege superioris, quando dubitatur, an sit necessaria dispensatio.* Ita Sanch. *lib.* 4. *sum. cap.* 4. *num.* 26. Barbos. *part.* 2. *de potest. Episcopi alleg.* 35. *num.* 18. & alij apud ipsos. Probatur. Inferiores Prælati sunt exequutores legum, ergo in casu dubio pertinet ad ipsos exigere, vel non exigere obseruantiam, & proinde poterunt non exigere, si fuerit rationabile.

14 Dico quartò. *Inferiores possunt dispensare in lege superioris, quando consuetudo præscripsit facultatem dispensandi.* Ita Suar. *lib.* 6. *de leg. capit.* 14. Sanch. *libr.* 8. *de matrim. disput.* 9. *num.* 27. & alij apud ipsos. Probatur. Consuetudo dat iurisdictionem, & eam præscribit, quādo subiectum est capax cap. *Cum contingat. De foro compet.* ergo inferior potest dispensare in lege superioris stante consuetudine.

An stante vrgenti necessitate possit inferior dispensare in specialiter reseruatis.

SECTIO IV.

15 DIcendum est. *Posse dispensare etiam in specialiter reseruatis,* ita Suar. *libr.* 6. *de legib. cap.* 14. Barbosa *part.* 2. *de potest. Episcop. Allegat.* 33. *num.* 26. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 9. *num.* 22. & communiter apud ipsos contra Medin. 1.2. *quæst.* 97. *articul.* 4. Cordub. *lib.* 1. *quæst.* 11. Sayr. *lib.* 3. *clauis reg. cap.* 10. *num.* 9. Probatur. In casibus specialiter reseruatis potest esse necessaria dispensatio vel ob vitandum notabile damnum temporale, aut periculum salutis, ita vt aliter obuiari non possit, ergo quando tunc non potest recurri ad superiorem pręsumitur ex tacita voluntate concessa inferiori facultas dispensandi, quia negare dispensationem, aut reddere impossibilem, esset contra charitatem, quæ voluntas non debet pręsumi in supremo Principe.

16 Dico secundò. *Quando indigens dispensatione non potest ob paupertatem recurrere ad Pontificem, non tenetur Episcopus supplere, aut certiorem facere Pontificem, sed potest dispensare.* Ita Sanch. *citat.* Salas *disput.* 20. *de legib. sect.* 3. & alij contra Vasq. 1.2. *disput.* 178. *num.* 16. Probatur. Posita necessitate dispensationis, & impossibilitate recurrendi ad Pontificem, consurgit facultas in superiore immediatè ex natura rei ad dispensandum; nec ex aliquo iure tenetur supplere sumptus pro recursu ad summum Pontificem, ergo potest ipse dispensare.

17 Colligitur ex dictis. Episcopos, & Archiepiscopos posse dispensare in legibus concilij Prouincialis, quia rectum regimen exigit, quod subditi indigentes dispensatione non exspectent aliud concilium Prouinciale; nec quod teneantur recurrere ad Pontificem, cum id sit nimis onerosum. Non dispensant tamen auctoritate propria, vt in proprijs legibus, sed facultate sibi commissa, atque adeò vt in legibus superioris, quia iurisdictio Concilij prouincialis est iurisdictio totius corporis excedens iurisdictionem cuiuscunque Episcopi, & Archiepiscopi, nam se extendit ad totam Prouinciam.

An inferior possit dispensare in lege superioris absque causa.

SECTIO V.

18 DIcendum est. *Non posse dispensare absque legitima causa.* Ita communiter cum D. Thom. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 12. *ad* 2. Et Glosa *in cap. Non est.* De voto. Probatur. Inferior non habet potestatem dominatiuam contra leges superioris; sed tantum facultatem administratiuam, cum non sit nec superioris, nec æqualis potestatis, ergo non potest dispensare sine causa, sed dispensatio erit nulla. Consequentia probatur. Non potest excedere facultatem sibi concessam; facultas autem est tantum concessa ad dispensandum cum causa, quia est concessa vt administratoria.

19 Dico secundò. *Neque summum Pontificem posse dispensare sine causa in votis, & iuramentis.* Ita Sot. *lib.* 1. *de iust. & iure quæst.* 7. *artic.* 3. *ad* 3. Panormit. *in cap. Non est num.* 4. De voto. Salas *disput.* 20. *de legib. sect.* 4. *num.* 30. & communiter cum Diuo Thom. 2.2. *quæst.* 88. *articul.* 2. *ad* 2. Probatur. Obligatio votorum, & iuramenti est sub dominio Dei, & speciali iure ipsius, ergo non potest Pontifex illam sine causa relaxare.

20 Dico tertiò. *Inferior dispensans bona fide in lege superioris putans causam esse iustam, valide dispensat, etiamsi causa non sit talis.* Ita Sanchez *libr.* 8. *de matrim. disp.* 17. *num.* 8. Henriq. *lib.* 7. *summ. capitul.* 14. *num.* 17. & alij contra Salas *disput.* 20. *de legib. sect.* 4. *numer.* 35. & alios. Probatur. Facultas dispensandi in tantum requirit causam, in quantum est necessaria, vt dispensatio sit fidelis, & prudens, ergo non requirit causam sufficientem secundum se, sed tantum in ordine ad prudens iudicium dispensantis; nam eo ipso, quod iudicat, causam esse sufficientem, prudenter, & fideliter vtitur facultate dispensatiua.

21 Obijcitur. Allegans, superiorem dispensasse absque legitima causa, etiamsi bona fide, auditur, ergo bona fides non firmat dispensationem. Respondetur. Audiri, quando causa dispensationis assignatur à iure; quia tunc facultas dispensandi est alligata causæ, & dispensans non debet examinare, an causa sit sufficiens, sed solùm an sit illa, quæ assignatur; non autem in cæteris dispensationibus.

22 Obijcitur secundò. Bona fides non validat matrimonium, alias inualidum in gradu prohibito dirimente, ergo nec etiam dispensationem. Resp. neg. conseq. Quia dispensatio non validatur à bona fide; sed stante bona fide ex natura sua est valida.

An

An dispensans in lege superioris possit imponere aliquod onus.

SECTIO VI.

23 PRima sententia est affirmatiua. Ita Innocent. *in cap.1.num.2.* De *obseruat.ieiun.* Io. And. *num.2.* Anton. *num.1.* Cardinalis *num.3.* Caietan. 1. 2. *quæst.97.art.4. in fine,* & alij. Probant. Qui potest plus, potest & minus, cap. *Cui licet.* De *reg. iur. in 6.* ergo si inferior potest dispensare in lege superioris, poterit etiam commutare obligationem in aliud onus.

24 Secunda sententia est negatiua. Ita Sanchez *libr. 8. de matrim. disp.14. num.2.* Palaus 1. *part. tract.3. disp. 6. punct.9. numer.4.* Sotus *in 4. distinct.24. quæst.1. artic.2.* & alij.

25 Dicendum est, *Dispensantem in lege superioris non posse imponere aliquod onus commutando in ipsum obligationem.* Probatur. Inferior non habet circa leges superioris nisi illam facultatem, quæ ipsi conceditur, ergo habet solum facultatem dispensandi, non autem commutandi. Consequentia probatur. Dispensare, & commutare sunt diuersa ex parte iurisdictionis: Nam posse dispensare dicit solum facultatem relaxandi obligationem; commutare verò dicit facultatem obligandi subditos noua obligatione, ergo eo ipso, quod conceditur facultas dispensandi, non conceditur facultas commutandi.

26 Ad Fundamentum in oppositum respondetur. Qui potest plus, potest etiam minus, quando minus continetur in eo, quod est plus; commutare autem non continetur in dispensare. Deinde commutare ex parte iurisdictionis est plusquam dispensare, quia plus est posse non solum relaxare obligationem sed etiam obligare, quàm solùm relaxare.

An legislator validè dispenset sine causa in proprijs legibus.

SECTIO VII.

27 DIco primò. *Validè dispensare sine causa, quæ se teneat ex parte dispensati.* Ita communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.96. art.5.* Probatur. Lex dependet in obligando à voluntate Principis, ergo si absq; causa princeps nolit obligare aliquem, soluetur obligatio respectu illius, quia potestas legislatiua impeditur, ne respectu illius habeat suum effectum.

28 Dico secundò. *Vt dispensatio sit valida, requiritur ex parte Principis aliquod motiuum, quod sufficiat, vt rationabiliter procedat.* Probatur. Dispensatio non solum dependet à voluntate Principis, sed etiam à potestate, ergo non est valida, nisi sit ex motiuo rationabili. Conseq. probatur. Nisi rationabiliter procedat, non concurrit potestas ad illum actum, quia potestas est tantum ad actus rationabilis, cum non se extendat ad operandum extra regulas rationis. Cap. *Sunt quædam.25. quæst.1.* & *l. penultim.* De *furtis,* ergo actus est inualidus, quia est extra terminos potestatis.

29 Obijcitur. Princeps habet potestatem in ædificationem, non autem in destructionem, ergo non potest dispensare sine causa. Respondetur negando consequentia. Quia sufficit, quod rationabiliter procedat in dispensando.

30 Obijcitur secundò. Princeps non potest se ipsum dispensare sine causa in propria lege; alias nunquam teneretur ipsam seruare, quia eo ipso, quod non seruaret, censeretur se dispensare, ergo nec etiam alios. Respondetur negando antecedens, & Ad Probationem negatur sequella. Quia vt secum dispenset, debet rationabiliter procedere, quod non semper potest fieri.

31 Colligitur ex dictis. Legislatorem inferiorem posse validè dispensare in proprijs legibus sine causa, vt docent Sanchez *lib.8. de matrimonio disp.17. num. 27.* Palaus 1. *part. tractat.3. disputat. 6. punct.8.§.1. numer.1.* & alij apud ipsos; quia est eadem ratio, ac de supremo legislatore: vnde sufficit, quod in dispensando rationabiliter procedat.

An peccet legislator dispensans sine causa in propria lege.

SECTIO VIII.

32 PRima sententia asserit, peccare mortaliter. Ita Lorca 1. 2. *disp.27. de legib.* Valent. *tom.2. disp. 7. quæst.5. punct.9.* Suar. *lib.6. de legibus cap.18. num.9.* Clau. reg. *lib.3. num.10.* & alii. Probatur. Princeps tenetur ex iustitia ratione proprii muneris, & etiam ex iustitia distributiua non dispensare sine causa; cum talis dispensatio sit acceptio personarum, ergo peccat contra iustitiam, atque adeo mortaliter ex genere suo. Secund. Trid. *sess.25. c.5.* grauiter prohibet dispensationes absq; causa, quia ait dispensare sine causa est aperire aditum ad transgrediendas leges. ergo

33 Secunda sententia asserit, esse tantum veniale. Ita Nauarr. *in manual. prælud.9. num.14.* Salas *disput.20. de legibus section.5.* Sanch. *lib.8. de matrim. disp.18. num. 7.* & alii.

34 Tertia sententia. Nullo modo peccare. Ita Glosa *in l. Relegati ff. De pœnis* Bartol. *num.4.* Innocent. *in c. Cum ad monast. num.3. De stat. Monach.* Ioann. Andreas *num. vltimo.* Hostiens. *num.35.* Anton. *ibidem.* Angel. *verbo.* Dispensatio *num.3.* Syluest. *num. 5.* Armilla *numer.14.* & alii.

35 Dico primò. *Quando dispensatio est in præiudicium boni communis, aut alicuius tertiæ personæ, Princeps dispensans, peccat iuxta qualitatem materiæ, si non adsit causa sufficiens.* Probatur. Princeps ex iustitia legali tenetur procurare vtilitatem publicam, & debet vnicuiq; seruare proprium ius, ergo si dispenset sine causa in præiudicium alicuius, aut boni communis, peccat contra proprium munus.

36 Dico secundò. *Secluso damno publico, aut tertij, atque etiam scandalo non peccat princeps, si dispenset absq; causa, dummodo tamen rationabiliter procedat.* Probatur. Princeps non tenetur exigere à subditis obseruantiam legum, nisi secundum mensuram iustitiæ legalis, ergo ita tenetur exigere, vt possit dispensare sine causa ex mera indulgentia. Consequentia probatur. Iustitia legalis includit omnes virtutes, vt docet Arist. 5. *Ethicor. cap.1.* ergo etiam liberalitatem, ergo dat ius Principi in administratione publica exercendi liberalitatem ex mera gratia relaxando obligationem legis.

37 Ad primum negatur antecedens. Quia dispensatio sine causa non est contra ius alicuius; immo est secundum iustitiam legalem, nec facit, quod interueniat acceptio personarum, quia hoc non habet locum in gratuitis, sed tantum in iis quæ sunt debita ex iustitia. Ad secundum Concil. Tridentinum prohibere solum frequentiam dispensationum sine causa; quia sicut frequens donatio sine causa est prodigalitas; ita frequens dispensatio sine causa est quædam dissipatio.

An stante causa iusta teneatur superior dispensare.

SECTIO IX.

38 PRima sententia est affirmatiua. Ita Turrecrem. *in cap. Domino sancto num.9. dist. 50.* Anton. *in cap. At si clerici §. De adulterijs num. 12.* De iudiciis Cardinalis *num.20.* Alexandr. *num. 39.* Rosella *verbo.* Dispensatio *num.4.* Syluest. *quæst.1.* Armilla *numer.14.* Probant ex cap. *Domino Sancto dist.50.* & capit. *Quanto 2. quæst.4.*

2.*quæst*.4. Secundo. Superior non dispensans, quando adest iusta causa, est acceptor personarum, ergo. Anteced. probatur. Existentibus duobus cum æquali causa dispensare cum vno, & non cum alio est acceptio personarum, ergo etiam cum dispensare existente iusta causa.

39 Secunda sententia asserit, non semper esse debitum. Ita Suar. *lib.6. de legib. cap.* 18. *num.* 20. Salas *disput.* 20. *de legib. sect.* 7. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 3. *num.* 3. & alii communiter.

40 Dicendum est. *Existente iusta causa non semper dispensatio est debita.* Desumitur ex capit. *Postulasti*. De cler. excommunic. & capi. *Licet*. De *electione in* 6. vbi dispensatio dicitur gratia, & misericordia. Probatur. Existente iusta causa pro dispensatione adest multoties motiuum concedendi, & negandi habita ratione publicæ vtilitatis, ergo est in potestate superioris negare, vel concedere, quia in probabilibus potest sequi vtramque partem.

41 Ad primum respondetur. Textus illos non loqui de dispensatione, sed tantum de acceptandis pœnitentibus, & solum intendunt, quod ex congruentia debent acceptari, & recipi quando resipiscunt. Ad secundum. Negatur antecedens. Sicut etiam ad probationem. Quia cum nemo habeat ius ad dispensationem, non fit contra iustitiam distributiuam, si vni concedatur, & alteri negetur; atq; adeò nec interuenit acceptio personarum.

42 Quæres. Quando dispensatio sit debita. Respondetur esse debitam, quando ius præcipit dispensari; aut quãdo est necessaria ad bonum publicum; aut vitandum publicum scandalum; aut etiam quando est necessaria ad vitandum graue damnum siue spirituale, siue etiam temporale ipsius potentis.

An qui potest dispensare cum aliis possit etiam dispensare cum se ipso.

SECTIO X.

43 Certum est; posse dispensare cum se ipso dispẽsatione impropria, aut etiam alteri committere, vt secum dispenset, vt docent communiter cum Diuo Thom. 2. 2. *q.* 185. vnde solum difficultas est de dispensatione proprie dicta.

44 Prima sententia est negatiua. Ita Anton. *in cap.* 1. *n.* 10. De *const.* Imol. *num.* 17. Alex. *num.* 66. & alii. Probant idem non potest exercere iurisdictionem in se ipsum *l. illæ ff.* Ad *Trebel.* ergo neque dispensare cum se ipso. Secũdò. Illius est ligare, cuius est soluere. capit. *Cum inser.* De *Maiorit. & obedient.* ergo cum nemo possit ligare se ipsum, nec poterit soluere. Tertiò. Qui potest beneficium conferre, non potest se ipsum instituere capit. *fin.* De *inst.* quia inter dantem, & accipientem debet esse distinctio personarum; dispensare autem est conferre beneficium dispensationis. ergo

45 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Syluest. *verbo.* Lex *quæst.* 14. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 7. *num.* 8. Salas *disp.* 20. *de legib. sect.* 12. & alii.

46 Dicendum est. *Qui potest cum aliis dispensare, posse etiam cum se ipso.* Prob. Dispensatio est relaxatio obligationis, sed potest quis habens potestatem relaxare obligationem sibi ipsi, ergo. Minor probatur. Relaxatio obligationis est actus potestatis, & voluntatis, ergo potest eandem voluntatem, & potestatem exercere circa se ipsum.

47 Ad primum respondetur. Eundem non posse exercere iurisdictionem contentiosam in se ipsum, quia requirit oppositionem partis, vt notat D. Thom. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæst.* 4. *ad* 1. posse tamen exercere iurisdictionem voluntariam, quia in hac potest idem repræsentare plures personas *l. si Consul. ff.* De *adopt.* & notat Abbas *in cap. ex litteris num.* 11. De *probat.* Ad secundum. Illius esse ligare, cuius est soluere quoad potestatem quia requiritur ęqualis potestas. Sicuti autem legislator condendo legem ligat se ipsum, sic etiam potest soluere dispensando. Ad tertium. Specialiter prohiberi, nequis conferat sibi ipsi beneficium ob vitandam ambitionem, & auaritiam; vnde non semper interdantem, & accipientem debet esse distinctio.

An vtens dispensatione concessa sine causa peccet.

SECTIO XI.

48 Certum est peccare, si dispensatio sit inualida quia non tollit obligationem legis: in dubio autem de iustitia causę est licitus vsus illius, quia in dubio fauendum est validitati actus *l. Quoties ff.* De *verb. dubiis*, vnde difficultas est de dispensatione valida, sed concessa sine causa.

49 Prima sententia asserit peccare venialiter. Ita Sot. *lib.* 1. *de iustitia, & iure quæst.* 7. *art.* 2. Corduba *libr.* 4. *quæst.* 8. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 18. *num.* 11. & alii.

50 Secunda sententia asserit peccare eodem genere peccati, quo peccat dispensans, atque adeo mortaliter si sit in materia graui. Ita Panormit. *in cap. non est numer.* 8. De *voto.* Martinez 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *dub.* 1. *concl.* 6: Caiet. *quæst.* 95. *art.* 5. & alii.

51 Tertia sententia asserit, nec peccare mortaliter, nec venialiter secluso scandalo, ita Suarez *lib.* 6. *de legib. cap.* 19. *num.* 14. Vasquez 1. 2. *disput.* 178. *cap.* 4. Lorca *disp.* 37. *de legib.* Sayr. *lib.* 3. *clau. reg. cap.* 11. *num.* 10. Salas *disput.* 26. *de legib. sect.* 5. & alii.

52 Dicendum est. *Vtentem dispensatione concessa sine causa non peccare.* Probatur. Dispensatio tollit obligationem legis, & facit, quod dispensatus sit in eo statu, in quo esset, si nunquam fuisset obligatus, ergo non peccat non seruando legem.

53 Dices obligari ad seruandam legem iure naturali. Contra. Ius naturale non obligat ad seruandas leges, nisi eos, quibus sunt impositæ; sed dispensato lex non est imposita. ergo

54 Obiicitur: lex iniusta non est lex, nec obligat, ergo nec etiam dispensatio deobligat. Resp. negando conseq. Quia iniustitia tollit validitatem legis; non autem validitatem dispensationis, quia sufficit, si tollatur obligatio legis, quæ potest validè tolli, etiam sine causa, dummodo dispensans rationabiliter procedat.



SACRA

SACRA MORALIS DOCTRINA

De proxima Mensura Honestatis, & Turpitudinis humanarum actionum, seu conscientia.

DE ESSENTIA CONSCIENTIAE, qualitate, & obligatione ipsius.

DISPVTATIO LXIII.

An conscientia pertineat ad intellectum.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Conscientiam esse quid intrinsecum homini contra origenem *lib. 2. in epist. ad Rom.* vbi significat, esse substantiam separatam assistentem animæ; nam hoc desumitur ex scriptura Iob. 27. *Nec enim reprehendit me cor meum*, & 1. Ioan. 3. *Si reprehenderit nos cor nostrum*; nomine autem cordis intelligitur conscientia, vt explicat Anacletus Papa *epist. 1. ad omnes Ecclesias*, & communiter Patres.

2 Supponendum secundò. Conscientiam esse regulam circa honestatem, & turpitudinem agendorum, atq; adeò ostendentem, quid sequendum sit, & quid fugiendum, vnde Ad Roman. 1. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium*. Vnde stimulat ad faciendum bonum, & fugiendum malum, & se habet instar testis testificantis pro nobis, aut contra nos, vt notat D. August. *in Psalm.* 37. & etiam instar Iudicis redarguentis, vel absoluentis; vnde Sap. 17. *Pessima redarguente conscientia* Difficultas autem est an Conscientiam pertineat ad intellectum an ad voluntatem.

3 Dicendum est. *Conscientiam pertinere ad intellectū*. Ita communiter cum D. Thom. 1. *part. quæst. 79. artic.* 3. & Scoto *in 2. dist. 39.* quæst. 1. §. Ad quæst. istam contra Henricum *quodlib. 1. quæst.* 18. qui vult pertinere ad voluntatem, & contra Durand. *in 2. dist. 39. quæst.* 4. qui vult coalescere ex habitu intellectus circa agenda, & inclinatione voluntate correspondente tali habitui. Desumitur ex illo Eccles. 7. *Scit conscientia tua, quia tu crebro maledixisti aliis*. Scire autem pertineat ad intellectum, & traditur à Patribus præsertim Damasceno 2. *de fide cap.* 12. Ambr. *lib. 7. epist.* 14. August. *lib. 4. de Ciuit. cap.* 20. Probatur. Conscientia dirigit ad sequendum bonum, & fugiendum malum; redarguit male operantes, vt habetur 1. Corinth. 1. ergo non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum. Consequentia probatur. Voluntas est potentia cæca, ergo non potest dirigere, cum directio fiat per cognitionem, & ostensionem agendorum; rursus arguere dicit cognitionem mali, quod reprehenditur, ergo non potest esse opus voluntatis.

4 Ob. Conscientia dicitur bona, vel mala: dicitur inquinari, & mundari, Act. 23. & 1. Pet. 3. & 1. ad Timot. 1. ergo pertinet ad voluntatem, quia malum, & bonum morale est solius voluntatis, ratione cuius est munda, vel inquinata. Respondetur disting. antecedens. Dicitur bona, vel mala denominatiuè ab ipsa voluntate, quatenus habet adiunctum actum voluntatis bonum, vel malum in ordine, ad quem dirigit. Et eodem modo dicitur etiam inquinari, & mundari. Non autem formaliter.

5 Instat. Obiectum. Conscientiæ est bonum, ergo dicitur bona, vel mala, quatenus tendit in bonum, vel malum, ergo est talis formaliter, atque adeo pertinet ad voluntatem. Respondetur distinguendo antecedens. Obiectum Conscientiæ est bonum, non sub ratione boni prosequibilis; sed sub ratione ordinis ad finem, quatenus conscientia præscribit ordinem, quem bonum debet habere in ordine ad vltimum finem, & sub ratione iudicabilis, quatenus potest declarari bonum.

6 Ob. secundò. Si conscientia pertineret ad intellectum, qui plus haberet scientiæ, haberet etiam plus conscientiæ. Hoc autem frequenter est falsum. Respondetur disting. sequellam. Qui plus haberet scientiæ practicæ circa agenda, & circa applicanda principia in ordine ad particulares actiones, plus haberet conscientiæ, secus autem, qui plus haberet scientiæ speculatiuæ absque notitia applicandi principia ad actiones particulares, nam in hoc sensu potest solum, quis plus habere scientiæ, & minus conscientiæ.

An Conscientia sit habitus, an actus.

SECTIO II.

7 PRima sententia asserit, esse habitum, ita Durand. *in 2. dist. 39. quæst.* 4. Scotus *quæst.* 1. D. Bonauēt. *art. 1. quæst.* 1. & alij. Probatur. Conscientia habet plures actus; non dirigit, redarguit, testificatur, absoluit, &c. ergo est habitus, alioquin si esset actus, essent plures conscientiæ specie diuersæ. Secundò. Si esset actus nempe iudicium intellectus, nemo posset operari contra conscientiam, quia nemo potest operari contra id, quod intellectus iudicat esse operandum, hoc autem est falsum, ergo. Tertiò. Si esset actus, Iustus peccans venialiter non haberet bonam conscientiam; nam tunc habet solum dictamen dictans circa illud peccatum; hoc autem est falsum. Rursus peccator operans benè moraliter haberet bonam conscientiam, quia habet bonum dictamen practicum, quod similiter est falsum.

8 Secunda sententia asserit, esse actum intellectus. Ita D. Thom. 1. *part. quæst. 79. art.* 13. & 1. 2. *quæst. 19. art.* 5. Caiet. & alij expositiones iisdem locis, Salas 1. 2. *tractat. 8. disput. 1. section.* 2. Lorca *disput. 36. de act. 6. human.* & alij.

9 Dico primò. *Conscientia est actus, non autem habitus.*

tus. Probatur. Conscientia habet dirigere operationes voluntatis actualis directiuè, & in suis officijs non subditur voluntati, quia nobis nolentibus stimulat, obligat, accusat, &c. ergo non est habitus, quia voluntas non dirigitur, neque obligatur, aut accusatur per habitum, sed per actum intellectus ostendentis bonum, & malum, & quia habitus subduntur voluntati, ita vt debeant ab ipsa applicari ad operandum. Confirmatur. Non est habitus innatus, sicut habitus principiorum, alioquin non esset variabilis; nec infusus à Deo, quia non posset esse Erronea, & falsa; nec acquisitus, quia non posset deponi, sicuti deponitur per iursum actum ex intrinseca authoritate dicentis, ergo nullo modo est habitus.

10 Dico secundò. *Conscientia est iudicium practicum circa agenda particularia pensatis omnibus circumstantijs, & formatum in principijs practicis.* Probatur. Conscientia dirigit circa agenda, voluntatem accusat circa iam facta, remordet, &c. ergo est iudicium circa particularia habita ratione circumstantiarum. Consequentia probatur. Voluntas dirigenda, accusanda, &c. versatur circa particularia pensatis omnibus circumstantijs. ergo

11 Ad primum distinguendo antecedens. Conscientia habet plures actus materialiter; non autem formaliter: nam omnes in eo conueniunt, quod sint iudicium practicum circa agenda particularia. Ad secundum neg. sequella. Quia voluntas potest contra rectam conscientiam sequi iudicium prauum ex eo, quod hic, & nunc efficacius proponat obiectum. Ad tertium disting. seq. Iustus peccans venialiter non haberet bonam conscientiam, secundum quid; non autem absolutè, & sic etiam peccator operans bene haberet bonam conscientiam, non absolutè, sed secundum quid, nempe in ordine ad illam operationem.

12 Colligitur ex dictis. Conscientiam versari tam circa facienda, quam circa iam facta, primo modo dirigit voluntatem iuxta regulas rationis, posteriori modo redarguit, & accusat, vel absoluit, & approbat.

13 Colligitur secundò. Conscientiam differre à Synderesi, quia Synderesis importat iudicium practicum principiorum moralium vniuersalium; conscientia verò importat electiones practicas circa particularia, atque adeò deductas ex vna vniuersali, ex altera particulari, vt docent communiter cum D. Thom. 1. *part. quæst.* 79. *artic.* 13. vnde synderesis nunquam extinguitur, quia principia vniuersalia sunt congenita lumini naturali, nec potest esse principium peccati, quia ex principijs veris non sequitur operatio mala conscientia verò; extingui potest, & aliquando est principium peccati, quando scilicet non est recta culpabiliter.

14 Colligitur tertiò. Conscientiam differre à scientia, & opinione, quia hæc important conclusiones vniuersales; conscientia vero iudicium de re singulari: quia nimirum est proxima regula operandi, atque adeò respicit obiecta, & operationes in particulari.

15 Colligitur quartò. Actus conscientiæ pertinere ad diuersos habitus iuxta diuersas materias, circa quas versantur, quatenus singuli habitus possunt cõcurrere ad formanda dictamina particularia circa proprias materias, pertinent autem omnes etiam ad prudentiam, quia prudentia debet concurrere ad ponderandas circumstantias, & applicanda principia ad formanda dictamina particularia, vnde vt docet D. Thom. *quæst.* 27. *de veritate art.* 1. *ad* 4. 2. *loco propositum*, per actus conscientiæ non generatur aliquis specialis habitus, sed solum illi, ad quos actus pertinent, augentur.

16 Colligitur quintò. Conscientiam pertinere ad portionem animæ superiorem, cum enim pars superior sit illa, quæ procedit secundum æternas rationes eas inspiciendo, & secundum ipsas consulendo, vt docet Diu. August. 12. *de Trinit. cap.* 7. debet conscientia ad ipsam spectare, siquidem dirigit secundum æternas rationes dictans de turpitudine, & honestate in ordine ad beatitudinem.

17 Obijcitur sextò contra Bresserum *lib.* 1. *de conscientia c.* 10. Malderum 1. 2. *quæst.* 19. *disp.* 84. *initio*, & alios Conscientiam non esse legem, quia lex est omnibus communi; conscientia verò est vnicuique particularis, & cum sit homini intrinseca, si esset lex deberet esse lex naturalis; quod fieri non potest, quia lex naturalis est eadem in omnibus inuariabilis; conscientia verò est diuersa, & variabilis; vnde non obligat ratione sui, sed quatenus applicat legem obligantem respectu particularium actionum.

Quotuplex sit Conscientia.

SECTIO III.

18 Conscientia diuiditur in rectam, & veram, probabilem, & dubiam; erroneam, & falsam; & in scrupulosam. Desumitur hæc diuisio ratione cognitionis, cui innititur, nam si cognitio cui innitur sit vera, & certa, conscientia quoque erit vera, & certa, si probabilis, etiam conscientia erit probabilis; si dubia, erit dubia; si erronea, & falsa, conscientia quoque erit talis, si autem scrupulosa, conscientia similiter erit scrupulosa.

19 Conscientia vera, & recta est illa, quę conformatur, cum rationibus æternis, & cum voluntate recta circa ea, quæ sunt ad finem, vt explicat Aristoteles 6. *eth. capit.* 2. & D. Thom. 1. 2. *quæst.* 59. *articul.* 3. quæ explicatio est à priori, quia scilicet dictamen conscientiæ, cum sit circa particularia habita ratione circumstantiarum, vt sit rectum, debet conformari cum suis principiis, nempe cum regulis æternis, quatenus participantur à principiis vniuersalibus lumini naturali congenitis, & cum voluntate circa finem, quia scilicet intentio finis est mensura agendorum. A posteriori verò explicatur per id, quod faciat voluntatem rectam in operando tanquam proxima regula ipsius, vt explicat Scotus *in tertio distinct.* 39. *quæst.* 1. §. *licet istud*.

20 Conscientia probabilis est illa, quę non habet certam conformitatem cum suis principiis, sed tantum probabilem, atque adeò relinquit aliquam formidinem de opposito. Conscientia dubia est illa, quæ relinquit intellectum suspensum, ita vt neutri parti adhæreat ex eo, quod in neutro dictamine, quod est mensura proxima operandi appareat conformitas, vel difformitas ad principia vniuersalia, & ideò non se determinat, quod liceat, vel non liceat.

21 Conscientia erronea, & falsa est illa, quæ est difformis regulis æternis, atque adeò principiis vniuersalibus, & obiectis, prout sunt in se, non autem prout sunt in nostra cognitione, atque adeò procedit ex eo, quod intellectus non rectè iudicet de rebus.

22 Conscientia scrupulosa est illa, quæ ex leui, aut nulla causa iudicat aliquod esse peccatum, quod re vera non est peccatum, neque adeò importat iudicium absque sufficienti fundamento deductum ex principiis vniuersalibus.

23 Circa præsentem diuisionem difficultas est, an possit dari conscientia, quæ practicè sit vera, & certa, & speculatiuè sit falsa, aut solum probabilis, & econtra. Prima sententia est affirmatiua. ita Caietan. *tom.* 1. *opusc. tract.* 31. *dub. vltimo*. Sot. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *articul.* 3. *in fine*. Corduba *in quæstionario libr.* 3. *quæst.* 5. *post primam propositionem*. Nauarrus *in Manual. prælud.* 9. *n.* 9. Bresser. *lib.* 3. *de conscientia cap.* 7.

24 Secunda sententia est negatiua ita Vasq. 1. 2. *disput.* 62. *cap.* 5. & alij Recentiores.

25 Dico primò. *Non potest dari conscientia vera, & certa practicè, quę innitatur cogitationi speculatiuæ tantum probabili, aut facilè.* Probatur. Conscientia firmatur ex cognitione cui innititur tanquam cognitio particularis ex sua vniuersali, ita vt contineatur in ipsa tanquam in radice, ergo non potest habere veritatem, & certitudinem, quam non habet cognitio, cui innititur. Consequẽtia probatur. Quia motiuum, quod dat certitudinem, & veritatem

tem vni, dat etiam alteri. Confir. In falso non potest fundari verum, atque adeò nec certum in probabili; alioquin ex falso posset deduci verum, atque adeò euerteretur tota ars Syllogismica. Ergo nec conscientia vera, & certa in cognitione speculatiua falsa. Confir. secundo conscientia, vt sit vera, & certa, debet concordare cum synderesi, seu cum principijs practicis. Ergo non potest inniti cognitioni falsæ. Conseq. probatur. Quia principia vniuersalia non possunt influere in dictamen conscientiæ mediante cognitione falsa, cum falsitas non possit esse medium connectens duas veritates ad inuicem.

26 Ob. primò. Si quis sit dubius, an possideat rem alienam, format certam conscientiam, quod non debeat restituere. Ergo conscientia certa potest inniti cognitioni speculatiuæ dubiæ, vel etiam falsæ, vt si iudicet, se non possidere rem alienam, cum tamen possideat. Respond. neg. Conseq. Nam illa cognitio dubia, vel etiam falsa non est fundamentum conscientiæ certæ, sed tantum applicatiua materiæ, circa quam potest versari cōscientia certa, quia stante dubio, an possideā rem alienam, certo cognosco, quod non adest materia restitutionis; & huic cognitioni certæ innititur conscientia, quod non debeam restituere; & eodem modo soluendæ sunt obiectiones ex huiusmodi exēplis, in quibus interuenit cognitio dubia, aut etiā falsa.

27 Ob. secundò. Potest quis habere conscientiam certam, quod liceat sequi opinionem, quam putat esse falsā, quia nimirum traditur à viris doctis. Ergo dictamen conscientiæ certum potest inniti cognitioni falsæ. Respond. negando conseq. Quia illa conscientia non innititur cognitioni, qua putat opinionem esse falsam, quia hæc solum concomitanter se habet, sed innititur cognitioni certæ, qua quis certò cognoscit, licere sequi opinionem virorum doctorum, licet putetur falsa.

28 Ob. tertiò. Aliquando non licet sequi opinionem probabilem. Ergo talis opinio, licet probabilis speculatiuè, non est probabilis practicè, quia esse probabile practicè est posse reduci ad praxim. Res. neg. ant. Nā si reuera probabilis sit, potest semper reduci ad praxim, vt dixi in *decis. moral. decis.* 26.

29 Dico secundo. *Non potest idem dictamen conscientiæ esse speculatiuè falsum, vel tantum probabile, & practicè verum, & certum*. est contra Bresserum *lib. 3. de conscientia cap. 7. num.* 85. Probatur. cognitionem esse speculatiuè falsam est esse difformem obiecto. Ergo eo ipso, quod conscientia est speculatiuè falsa, non potest esse vera practicè. Conseq. prob. Esse veram practicè dicit, quod recto modo dirigat voluntatem, quia veritas cognitionis practicæ dicit, quod causet obiectum verum practicè. Sed eo ipso, quod est difformis obiecto, non potest rectè dirigere. Ergo. min. ista prob. Eo ipso, quod est difformis obiecti, est etiam difformis principijs vniuersalibus, & regulis æternis, quia obiectum in sua veritate obiectiua, quæ est participatio veritatis æternæ, & ipsis conforme; cognitio autem sic difformis nón potest rectè dirigere voluntatem. Ergò.

30 Ob. Opinio solum probabilis est certa regula operandi. Ergo idem dictamen conscientiæ potest esse speculatiuè solum probabile, & practicè certum. Resp. dist. antec. Opinio probabilis potest esse regula certa operandi obiectiuè, concedo. Formaliter: nego, quia numquam facit intellectum formaliter certum in ordine ad operationem; sed solum, si consideretur vt mensura operandi, habet in ratione mensuræ certitudinem obiectiuam, quia potest vt talis assumi absque formidine.

31 Ob. secundo. Iacob accedens ad Liam habuit conscientiam practicè certam, quod liceret accedere, quia putabat esse suam; sed speculatiuè falsum, quia non erat sua. Ergò idē dictamen cōscientiæ potest esse speculatiue falsū, & practicè verū. Resp. neg. 1. part. ant. Nam illa conscientia practicè erat erronea, quia fundabatur in errore, quo putabat Liam esse suam. Instabis. Illa conscientia causabat voluntatem rectam. Ergo erat vera, & recta. Respon. dist. antec. Causabat operationem rectam putatiuè; non autem formaliter, & verè; quia nimirum stante errore illa operatio putabatur recta.

32 Quæres. An conscientia temeraria sit species conscientiæ distincta ab enumeratis. Resp. negatiue contra Suarez *tr. 3. in 1. 2. disp. 12. sect. 2. nu. 6.* Quia cum sit illa, quæ absque vllo fundamento iudicat licitum aliquid, vel illicitum, non est iudicium respiciens aliquo modo principia vniuersalia, atque adeo, nec verè, nec falsè ex ipsis deductum, & ideò nullo modo potest dici conscientia, sed est merum dictamen temerarium proueniens ab habitu vitioso temeritatis.

An semper operandum sit ex conscientia, quando est certa.

SECTIO IV.

33 Supponendum est. Conscientiam certam semper obligare, ita vt nunquam liceat contra ipsam operari, & communiter docent cum D. Thom. 2. 2. *quæst. 19. ar. 5. & 6.* Quia conscientia certa importat applicatione legis hic, & nunc certo obligantis, & ideo facere tunc contra conscientiam, esset violare legem. Difficultas autem est, an saltem ex dispensatione Dei, possit quis facere contra dictamen conscientiæ.

34 Prima sententia est affirmatiua. Ita Almainus, *tr. 3. moral. c. 15.* Lorca *1. 2. disput. 37. de act. hum. dub. vlt.* & probabile putat Corduba *in qu. lib. 3. qu.* 10. intelligitur autem, non quod Deus possit dispensare, vt quis faciat vniuersaliter contra conscientiam: sed tantum in aliqua particulari materia.

35 Secunda sententia est absolutè negatiua. ita Vasq. 2. 2. *disp. 61. c. 2.* Salas *tr. 8. disp. 1. sect. 3. n.* 28. Corneius *tr. 8. disput. 2. dub. 4.* Martinez *quæst. 19. dub. 4.* & alij, qui hoc extendunt etiam ad conscientiam erroneam.

36 Dico primo. *Reus non potest tollere conscientiam, atque adeo nec obligationem ipsius relinquendo modum operandi moralem*. Prab. Implicat, quod quis operetur moraliter, & non versetur circa obiectum sub ratione honesti, vel turpis. Ergo implicat modus operandi moralis absque conscientia. Conseq. prob. Eo ipso, quod obiectū proponitur sub ratione honesti, aut turpis, ratio dictat de honestate, & turpitudine hic, & nunc sequenda, aut fugienda habita ratione omnium circumstantiarum; hoc autem dictamen est conscientia.

37 Dico secundo. *Deus non potest auferre conscientiā veram, atque adeò nec ligamen ipsius relinquendo modum operandi moralem siue vniuersaliter, siue in materia particulari*. Prob. Deus non potest velle aliquod contrarium suis legibus æternis: alioquin vellet aliquod inordinatum, & malum. Ergo nec auferre obligationem conscientiæ veræ. Cons. prob. Conscientia per id est vera, per quod est conformis regulis ęternis. Ergo si Deus posset auferre obligationem conscientiæ, posset velle, quod aliquis operetur absque conformitate ad conscientiam, atque adeo ad regulas æternas. Hoc autem est velle aliquod contrarium regulis æternis, quia regulę ęternę exigunt, quod quidquid fit, sit ipsis conforme, quia exigunt, quod sit rectum.

38 Dico tertio. *Deus non potest dispensare vt quis agat contra conscientiam veram, & certam*. Prob. Deus non potest dispensare, vt quis licitè peccet, cum sit implicantia in terminis. Ergo nec quod operetur contra conscientiam. Conseq. prob. Dispensaret vt quis licitè peccaret, quia dispensaret, vt faceret contra principia vniuersalia, & regulas ęternas, quibus conscientia conformatur: hoc autem est peccare.

39 Ob. Actus, quo Deus prohibuit agere contra conscientiam, est liber. ergo potuit non prohibere. ergo etiam potuit dispēsare. Resp. Esse liberum, quoad prohibitionē ad extra; non autem quoad displicentiam, quia cum sit contra

contra regulas æternas agere contra conscientiam, necessariò displicet, & est ex illis, quod si terminat actum liberum, non potest terminare, nisi actû prohibitionis.

40 Ob. secundo. Agere contra conscientiam est agere contra illud præceptum, in cuius virtute conscientia ligat. Ergo cum Deus possit dispensare in præcepto, potest etiam dispensare in conscientia. Respond. Esse agere contra præceptum, vt actu obligans, non autem, vt cessans obligare. Deus autem non potest dispensare, vt quis agat contra præceptum; vt actu obligans, quia non potest dispensare in generali præcepto de non malè agendo.

41 Ob. tertio. Potest dispensari in voto, licet obligat ex lege naturali. Ergo etiam in conscientia. Respond. negando conseq. Quia potest relaxari, quod est promissum in voto, atque adeò tolli obligatio ipsius; quia hoc pertinet ad ius illius, cui facta est promissio, qui potest ipsi cedere; at obligatio conscientiæ non potest relaxari, quia vt constat ex dictis, sequitur aliquod implicans.

42 Colligitur ex dictis. Quod licet Deus possit tollere conscientiam erroneam eam conuertendo in veram; non tamen potest dispensare, vt quis agat contra ipsam, quamdiu durat; quia adhuc dispensaret, vt quis peccaret, nam adhuc conscientia erronea applicat legem tanquam prohibentem, aut præcipientem, & ideo operans contra ipsam ex intentione sua violat legem, vt infra dicemus.

43 Colligitur secundo. Licere semper operari secundum conscientiam probabilem. Nam adhuc talis conscientia est conformis rectæ rationi, cum innitatur opinioni probabili. Quænam autem sit opinio probabilis, & quid seruandum in ea eligenda dixi in decis. moral. tract. de electione opinionis, & tract. de opinione probabili.

An requiratur iudicium certum de probabilitate, vt quis possit secundum conscientiam probabilem operari.

SECTIO V.

44 Non requiri iudicium certum, sed sufficere probabile, itaut sufficiat, quod probabiliter iudicem, probabilem esse illam opinionem, qua conscientia informatur; tradidi in *decis. moralib. decis.* 18. *nu.* 2. Sed contra hoc insurgit Io: Stephanus Spinula *de libera & pruden agibil. elect. disput.* 1. *sect.* 6. *conclus. prima*, contendens requiri certum iudicium de probabilitate, opinionis. Prob. Non potest quis prudenter agere sine certa regula agendi rectè, aliàs si non haberet certam regulam, se exponeret periculo peccandi. Ergo cum probabilitas opinionis sit regula agendi, debet talis probabilitas esse certa. Secundo in moralibus debet quisque esse certus, se prudenter agere, alias se exponeret periculo malè agendi. ergo debet esse certus se habere veram regulam agendi, atque adeo esse certus de probabilitate opinionis, cum hæc sit regula agendorum. Tertio, si non requireretur certitudo de probabilitate opinionis, procederetur in infinitum, & nunquam haberetur certa regula operandi. Quia vel iudicium de probabilitate opinionis est certò probabile, vel non; si primum, Ergò non sufficit ad operandum probabile iudicium de probabilitate. Si secundum, rursus quæro de tertio iudicio probabilitatis, an sit certò probabile, & postea de quarto, & sic deinceps. Et proinde aut sistendum in aliquo certo iudicio de probabilitate, aut progrediendum in infinitum, & nunquam habenda certa regula operandi. Quarto, eo ipso, quod aliqua opinio est probabilis, est etiam euidenter probabilis. Ergo; sequel. prob. Illa opinio est euidenter probabilis, cui possum cum probabili fundamento assentiri, sed cuicunque probabili opinioni possum cum probabili fundamento assentiri. Ergo.

45 Sed non est recedendum à doctrina, quam *citato loco* tradidi, quæ enim in contrarium adducta sunt, procedunt, quia confunditur iudicium de probabilitate opinionis cum iudicio de vsu, seu electione opinionis; & regula operationis cum regula operantis. Vnde notandum est, quod aliud est iudicium de probabilitate opinionis, & aliud iudicium de eligibilitate, seu vsu opinionis. Primum versatur circa motiua, in quibus fundetur opinio, & iudicat de ipsis, atque adeò pertinet ad illum habitum, qui deducit ipsam opinionem. Secundum verò est iudicium practicum, & pertinet ad conscientiam cum sit in ordine ad regulandam operationem hic, & nunc, & iudicat de ipsa opinione, an possit assumi tanquam mensura operationis.

46 Secundo notandum est. Aliam esse regulam operationis, & aliam esse regulam operantis. Regula operationis est ista, quam operans assumit ad mensurandam propriam operationem, vt honesta sit: vnde obiectiuo modo se habet respectu operantis. Regula operantis est, qua dirigitur operans in ordine ad rectificandas proprias operationes, atque adeò etiam in ordine ad assumendam ipsam regulam, vnde respectu ipsius formali modo se habet. Hæc autem regula est duplex. Alia vniuersalis, & alia particularis. Vniuersalis est illa, quæ in vniuersali dirigit operantem, & proinde pertinet ad synderesim. Particularis verò est, quæ hic, & nunc dirigit in ordine ad talem operationem applicando regulam vniuersalem, & proinde pertinet ad conscientiam.

47 Tertio notandum est. Ad rectè operandum sufficere solam certitudinem regulæ vniuersalis operantis. Ratio est. Quia regula operationis non semper potest esse certa, cum rarò possimus illam vt certam habere, & ideò sufficit opinio probabilis ad regulandam operationem, vt communiter docent. Rursus regula particularis, neque semper potest esse certa; imò aliquando est erronea, vt quando quis cum conscientia erronea operatur. Et proinde non requiri iudicium certum conscientiæ, quod liceat operari secundum talem opinionem, docent Sanchez *lib.* 1. *in decal. cap.* 9. *num.* 18. Vasquez *prima* 2. *disput.* 62. *cap.* 5. *num.* 26. Salas *tract.* 8. *disput. vn. sect.* 4. *num.* 4. Granad. *contron.* 2. *tract.* 12. *disput.* 3. *sect.* 3. Lorca *disput.* 39. Bresser. *lib.* 3. *de conscient. cap.* 5. *num.* 57. Merol. *tom.* 1. *disputat.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. *corol.* 3. & alij, quos citaui, & sequutus sum *decis.* 34. *moral. c.* 3. Regula enim particularis non est formaliter regula, sed applicatiua regulæ. Et ideò si regula vniuersalis, quæ applicatur, sit certa, operans quoque est certus de honestate operationis, quia cum certo iudicio potest reflectere supra propriam operationem. Valet enim iste discursus. Quicunque in operando dirigitur regula certa, certus est, quod honestè operetur; qui autem in operando iuxtà regulam vniuersalem rectè operationis per conscientiam applicatam vtitur opinione probabili, dirigitur regula certa. Ergò certus est, quod honestè operetur.

48 Dicendum est. *Sufficere probabile iudicium de probabilitate opinionis, nec requiri certitudinem.* Probatur. Opinio probabilis seclusa certitudine potest esse regula operationis. Ergò etiam quando habetur solum iudicium probabile de tali probabilitate. Anteced. est certum apud omnes, quia licet vti probabili opinione ad regulandum operationem. Conseq. prob. Tum quia operatio regulatur secundum ipsam opinionem, non autem secundum iudicium de probabilitate. Tum quia iudicium de probabilitate est iudicium reflexum supra ipsam opinionem, atque adeò se tenet ex parte regulæ obiectiuæ, quæ assumitur ab operante, si autem semel sufficit probabilitas in regula obiectiua, sufficiet in omni eo, quod se tenet ex parte regulæ obiectiuæ. Confirm. Ideò opinio ratione probabilitatis est sufficiens regula, quia probabilitas est cõformis regulis rectæ rationis, & proinde facit, quod operatio sit certa. Ergò etiã indiciũ probabile de probabilitate operationis erit secũdũ regulas rectę ratio-

rationis, & sufficiet ad rectificandam operationem. Confirmat. 2. Probabilitas opinionis multoties non est certa obiectiuè, vt cum Doctores non conueniunt, an aliqua opinio sit probabilis, & operans sequitur tantum auctoritatem. Ergo tunc non potest haberi certum iudicium de probabilitate, quia quando obiectum non est certum, neque cognitio ab ipso causata potest esse certa, & tamen potest quisque tale opinione vti innixus auctoritati.

49 Ad primum respond. Non posse aliquem prudenter agere sine certa regula directiua ipsius; posse tamen prudenter agere, licet regula mensuratiua operationis non sit certa. Probabilitas autem opinionis, & iudicium de ipsa sunt regula operationis, non autem operantis. Ad secundum distin. conseq. Debet agens esse certus se habere veram regulam, qua ipse dirigatur; non autem, qua mensuretur operatio; est autem certus, si sciat, se habere veram regulam, quam per iudicium particulare conscientiæ applicet ad mensurandam operationem. Ad tertium disting. secunda pars sequel. Non haberetur certa regula operandi, quæ sit mensuratiua operationis, concedo, quæ sit directiua operantis, & nego; nam hæc non consistit, nec in opinione, nec in quocunque iudicio reflexo supra probabilitatem opinionis. Ad quartum neg. sequel. Ad prob. neg. assump. Nam vt opinio sit euidenter probabilis, non sufficit, quod habeam probabile fundamentum assentiendi, sed probabilitas fundamenti debet esse obiectiuè euidens, quia obiectum non potest causare cognitionem euidentem, nisi sit euidenter propositum. Quod si probabilitas non potest euidenter proponi, nec etiam poterit euidenter cognosci.

An sit speciale peccatum operari contra conscientiam.

SECTIO VI.

50 PRima sententia est affirmatiua, ita Io. Medina *Cod. de confession. q. 8. vers. deinde fornicari.* Angest. *cap. 8. moral. dub. 2.* qui ait, quod facere contra conscientiam erroneam, est speciale peccatum: facere verò contra conscientiam rectam esse duplex peccatum, nempè contra generale præceptum sequendi conscientiam, & contra speciale præceptum, quod violatur.

51 Secunda sententia est negatiua. ita D. Thom. 1. 2. *quæst. 19. ar. 5. ad 3.* Medina *ar. 6. dub. 4.* Vasq. *disput. 59. cap. 3.* Salas *trac. 8. disp. 1. sec. 3. n. 3.* Cornelius *tract. 8. disput. 2. dub. 5.* Martinez *quæst. 19. ar. 6. dub. 2. conclus. 4.* Sanchez *lib. 1. summæ cap. 11. n. 5.* & alij.

52 Dicendum est. *Agere contra conscientiam non esse speciale peccatum, sed continere tantum illum peccatum, quod est contra præceptum propositum per conscientiam.* Probatur. Conscientia non obligat speciali obligatione, sed tantū obligatione legis, secūdū quā dictat esse operādum. Ergo peccatum contra conscientiam non est speciale peccatum. Antec. prob. Cōscientia obligat vt proxima regula operandi, atque adeò vt applicans præceptū quod dictat esse seruandū: siquidē quod dicit præceptū in vniuersali dicit ipsa in particulari. Ergo non importat specialem obligationem distinctā à præcepto. Cons. patet. Nam vbi non est specialis obligatio, quæ violetur, nec etiam adest speciale peccatum.

53 Obijc. Adest speciale præceptum, sequendi conscientiam. Ergo qui peccat, ne dum facit contra præceptum, quod per conscientiam proponitur, sed etiam contra hoc præceptum. Respond. dist. anteced. Adest præceptum sequendi conscientiam vniuersalem, & imbibitum in cæteris; non verò speciale, & contradistinctum, quia non est aliud, quam præceptum sequendi bonum, & vitandi malum, vnde cum non importat spetialem obligationem, nec etiam significat speciale peccatum.

54 Ob. 2. Peccans contra conscientiam erroneam, potest cogitare, se non facere contra aliquod speciale præceptum, vt si putet obiectum indifferens, esse sibi illicitum; aut si conscientia dictet esse malum in communi, non determinans, quod sit contra spetialem virtutem. Ergo tunc peccabit præcisè contra conscientiam speciali peccato. Ergo hoc peccatum semper interueniet, quando fit contra conscientiam. Resp. neg. antec. & ad primam prob. resp. Implicare, quod obiectum proponatur sit indifferens, & illicitum; nam eo ipso, quod est illicitum, est malum, non autem indifferens, Ad secundam probationem. Quando proponitur malum in communi, tunc adest speciale peccatum contra speciale præceptum, quo illud malum prohibetur, & est determinatum præceptum, sed in confuso, nempè illud, quo prohibetur ille actus circa illud obiectum, vnde constituitur specialis species peccati, sed in confuso.

55 Quæres. Quale peccatum sit agere contra conscientiam, quando solum dictat, esse malum in communi non determinando an sit mortale, an verò veniale, quia scilicet intellectus non potest cognoscere, quanta sit malitia illius operationis. Respond. Esse peccatum mortale, vt docent Vasq. 1. 2. *disput. 19. cap. 3.* Martinez *quæst. 19. ar. 6. dub. 2.* Azorius *par. 1. lib. 2. cap. 8. quæst. 6.* contra Salas 1. 2. *tract. 8. disput. 1. sect. 3. nu. 33.* Corneium *trac. 8. disp. 2. dub. 5.* & alios. Ratio est. Quia in tali peccato, cum non adsit ratio determinata mali, specificatiuum est ipsa difformitas ad conscientiam, atque adeò ad regulas æternas; quæ cum non determinetur à particulari materia, vt sit leuis, remanet in sua ratione formali absoluta, atque adeò facit, quod operatio sit semper difformis rectæ rationi, & regulis æternis, atque adeò quod soluat debitum ordinem respectu vltimi finis, qui non potest consistere cum absoluta difformitate ad regulas æternas.

An liceat operari cum conscientia dubia.

SECTIO VII.

56 CVm conscientia dubia importet suspensionem iudicij, & sit potius priuatio conscientiæ, quā vera conscientia, potest intellectus per actum reflexum cognoscere, se remanere suspēsū. Hoc tamē iudiciū reflexū non est necessariū ad conscientiam dubiam, vt contra Salas 1. 2. *tract. 8. disp. prima sect. 16.* docent Vasquez 1. 2. *disp. 65. cap. 1.* Suarez *tom. 5. in tertiam partem disput. 40. sect. 5. num. 2.* & alij quia in ordine ad operationem, siue adsit iudicium reflexum, siue non, semper intellectus remanet suspensus, & absque iudicio dictante de operando, vel non operando benè, vel malè.

57 Supponendum est. Conscientiam dubiam posse contingere dupliciter, vel quia intellectus non habeat sufficiens motiuum ad se determinandum pro vna parte, vel quia pro vtraque parte adsint motiua ita æqualia, vt pro neutra parte se determinet; licet enim tunc possit vtramque partem putare probabilem; potest tamen abstinere etiam ab hoc iudicio, & remanere suspensus, & tunc conscientia erit dubia, vnde ad dubietatem requiritur, quod intellectus aduertat, & non se determinet.

58 Supponendum secundò. Conscientiam dubiam aliam esse dubiam dubio iuris, & aliam dubio facti. Dubium iuris est, quando dubitatur, an ius quodcunque illud sit, aliquod concedat, vel præcipiat, aut prohibeat. Dubium facti est, quando dubitatur, an res ita se habeat, vt sit conformis iuri, an verò non ita se habeat: vnde dubium iuris se tenet ex parte regulæ operandi dubium verò facti ex parte materiæ.

59 Dicendum est. *Non licere operari cum conscientia dubia*, ita communiter, & desumitur ex illo Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*; qui enim operatur

cum conscientia dubia, amat periculum, quia se exponit periculo peccandi. Probatur. Qui vult aliquod, de quo dubitat, an sit licitum, an verò illicitum, vult ipsum quomodocunque se habeat, ergo virtualiter, & interpretatiuè vult illicitum, ergo peccat. Conf. 1. probatur. Quia vult ipsum absolutè, etiam si illicitum sit. Confirmatur. Eo ipso, quod actus non est conformis rectæ rationi, est malus, quia caret debita rectitudine. Sed operans cum conscientia dubia operatur absque tali cõformitate, ergo. Minor probatur. Talis operatio non est secundum dictamen conscientiæ, quia conscientia non dictat esse honestum, alioquin non esset dubia, ergo nec secundum regulas rationis, quas applicat conscientia.

60 Ob. Si quis non posset sequi conscientiam dubiam, subditus non posset obedire superiori, quando dubitat, an id, quod præcipitur sit honestum, hoc autem est falsum, ergo. Respondetur neg. sequellam. Quia auctoritas superioris est sufficiens fundamentum, vt possit deponere conscientiam dubiam; Vnde Diuus Aug. *libr. 22. contra Faustum*. Docet, subditos dubios de iustitia belli posse obedire proprio Principi, hoc autem est limitandum, nisi fortè superior sit indoctus, & soleat errare in ijs, quæ pertinent ad proprium munus.

61 Colligitur ex dictis. Operantem cum conscientia dubia peccare illa specie peccati mortalis, aut venialis, de qua dubitat, quod si dubitet tantum de peccato in confuso non descendendo ad speciem particularem, nec ad mortale, aut veniale, peccabit mortaliter iuxta dicta in superioribus, quia faciet contra conscientiam sequendo id, quod dubitat esse inordinatum.

An in dubijs sit eligenda tutior pars.

SECTIO VIII.

62 Adest regula iuris. Quod in dubijs tutior pars sit eligenda, vt desumitur ex capit. *Illud.* De *clerico excommunicato*, & ex cap. *Ad audentiam*, & cap. *Significasti.* De *homicidio*, & ex capit. *Iuuenis* De *sponsalibus*. Nomine autem partis tutioris intelligitur pars illa, quæ sit tuta in comparatione ad illam, in qua esset peccatum, si esset verum id, de quo dubitatur. Est autem certum apud omnes, quod quando in dubijs est annexum peccatum vtrique peccati, & necessario agendum est pars illa sit eligenda, quæ continet minus peccatum, quia ex duobus malis minus est eligendum, vt habetur ex Concil. *Tolet.* 8. in capit. *Duo mala dist.* 13. Rursus conueniunt etiam omnes, quod quando non est adhibita sufficiens diligentia ad deponendum dubium, semper est eligenda pars magis tuta, alioquin periculum peccati esset voluntarium, vnde difficultas est, an quando est adhibita sufficiens diligentia, & adhuc remanet dubium, sit eligenda pars magis tuta.

63 Prima sententia est affirmatiua, siue dubium sit iuris, siuè facti Ita Diuus Thomas *quodlib.* 8. *quæst.* 14. Adrianus *quodlib.* 2. Medina 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub* 4. Martinez *dub.* 5. *cap.* 3. *& disp.* 66. *cap.* 1. Lorca *disp.* 33. *de actibus hum. memb.* 2. & alij communiter. Limitant tamen, nisi ex eo, quod eligatur pars magis tuta, sequatur notabile incommodum.

64 Secunda sententia est negatiua, asserens, posse eligi partem minus tutam. Ita Sotus *lib.* 4. *de iustitia, & iure quæst.* 5. *art. vltimo.* Sanchez *libr.* 2. *de matrim. disput.* 41. *num.* 22. *&* 46. Suarez *disp.* 1. *de censuris sect.* 3. *num.* 7. *& disput.* 40. *sect.* 5. *num.* 13. Malderus 1. 2. *disputation.* 87. *conclus.* 8.

65 Dico primò. *Licet expediens sit in dubio iuris sequi tutiorem partem, non est tamen necessarium, nisi in iure decernatur.* Prob. Non potest causa incerta siue physica siuè moralis habere effectum certum, ergo stante dubio iuris non adest obligatio sequendi partem tutiorem. Antecedens patet. Quia causa non potest aliquid supra se ipsam, & sicut causa non existens non potest habere effectum existentem, ita nec causa interna effectum certum, quia dum est incerta habet existentiam incertam. Consequ. prob. Stante dubio iuris, & obligatio legis est incerta, & ipsum ius, ergo non potest causare in subdito effectum certum obligationis; causaret autem, si teneretur sequi partem magis tutam, quia teneri sequi, est certo esse obligatum. Confirmatur. Lex non promulgata sufficienter non obligat, quia non constat de ipsa; lex autem dubia non est sufficienter promulgata. Confirmatur secundò. Non potest secundum legem dubiam causa diffiniri, ergo nec potest definiri, aliquem obligari iure dubio, si autem non obligatur, potest sequi, quam partem voluerit.

66 Dices. Id esse verum, si sensus legis sit dubius apud omnes. Contra, ergo in dubijs apud omnes non est sequenda pars magis tuta, ergo nec in dubijs apud vnumquemque tenebitur quis sequi, quia quando non potest deponere dubium, se potest regulare secundum dictamen proprium, non secus ac si esset dictamen commune.

67 Dico secundò. *Neque in dubio facti adest obligatio sequendi partem tutam seclusis ijs casibus, in quibus ius decernit, esse sequendam, si tamen sit adhibita debita diligentia pro tollendo dubio.* Desumitur ex cap. *illud.* De *clerico excommunicato*. Vbi Pontifex respondet. Quod ijs, qui erat dubius, an esset per sententiam excommunicatus, & non abstinuerit à diuinis, non videbatur omnino culpabilis, fuisset autem, si adesset obligatio sequendi partem magis tutam. Probatur. Super re dubia non potest ferri certa sententia, vt habetur ex cap. *Graue* 11. *quæst.* 3. & cap. *indicantem* 3. *quæst.* 5. vbi eleuterius Papa hoc scribit ad prouincias Galliæ, & cap. *Habuißet dist.* 33. vbi Gregorius Papa hoc ipsum decernit, ergo stante dubio facti non adest obligatio sequendi partem magis tutam. Consequentia probatur: Si adesset ferretur sententia obligationis super re dubia, nempe super facto dubio, quia stante facto dubio, ratione cuius subijci potest obligationi legis, feretur sententia, quod subijceretur.

68 Confirmatur. Lex obligat solum eos, qui sunt de communitate, & ad quos loquitur, vt docent communiter cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. & habetur ex illo ad Rom. 3. *Scimus, quoniam quæcumque lex loquitur ijs, qui in lege sunt, loquitur.* Sed lex lata pro aliquibus stante aliquo pacto ipsorum, non loquitur ad eos stante dubio facti sequi partem magis tutam. Minor probatur. Lex non loquitur nisi ad eos quibus tribuitur tale factum; & quatenus tribuitur, ergo si non potest tribui, nec etiam lex loquitur ad ipsos. Stante autem dubio non potest tribui, neque enim potest dici, quod aliquis sit fur, si dubium sit, an furatus fuerit.

69 Ob. Pontifices decernunt, in dubijs tutiorem partem eligendum vt in text. *initio sect. cit.* ergo, &c. Respond. neg. anteced. Tum quia in ijs locis Pontif. condunt nouas leges circa speciales materias, & vt ostendant, esse rationi consentaneas, reddunt rationem, ex qua mouentur ad illas condendas, quia nimirum in dubijs tutior pars est eligenda non ex præcepto, sed ex congruentia. Tum quia in ijs casibus res non erat verè dubia, sed præsumptio stabat pro vna parte. Nos autem loquimur de dubijs, quando vtraq; pars est verè dubia, nec dubium deponi potest adhibita sufficienti diligentia.

70 Instab. Lex naturalis obligat ad vitandum periculum peccati, ergo ex lege naturali tenemur eligere tutiorem partem, quia eligendo partem minus tutam, exponimur periculo peccandi. Respondetur negando conseq. Quia quando in dubijs eligitur pars minus tuta, nullum adest periculum peccati, siquidem etiam si haberet annexum peccatum, malitia esset omnino inuoluntaria, quia non esset cognita, etiam si sit adhibita sufficiens diligentia.

71 Obijcitur secundò. Ex duobus malis minus est eligendum ex præcepto, ergo ex duobus, quorum

vnam

vnum est tutum, & alterum dubiè malum, erit eligendum tutum. Resp. neg. conseq. Ideò enim ex duobus malis minus est eligendum, quia constat, quod vtrumque sit malum. At in dubijs de nullo constat, quod sit malum; immo minus tutum præsumitur bonum, dum adhibita sufficienti diligentia non constat de eius malitia.

72 Obijc. tertiò. Si haberet se ius partem minus tutam, possemus in sacramentis adhibere formam, & materiam dubiam, hoc est falsum, ergo. Resp. neg. sequellam. Imò oppositum sequitur, ideò enim in dubio iuris possumus sequi partem minus tutam, quia ius dubium non est verum ius obligans, & ideò non facit illiciam partem minus tutam, & in dubio facti, quia dubium facti non est verum factum, & ideo non trahit ad se obligationem legis, vndè nec etiam materia, & forma dubia in sacramentis est vera materia, & forma, atque adeò non est secundum intentionem Christi, atque adeo nec adhibenda extra necessitatem.

An conscientia erronea sit sequenda.

SECTIO IX.

73 Conscientia erronea est duplex. Alia inuincibilis, & inculpabilis; alia verò vincibilis, & culpabilis iuxta duplicem ignorantiam, inuincibilem, & culpabilem, ex qua prouenit, de qua diximus suo loco.

74 Dicendum est. *Conscientiam erroneam inuincibilē, quamdiu durat, esse sequendam, ita vt non possit quis contra ipsam facere absque peccato.* Ita communiter cum D. Thom. 1.2. *quæst.* 19. *art.* 5. & à pluribus hoc censetur de fide. Desumitur autem ex cap. *fin. De præscriptionibus*, & cap. *Litteras De restitutione spoliatorum*, & cap. *Inquisitioni. De sententia excommunicationis*, & passim ex alijs textibus. Prob. Ad Rom. 14. Apostolus loquens de gentilibus conuersis ad fidem, docet, nullum cibum debere esse ipsis immundum, nisi forte putent esse talem, inquiens. *Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune.* Esse illi, commune est, ergo conscientia erronea est sequenda, quia reddit operationem talem, qualem dictat esse; nam facit cibos prohibitos, qui non sunt, & obligat ad abstinentiam. Confir. 1. Corinth. 8. *Quidam autem cum conscientia vsque nunc Idoli quasi Idolatrium manducant, & consciētia ipsorum, cum sit infirma, polluitur*, ergo si polluitur, atque adeo peccat, quia cibus, qui non est illicitus putatur illicitus, cōscientia erronea obligat, vt ipsā sequamur.

75 Ob. Inferior non potest obligare contra præceptum superioris, ergo cum conscientia sit inferior Deo, non potest obligare contra legem Dei. Resp. Inferiorem non posse obligare contra præceptum superioris auctoritate propria, potest tamen obligare auctoritate superioris proponendo præceptum ipsius; si nimirum habeat talem facultatem, vt contingit in conscientia.

76 Ob. secundò. Discordare à conscientia erronea non est discordare à recta ratione, ergo non est peccatum. Respond. Non esse discordare materialiter, sed formaliter, quia discordat ab illo principio, bonum est sequendum, & malum fugiendum.

77 Ob. tertiò. Si quis putaret, hic, & nunc esse sibi illicitum amare Deum super omnia, peccaret amando: hoc est falsum, ergo. Resp. neg. suppositum, & sequell. Quia non est possibilis talis conscientia erronea, & implicat in terminis amare Deum super omnia, & facere contra conscientiam erroneam, nam amare super omnia est velle placere ipsi in omnibus: velle autem facere contra conscientiam erroneam, est nolle ipsi placere.

78 Ob. quartò. Si esset sequenda conscientia erronea, posset Deus obligare ad actum intrinsecè malum, v. g. mendacium; hoc est falsum, ergo. Resp. neg. sequell. Nam obligatio illa non prouenit à Deo, quia obligat solum per leges vniuersales; conscientia autem formatur ab homine, & quia in ea formanda deficit, ideò ista obligatio per accidens, & præter intentionem Dei.

79 Ob. quintò. Ex vna præmissa vera, & ex alia falsa sequitur conclusio falsa, ergo cum conscientia erronea sequatur ex vna vera, nempe synderesi, & ex alio iudicio falso, non accipiet vim obligandi à synderesi. Respondetur. Sequi conclusionem falsam, sed existimatam veram, si talis existimetur etiam præmissa falsa; vnde etiam conscientia erronea non habet vim veram obligandi, sed putatur habere, quia putatur verum illud iudicium, quod applicat synderesim ad formandam conscientiam.

80 Colligitur ex dictis. Peccantem contra conscientiam erroneam, peccare ea specie peccati, siue mortalis, siue venialis, quam ostendit ipsa conscientia, vt docent communiter cum D. Th. 1.2. *quæst.* 19. *art.* 5. *ad* 3. quia tunc operatio procedit contra illam obligationem, quæ censetur applicari per conscientiam, & ideo malitia ipsius tanta, & talis est, quanta, & qualis putatur esse obligatio.

An Conscientia erronea culpabilis obliget.

SECTIO X.

81 Certum est. Conscientiam erroneam culpabilem esse peccaminosam ratione omissionis debitæ diligentiæ pro deponenda ignorantia, ex qua prouenit; quia nimirum talis ignorantia est culpabilis, vt dictum est suo loco, & proinde adest obligatio deponendi talem conscientiam, et non deponens facit contra obligationem. Difficultas autem est, an supposito, quod perseueret, adsit obligatio ad ipsam sequendam.

82 Prima sententia asserit, quod licet conscientia erronea inuincibilis obliget, vt ipsam sequamur, culpabilis tamen solum obligat, vt non faciamus contra ipsam, non autem vt ipsam sequamur. Ita Corduba *in quæst. lib.* 3. *q.* 4. *proposit.* 5. Vasquez 1.2. *disp.* 64. *cap.* 2. *num.* 4. Perez *in Laur. Salaman cert.* 10. *schol. dub.* 1. Caspensis *part.* 1. *Curs. Theolog. disput.* 2. *de conscientia sect.* 3. & alij.

83 Secunda sententia asserit, solum ligare; non vero obligare, quia videlicet facit, vt non possimus operari, sicuti operandum est ex natura rei; non autem facit, vt debeamus operari sicuti ipsa dictat, quasi ex natura rei debeamus ita operari, ita Durand. *in* 2. *distinct.* 39. *quæst.* 5. *num.* 7. Arimin. *art.* 2. Angestus *cap.* 7. *moral. part.* 1. *in fine* 2. *conclus.* Almaianus *tract.* 1. *moral. cap.* 5. Conrad. 1.2. *quæst.* 19. *art.* 5. & desumitur ex D. Thom. *in* 2. *dist.* 39. *art. vltim. in corp.*

84 Tertia sententia asserit, conscientiam erroneam siuè inuincibilem, siuè uincibilem semper obligare, vt ipsam sequamur. Ita Malderus 1.2. *disput.* 84. *conclus.* 3. Medina *quæst.* 19. *art.* 5. Martinez *artic.* 6. *dub.* 2. *conclus.* 2. Salas *tract.* 8. *dist.* 1. *sect.* 3. *num.* 24. Lorca *disput.* 37. *de act. hum. memb.* 2.

85 Dico primò. *Conscientia erronea siue vincibilis, siue inuincibilis non obligat vera obligatione, sed tantum putatiua, & in existimatione.* Probatur. Conscientia in tantum obligat, in quantum proponit legem, aut præceptum, sed conscientia erronea non proponit veram legem, seù præceptum, ergo non verè obligat. Confirmatur. Omnis obligatio vera est participatio obligationis, quæ prouenit à præscriptione legis æternæ per principia vniuersalia. Sed obligatio conscientiæ erroneæ non prouenit, ergo. Minor probatur. Conscientia erronea discordat à lege æterna, & principijs vniuersalibus, ergo non participat ab ipsis præscriptionem, atque adeò nec obligationem.

86 Dico secundò. *Adesse veram obligationem sequendi conscientiam erroneam, siue inuincibilem, siue vincibilem non ex vi ipsius conscientiæ, sed ex vi synderesis, atque adeò ex vi legis æternæ.* Desumitur ex capitul. 5. Epistol. ad Galatas vbi ait Apostolus. *Testificor autem omni homini circumcedenti se, quoniam debitor*

tor est vniversæ legis; Si igitur is, qui putabat durare præceptum circumcisionis, erat debitor seruandi totam legem, obligabatur ab ipsa conscientia erronea ad se conformandum cum ipsa. Probatur. Omnis obligatio deriuans à lege æterna per principia practica est vera obligatio, sed obligatio sequendi quamcunque conscientiam erroneam deriuat à lege æterna per principia synderesis. ergo. Min. probatur. Obligatio sequendi rectam rationem, atque adeò faciendi bonum, & fugiendi turpe deriuat à lege æterna, ergo etiam obligatio sequendi conscientiam erroneam. Conseq. ita prob. Obligatio ad bonum, & ad fugiendum turpe non obligat quocunq; modo, sed respectu boni, & mali cogniti vt talis, & quatenus possunt esse voluntarij, ergo. est obligatio sequendi conscientiam erroneam, quia stante ipsa intellectus proponit turpe, vt fugiendum, & bonum vt faciendum, ergo consurgit obligatio sequendi bonum sic propositum, & fugiendi malum. Confir. Præceptum vniuersale de fugiendo malo, & eligendo bono, quatenus vt talia proponuntur voluntati, præscribit voluntati, quomodo debeat operari, ergo est præceptum de sequenda conscientia erronea, quia dicit, quod voluntas operari debeat sicuti dictat conscientia.

87 Respondetur: Vasquez. Posse impleri obligationem non faciendi contra conscientiam, si deponatur; nam cum sit vincibilis, potest deponi. Contra. Ergo durante tali conscientia durat etiam obligatio sequendi ipsam.

88 Obijc. Obligatio sequendi conscientiam erroneam prouenit à synderesi mediante altero iudicio falso, ergo non potest esse vera obligatio, quia ex falso non prouenit verum. Respondetur negando antecedens. Quia deriuat à synderesi mediante alio iudicio verò; nam adest verum principium, quod sit fugiendum, quod proponitur vt turpe, & sequendum, quod proponitur vt bonum. Stante autem conscientia erronea est verum, quod talis operatio proponatur vt turpis, aut honesta, cum sit verum, quod adsit talis propositio.

89 Ob. secundò. Si quis ex ignorantia vincibili putaret, se obligari ad mentiendum, si non mentiretur, peccaret, quia faceret contra conscientiam, & rursus sequendo conscientiam, peccaret, quia non excusaretur ab ipsa, cum sit vincibilis, ergo si conscientia erronea obligaret ad ipsam sequendam, obligaret ad peccatum. Respondetur disting. secundam partem antecedentis. Peccaret mentiendo contra studiositatem, & in causa, quia non deponeret conscientiam erroneam; non verò sequendo ipsam. Vnde negando consequentiã. Nam obligatio sequendi conscientiam esset ad rectè operandum, quia per accidens rectitudo operationis proponeretur in mendacio, quod apprehenderetur vt conforme rectæ rationi.

90 Instab. Non potest quis obligari ad illicitum, ergo. Respondetur. Non posse obligari per se, & vt tale propositum; posse tamẽ obligari per accidens, si proponatur vt honestum. Instab. secundò. Obligatio vera est semper immutabilis, & adueniente cognitione vera non tollitur, ergo obligatio ad sequendam conscientiam erroneam non est vera, quia cessat, si adueniat vera conscientia. Respond. dist. anteced. Adueniente cognitione vera non tollitur vera obligatio, si non fiat mutatio in materia, circa quam; secus autem, si fiat, quia obligatio in actu exercito dependet à materia, circa quam; in casu autem nostro adueniente vera conscientia tollitur materia, & ideò cessat actualis obligatio.

An conscientia possit esse ita erronea, vt quis peccet sequendo quamcunque partem.

SECTIO XI.

91 CONstat ex dictis, id contingere in conscientia erronea culpabili, vt docent communiter cum D.Th. 1. 2. *q.19. ar.6. ad 3.* vnde difficultas est solum de conscientia erronea inculpabili, ãn videlicet reddat hominem ita perplexum, vt quidquid faciat, semper peccet.

92 Prima sententia est negatiua, asserens in tali casu posse vnumquemq; sequi quam partem voluerit sine peccato. Ita Henriq. *lib.12. summæ c.6. n.12.* Rodriq. *p.1. summæ c.53. n.6.* Sanch. *lib.1. in Decal. c.11. n.14.* Victoria *relectione de bello n.31.* Salas *t.2. tract.8. disp.1. sect.16. n.145.* Caspensis *p.1. Curs. Theol. disp.2. de conscientia sect.2. n.11.* Fundamentum est. Quia ibi non est peccatum, vbi non est libertas moralis: in tali autem casu non esset libertas moralis ad vitandum peccatum, quia conscientia dictat, quidquid fiat in tali casu, esse peccatum. ergo

93 Secunda sententia asserit constitutum in tali casu, quidquid faciat, semper peccaturum, ita Medin. 1.2. *q.19. ar.6. dub.1.* Granad. *Controu.2. tract.12. disp.6. sect.2.* qui tamen addit casum esse impossibilem moraliter, quia ad diuinam prouidentiam spectat, vel ipsum non permittere; vel illuminare constitutum in tali statu.

94 Dicendum est. *Constitutum in tali perplexitate conscientiæ etiam inuincibiliter, peccaturum sequendo quãcunque partem.* Prob. Ideò non peccaret, quia non operaretur libero modo, sed hoc est falsum, ergo. Min. prob. In tali casu adesset libertas contradictionis, nam ita posset sequi vnam partem, vt posset non sequi; hæc autem indifferentia sufficit ad saluandam libertatem indifferentiæ. Rursus illam partem, quam eligeret, voluntariè eligeret, hoc autem sufficit ad liberè operandum, vnde Aug. *de gratia Christi c.13.* ait. *Præcepta quidem liber facit, qui libens facit.* Conf. In tali casu operatio voluntatis esset difformis regulis rectæ rationis, & ex propria determinatione tenderet in obiectum propositum, vt turpe, ita vt non cogatur ab aliquo extrinseco, ergo peccaret, cum peccatum consistat in operatione contra rectam rationem circa obiectum turpe ex propria electione voluntatis.

95 Dices. Non posse nonsequi alteram partem, nisi eligat illam, in qua similiter peccat. Contra. Ex hoc solum sequitur, quod non habeat potestatem proximam vitandi omne peccatum, non autem quod non habeat respectu peccati quod committit, hoc autem sufficit, vt liberè peccet. Deinde ad libertatem in ordine ad bonum non requiritur libertas in ordine ad malum, ita vt possit relinqui bonum, & amplecti malum, vt constat in Christo, & in confirmatis in gratia, ergo nec ad libertatem ad malum requiritur, vt possit vitari prosequendo bonum. Confirmatur. Quando quis operatur ex metu, operatio est libera, etiam si non possit non operari, nisi eligendo aliud malum, vt cum quis dat pecuniam latroni ad vitandam mortem, ergo etiam in casu nostro licet non possit quis non peccare, nisi eligendo aliud peccatum, liberè peccabit.

96 Ad Fundamẽtum in oppositum patet ex dictis. Imb. quamuis conscientia erronea sit inuincibilis in particulari, adest tamen sufficiens potentia ad ipsam deponendam aliquo modo; nam lumine naturali est notum, quod non potest quis obligari ad incompossibilia: vnde concurrentibus præceptis de incompossibilibus, potest inferri, quod in tali casu alterum ipsorum debeat cessare. Rursus est etiam notum lumine naturæ, quod minus cedit maiori, vndè potest inferri, quod minus præceptum cedit maiori, & formari conscientia, quod tale præceptum cesset, in quo quamuis esset, excusabitur.

97 Obijc. Est contra diuinam prouidentiam permittere talem perplexitatem, ergo. Respond. negando assumptum Imò est secundum prouidentiam, quia non permittitur, nisi in pœnam peccati.

98 Ob. secundò. Ex D. Aug. lib.3. de lib. arb. capit.19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras*, ergo non peccat qui habet conscientiam inuincibiliter perplexam. Respond. neg. conseq. Quia in casu nostro, licet perplexitas sit inuincibilis, non tamen ignoratur, sed scitur, operationem pro vtraque parte esse peccaminosam.

An sit maius peccatum sequi conscientiam erroneam culpabilem, quam ab ipsa discordare.

SECTIO XII.

99 Dicendum. *Esse grauius peccatum discordare à conscientia erronea culpabili, quando proponit præceptum maius: secus autem si non proponat.* ita Durandus *in 2. distinct. 39. quæst. 9.* Angelus *cap. 7. moral. parte secunda dub. 4.* Almain. *libr. 5. moral. cap. 5.* Vasquez 1.2. *disput. 60. cap. 3.* & alii communiter contra Basolis *in 2 dist. 39. quæst. prima artic. 3.* Prob. Grauitas peccati desumitur ex violatione grauioris præcepti, & magis obligantis. Ergo quando per conscientiam erroneam proponitur grauior obligatio, facere contra ipsam, erit grauius peccatum.

100 Dicendum 2. *Cæteris paribus esse grauius peccatum facere contra conscientiam erroneam culpabilem, quam illam sequi.* Probatur: sequi talem conscientiam est peccatum ignorantiæ; facere autem contra ipsam, est peccatum malitiæ; cæteris autem paribus grauius est peccatum malitiæ, quam ignorantiæ, quia ignorantia, vt suo loco diximus, minuit voluntarium, atque adeo etiam rationem malitiæ.

101 Obijcies. Lex inferioris minus obligat, quàm lex Superioris. sequens autem conscientiam erroneam sequitur, legem inferioris relicta lege Superioris. Ergò grauius peccat. Respondeo negatiuè min. Quia conscientia proponit legem Superioris, & in iudicanda grauitate peccati expendenda est obligatio legis, quæ proponitur.

An Conscientia erronea obliget contra præceptum Superioris.

SECTIO XIII.

102 Difficultas procedit de conscientia respectu Superioris, qui non potest propria auctoritate tollere præceptum, quod proponitur per conscientiam; quia si potest dispensare præcipiendo facit cessare præceptum, atque adeò etiam conscientiam, per quam proponitur. Rursus de conscientia, quæ non potest vinci auctoritate Superioris, quia si quis potest acquiescere auctoritate ipsius debet ipsa deponere.

103 Prima sententia asserit, conscientiam erroneam in ijs, quæ sunt indifferentia, debere cedere præcepto Superioris. ita Alensis *1. par. quæst. 120. memb. 3. ar. 2.* D. Antoninus *1. part. tit. 3. cap. 10. §. 4.* D. Bonau. *in 3. dist. 39. ar. 1. quæst. 3. ad vltimum.*

104 Secunda sententia asserit, præualere conscientiam etiam si sit erronea. ita D. Thom. *in 2. dist. 39. art. vlt. ad tertium.* Durand. *quæst. 5. num. 9.* Lorca 1.2. *disp. 37. de actib. hum. memb. 3. dub. 3.* Martinez *quæst. 19. art. 6. dub. 3.* Medina *dub. 3.* & alij.

105 Dicendum est *Conscientiam erroneam etiam culpabilem plus obligare, quam præceptum Superioris.* Probatur. Nullum præceptum humanum potest præualere contra legem vetantem intrinsecè mala. Ergo nec contra conscientiam erroneam culpabilem, Consequentia probatur. Lex naturalis prohibet facere contra conscientiam, etiam erroneam tanquam quid intrinsecè malum. Ergò si præceptum Superioris præualeret obligationi conscientię, præualeret contra legem prohibentem intrinsecè malum.

106 Obiicies. Præcipiente Superiore potest deponi conscientia erronea in virtute præcepti. Ergo præceptũ efficacius obligat. Respondetur. Posse deponi, si existimetur præceptum rectè procedere; secus autem, si existimetur oppositum; quia cum non habeatur pro rationabili, non est sufficiens motiuum ad deponendam conscientiam.

107 Instat. Ignorantia culpabilis non potest fundari nisi in leuibus rationibus, alioquin non esset culpabilis. Ergo potest semper deponi ex vi præcepti, quia præsumendum est, quod præceptum rationabiliter procedat. Respond. dist. anteced. Non potest fundari, nisi in leuibus rationibus cognitis, vt talibus; nego. Putatis grauibus; concedo. Nam si cognoscerentur leues, ex se ipsa cessaret conscientia erronea; præceptum autem non est sufficiens ad vincendas leues rationes, quando putantur graues, nisi accedat doctrina ex parte Superioris, quæ sufficiat pro tali conscientia deponenda.

108 Quæres, An vt conscientia erronea obliget, debeat actu perseuerare, an verò sufficiat; quod virtualiter permaneat. Respond. Debere actu perseuerare. ita Vasq. 1.2. *disput. 60. cap. 3.* Salas *tract. 8. disput. 1. sect. 3. num. 29.* Sanchez *lib. 1. summæ cap. 11. num. 7.* & alij contra Medinam 1.2. *quæst. 19. ar. 6.* Rodriquez *part. 1. summæ, cap. 71. num. 2.* Ratio est. Quia conscientia non est habitus, sed actus, & obligatio ipsius est actualis, quatenus applicat obligationem legis, & ideò si actu non dictet, neque etiam obligat, nec malitia, quæ est contra ipsam, est voluntaria.

An actus procedens ex conscientia erronea inuincibili sit bonus.

SECTIO XIV.

109 Prima sententia est affirmatiua, asserens, esse actum illius virtutis, cuius putatur. ita Almain. *lib. 1. moral. cap. 4.* Sanchez *lib. 1. summæ cap. 12. nu. 17.* Salas 1.2. *tract. 8. disput. 1. sect. 3. num. 20.* Cornejus *disput. 2. dub. 8.* Malderus *quæst. 19. disput. 83.* Lorca *disputat. 37. de actibus hum. memb. 1.* Bresserus *lib. 5. de conscientia cap. 14. num. 129.* & communiter Recentiores. Prob. Si conscientia proponat obiectum, vt turpe, quod honestum est, operatio erit mala. Ergo si proponat vt honestum, quod est turpe: operatio erit bona. Secundo: obiectum specificat actum secundum qualitatem, quam retinet in apprehensione post diligens examen. Ergo si retinet honestatem, specificabit actum honestum. Tertio. Quia affectio pia credendi, quod proponitur, vt credendum, licet sit falsum, habet eamdem honestatem, quam haberet siue re esset reuelatum; ergo etiam actus ex conscientia erronea proponente, vt honestum; quod non est tale.

110 Secunda sententia est negatiua. ita D. Thom. *1.2. quæst. 19. ar. 6. ad primum.* vbi ait, quod vt dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, siue quod secundum suam naturam sit malum, siue quod apprehendatur vt malum; sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur quod vtroque modo sit bonum, quia ex D. Dyonisio, bonum est ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu.

111 Dico 1. *Opus ex conscientia erronea inuincibili dictante de honestate non est verè bonum, sed tantum putatiuè in existimatione.* Desumitur ex D. Bernardo *de percept. & dispensatione cap. 18.* vbi ait *Attamen sine malo quocunque non erit decepta simplicitas. Cur Inquis numquid non ex fide, prorsus ex fide: sed falsa, vel certè potius ex non fide, quia fides falsa, fides non est.* Et concludit, *Quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio praua, & malum non penitus excusat recta. Siuè igitur malum putes bonum, quod fortè agis, siuè bonum malum, quod operaris, vtrumque peccatum est: quia neutrum ex fide.* Nec dici potest, quod loquatur de conscientia erronea vincibili, quia infert, non esse bonum ex eo præcisè, quod est ex fide seri conscientia falsa, qualis est etiam inuincibilis.

112 Probatur. Si tale opus esset bonum, posset haberi bonum conducens ad salutem, absque illuminatione Dei, hoc autem est hæreticum ex definitione Concil. Arausic.

can. 5

cap. 7. & contra illud Apostoli 2. Ad Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est ergo*. Sequela probatur. Opus honestum, si fiat ex motiuo supernaturali ab homine iusto, conducit ad salutem. Ergo cum possit iustus operari ex conscientia erronea ex motiuo supernaturali, posset operari in ordine ad salutem absque illuminatione Dei, quia illuminatio diuina non est in ordine ad dictamen erroneum, sed ostendit solum vt bonum, quod est tale.

113 Dices. Illud opus futurum tantum bonum moraliter; non verò meritorium. Contra. Omne opus bonum moraliter procedens à supposito grati ex fine supernaturali est meritorium. Ergò. Confirmatur opus quod non est secundum præscriptionem regulæ æternæ, non potest esse bonum, siquidem non est secundum ideam honestatis, quæ est participatio secundum mensuram legis æternæ, à quo præscribitur omnis ratio honestatis; sed tale est, quod procedit ex conscientia erronea. Ergo. Minor probatur. Opus illud est secundum conscientiam erroneam. Ergo non est secundum præscriptionem regulæ æternæ, quia sicut conscientia erronea non est secundum præscriptionem ipsius, ita neque quidquid est secundum ipsam.

116 Dico 2. *Quando actus ex conscientia erronea inuincibili imperatur à charitate, aut ab alia virtute, tunc voluntas benè operatur ratione intentionis, & actus imperatus est bonus ex fine, licet non ex obiecto*. ita D. Bernardus *cap.* 18. *de præcep. & dispensatione*, vbi ait: *Et quidem laude dignam dixerim, vel solam intentionem piam, nec planè condigna renumeratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: attamen sine malo quocunque non erit decepta simplicitas*. Probatur. Opus procedens ex conscientia erronea inuincibili est malum tantum materialiter; non verò formaliter, & imputatiuè. Ergo si procedat ex recta intentione erit bonum ratione finis. Consequentia probatur. Tum quia voluntas circa finem est bona, nec inficitur à voluntate circa obiectum, quia malitia ipsius, vt inuincibiliter ignorata, non contrahitur à voluntate. Tum quia obiectum, & actus circa ipsum stant materiali modo, & recipiunt determinationem à fine.

115 Ad primum negatur consequentia. Quia bonum est ex integra causa, & ideò si obiectum non sit bonum secundum se, non potest specificare actum bonum. Ad secundum distinguo antecedens. Obiectum specificat secundum qualitatem, quam retinet in apprehensione seruata conditione apprehensionis; vnde si apprehensio est vera, specificabit actum verè bonum; si autem apparens, specificabit actum, apparenter bonum. Ad tertium negatur consequentia. Quia ille pius affectus est bonus ex eo, quod habet obiectum bonum, nempè captiuationem intellectus in obsequium testimonij diuini; vnde fundatur in conscientia recta, quæ dictat, intellectum esse captiuandum, actus autem ex conscientia erronea non habet obiectum verè bonum.

116 Obijc. Omnis actus aut est bonus, aut malus. Ergo cum actus ex conscientia erronea non sit malus, erit bonus. Respond. negando conseq. Quia secundum se est malus, cum discordet à regulis æternis: non imputatur tamen, quia ignorantia inuincibilis excusat. Instab. Omnis operans in omni actu, aut benè, aut malè operatur. Ergo etiam in tali actu, cum in modo operandi morali non detur medium. Ergo cum non malè operetur, alioquin imputaretur, benè operabitur. Respond. dist. anteced. Benè, aut malè operatur ratione finis, vltimò appositi: vnde etiam talis actus erit bonus, si sit ex bono fine, & malus si ex malo fine, secus autem si loquamur ratione obiecti.

An liceat operari contra conscientiam scrupulosam.

SECTIO XV.

117 Prima sententia est negatiua. Ita Lopez *part. prima instruct. cap.* 3. Rodriquez *prima secundæ Summæ cap.* 51. *num.* 3. Malder. 1. 2. *quæst.* 19. *disput.* 88. & alij.

118 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Caietan. in Summa, verbo Srupulosos. Medina *lib.* 2. *summæ cap.* 18. Salas 1. 2. *trac.* 8. *disp.* 1. *sect.* 29. *nu.* 298. Corneius *trac.* 8. *disp. vltima dub. vltimo*, Vasquez *disp.* 67. *cap.* 2. Bresserus *lib.* 6. *de conscientia cap.* 4. & alij.

119 Dico 1. *Non licet agere contra conscientiam scrupulosam ea non deposita, nisi cognoscatur, vt verè scrupulosa, & stet simul cum iudicio probabili, vel certo de honestate operationis*. Desumitur ex cap. *Per tuas* 2. *De Simonia*, & ex cap. *Inquisitioni*. De sententia excommunicationis. Probatur. Stante conscientia scrupulosa absque iudicio saltem probabile de opposito, quod proponitur voluntati, vt contrarium tali conscientiæ, habet rationem turpis. Ergo voluntas faciens contra conscientiam, peccat. Antecedens patet. Conscientia scrupulosa, licet ex leui motiuo iudicat, aliquando esse peccatum: ergo si nullum adsit iudicium de opposito, saltem probabile, quod proponitur vt contrarium tali conscientiæ, proponitur absolutè vt turpe.

120 Dico secundo. *Licet agere contra conscientiam scrupulosam cognitam, vt talem*. Probatur. Quando conscientia scrupulosa cognoscitur, vt talis, interuenit iudicium de honestate oppositi, ratione cuius cognoscitur, conscientiam esse scrupulosam. Ergo si quis agat contra ipsam, sequitur iudicium prudentiale de honestate operationis, atque adeo non peccabit.

121 Quæres. An eo ipso, quod quis putat, se vexari scrupulis, possit agere contra conscientiam scrupulosam. Respond. affirmatiuè. Si tamen putet probabile oppositum, ita vt illa credulitas oriatur ex motiuo de probabilitate oppositæ partis, siuè ab intrinseco, siue ab extrinseco. De cautis autem conscientiæ scrupulosæ latè agit Richardus Halas *lib.* 3. *de conscientia*.

Quomodo deponenda sit conscientia scrupulosa, dubia, & erronea.

SECTIO XVI.

122 De remedijs conscientiæ scrupulosæ agunt Caietanus *in summa* verbo. *Scrupulosi* Halas. *lib.* 3. *de conscientia*. Bresserus *lib.* 6. *de conscientia cap.* 5. *& sequenti*. Deponitur autem conscientia scrupulosa, quando stat simul cum iudicio saltem probabili de opposito ex sola voluntate, quæ faciat intellectum adhærare iudicio probabili, si verò non sit cum tali iudicio non potest deponi nisi ex aliquo rationabili motiuo: vel ex auctoritate alicuius, quod sit verè scrupulosa, quia debet rationabiliter deponi.

123 Conscientia autem dubia non potest deponi, nisi assensus determinatur ad vnam partem. Vnde quando intellectus remanet suspensus ob æqualitatem motiuorum pro vtraque parte potest ad libitum deponi ex imperio voluntatis: si verò sit suspensus defectu motiui, est necessarium aliquod motiuum, quod ipsum moueat, vt potius vni, quam alteri parti adhæreat; vnde tota difficultas remanet de conscientia erronea.

124 Prima sententia asserit posse deponi ex sola voluntate, ita vt quamuis, quis in vniuersali patet aliquod illicitum, hic tamen, & nunc iudicet sibi licere absque eo, quod soluat contrariam rationem. Ita Caietanus 1. 2. *quæst.* 19. *artic. sexto in fine*, Medina *dubio* 3.

Va-

Valentia *disputat.* 2. *quæst.* 14. *punct.* 4. *quæst.* 3. & alij.

125 Secunda sententia asserit, requiri sufficientem rationem, vel auctoritatem. Ita Victoria *Relec. de Indis. parte prima*. Vasquez 1.2.*disp.63.cap.*1. Malderus *disp.* 89. Corneus *tract.8.disp.2.dub.vlt,* Sanchez *lib.*1.*summæ cap.*10.*ar.*11. & alij.

126 Dico primo. Conscientia erronea non potest deponi absque sufficienti motiuo. Probatur. Intellectus est potentia naturalis operans naturali modo. Ergo non potest deponi conscientia erronea, nisi ex vi alicuius motiui mouentis intellectum ad mutandum iudicium conscientiæ. Consequentia probatur. Intellectus vt potentia naturalis, non potest iudicare, quod vult voluntas, nisi ex vi obiecti moueatur ad ita iudicandum. Ergo non potest ex imperio voluntatis deponere conscientiam erroneam absque sufficienti motiuo.

127 Dico secunda conscientia erronea, etiam temerè formata, non potest deponi, nisi ex sufficienti motiuo. est contra Vasquez, Sanchez, Corneium *cit.* & alios: Probatur. Non potest ad libitum deponi, nisi cognoscatur, tanquam temerè formata, alioquin non magis deponeretur tanquam erronea, quam tanquam recta: non potest autem cognosci tanquam temerè formata, nisi interueniat iudicium rectum, & motiuum sufficiens aditæ iudicandum.

128 Ex dictis colligitur. Quod deponere conscientiam erroneam absque sufficienti fundamento est idem peccatum, ac si fieret contra ipsam conscientiam, vt docet Sanch.*lib.*1.*summæ cap.*11. *num.* 15. Quia cum non deponatur rationabiliter, virtualiter, & interpretatiuè intenditur agere contra ipsam.

129 Colligitur secundò. Contra Vasquez 1. 2. *disputat.67. cap.primo num.*4. Non requiri fortiùs motiuum ad deponendam conscientiam erroneam, quam illud, ex quo est formata; quia sicut possumus sequi opinionem minus probabilem, ita etiam ex motiuo minus forti possumus formare conscientiam contrariam erroneæ, vt etiam docet Sanch.*cit.*

130 Colligitur tertiò. Ad deponendam conscientiam erroneam, seu dubiam sufficere consulere vnum virum doctum, & timoratum, nisi rei grauitas, aut publicatas requirat, quod consulantur plures; vnum enim est sufficiens, vt dirigat conscientiam, vt notat Corneius 1.2. *tract.*8. *disp.* 2. *dub. vlt.*



SACRA

SACRA MORALIS DOCTRINA
DE CAVSIS EFFECTIVIS, Augmentatiuis, atque Conſeruatiuis
STATVS SVPERNATVRALIS Humanæ Naturæ,


Seu de Sacramentis ex diuinitus reuelatis, naturalibuſque principijs ad Scholaſticæ Lecturæ methodum deducta.

DE ESSENTIA SACRAMENTI.

DISPVTATIO LXIV.

An Sacramentum ſit ſignum Sacrum?

SECTIO I.

1 Acramentum in Scriptura, & apud Eccleſiaſticos idem eſt, ac ſecretum quoddam Sacrum, & importat rem occultam, & Diuinam, quæ ſit ſupra noſtram cognitionem, iuxtà illud Sapientiæ 2. *Neſcierunt Sacramenta Dei*, & ad Epheſios 1. *vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ*. Dicitur autem Sacramentum, ſeu myſterium, quia aliud credimus, quam videamus, vt notat D. Ioan. Chryſoſt. *homil. 7. in Epiſt. 1. ad Corinthios*.

2 Dico 1. *Sacramentum eſt ſignum ſacrum, ex parte rei ſignificantis, ita vt res illa, quæ eſt ſignum, & ſignificat, ſit aliquid Sacrum & ſacro modo ſignificet*. Ita communiter cum Magiſtro *in 4. diſt. 1*. Probatur. Sacramentum eſt aliquid, quod aliud importat, quam in ipſo intueamur. Ergo eſt ſignum. Rurſus ex inſtitutione Chriſti eſt in ordine ad finem ſupernaturalem. Ergo eſt Sacrum, quia quicquid dicit ordinem ad Sanctitatem eſt Sacrum. Confirmatur. Sacramentum eſt id quo ſanctificamur, cum ſit in ordine ad nos vniendum Deo ſpeciali modo. Ergo pertinet ſpeciali modo ad Deum, & ideo eſt aliquid ſacrum.

3 Dico 2. *Sacramentum eſt ſignum ſacrum, etiam ex parte rei ſignificatæ*. Ita communiter. Probatur. Sacramentum ſignificat aliquam ſpecialem coniunctionem hominis cum Deo; vnde ad Roman. 6. dicimur ſepeliri in Chriſto per baptiſmum. ad Epheſ. 5. Matrimonium dicitur ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia. Omnis autem ſpecialis coniunctio cum Deo in ordine gratiæ eſt aliquid Sacrum.

4 Objicies. Sacrificium vt tale non eſt Sacramentum, & tamen ſignificat aliquid Sacrum. Ergo. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia licet Sacramentum ſit ſignum rei Sacræ, non tamen omne ſignum rei ſacræ eſt Sacramentum vt docet D. Thomas *3. par. qu. 60. ar. 2*. Sed debet eſſe ſignum exercitum circa hominem, ordinatum ad ipſum ſanctificandum.

An Sacramentum ſit ſignum ſenſibile.

SECTIO II.

5 Dico primo *Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile*: ita communiter cum D. Thoma *3. par. qu. 60. ar. 4*. & deſumitur ex D. Dionyſio *cap. 1. de Eccleſiaſtica Hierarch*. & de *cæleſti Hierar. cap. 1*. Chriſoſt. *homil. 83. in Math*. Auguſt. *concion. 1. in pſalm. 33*. Probatur. Sacramentum eſt ſignum in ordine ad ipſum hominem. Ergo debet eſſe aptum ad ſignificandum ipſi homini; vnde Auguſt. *lib. 2. de doctrina Chriſtia. cap. 1*. ait ſignum manifeſtare aliquid aliud præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus. Solum autem ſignum ſenſibile eſt aptum ſignificare ipſi homini.

6 Dico ſecundò. *Sacramentum potuiſſe inſtitui in ſigno ſpirituali eleuando hominem ad ipſum percipiendum*. ita contra Suarez *diſput. 1. de Sacram. ſect. 3*. docent Ocham. *in 4. qu. 1*. Gabriel. *diſt. 1. q. 1. art. 1. notabili 1*. Vaſquez *3. par. diſputat. 128. cap. 4*. Probatur. Potuit Deus ſanctificare ad præſentiam ſigni ſpiritualis tanquã inſtrumenti, & eleuare hominem ad ipſum percipiendum non eleuando ad percipiendam rem ſignificatam. Ergo eſſet ſignum rei Sacræ importans aliquid manifeſtum, & ſignificans aliquid latens.

7 Objicitur. Sacramenta pertinent ad cultum, & regnum Dei. Senſibilia autem non pertinent; Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*. Reſpondetur. Senſibilia non pertinere per ſe primò, pertinere tamen vt inſtrumenta ſpiritualia. Ex loco autem Ioan. ſolum colligitur, quod adoratio debeat fieri etiam ſecundum actus internos.

An Sacramentum ſit ſignum ex inſtitutione.

SECTIO III.

8 Dico primo. *Sacramenta ſignificare ex inſtitutione, non autem naturali modo*. Ita communiter

ter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 60. *ar.* 5. & D. August. *lib.* 2. *de Doctrina Christiana cap.* 3. Probatur. Sacramenta pendent ex institutione Christi, vnde aqua in baptismo nullam habet connexionem cum gratia, quam significat. Ergo non sunt signa naturalia.

9 Dico secundo. *Sacramenta debere habere in ratione signi aliquam analogiam, cum re significata ita vt sine ipsa non possit saluari vera ratio Sacramenti*. Ita D. August. *Epistol.* 23. *ad Bonifacium*, inquiens: *Sacramenta quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta, quam si non haberent, omnino sacramenta non essent*. Probatur. Signum etiam ex sola institutione debet esse proportionatum significato, aliàs non esset aptum ad generandam cognitionem ipsius. Ergo cum non possit esse Sacramentum, nisi sit signum; neque etiam habeat hanc analogiam. Confirmatur. Sacramenta non solum significant aliquid diuersum, sed etiam habent diuersum modum significandi. Non possunt autem habere, nisi habeant diuersam analogiam adire significatas.

10 Obijcitur. Absolutio post confessionem significat naturaliter relaxationem peccati secundùm potestatem, quam habet Sacerdos. Ergo cum habeat potestatem relaxandi peccata per gratiam, significat talem relaxationem, atque adeò non est signum ex institutione. Respondetur negando consequentiam. Quia ex natura sua non significat, nisi conceptum mentis, & id, quod ex vi ipsius potest naturali modo sequi, non autem significat, ex natura sua potestatem supernaturalem absoluendi, & effectum absolutionis. Idstabis. Significat conceptum, vt de facto est; de facto autem adest intentio absoluendi per potestatem supernaturalem. Respondetur significare conceptum, vt de facto est ex institutione; non autem ex natura sua, quia intentio absoluendi per potestatem supernaturalem non habetur, nisi ex vi institutionis, cum talis potestas dependeat ab ipsa, & ideo intentio non coniungitur cum ipsa; nisi stante institutione.

11 Obijcitur secundo. In Extrema vnctione verba significant naturaliter. Ergo. Respondetur negando assumptum, quia non exprimunt id, quod facit Deus significatione Sacramentali, & practice, nisi ex vi institutionis.

12 Dico tertio. *Sacramenta esse signa publica, & stabilia, authoritate publica instituta*, ita communiter, & patet inductione in singulis Sacramentis. Probatur. Sacramenta ordinantur ad sanctificandos homines, vt membra eiusdem Ecclesiæ. Ergo sicuti homines communicant in fine, ita etiam debent communicare in medijs. Rursus sunt media, quibus exercetur prouidentia in ordine ad talem finem. Ergò debent esse ex authoritate publica, cum ad ipsam pertineat regere communitatem.

13 Obijcitur. Quod res sit stabilis, vel parum duret, non variat eius naturam. Ergo non est de ratione Sacramenti, quod sit signum stabile. Respondetur. Non variare physicè: variare tamen moraliter, quia si Sacramentum non esset stabile, non esset secundum exigentiam Ecclesiæ.

14 Ex dictis colligitur contra Scotum *in* 4. *dist.* 1. *q.* 2. §. *De secundo*. Vasquez 3. *part. disputat.* 128. *cap.* 4. Rationem signi in Sacramentis non esse ens rationis, vt docent Palatius *in* 4. *distinc.* 1. *disputat.* 1. Suarez *disput.* 1. *de sacramentis sect.* 3. sed esse quid reale morale; alioquin Sacramenta non essent formaliter aliquid reale, nec realiter mouerent ad percipiendam rem significatam. Consistit autem in eo, quod habeat ex institutione connexionem cum re significata fundatam in analogia, vt dictum est.

An Sacramentum sit signum practicum.

SECTIO IV.

15 Prima sententia est negatiua, asserens, esse tantum signum practicum, quatenus in praxi illo vtimur ad aliquid significandum. Ita Scotus *in* 4. *dist.* 1. *qu.* 1. *ar.* 1. §. *Ex his*. Valentia 3. *par. disput.* 3. *qu.* 1. *puncto* 1. Vasquez *disput.* 128. *cap.* 5. Hurtad. *disp.* 1. *de sacrament. diffi.* 5. Probant. Sacramentum significat respectu illius, ad quem ordinatur. Ergo cum non semper sit signum practicum respectu illius, nisi quatenus in praxi adhibetur, non erit essentialiter signum practicum.

16 Secunda sententia asserit esse signum practicum, quia exercet causalitatem circa id, quod significat. Ita Suarez *disp.* 1. *de Sacram. sect.* 2. Coninch. 3. *par. qu.* 60. *art.* 2. *dub.* 1. Bellarm. *lib.* 1. *de sacram. in genere, cap.* 9. & alij.

17 Dicendum est. *De ratione sacramenti vt sic esse, quod sit signum practicum exercens aliquam causalitatem*. Probatur. Sacramentum est signum sensibile ordinatum ad aliquid spirituale significandum, & ad consecrandum hominem Deo aliquo speciali modo, saltem consecratione legali. Ergo est signum practicum, quia semper causat aliquam sanctitatem saltem legalem.

18 Ad Fundamentum in oppositum negatur consequentia. Quia semper causat aliquam sanctitatem in eo, cui applicatur.

Quid significet Sacramentum.

SECTIO V.

19 Prima sententia asserit, de ratione Sacramenti, vt sic non esse, vt significet perfectam sanctitatem, sed tantum, vt significet aliquam sanctitatem, ita Bellarm. *lib.* 1. *de sacram. cap.* 12. Canus *Relect. de sacrament. par.* 1. *circa finem*. Probant. Sacramentum significat practico modo. Ergo significat tantum sanctitatem, quam causat. Non omnia autem Sacramenta causant veram sanctitatem.

20 Secunda sententia vult, de ratione Sacramenti esse, vt significet practico modo veram sanctitatem, vnde infert, Sacramenta veteris legis non fuisse vera Sacramenta. Ita Magister *in* 4. *dist.* 1. Hugo Victorinus *in summa sent. tr.* 4. *c.* 1. Probant. Sacramentum per hoc distinguitur ab alijs signis, quę significant gratiã, quod sit practicũ. Ergo debet esse causatiuũ gratiæ, quam significat. Vnde Isidorus *lib.* 7. *Etimologiarum, cap.* 14. ait Sacramenta dici talia, quia sub tegumento corporalium rerum Diuina virtus secretius operatur.

21 Tertia sententia docet, quod licet non sit de ratione Sacramenti, vt causet gratiam; esse tamen, quod illam significet. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 1. *qu.* 1. *ar.* 2. *&* 3. Vasq. 3. *par. disp.* 128. *cap.* 5. Suar. *disp.* 1. *de Sacram. sect.* 2. Hurtad. *diffic.* 4. & alij.

22 Dico primo. *De ratione Sacramenti est, vt significet veram sanctitatem per gratiam*. Probatur. Sacramentum est tale per ordinem ad sanctitatem. Ergo per ordinem ad veram sanctitatem. Quia quod est tale in aliquo genere per ordinem ad aliud, est tale per id, quod est simpliciter tale, & primum in illo genere est mensura cœterorum. In genere autem sanctitatis sola gratia est vera sanctitas. Vnde Concilium Florentinum *in litteris vnionis*, docet, Sacramenta veteris legis fuisse vera Sacramenta, quia significabant gratiam dandam per Christum. Hinc Sacramentalia vt benedictio Abbatis, aquæ lustralis, &c. non sunt Sacramenta, quia non significant veram sanctitatem.

23 Dico secundo. *De ratione sacramenti est, vt aliquo modo sanctificando significet aliquo modo gratiam*. Probatur

batur. Sacramentum est quædam ratio sanctificatiua. Ergò Sacramentum vt sic potest tantum aliquo modo significare gratiam, quia non omne Sacramentum illam causat.

24 Ad fundamentum 1. sententiæ respondetur. Sacramentum esse signum practicum, quo ad significationem immediatam; non autem quo ad mediatam; & ideò potest significare mediatè gratiam, quam non causat.

25 Ad fundamentum 2. sententiæ negatur assumptum. Quia per hoc distinguitur ab alijs signis, quæ significant gratiam, quod causat aliquam sanctitatem in homine. Diuus autem Isidorus loquitur solum de Sacramentis nouæ legis.

An Sacramentum vt sic sit vniuocum.

SECTIO VI.

26 Dicendum est. *Sacramentum vt sic esse vniuocum respectu Sacramentorũ veteris, & nouæ legis*. Ita contra Pesantium 3. *par. quæst. 60. ar. 3. disp.* 4. & alios Recentiores. docent Bellarm. *lib. 1. de Sacram. in genere*. Vasq. 3. *par. disput.* 128. *cap.* 5. Suar. *disput.* 1. *de Sacram. sect.* 2. & alij. Probatur. Sacramentum vt sit de sua ratione formali dicit, quod sanctificando significet gratiam, præscindendo à tali, vel tali modo significationis, & sanctificationis. Hoc autem totum reperitur in Sacramentis tàm nouæ, quàm veteris legis. Ergo. Confirmatur. Sanctitas, quam causant Sacramenta vtriusque legis, conuenit in eo, quod hominem vniat, & dedicet Deo, quod autem tali, vel tali modo dedicet, pertinet ad differentias. Ergo præscindendo à differentijs potest haberi vnus communis conceptus sanctitatis, atque adeò Sacramenti.

27 Obijcitur. Sacramenta veteris legis non habent eandem rationem significationis cum Sacramento nouæ legis, quia hæc significant gratiam, & conferunt; illa verò significant, vt conferendum ab alio. Ergo. Respondetur. Habere diuersum modum significandi ratione differentiarum; non autem in sua ratione communi. Vnde etiam ratione differentiarum Sacramenta nouæ legis sunt perfectiora.

28 Obijcitur secundo. Sacramenta veteris legis erant figura Sacramentorum nouæ legis. Figura autem, & figuratum non conueniunt vniuocè. Ergo. Respondetur. Sacramenta veteris legis non solum fuisse figuras Sacramentorum nouæ legis, sed etiam fuisse de se Sacramenta, & ideò licet non conueniant vniuocè, quatenus sunt figura, conueniunt, quatenus Sacramenta.

29 Ex dictis colligitur. *Sacramenta esse signum sensibile, & stabile publica authoritate institutum sanctificando significans gratiam, & conducens ad illius assequutionem*. Dicitur, *signum sensibile* loco generis, quia debet significare creaturæ, cuius cognitio dependet à sensibus. Dicitur *stabile*, quia debet esse secundum exigentiam dispositionis, quia Deus disposuit salutem hominũ. Dicitur *publica authoritate institutum*, quia cum sit signum publicum, & commune, debet institui ab eo, qui communitatem administrat. Dicitur *sanctificando significare gratiam*, vt distinguatur à figuris veteris testamenti, quæ significabant gratiam, sed non sanctificabant; & ab alijs cæremonijs, quæ non erant Sacramenta, quia non significabant gratiam. Dicitur *conducens ad acquisitionem gratiæ*, quia illam significat, vt signum sanctificatiuum, quod fieri non potest, nisi aliquo modo ad illius acquisitionem promoueat. Et hoc pacto est explicanda alia definitio, quando dicitur, quod Sacramentum sit signum rei Sacræ.

DE IIS, EX QVIBVS CONSTANT Sacramenta.

DISPVTATIO LXV.

An constent rebus, & verbis.

SECTIO I.

1 Dicendum est *Sacramentum nouæ legis constare ex rebus, & verbis*. Ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu. 60. ar. 5. 6. &* 7. & est de fide ex Concil. Florent. *in Decreto Eugenij*, vbi statuitur, quod Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione ministri. Probatur. Omnia Sacramenta nouæ legis perficiuntur rebus, & verbis, vt baptismus Math. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris. &c.* Eucharistia constat ex rebus, & verbis, quibus vsus est Christus, & sic de cæteris, vt ostenditur cum de ipsis agitur in particulari; & hoc ex institutione Christi. Ergo.

2 Obijcitur. Sacramentum pœnitentiæ constat solis verbis Sacerdotis, & pœnitentis. Ergo. Respondetur negando antecedens. Quia verba ex parte pœnitentis concurrunt solum, vt peccata, & dolor constituantur in esse sensibili, & ideo induunt rationem rei, quatenus continent peccata, & dolorem.

3 Obijcitur secundo. Matrimonium potest perfici solis rebus sine verbis, vt cum fit per nutus. Ergo. Respondetur. Posse fieri sine verbis materialiter sumptis, prout dicunt talem sonum vocis; non autem sine esse formali verborum, nempè significatione exprimente conceptum: Quia autem hæc significatio non solum reperitur in verbis, sed etiam in scriptura, & in nutibus, ideo hæc possunt succedere loco verborum. Instabis. Quia Sacramentum pœnitentiæ constat ex verbis, non possunt loco verborum adhiberi nutus, aliàs non conficeretur Sacramentum. Ergo si matrimonium constaret ex verbis, non possent adhiberi nutus. Respondetur negando consequent. Quia in Sacramento matrimonij contractus est eleuatus ad esse Sacramentum, & est relictus naturæ suæ, & ideò ex vi institutionis, potest fieri sacramentum eo modo, quo contractus naturaliter celebrari potest, At in Sacramento pœnitentiæ non est eleuatum iudicium, sed est instituta noua forma iudicij, quæ est omnino seruanda, & ideo cum sit instituta cum verbis, non possunt verba in aliud mutari.

Quomodo Sacramenta constent ex rebus, & verbis.

SECTIO II.

4 Dicendum est. *Sacramenta componi ex rebus, vt materia, & verbis vt forma*. ita communiter Sotus *in 4. dist. 1. qu. 1. ar. 6.* Vasq. 3. *par. disput.* 129. *cap.* 3. & alij. Et ita declaratur in Concil. Florent. *in Decreto fidei*. Probatur. Verba, & res vniuntur morali modo ad conficiendum vnum signum sensibile sanctificatiuum; & verba ex vi suæ significationis determinant res. Vnde aqua in baptismo determinatur ex verbis ad significandam ablutionem sacramentalem. Ergo cum in hac vnione verba se habeant, vt determinatiua, & res vt determinabiles, verba erunt forma, & res materia.

5 Dicendum secundo. *Sacramenta ita componi ex rebus, & verbis, vt in vtraque fundetur significatio sacramentalis*. Probatur, Res, & verba constituunt vnicum

cum signum. Ergo significatio Sacramentalis, cum sit propriè totius Sacramenti, fundatur in vtrisque.

6 Obijcitur. Materia, & Forma debent esse simul. res autem & verba multoties non sunt simul. nam in Sacramento pœnitentiæ dolor potest præcedere absolutionem. ergo. Respondetur. Materiam, & formam in composito physico, debere esse simul physicè, moraliter verò in composito morali; & ideò cum sacramenta sint compositum morale, sufficit si verba, & res sint simul moraliter.

7 Obijcitur secundò. Tota significatio baptismi consistit in ablutione. ergo non consistit in verbis. Respondetur negando consequent. quia infusio aquæ non solum potest fieri ad abluendum, sed etiam ad refrigerandum, aut ad alios effectus; & ideò debent adhiberi verba, quæ determinent finem ablutionis, & quod hæc ablutio ordinetur ad abluendam animam.

Quomodo res, & verba concurrant vt materia, & forma.

SECTIO III.

8 FErè communiter docent. Sacramenta, quæ consistunt in actione, nec habent esse permanens, componi rebus, & verbis vt partibus essentialibus intrinsecis; quæ verò consistunt in facto esse, non constitui intrinsecè per verba, ita D. Thom. 3. *par. quæst.* 60. *art.* 6. *ad* 2. *& art.* 7. Alensis *par.* 4. *quæst.* 8. *mem.* 3. *art.* 1. *ad* 2. Marsil. *in* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. Suarez *disput.* 2. *de Sacram. sect.* 2. Vasq. 3. *par. disp.* 129. *cap.* 3. & alij.

9 Dico primo. *Sacramenta constant ex rebus, & verbis vt partibus essentialibus*. an autem id locum habeat in omnibus Sacramentis, videbimus suo loco. Probatur. Illud pertinet intrinsecè ad constitutionem Sacramenti, quod habet significationem Sacramentalem gratiæ, quæ cum sit practica, dicit esse instrumentum gratiæ, atque adeò totum id constituit intrinsecè Sacramentum, quod est instrumentum causatiuum gratiæ. Tàm autem verba, quàm res sunt instrumentum causatiuum gratiæ, ergo. Minor probatur. Totum id habet rationem instrumenti, quod ex institutione Christi est ordinatum vt signum sensibile ad sanctificandum; tàm autem res quàm verba sunt ordinata. Ergo.

10 Dico secundo. *Constitutiuum intrinsecum Sacramentorum, quod habetur a verbis, formaliter consistit in illa morali determinatione, quam res determinantur, vt stent sub tali significatione Sacramentali*. Probatur. Verba concurrunt ad Sacramenta in ratione formæ determinantis, res vt sint materia Sacramenti, ergo per id concurrunt, quod est formale determinatiuum, formale autem determinatiuum est illa determinatio, quæ consurgit ex verbis, & coniungitur cum rebus.

11 Dices. Hanc determinationem esse effectum formalem formæ, atque adeò verborum, & ideò verba secundum suum esse constituere intrinsecè Sacramenta. Contra. Effectus formalis est esse determinatum; causa verò formalis est ipsa determinatio moralis. ergo non sunt verba.

12 Dices secundo. Hanc determinationem haberi formaliter per verba, quia est in ratione significationis. Contra. Determinatio est in ratione signi sanctificatiui, & significationis Sacramentalis, atque adeò in genere efficientis in ordine ad gratiam; significatio verò verborum est in ordine ad obiectum. Ergo est diuersa naturalis significatio verborum, & significatio Sacramentalis. Ergo cum significatio Sacramentalis consurgat ex verbis, & sit magis intrinseca, per ipsam constituetur Sacramentum.

13 Dico tertio. *Omnia Sacramenta, etiam Eucharistia intrinsecè constant rebus, & verbis, sumendo verba non secundum se, sed vt sunt virtualiter in determinatione, quam conferunt materiæ*. Probatur: hæc determinatio reperitur in materia cuiuslibet Sacramenti, etiam Eucharistiæ; nam in ipsa determinatio refectionis spiritualis est permanens, & illam habet a verbis, quia verba sicut determinant panem, & vinum, vt fiat corpus, & sanguis Christi; ita etiam determinant vt sit signum refectionis spiritualis.

14 Dices. Determinationem hanc dependere a verbis saltem moraliter coexistentibus, ergo non potest habere locum in Eucharistia. Respondetur. Dependere à verbis coexistentibus vel in se ipsis, vel in aliquo effectu a se relicto, in Eucharistia autem verba relinquunt corpus Christi.

15 Dices secundo. Quod Sacramentum Eucharistiæ sit signum practicum spiritualis refectionis, habet a Corpore Christi, ergo ab ipso determinatur non a verbis. Respondetur negando consequentiã. Quia sicuti verba determinant species, vt contineãt corpus Christi: ita etiam determinant, vt sint tale signum.

16 Ex dictis colligitur. Inter res, & verba requiri saltem moralem coexistentiam, atque adeo necessariam esse illam propinquitatem, quæ sufficiat, secundum iudicium prudentis, quod sit moraliter simul. ita Richard. *in* 4. *dist.* 3. *art.* 4. *quæst.* 2. Sotus *art.* 8. & communiter. Ratio est. Quia Sacramentum est vnum vnitate morali, & ideò satis est, quod partes moraliter vniantur; quod fit, etiamsi sibi inuicem succedant secundùm physicam existentiam.

An verba sint consecratoria.

SECTIO IV.

17 VErbum consecratorium est illud, quod habet vim saltem moralem sanctificandi. Verbum autem concionatorium est illud, quod ordinatur ad erudiendum populum. Supponendum autem est tanquam certum de fide, quod licet populi debeant erudiri circa res fidei, non tamen hæc eruditio est pars essentialis Sacramenti, alioquin non esset vnum baptisma. contra illud ad Ephes. 1. *Vna fides, vnum baptisma*, & contra Symbolum Nicænum, quia essent diuersæ conciones, nec paruuli possent baptizari, cum non sint capaces instructionis. Vnde actorum 10. *Petrus* concionatus est Cornelio, & tamen non baptizauit, sed iussit baptizari. & 1. ad Corynth. 1. *Non misit me Christus baptizare, & euangelizare*.

18 Dicendum est. *Ad conficienda Sacramenta requiri verba consecratoria, quæ non proferantur merè recitatiuè, sed conseruatiuè*; est de fide contra Caluinistas, & alios hæreticos definitum in Concilio Florent. *in litteris vnionis*. & Trident. *sess.* 7. *can.* 13. *de Sacramentis in genere, & Can.* 3. *de baptismo*, & desumitur ex Patribus Iustino *Apolog.* 2. *ad Ansonium Pinni* Ireneo *lib.* 4. *cap.* 34. Cyrillo Hierosol. *Catechef.* 3. Gregorio Nisseno *oratione de baptismo*. Ambrosio *lib.* 2. *de Sacram. cap.* 5. Cyprian. *Epist.* 73. *ad Iubrarium* August. *lib.* 3. *de baptis. contra Donatistas cap.* 10. & ex perpetua traditione Ecclesiæ. Probatur. Math. *vltimo* Christus iussit baptismum conferri in nomine Trinitatis, & quando instituit Eucharistiam, pronuntiauit determinata verba, quibus panem effecit suum corpus. ergo. Confirmatur. In Sacramento pœnitentiæ debent remitti peccata, hoc autem non potest fieri sine verbis, cum debeat pronuntiari sententia remissionis.

19 Obijcitur ex D. August. *tract.* 80. *in Ioan.* vbi ait *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*. Ergo verbũ, quo fit baptismus, est tãtũ cõcionale. Respõdetur

detur negando consequen. nam sensus est, quod verba operentur, non quia dicuntur, hoc est secundum id, quod habent naturaliter, & insonant auribus; sed quia creduntur, hoc est quia habent virtutem, quam fide attingimus. Vnde subdit, quod aliud est sonus, & aliud virtus manens.

20 Objicitur 2. Demurmurare supra aquam, vel panes aliqua verba est magica incantatio. Ergo non potuit esse instituta à Christo. Respondetur negando antecedens; Quia incantatio est illa, quæ fundatur in pacto cum Dæmone, & in verbis, quæ operantur in virtute ipsius. In Sacramentis autem verba operantur in virtute Dei. Hinc etiam numerorum 5. Deus instituit quædam verba, quæ prolata super aquas, tribuebant virtutem interficiendi adulteras, si biberentur.

An res Sacramentorum sint determinatæ.

SECTIO V.

21 Dicendum est. *Res Sacramentorum nouæ legis esse certas, & determinatas*, ita communiter cum D.Thom. 3. *par.qu.6.ar.5.* & est de fide ex Concil. Florent. *in decreto pro Armenis*. Probatur. Institutio est mensura Sacramentorum. Ex institutione autem habemus certas res pro singulis Sacramentis. De Baptismo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*. De Pœnitentia Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*. De Eucharistia Matth. 26. *Accepit Iesus panem*. De Extrema Vnctione Iacobi 5. *Vngentes eum oleo*. De ordine 1. ad Timot.4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri*. Et sic de cæteris accedente præsertim traditione Ecclesiæ.

22 Dicendum 2. *Res non ita esse determinatas, quin possent subire aliquam mutationem ex declaratione Ecclesiæ*. Quæ in eo fundatur, quod Christus instituerit pro materia cuiuslibet Sacramenti res illas, quæ sunt tales vsualiter, atque adeò Ecclesia sistendo intra latitudinem talis rei vsualis potest circa ipsam declarare, & determinare. Probatur. In Eucharistia materia est panis vsualis, & Ecclesia declarauit præsertim in Concilio Floren. esse materiam sufficientem siue sit azymus, siue fermentatus. In Matrimonio contractus vsualis est materia, & Ecclesia determinauit non debere esse clandestinum. Ergo. Confirmatur. Christus instituit Eucharistiam vel in solo azymo. vel in solo fermentato, & Ecclesia decreuit, validè confici in vtroque, etiamsi Christus in vno tantum confecerit. Ergo potest inducere aliquam mutationem circa materiam Sacramenti.

An verba Sacramentorum sint determinata.

SECTIO VI.

23 Dicendum est. *Verba, quæ sunt forma Sacramentorum, esse determinata*, ità communiter cum D.Thom. 3. *par. qu. 60. ar. 7.* & est de fide ex Concilio Florentino, *in Decreto pro Armenis*. Probatur. Christus instituit determinata verba, vt partim habemus ex scriptura, partim ex traditione. Ergò sunt determinata, quia Sacramenta non possunt confici alio modo, quàm sint instituta à Christo.

24 Dicendum 2. *Verba esse determinata quò ad significationem, non autem quo admodum significandi accidentalem, sed in hoc posse variari in aliquibus Sacramentis ad libitum conficientium; in alijs verò ex institutione Ecclesiæ*. Probatur. De facto contingit talis variatio, vt patet in matrimonio, in quo contrahentes, hoc vel illo modo exprimunt consensum, & in baptismo ex institutione Ecclesiæ, nam Latini dicunt *Ego te baptizo* Græci autem *Baptizetur seruus Christi* &c. Ergo.

25 Obijcies ex cap. *Retulerunt*. De *consecrat. dist.* 4. Quidam Sacerdos baptizauerat his verbis *In nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*. & Pontifex decreuit, fuisse validum baptismum, & tamen verba non retinuerunt eamdem significationem. ergo non sunt determinata quò ad significationem. Respondetur negando secundam partem antecedentis, Quia mutatio illa fuit tantum materialis; non autem quò ad significationem, siquidem cum verba fuerint prolata ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia, in eius virtute fuerunt determinata ad eandem significationem, licet quò ad sonum fuerint corrupta.

Qualis mutatio in materia & forma irritet Sacramentum.

SECTIO VII.

26 Dico 1. *Mutatio essentialis tàm in materia, quàm in forma irritat sacramentum*; Ita communiter cum D.Thom.3. *par. qu.60. art.8.* & est de fidè ex cap. *Retulerunt*. De *consecrat. dist.*2. Probatur. Concilium Nicænum *Can.* 19. decernit, esse nullum baptismum Paulianistarum, quia mutabant veram formam, vt constat ex Innocentio I. *Epist,* 22. *cap.* 5. Ergo. Confirmatur Mutatio essentialis facit, quod nec materia, nec verba sint illa, quæ sunt instituta à Christo; Ergo facit, quod sit nullum Sacramentum, cum non possit confici aliter, ac est institutum à Christo.

27 Dico 2. *Tunc mutatio est essentialis, quando secundum prudentem æstimationem non manet amplius eadem res, nec in verbis eadem significatio*. Probatur. Mutatio essentialis ex genere suo facit aliud secundum essentiam; accidentalis autem facit alterum. Quando autem secundùm prudens iudicium non manet eadem res, aut significatio, est alia essentialiter. Ergo.

28 Dico 3. *si ex corrupta prolatione verba varientur, ita tamen, vt adsit intentio significandi, quod intendit Ecclesia, non irritatur Sacramentum*. Probatur ex Cap. *Retulerunt*. De *consecrat. dist.* 4. vbi decernitur validus baptismus cum verbis *In nomine Patria* &c. Quia talis corruptio non tollit significationem, cum verba significent iuxta intentionem loquentis. Ergo.

29 Dico 4. *Interruptio notabilis, per quam moraliter intermittatur oratio, aut non notabilis cum protestatione non prosequendi orationem, irritat Sacramentum*. Probatur. Significatio non potest subsistere sine continuatione orationis. Ergo ablata continuatione tollitur significatio, atq; adeo forma Sacramenti.

30 Dico 5. *Mutatio formæ in aliud idioma, imo etiam si forma proferatur partim in vno, partim in alio idiomate, non irritat Sacramentum*. ita Caietanus 3. *par. qu.60. art.7. circa solutionem secundi*. Coningh *art.* 8. *dub.* 1. Suar. *disp.*2. *de Sacram. sect.* 4. Hurtad. *disp.* 1. *diffic.*14. & alij. Probatur. Talis mutatio est tantum materialis, non autem secundum significationem. Ergo remanet eadem forma secundum esse formale.

31 Dico sextò. *Variatio verborum in alia idem significantia non irritat Sacramenta, debent autem distinctè idem significare*. Vnde in baptismo non posset dici. *In nomine Trinitatis*. Ita Paludanus *in* 4. *dist*, 3. *qu.* 1. Sotus *quæst. vnica artic.* 5. Caietanus 3. *part. quæst.*66. *arti.* 5. *ad* 7. Coningh *quæst* 60. *dub.* 1. Suarez *disp.* 2. *de sacrament. sect* 4. versicul. *secunda mutatio*. Contra Scotum *in* 4. *dist.*3. *quæst.*2. *artic.*3. Gabrielem *quæst.* 1. *artic.* 3. *dub.* 1. Richardum *in* 3. *dist.*3. *artic.* 2. *quæst.* 3. Durandum *q.* 2. & *alios*. Prob. Talis mutatio non variat significationem.

cationem. ergo nec forma secundum esse formale. ergo remanet validum Sacramentum.

32 Dico septimo. *Mutatio per transpositionem verborum non irritat sacramentum, si retineatur idem sensus.* Probatur. Tunc forma remanet eadem formaliter. Ergo non irritatur Sacramentum.

33 Dico octauo. *Mutatio formæ de actiuo in passiuum, aut de vno in alium modum, si seruetur idem sensus, non irritat Sacramentum.* Probatur. Dum remanet idem sensus fit tantum mutatio accidentalis. Ergo

34 Dico nono. *Mutatio verborum in nutus] extra sacramentum matrimonij est] mutatio essentialis, & ideo irritat Sacramentum.* Probatur. Nutus non sunt determinati ad significandum, quod significat forma, tum quia sunt valde confusi, & possunt applicari diuersis rebus, tum quia arguitiue tantum inducunt in cognitionem. ergò mutatio verborum in nutus est essentialis.

35 Dico 10. *Mutatio verborum in scripturam facit irritum sacramentum.* Probatur. Sacramenta ex institutione sua constant ex verbis, vt habetur ex perpetuo vsu, & traditione Ecclesiæ. Ergo non possunt confici per scripturam, cum scriptura sit in genere diuerso.

Dico vndecimo. *Additio verborum, si non corrumpat sensum, non facit irritum Sacramentum.* Probatur, Est tantum variatio accidentalis, vt si quis diceret, *Ego te baptizo in nomine Patris Omnipotentis, &c.* ergo.

36 Dico duodecimo. *Detractio à forma irritat sacramentum, si corrumpat sensum. secus autem si non corrumpat.* Probatur. Forma conficit Sacramentum ratione significationis, & sensus. Ergo variatio sensus per detractionem tollitur Sacramentum.

An mutatio formæ cum animo introducendi errorem inualidet Sacramentum.

SECTIO VIII.

37 PRima sententia asserit inualidari Sacramentum cum sola mutatione accidentali, quando adest animus introducendi errorem. ita Richard. *in 4. dist. 3. ar. 2. qu. 3.* Alliaceus *qu. 2. ar. 1.* & alij. Probant ex cap. *Retulerunt.* De *consecrat. dist. 4.* declaratur validus baptismus stante mutatione accidentali formæ, quia non adfuit animus introducendi errorem; ergo si adfuisset, non fuisset validus.

38 Secunda sententia asserit non inualidari. Ita Duran. *in 4. dist. 3. qu. 2.* Paludan. *qu. 1.* Suar. *disput. 2. de sacram. sect. 5.* Vasq. *3. par. disp. 129. cap. 7.* Coninch. *qu. 60. ar. 8. dub. 1.* & alij.

39 Dicendum est. *Si mutatio sit tantum accidentalis, non inualidari sacramentum, etiamsi adsit animus introducendi errorem.* Probatur. Intentio introducendi errorem non potest esse de errore contra substantiam Sacramenti, si mutatio sit tantum accidentalis. Ergo non inualidatur Sacramentum, quia remanet forma secundum suam substantiam, & etiam intentio faciendi secundum substantiam, quod facit Ecclesia.

40 Dices. Si quis baptizans cum intentione introducendi Arrianismum diceret. *In nomine Patris, & filij creati, &c.* non conficeret, & tamen variatio esset accidentalis. Ergo. Respondetur negando secundam partem antecedent.; nam essentialiter variaretur significatum, nempe persona increata in creatum, atque adeò etiam significatio.

41 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur illum baptismum fuisse validum ex eo, quod non adfuit animus introducendi errorem, quia mutatio verborum erat talis, vt de se posset esse essentialis, & accidentalis iuxta diuersam intentionem loquentis. Vnde habita est pro accidentali stante intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Thomus Secundus.

DE NECESSITATE, ET INSTItutione Sacramentorum.

DISPVTATIO LXVI.

An in lege gratiæ sint necessaria Sacramenta.

SECTIO I.

1 DIcendum est. *Sacramenta fuisse instituta à Christo in lege gratiæ, & præcisa institutione adhuc fuisse necessaria non simpliciter, sed secundum quid.* Est de fide contra Hæreticos, præsertim Beguinos, qui fuerunt damnati à Ioan. XXII. in Extrauag. *Sancta Romana.* & ita definitur in Concil. Floren. *in decreto Eugenij*, & in Trident. *sess. 7.* Probatur. Natura humana est determinata, vt per sensibilia percipiat intelligibilia. Ergo cum prouidentia Diuina, omnia suauiter disponat, debuit effectus gratiæ subijcere signis sensibilibus. Confirmatur. Non possunt populi in vnam religionem coire, nisi colligantur Sacramentorum, seu signorum sensibilium consortio, vt ait D. August. *lib. 19. contra Faustum cap. 11.* Ergo fuerunt necessaria Sacramenta ad hanc sensibilem colligationem.

2 Dicendum secundo. *Supposita institutione Christi sacramenta sunt necessaria ad salutem indefinitè loquendo, ita vt saltem aliquod sacramentum sit vnicuique necessarium.* Est de fide ex Coucil. Trident. *sess. 7. canon. 4. de sacram. in genere.* Probatur. Quilibet est subiectus regimini, quod Christus instituit pro sua Ecclesia; tale autem regimen exigit adhiberi Sacramenta. Ergo.

3 Obijcitur. Repugnat perfectioni legis gratiæ seruire Deo sub vmbris, & figuris, quia est lex veritatis. Ergo. Respondetur repugnare seruire sub figuris, quæ præfigurabant Christum. Sacramenta autem non sunt tales figuræ, sed solum signa sensibilia pro exteriori religione.

4 Obijcitur secundo. Hoc est conformare se idolatris qui vtebantur rebus corporeis ad cultum superstitiosum. Ergo. Respondetur negando antecedens. Quia Idolatria non consistit in vsu rerum sensibilium, sed in eo, quod cultus tribuatur ei, cui non debetur.

An in lege naturæ fuerit sacramentum pro remedio originalis.

SECTIO II.

5 NOmine legis naturæ intelligitur totum illud tempus, quod ab Adam præcessit institutionem circumcisionis, quia nimirum homines vtebantur sola lege naturali. Supponendum autem est in lege naturæ fuisse remedium pro peccato originali, vt docet D. August. *lib. 5. contra Iulianum cap. 9.* & *lib. 2. de nuptijs cap. 12.* & communiter Doctores. Cum enim omnes homines sint redempti per Christum, debuerunt omnes habere remedium ex meritis ipsius pro peccato originali, quod est prima radix captiuitatis humanæ. Difficultas autem est, an tale remedium fuerit Sacramentum.

6 Prima sententia asserit, non fuisse Sacramentum; quia non fuit signum externum sensibile institutum à Deo, ita D. Bonauent. *in 4. distinct. prima part. 2.*

art.1.qu.2. Richard.ar.5.qu.3. Sotus dist. 2. qu.1. art.4. Vasq.1.2.disput.184.cap.4. & 3.par. disput.165. cap.3. & alij.

7 Secunda sententia asserit, fuisse Sacramentum. ita Alensi.par.4.qu.2.memb.5.art.1.ad 2. Scotus in 4.dist.1. qu. 6. Gabriel. qu. 2. art.3. dub. 1. Durandus quæst. 8. Paludan. quæst.5.art.5. Suar. disput.4.de Sacram.sect.2. & alij.

8 Dicendum est, *Remedium pro peccato originali fuisse per signum externum, atque adeo fuisse sacramentum.* ita D. Thom. 3. par. qu.61. ar.3. Cyprian. libr. de Cardinalibus Christi operibus. cap.de Circumcis. D August.lib.5. contra Iulian. cap.9. Probatur. Ecclesia erat corpus sensibile, & omnes conueniebant in cultu externo. Ergo debuerunt cooptare in societatem Ecclesiæ sensibili modo, quia cooptatio debet esse proportionata cooptantibus. Ergo cum cooptarentur per remedium originalis, debuit tale remedium esse sensibile. Rursus hoc remedium erat signum cæremoniale sensibile significatiuum gratiæ, quia tunc paruuli iustificabantur. Ergo erat Sacramentum. Confirmatur. Talis cooptatio facienda erat nomine Ecclesiæ. Ergo cæremonia publica, atque adeo sensibili. Confirmatur 2. si non fuisset necessaria, cæremonia sensibilis, potuissent parentes filios reconciliari Deo, antequam nascerentur. hoc autem est falsum. Ergo.

9 Obijcitur ex D. Gregorio lib.4.moral.cap.5. vbi habet, quod apud nos valet aqua baptismatis. hoc egit apud veteres pro paruulis sola fides. Ergo. Respondetur loqui de fide cum externa professione, atque adeò sensibiliter declarata.

10 Obijcitur secundo. In lege naturæ non habuit locum præceptum positiuum. Ergo neque Sacramentum, Respondetur. Non habuisse locum præceptum positiuum, quod non fuit necessarium pro prouidentia necessaria; tale autem Sacramentum fuit necessarium; vnde etiam habuisset locum hoc præceptum, etiamsi non fuisset Sacramentum, quia adhuc debuisset institui à Deo remedium originalis.

11 Obijcitur tertio. Hoc remedium non fuit determinatum, & institutum à Deo. Ergo non fuit Sacramentum. Respondetur. Non fuisse institutum in specie, fuisse tamen institutum in genere, nempè signum externum manifestatiuum fidei internæ. Instabis. Sequeretur remedium originalis magis esse coarctatum in lege gratiæ, quam fuerit in lege naturæ, atque adeo quod esset difficilius. Ergo. Respondetur negando sequellam. Quia maior difficultas potest esse in eliciendo actu fidei, & determinando signo sensibili, quàm sit in applicanda aqua pro baptismo. Deinde hoc argumentum valeret etiam, si remedium originalis fuisset tantum actus internus parentum.

An in lege veteri scripta fuerint Sacramenta.

SECTIO III.

12 DIco primo. *Circumcisio fuit verum sacramentum legis veteris scriptæ.* ita communiter cum D. Tho. 3.par.q.60.ar.3. & est de fide ex Conc. Florent. in decreto Eugenij. Probatur. Ad Rom. 4. *signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei.* Ergo circumcisio fuit signum sensibile causans sanctitatem legalem, & significans gratiam.

13 Dico secundo. *In lege veteri fuerunt etiam alia sacramenta.* ita communiter, & desumitur ex Conc. Flor. in Decreto Eugenij. Dionysi. cap.5. de Ecclesiast. Hierarchia par.1. Ambros. lib. 1. de sacram. cap.4. & 6. Probatur. Illæ cæremoniæ, vt agnus paschalis, vnctio Sacerdotum, aspersio sanguinis &c. sanctificabant legaliter, & erant signa instituta à Deo publica, & stabilia, vt passim habetur in exod. & Leuit. & significabant gratiam dandam per Christum, vt habetur ex tota Epistola *Ad Hebræos.* Ergò erant Sacramenta.

14 Dico tertio. *Hæc sacramenta fuerunt triplicis generis: alia consecratiua Sacerdotum; alia ad vsum, & participationem rerum sacrarum, vt esus agni paschalis, & alia expiatiua ab immunditijs legalibus.* ita D. Tho. 1.2.q.102.ar.5. Probatur. Ad hęc tria rediguntur omnes cęremonię, quę legaliter sanctificabant. ergo

15 Dico quarto. *Hæc sacramenta erant necessaria ad salutem necessitate præcepti, ita vt non omnia fuerint omnibus necessaria, sed aliqua singulis, alia verò certis personis.* Ratio est. Quia hoc preceptum colligitur passim ex Leuitico. & ex cap.12. Exodi.

An circumcisio fuerit instituta ad delendum originale.

SECTIO IV.

16 EX Patribus aliqui negant, fuisse institutum pro delendo originali, sed tantum ad consignandum peculiarem populum Dei. Ita Iustinus dialog. contra Triphonem post initium Irenęus. lib.4. contra hæreses. cap.30. Chrysost. homil.27. in Genes. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap.21. Epiphan. hæres.8. Damasc. lib.4. de fide cap. 26. Ambros. in cap.4. Epistolæ ad Rom. Tertullian. contra Iudæos, cap.3. & alij.

17 E contra verò alij docent, fuisse institutum in remedium originalis. ita August. lib. 3. contra Iulianum cap.18. & lib.2. de nuptijs. cap.15. & lib.2. contra Petilian. cap.72. Beda lib. 2. in Lucam. capit. 8. Cyprian. de Cardinal. Christi oper. capit. de circumcisione. Bernard. serm.3. de circumcis. Prosper lib. de promissione Dei, p.1. cap.14. Rupertus Abbas libr.5. de operibus Trinitatis. Greg. lib.4. moral. cap.2. & 3. Innocent. III. in cap. maiores. De baptismo.

18 Dico primo. *Circumcisio non fuit præcisè ordinata ad delendum originale, sed ad segregandum populum electum.* ita D. Thom. 1.2. qu.102. ar.5. ad 1. & hoc volunt Patres primo loco allati. Probatur. Remedium originalis debuit esse commune omnibus, atque adeo etiam fœminis; nec debuit pretermitti in deserto; circumcisio autem non fuit communis fęminis, & fuit pretermissa in deserto. ergo

19 Dico secundo. *Circumcisio ex Dei institutione fuit superaddita remedio originalis, quod consistebat in externa protestatione fidei, quæ erat facienda simul cum circumcisione, atque adeo circumcisio fuit remedium originalis, quatenus coniuncta cum protestatione fidei ipsam speciali modo exprimebat.* Et hoc tantum volunt Patres secundo loco allati. Probatur. Quando fuit instituta circumcisio, aderat remedium originalis, quod debuit esse commune etiam fęminis. Ergo circumcisio non fuit instituta, vt præcisè in remedium originalis, sed vt determinatiua protestationis fidei per modum cuiusdam solemnitatis, qua circumcisus acceptaretur ab Ecclesia in populum Dei.

20 Dices. Sequeretur, quod circumcisio non fuisset remedium necessarium ad salutem contra id, quod docet D. Augustin. citatus. Respondetur negando sequellam. Quia protestatio fidei, quę erat remedium originalis, atque adeò necessaria ad salutem, fuit determinata à Deo illa speciali cęremonia circumcisionis.

DE

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM nouæ legis,

DISPVTATIO LXVII.

An Sacramenta causent gratiam ex opere operato.

SECTIO I.

1 CAusare ex opere operato contradistinguitur à causare ex opere operantis: nam causare ex opere operantis est causare per modum meriti, & impetrationis: causare verò ex opere operato est habere ex se efficaciam eo modo, quo habent causæ naturales.

2 Dicendum est. *Sacramenta nouæ legis causare gratiam ex opere operato*. ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.*62. *ar.*1. & est de fide contra Lutheranos, & alios hæreticos definitum in Concilio Florent. *in Decreto Eugenij*. Milleuitano *cap.*2. Arausicano 2. *cap.*25. & in Tridentino *sess.*6. *cap.*7. & *sess.*7. *canon.*6.7. & 8. & tradunt communiter Patres Clemens Alexandri. *lib.*1. *Pedagogiæ cap.*6. Greg. Nissen. *lib. de baptismo*. Chrysost. *homil.*25. *in Genesim*. Damasce. *lib.*4. *de fide cap.*10. Tertull. *lib. de baptismo*. & *lib. De Resurrect.* Cyprian. *lib.*2. *epist.*2. Ambros. *lib.*2. *de pœniten. cap.*2. Hieronym. *epist.* 83. August. *tract.*80. *in Ioan.* Leo Papa *sermo.* 4. *de natali Domini*, & alij. Probatur. Ad Ephes. 5. *Mundans eum lauacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sācto nō potest introire in regnum Dei*. Marci vltimo. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*. Actorum 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Ergo cum baptismus abluat, regeneret, & saluum faciat, debet habere efficaciam iustificandi. Confirmatur Ioan. 20. De Sacramento pœnitentiæ dicitur. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Io. 6. de Sacramento Eucharistiæ. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. De Sacramento Confirmationis Actorum 8. & 19. dicitur per impositionem manuum dari Spiritum Sanctum. Ergo cum Sacramenta remittant peccata, tribuant vitam, & Spiritum Sanctum, habent efficaciam causandi gratiam.

3 Respondet Caluinus. Nomine aquæ intelligi Spiritum Sanctum, qui dicitur aqua, quia instar aquæ nos emundat. Contra: Patres communiter intelligunt de baptismo, qui fit per aquam Iustinus *Apologetico* 2. Tertull. *lib. de baptismo*. Ambros. *lib.*3. *de Spiritu sancto cap.* 11. Cyprian. *lib.*3. *ad Quirinum, cap.*25. Nazianzen. *orat.* 40. Basil. *Sermone de baptismo*, & alij. Confirmatur. Ponitur aqua, & Spiritus Sanctus tanquam duo distincta, dum dicitur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*.

4 Respondetur secundo. Baptismum saluare excitando fidem. Contra. Fides præcedit baptismum Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*. Deinde Infantes non possent baptizari, quia non potest in ipsis excitari fides. Rursus baptismus non esset regeneratio, quia excitare fidem non est regenerari.

5 Respondet tertio. Baptismum abluere in remissionem peccatorum. Quia est testimonium acceptæ iustificationis. Contra si, esset testimonium, supponeret peccata deleta. Ergo non ablueret. Rursus. Abluere in remissionem peccatorum significat efficaciam ad remittenda peccata Ergo

6 Obijcitur. Scriptura tribuit iustificationem fidei, non autem Sacramentis. Ad Hebræos 10. *Iustus ex fide viuit*. Ad Rom. 4. *Credidit Abraham, &c.* Marci vltimo. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ergo. Respondetur. Non solum tribuere fidei, sed etiam Sacramentis. Nam baptismo tribuit regenerationem. Pœnitentiæ remissionem peccatorum. Tribuit autem Fidei, vt primæ radici, quia sine fide non possunt haberi Sacramenta.

7 Obijcitur secundo. Ex D. August. *lib.*3. *quæstionum in Leuiticum. quæst.*84. vbi ait *Homo minister solum præbet Sacramentum visibile, Deus autem inuisibile*. Ergo Respondetur. Ita loqui, quia Sacramenta causant gratiam, vt instrumenta Dei. Minister autem concurrit tantum ea applicando, & nomine Christi.

8 Obijcitur tertio. Multi saluantur per fidem solam, vt cum non habent à quo baptizentur; nemo autem saluatur sine fide, etiam cum Sacramento; Quia in omni Sacramento requiritur verbum promissionis, atque adeò fides acceptans promissionem. Ergo. Respondetur saluari sine Sacramento in re, non autem in voto; cum Sacramento autem requiritur fides, non vt acceptans promissionem, quia promissio non interuenit in vsu Sacramenti; sed solum in institutione; sed vt dispositio præparans ad iustificationem.

An & quomodo omnia Sacramenta conferant gratiam?

SECTIO II.

9 SVpponendum est. Certum esse de fide, Omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, vt definit Concil. Tridentinum *sess.*7. *canon.*6. *de Sacramentis in genere*. non ponentibus obicem. Vnde, quando reperiunt gratiam in suscipiente, conferunt augmentum ipsius, quia, semper ritè suscipientibus conferunt gratiam, vt definit idem Concilium. *ibidem can.* 7.

10 Supponendum secundo. Quædam Sacramenta dici Sacramenta mortuorum, vt baptismus, & Pœnitentia, quia sunt ordinata ad tollendum peccatum, & dandam primam gratiam. Quædam verò dici Sacramenta viuorum, quia ordinantur ad dandum augmentum gratiæ, atque adeò supponunt vitam spiritualem.

11 Dico primo. *Baptismus non solum paruulis, sed etiam adultis, sicut etiam pœnitentia possunt conferre primam gratiam per efficientiam Sacramentalem*. Ita Sotus *lib.*2. *de natura & gratia cap.* 15. Vasquez 3. *par. disput.* 158. *cap.*4. Suarez *disput.*7. *de Sacrament. sect.* 2. Probatur. Ad ritè suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ sufficit attritio, quæ non habet annexam gratiam, vt definit Concil. Trident. *sess.*14. *cap.*4. & pœnitentia est Sacramentum pro reconciliandis hominibus Deo. Ergo confert primam gratiam, quia nullam reperit gratiam, sed peccatum.

Dices. Hæc Sacramenta esse instituta ad tollendum peccatum, quia tollunt per suam dispositionem, quatenus continent in voto ipsum Sacramentum. Contra. Tunc peccatum tolleretur ex opere operantis, non autem ex opere operato, atque adeo nec ex vi Sacramenti, & Sacramenta non haberent reuera vim remittendi peccata.

12 Dico 2. *Sacramenta viuorum possunt per accidens conferre primam gratiam, quando contingit suscipientem non esse ritè dispositum, sed putat se esse dispositum*. ita communiter præsertim Suarez *disput.*7. *de Sacram. sect.*2. *concl.*3. Hurtad. *dispu.*3. *de Sacram. in genere diffic.* 4. Probatur: Sacramenta habent vim conferendi gratiam ex opere operato, & prima gratia, & secunda non differunt essentialiter. Ergo semper conferunt, quando non reperiunt obicem, vt habetur definitum in Conc. Trid. *sess.*7. *canon.*7. *de sacrament. in genere*. Non reperiunt autem obicem

obicem quando quis se putat dispositum, licet reuera non sit, quia accedit digne, quantum est ex vi suæ conscientiæ.

An Sacramenta conferant æqualem gratiam.

SECTIO III.

13 Conueniunt Doctores communiter, Sacramenta conferre inæqualem gratiam iuxta suam diuersitatem. Quia vnumquodque agens operatur secundum suam nobilitatem. Vnde cum vnum Sacramentum sit altero nobilius, confert etiam maiorem gratiam, quia licet sint instrumenta, Deus tamen operatur secundum ipsorum determinationem, quia ea constituit signa practica suæ operationis. Vnde difficultas est, quod ad idem Sacramentum respectu diuersorum.

14 Dicendum est. *Idem Sacramentum conferre æqualem gratiam æqualiter dispositis, inæqualem verò inæqualiter dispositis*. Ita communiter cum D.Thom. 3.*par. qu.69.ar.*8. & desumitur ex D.Cypriano *Epist.*59. Probatur ex Conc.Trident.*sess.6.cap.6.* Per baptismum confertur gratia vnicuique secundum propriam dispositionem. Ergo melius dispositus recipit maiorem gratiam. Confirmatur. Forma introducitur secundum exigentiam dispositionis; melior autem dispositio exigit meliorem formam.

15 Dicendum secundò, *Maior gratia, quæ confertur melius disposito, est effectus Sacramenti*. Probatur Sacramenta sunt determinata ad producendam gratiam in subiecto, quatenus disposito. Ergo ad producendam maiorem gratiam in subiecto meliùs disposito. Ergo maior gratia est effectus Sacramenti.

Quando Sacramenta producant gratiam.

SECTIO IV.

16 Omissis varijs sententijs. *Dicendum est Sacramenta causare gratiam in instanti physico, in quo terminantur Sacramenta, ita vt habeant suum esse completum quoad significationem sacramentalem, atque adeò sicut vltima pars sacramenti connectitur cum antecedentibus ad fundandam significationem sacramentalem, ita etiam productio gratiæ dicat ordinem mediante illa parte ad omnes alias*. Probatur. Gratia producitur à Sacramentis, vt sunt quoddam totum morale coalescens ex materia, & forma, & vt habent significationem practicam sacramentalem; hanc autem habent in illo vltimo instanti, quia consurgit ex applicatione materiæ, & formæ. Ergo. Confirmatur, Licet verba quoad sonum successiua sint, sicut etiam applicatio materiæ, significatio tamen non est successiua, sed indiuisibilis, & consurgit quando vltima proferuntur verba; siquidem antea semper suspensa manet, nec perficitur, & tunc tota simul existit moraliter. Ergò tunc solum possunt Sacramenta causare gratiam.

17 Obijcitur. Instans physicum est diuisibile, & non est totum simul. Ergo gratia non produceretur tota simul, sed diuisibiliter. Respondetur non esse totum simul mathematicè: esse tamen physicè. productio autem gratiæ cũ sit physica debet mensurari mensura physica. Instabit. Ergo productio non erit tota simul mathematicè. Respondetur. Neque esse totam simul, neque successiuè mathematicè loquendo, quia cum non sit quantitas, non est mensurabilis mathematico modo.

An Sacramenta conferant gratiam, postquam sunt transacta.

SECTIO V.

18 Cum Sacramenta non conferant gratiam, quando reperiunt obicem, difficultas est, an quando postea aufertur obex, conferant illam gratiam, quam debuissent conferre, quando fuerunt ministrata. Quando autem ponitur obex Sacramentis, dicuntur recipi cum fictione. Quando verò tollitur obex dicitur auferri fictio.

19 Prima sententia asserit, omnia Sacramenta conferre gratiam sublata fictione. ita Caietanus *tom.*1.*opusculor. tract.*5.*qu.*5.*de confessione informi*. Petrus Sotus *lect.*5. *de baptismo*, & alij. Secunda sententia asserit omnia sacramenta excepta Eucharistia conferre gratiam transacta fictione. Ita Suar.*disp.*28. *de Sacram. sect.* 6. Tertia sententia vult Baptismum, Confirmationem, & Ordinem conferre gratiam sublata fictione. ita Maior.*in* 4.*dist.* 4. *qu.*5. Couaruuias *in cap. Alma mater par.*1.§.4. *nu.*23. Quarta sententia asserit solum baptismum, & pœnitentiam conferre gratiam sublata fictione. ita Durand. *in* 4. *dist.*4.*qu.*4. Canus *Relect. de pænit. par.* 5. Quinta sententia docet, Baptismum, Confirmationem, Ordinem, & Pœnitentiam conferre gratiam sublata fictione. Ita Paludanus *in* 4.*dist.*4.*qu.*5. Syluester *verbo baptismus* 4. Sexta sententia asserit solum baptismum conferre gratiam transacta fictione. ita Sotus *in* 4.*dist.*6. *qu.*1. *ar.*8. Vasq. 3.*par. disp.*171.*cap.*2. Hurtad. *disput.*3. *de sacram. in genere diffic.*8.

20 Dico primo. *Nulli sacramento conuenit, vt remoto obice causet gratiam ex vi propria, & ex opere operato*. Probatur. Sacramenta solum conferunt gratiam secundum mensuram suæ institutionis. Ex sua autem institutione habent solum conferre gratiam ritè suscipientibus, vt definit Conc. Trident. *sess.*7. *can.*7. *de sacram. in genere*. Ergo. Confirmatur. Causa, quæ frustratur suo effectu, & postea desinit, non potest amplius operari, si non remaneat saltem in aliqua sua virtute: sacramenta autem transeunt, nec relinquunt aliquam virtutem, quando frustrantur suo effectu, per quam possint causare gratiam. Ergo.

21 Dices. Gratiam non produci à sacramentis, sed à Deo intuitu sacramentorum. Contra. Gratia est alligata sacramentis, vt signis practicis. Ergo quando non possunt causare, non habent ex institutione sua annexam gratiam. Ergo non potest produci à Deo ad exigentiam ipsorum.

22 Dico secundo. *Recedente fictione datur gratia ex vi illius, ex vi cuius recedit fictio*. Probatur. Non potest recedere fictio, nisi ponatur aliquod medium, quo tollatur peccatum, siquidem fictio consistit in peccato. Ergo nisi conferatur gratia. Quia id, quod tollit peccatum, confert gratiam.

23 Dico tertio. *Gratia, quæ confertur, quando tollitur fictio, coniungitur cum charactere, quando fuit impressum à sacramento, & confert ipsi illam efficaciam, quam habuisset, si sacramentum fuisset sine fictione*. ita D. August. *lib.*3. *de baptismo contra Donatistas. capit.*13. Probatur. Character institutus in ordine ad speciales effectus, quos non potest præstare de se vitali modo, hoc est in ordine ad vitam spiritualem, sed solum ratione gratiæ. Ergo quoties coniungitur cum ipsa, incipit valere in ordine ad hos effectus præferendos debito modo.

24 Obijcitur. Sequeretur, quod sacramenta carerent suo fructu, hoc autem esset inconueniens, præsertim in sacramentis, quæ non possunt iterari. Ergo. Respond. Non esse inconueniens, quia hoc prouenit ex culpa suscipientis; imò est conueniens in pœnam peccati.

25 Obijcitur secundo. Character est quasi forma constituens

ſtituens in tali ſtatu, ad quam conſequitur gratia connaturali modo neceſſaria pro illo ſtatu. Omnis autem forma ſublato impedimento habet, quod ſibi eſt connaturale. Reſpondetur. Negando maiorem. Quia gratia habitualis non conſequitur ad characterem, ſed tantum concomitanter ſe habet, ratione autem characteris ſunt debita auxilia tantum in ordine ad officia ipſius characteris.

26 Obijcitur tertio. Si non daretur gratia recedente fictione, peccata, quæ præcedunt baptiſmum, poſſent remitti abſque baptiſmo in re, aut in voto; nam Sacramentum pœnitentiæ ſubſequens, aut contritio non continet in voto baptiſmum. Ergo. Reſpondetur negando ſequellam. Quia Baptiſmus fuit validus in ratione Sacramenti, licet inefficax quo ad effectum gratiæ; & ideo gratia, quæ datur recedente fictione, ſupplet effectum baptiſmi. Deinde quando tollitur fictio, ſemper interuenit votum efficaciæ Sacramenti fictè ſuſcepti, ſiquidem interuenit deteſtatio omnis peccati, atque adeo etiam illius, quod eſt commiſſum in ſuſceptione Sacramenti. Dum autem diſplicet hoc peccatum implicitè deſideratur efficacia Sacramenti.

Quomodo tollatur fictio.

SECTIO VI.

27 Fictio, ſeu obex eſt duplex. Poſitiuus, vt cum quis actualiter peccat, dum ſuſcipit Sacramenta, & Negatiuus, qui conſiſtit in carentia diſpoſitionis neceſſariæ, quæ tamen non ſit materia, vt in Sacramento pœnitentiæ, quia tunc inualidatur Sacramentum.

28 Dico primo. *Ad tollendam fictionem ſufficit contritio, vel attritio cum Sacramento, quando ſufficit pro diſpoſitione ad ipſum, ſi ſumptio præcedentis Sacramenti fuit ſacrilega.* Ita communiter. Probatur. Hæc duo habent vim delendi omnia peccata. Ergo etiam illud, quo fuit impeditum præcedens Sacramentum. Rurſus non poteſt tolli per Sacramentum, quod fuit impeditum, cum amplius non habeat vim. Ergo.

29 Dico ſecundo. *Quando obex negatiuus coniungitur cum peccato commiſſo poſt ſacramentum, eſt neceſſaria contritio, aut attritio cum ſacramento.* ita Durand. *in* 4. *diſt.* 4. *qu.* 4. *ad* 1. Scotus *qu.* 5. *obiect.* 2. Vaſq. 3. *par. diſp.* 160. *num.* 14. & communiter contra Paludanum *in* 4. *diſt.* 4. *qu.* 5. qui putat ſufficere attritionem. Probatur. Obex negatiuus cum peccato ſubſequenti impedit poſitiuè gratiam. Ergo non poteſt tolli niſi per id, quod poteſt tollere peccatum. Sola autem attritio non ſufficit. Dices. Sufficere in virtute priori Sacramenti non per ſe, ſed per accidens. Contra: ſequeretur, quod Sacramenta haberent vim remittendi peccata futura, quod eſt falſum. Tum quia fieret mundatio ante ſordem, & Deus condonaret peccata, antequam fierent. Tum quia peccatum nunquam eſſet peccatum, quia continuaretur perpetua remiſſio etiam cum fieret.

30 Dico tertio. *Quando obex eſt negatiuus, nec ſubſequitur peccatum, non poteſt tolli per ſolam attritionem, ita vt conſequatur gratia.* ita Scotus *in* 4. *diſt.* 4. *qu.* 5. *propoſit.* 3. & alij contra Palud. *citatum* Suar. *diſp.* 28. *de Sacram. ſect.* 5. *concluſ.* 1. Probatur. Attritiò non habet vim producendi gratiam, nec Sacramentum fictè ſuſceptum, cum non maneat, neque in ſe, neque in aliqua ſua virtute. Ergo nullo modo poteſt tunc produci gratia. Confirmatur. Sacramentum, quando eſt, non poteſt vincere fictionem. Ergo nec quando non eſt, ergo nec quando ſuperuenit attritio; quia ſicut Sacramentum non poteſt ſine attritione, licet ſuperuentura, ita nec attritio ſine Sacramento, licet præterito.

31 Dices. Peccata commiſſa ante Sacramentum, non habere rationem obicis, niſi quatenus permanent habitualiter, & interpretatiuè; hæc autem ratio voluntatis tollitur per attritionem. Reſpondetur. Eſſe obicem, vt talia reſpectu Sacramenti, dum actu ſuſcipitur; reſpectu verò Sacramenti tranſacti ſunt obex, vt tamen non poſſit Sacramentum ipſa vincere, quia non eſt, & ideò requiritur alia virtus vincens.

32 Dices ſecundo. Sacramentum, dum reuiuiſcit, remittit peccata ex opere operato. Ergo cum ſola attritione. Reſpondetur negando conſequentiam. Quia Sacramentum non reuiuiſcit in ſe ipſo, ſed ſolum in opere operantis, quod habet vim viuificandi, aut in Sacramento ſubſequenti.

Quid ſit Sacramentalis gratia, quam conferunt Sacramenta.

SECTIO VII.

33 Suppponendum eſt cum D. Thom. 3. *par. qu.* 62. *ar.* 2. & communi ſententia. Sacramenta conferre gratiam ſacramentalem, quæ eſt ſpecialis gratia correſpondens vnicuique Sacramento, cum enim Sacramenta ſint diuerſa, & ordinentur ad diuerſos fines, conferunt etiam diuerſam gratiam iuxta ſuam diuerſam ſignificationem. Difficultas autem eſt, in quo conſiſtat iſta ratio.

34 Dicendum primo. *Hanc gratiam non eſſe habitum diſtinctum à gratia habituali.* ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 62. *ar.* 2. Probatur. Anima ſecundum ſubſtantiam ſufficienter perficitur per gratiam habitualem, quæ dat vitam ſpiritualem, & per virtutes, & dona annexa, cum hoc pacto perficiatur in ordine ad omnes operationes. Ergo non requiritur habitus diſtinctus.

35 Dicendum ſecundo. *Gratiam Sacramentalem eſſe gratiam habitualem ordinatam ad ſpecialem finem cum auxilijs ſpecialibus ordinatis ad eumdem finem.* Ita communiter cum D. Thom. *citato*. Probatur. Finis Sacramentorum conſiſtit in actibus ſupernaturalibus. Ergo cum gratia Sacramentalis ſit medium ad obtinendum hunc finem, conſiſtet in illa gratia, quæ eſt neceſſaria pro ipſo. Eſt autem neceſſaria, & ſufficiens gratia habitualis cum ſpecialibus auxilijs in ordine ad tales actus.

An Sacramenta veteris legis contulerint gratiam.

SECTIO VIII.

36 Difficultas procedit de omnibus Sacramentis excepta circumciſione, de qua eſt ſpecialis difficultas. Eadem autem eſt ratio de ipſis, ac de Sacramentis legis naturæ, ſi quæ fuerunt. Supponendum autem eſt non contuliſſe gratiam ex opere operato, vt declarat Concil. Florent. *in Decreto Eugenij*. Vnde Ad Roman. 4. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro*, & ad Hebræ. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius*, & Ad Galat. 3. *In lege nemo iuſtificatur apud Deum*, quæ non eſſent vera, ſi contuliſſent gratiam ex opere operato. Difficultas autem eſt, an alio modo contulerint.

37 Dicendum eſt. *Potuiſſe conferre gratiam ex opere operantis excitando ipſum ad aliquem actum, per quem iuſtificaretur, aut acquireret nouam gratiam*. ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 62. *ar.* 3. Probatur. habebant vim excitandi ad actus iuſtificatiuos, & erant opera bona, in ordine ad finem ſupernaturalem. Ergo exercita à ſuppoſito grato erant meritoria gratiæ.

38 Obijcitur ex Leuit. 6. Exod. 28. & 29. habetur, quod per hæc Sacramenta dimittatur peccatum, mundetur homo: vnde D. Auguſt. *qu.* 84. *in Leuit.* ait: *Quomodo Moyſes ſanctificat, & Dominus? Moyſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum. Dominus inuiſibili gratia per Spiritum ſanctum: vbi eſt totus fructus viſibilium Sacramentorum*. Ergo. Reſpondetur. Sanctificaſſe de ſe ſancti-

sanctificatione legali. ratione autem actus assumentis sanctificatione per gratiam, quæ dicitur fructus Sacramentorum, quia excitatiuè proueniebat ab ipsis.

An remedium peccati originalis contulerit gratiam.

SECTIO IX.

39 PRima sententia asserit, semper contulisse gratiam, per hoc solum, quod fuerit applicatum illud signum externum. Ita Alens. *par. 4. qu. 7. mem. 5. art. 1. & 2.* Scot. *in 4. distinct. 1. qu. 6. & 7.* Gabriel. *qu. 4. ar. 1.* Palud. *qu. 5. ar. 4.*

40 Secunda sententia asserit, gratiam fuisse collatam non ratione illius signi sensibilis, sed in virtute fidei propriæ respectu adultorum, vel in virtute fidei parentum, aut applicantis remedium respectu paruulorum. Ita D. Thom. 3. *par. qu. 62. artic. 6. ad 3.* & *qu. 70. artic. 7.* & communiter.

41 Dicendum est. *Paruulis fuisse collatam gratiam ad applicationem signi sensibilis, non tanquam instrumenti producentis gratiam, sed tanquam conditionis, ad cuius positionem Deus infunderet gratiam; & hoc pacto fuisse necessariam etiam fidem profitentium nomine paruulorum.* Ita D. August. *lib. 2. de nupt. cap. 11.* & Innocent. III. cap. *Maiores. De baptismo.* Probatur. Ex Conc. Trident. Sacramenta nouæ legis non differunt solis ceremonijs à Sacramento veteris legis, vt definit *sess. 7. can. 2.* sed quia conferunt gratiam ex opere operato. Sacramenta verò veteris legis non conferebant. Ergo remedium originalis non erat instrumentum gratiæ, sed tantum conditio. Quia Concil. definit contra hæreticos, qui etiam intelligebant de Sacramento, quod erat remedium originalis.

42 Dicendum secundo. *Remedium originalis contulisse gratiam adultis non e x vi propria, sed secundum fidem & dispositionem suscipientis.* Probatur. Ad Rom. 4. Apostolus probat Abraham non fuisse iustificatum per circumcisionem, sed per fidem. Ergo remedium originalis non habuit vim de se ad iustificandum. Confirmatur. Ad Rom. 3. Nemo iustificabatur ex operibus legis; remedium autem originalis erat opus legis.

43 Dicendum tertio. *Neque circumcisionem habuisse de se vim iustificandi:* Probatur. Apostolus. Ad Galat. 3. Arguit, Quod si opera legis habuissent vim iustificandi, Gratis Christus mortuus esset; & includit etiam circumcisionem, cum sit eadem ratio. Ergo & cap. 6. habet. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium.* Ergo. Confirmatur. In Epistola Ad Roman. Vniuersaliter ostendit quod opera legis non habebant vim iustificandi, & ad Heb. 10. habet, quod lex nunquam potuit facere perfectos. Et Ad Rom. 4. Abraham non fuisse iustificatum per circumcisionem. Ergo.

44 Obijcitur ex Genesi 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur de populo suo.* Ergo est eadem ratio de ipso, ac de baptismo. Respond. Distinguendo conseq. Est eadem ratio quo ad externam obsignationem, & obseruantiam præcepti, cuius defectu non circumcisus erat separandus à populo. Non autem quo ad efficaciam iustificationis.

45 Obijcitur secundo. D. August. 6. *contra Iulian. capit. 3.* habet per circumcisionem ablatum fuisse animæ vitium, & *lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 16.* Circumcisionem fuisse visibile signum regenerationis, & alibi habet similia. Ergo. Respondetur. Fuisse ablatum vitium animæ, & fuisse signum regenerationis: non quia ex vi sua hæc præstaret: sed quia præstabantur à Deo ad præsentiam ipsius.

DE MODO, QVO SACRAMENTA conferant gratiam.

DISPVTATIO LXVIII.

An detur Potentia obedientialis actiua?

SECTIO I.

1 PRima sententia asserit, dari hanc potentiam, & consistere in eleuatione per qualitatem supernaturalem superadditam, qua creatura eleuatur ad actiones supra suas vires. ita Paludanus *in 4. dist. 1. qu. 1.* Capreol. *qu. 1. art. 3. ad argumen. contra 4. conclus.* Ferrar. 3. *contra Gent. cap. 56.* Albertinus *corollario 2. ex secundo principio philosophico. punct. 4.* & alij.

2 Secunda sententia asserit dari, & esse ipsam Entitatem creaturæ, quatenus respicit vt actum adæquatum omne id, quod non repugnat, quia mensuratur cum virtute Dei, vt principalis agentis. ita Suar. *disput. 31. de Incarnat. sect. 4.* Crabtera 3. *p. qu. 1. ar. 1. disput. 6. dub. 6. §. 3.* Pesant. *qu. 62. artic. 4. disput. 2.* & communiter Recentiores.

3 Tertia sententia negat, dari potentiam obedientialem actiuam. ita Zumel. 1. 2. *qu. 112. ar. 1. disput. 3.* Vasq. 3. *part. disput. 132. cap. 6.* Coninch. *de Sacram. qu. 62. artic. 4. dub. vnic.* Hurtad. *disput. 3. de Sacram. in genere. difficul. 3.* Coquetus *lib. 2. de gratia sanctificante disput. 8. cap. 3.*

4 Dico primo. *Creatura non indiget potentia obedientiali actiua ratione actuum supernaturalium sui generis, sed sufficit eleuatio, qua perficiatur intra suum genus.* Probatur. Potentia concurrit ad actus supernaturales sui generis vitali modo. Ergo non potest concurrere secundum potentiam obedientialem. Consequentia probatur. Quia dum concurrit vitali modo, debet concurrere secundum virtutem vitalem determinatam ad operandum vitali modo; talis autem virtus, vt sic determinata non dicit potentiam obedientialem, sed naturalem, quia dicit potentiam, quæ est talis ex vi suæ specificationis.

5 Dices. Potentiam obedientialem esse eamdem cum vitali, & ideo posse concurrere vitali modo. Contra. Potentia obedientialis est indeterminata ad omne id, quod non implicat. Ergo quando concurrit vt talis, non potest concurrere vt determinata ad operandum vitali modo.

6 Dices secundo. Ex eo, quod est indeterminata ad omne id, quod non implicat, posse concurrere vitali modo. Contra. Potentia obedientialis in causis non vitalibus est indeterminata ad omne id, quod non implicat, & tamen non potest concurrere vitali modo. Ergo. Confirmatur. Si potentia obedientialis potest concurrere vitali modo, quia habet in se virtutem vitalem. Ergo quod possit concurrere habet ex vi virtutis vitalis. Ergo non ratione potentiæ obedientialis, cum potentia obedientialis non sit virtus ipsa naturalis.

7 Dico secundo. *Virtus instrumentalis potentiæ obedientialis non est qualitas superaddita, atque adeo neque hoc pacto datur potentia obedientialis.* Ita D. Thom. 2. 2. *qu. 178. ar. 1. ad 1.* Probatur. Potentia obedientialis non esset in creatura, sed in tali qualitate, sicut vis calefaciendi non est in aqua, sed in calore in ipsa recepto. Confirmatur. Quod est proprium Diuinæ Omnipotentiæ, vt talis est, non potest communicari creaturæ, hæc autem qualitas haberet aliquid communicatum, quod est proprium

prium omnipotentiæ, nempe respectum ad omnes effectus possibiles, qui est proprius omnipotentiæ. ergo

8 Dices. Hunc respectum esse proprium omnipotentiæ in ratione causæ principalis, non autem in ratione instrumenti. Contra. Respicere omnem effectum præscindendo à fundamento, talis respectus est proprius omnipotentiæ. ergo non potest coniungi cum virtute instrumentali. Confirmatur respectu ad omnes effectus in genere causæ principalis requirit virtutem infinitam principalem. Ergò respectus ad omnem effectum in ratione instrumenti requiret virtutem infinitam instrumentalem. Virtus autem infinita instrumentalis non potest reperiri in entitate finita.

9 Secundo. Probatur. Hæc qualitas respiceret infinitatem syncathegorematicam in termino, quia respiceret omne possibile. Ergo in se esset infinite simpliciter. Quia infinitas syncategorematica in termino arguit infinitatem simpliciter in causa. Confirmatur. Esse instrumentum pro aliquo effectu supernaturali est aliqua perfectio. Ergo posse esse instrumentum pro infinitis effectibus dicit infinitam perfectionem instrumentalem. Ergo infinitam quidditatem, quia talis perfectio est aliqua quidditas.

10 Dices. Per eandem perfectionem concurrere ad omnes effectus, quia concurrit in virtute Dei. Contra, vt sit instrumentum physicum debet concurrere physico modo. Ergo debet habere aliquam proportionem cum effectu, cum talis proportio sit de ratione instrumenti physici. ergo aliam, & aliam proportionem iuxtà diuersitatem effectuum, atque adeo infinitam. ergo cum proportio dicat perfectionem, perfectio erit infinita.

11 Dico tertio. *Potentia obedientialis non consistit in aliqua incboatione virtutis, neque in essentiali subordinatione, per quam creatura obediat Deo, atque adeo nullo modo est admittenda.* Probatur. Quod conuenit creaturæ, conuenit secundum mensuram suæ essentiæ, quia essentia est fundamentum adæquatum omnium, quæ conueniunt. Quod autem conuenit secundum mensuram essentiæ est determinatum, sicuti est essentia. ergo cum potentia obedientialis non sit determinata, non potest conuenire. Confirmatur. Potentia crescit in perfectione, quo plures effectus continet, & quæ se extendit ad omnes effectus, est tota potentia possibilis. Ergo potentia obedientialis crescit in sua ratione, quò se extendit ad plures effectus. ergo cũ in qualibet creatura se extendat ad omnes erit in qualibet tota potentia obedientialis, hoc autem implicat non solum, quia non est in ipsa tota ratio essendi; sed etiam quia extra id, quod est tota aliqua ratio, non datur aliquid, quod non sit participatum ab ipso. Vnde quia potentia Dei est tota ratio potentiæ, non datur aliqua potentia, quæ non sit ab ipso participata. Tum quia quod est tota aliqua ratio, est primum, & independens, & non potest esse participatum; quia esse participatum dicit esse partem illius, quod est tota aliqua ratio. Confirmatur secundo. Datur aliqua creatura, quæ nullo modo potest eleuari per potentiam obedientialem ad effectum, qui secundum se non implicat. Sic oculus non potest eleuari ad videndum Deum; auris ad gustandum, potentia non vitalis ad operandum vitali modo. ergo nec cætera agentia possunt eleuari per potentiam obedientialem ad producendum omnem effectum supra totum ordinem naturæ. Consequentia probatur. Ideo tales causæ non possunt eleuari ad illos effectus, quia sunt adæquatè extra sphæram ipsarum, sed etiam effectus, qui non commensurantur intrinsecis principijs, & determinationi cuiuscunque causæ, sunt adæquatè extra sphæram ipsius. ergo. Sic actio & effectus spiritualis est adæquatè extra sphæram agentis materialis.

12 Dices. Esse disparem rationem de actibus vitalibus, quia potentia debet concurrere ad ipsos vitali modo, in cæteris autem non est necesse, quod concurrat secundum suam determinationem. Contra. Non minus causa non vitalis debet esse determinata in genere non vitali respectu sui effectus, quàm debeat esse vitalis, quia adhuc effectus non vitalis est secundum determinatam mensuram à sua causa, & cum illa proportionatur. Ergo si effectus vitalis, qui est extra sphæram adæquatam potentiæ, non potest vllo modo esse ab ipsa, nec etiam poterit non vitalis. Confirmatur. Potentia obedientialis in eo consistit, quod creatura possit obedire Deo, vt instrumentum ad omne id, quod non implicat. Ergo si daretur in omni creatura, posset ipsi obedire ad omne id, quod nõ implicat, atque adeo posset oculus audire, intelligere.

13 Obijcitur. Creatura iubente Deo operatur vltra suas vires, ignis inferni torquet Dęmones. humanitas Christi physicè operabatur multa miracula, vnde Lucæ 7. dicitur. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, & in Concilio Ephesino *can.* 11. dicitur, carnem Christi fuisse viuificam, hæc autem non possunt fieri sine potentia obedientiali. Respondetur negando minorem. Quomodo autem hæc fiant sine potentia obedientiali explicatur in suis locis. Caro autem Christi, seu humanitas moraliter tantum operabatur miracula, sicut etiam moraliter erat viuifica.

14 Obijcitur secundo. Sapientiæ 16. *Creatura tua tibi seruieris exardescit*, & cap. vltimo. *Ignis in aqua valebat supra suam virtutem*. ergo datur potentia obedientialis. Respondetur negando Conseq. Quia creatura deseruit Deo in suo genere secundum proprias vires. Ignis autem dicitur præualuisse aquæ, quia Deus ipsum confortauit contra vim aquæ.

15 Obijcitur tertio. Ex D. August. *lib. 9. de Trinit. cap.* 17. vbi ait. *Super hunc autem motum, cursumque rerum naturalium potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent, & lib. 9. de Genes. ad litter. cap.* 17. affert plura exempla de potentia obedientiali, vt de ligno arido, quod repente floret, & antea docuerat, Deum non esse alligatum ad vtendum creaturam secundum certas leges ipsius. Ergo. Respondetur negando conseq. Quia D. August. solum vult, quod Deus ratione Dominij supra creaturas possit illis vti ad extraordinarios effectus; non autem, quod illis possit vti in ordine ad id, ad quod non habent vires, nec quod habeant vires ad omne id, quod non implicat. Exempla autem, quæ affert, non sunt de potentia obedientiali, sed de operationibus miraculosis, quas Deus vel per se ipsum producit, vel producendo de nouo virtutem, vnde proueniant, vt cum lignum aridum floret. Dicitur autem non esse alligatum ad vtendum creatura secundum certas leges, quia potest illis vti ad effectus extraordinarios, qui occultè in ipsis continentur.

16 Obijcitur quarto. Spectat ad Dei potentiam, vt possit vti creatura ad omnem effectum secundum omnem modum, qui non implicat. Ergo debet esse in creatura sufficiens fundamentum, atque adeo potentia obedientialis. Respondetur negando antecedens. Quia spectat solum ad Dei potentiam, vt possit vti creatura secundum vires, quas ipsa habet. Neque enim perfectum dominium facit, vt possit vti creatura secundum id, quod non habet.

17 Obijcitur quinto. Calor vt instrumentum ignis potest producere formam substantialem, quam alioquin non posset. ergo etiam creatura vt instrumentum Dei poterit attingere effectus supra suas vires. Resp. quidquid sit de antecedente, negando consequen. Quia neque calor supra suas vires: nam ex virtute sua haberet, quod instrumentaliter produceret formam substantialem.

Quo-

Quomodo Sacramenta causent gratiam.

SECTIO II.

18 Dicendum est. *sacramenta concurrere vt instrumenta ad producendam gratiam.* ita communiter contra Gabrielem *in 4. dist. 15. art. 2. conclus. 7.* Ochamum *qu. 1.* Aliaccum *q. 1. ar. 1. conclus. 3.* qui volunt Sacramenta esse tantum conditionem, sine qua non ita, vt Deus tantum ad praesentiam ipsorum causet gratiam. Et contra Scotum *in 4. dist. 1. qu. 5. §. ad 1. quaestionem*, qui vult Sacramentum esse vltimam dispositionem, ad quam consequatur gratia. Probatur ex Concil. Trid. *sess. 7. can. 6. de sacrament. in genere. Si quis dixerit sacramenta nouae legis non continere gratiam, aut ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum sint acceptae per fidem gratiae, vel iustitiae, & notae quaedam Christianae professionis &c. anathema sit.* Non potest autem saluari, quod contineant gratiam, & non sint tantum signa, nisi exerceant aliquam efficienciam circa gratiam. Confirmatur *cano.* 8. definit, conferre gratiam ex opere operato. Opus autem operatum dicit opus factum ab ipsis Sacramentis.

19 Obijcitur. Rex potest instituere, vt denarius plumbeus sit signum accipiendi decem aureos. Ergo eodem modo Sacramenta erunt causa gratiae. Respondetur negando consequentiam; Quia talis denarius esset tantum signum, non autem causa. Sacramenta autem sunt causae.

An sacramenta sint instrumenta physica.

SECTIO III.

20 Causa physica est illa, quae physico modo influit in effectum, atque adeo per virtutem physicam. Moralis autem influit tantum morali modo trahendo, & determinando agens physicum: Dupliciter autem potest trahere ad operandum, vel mouendo, vt contingit in precibus, & suasione, vel per modum colligationis ex eo, quod causa moralis sit colligata cum physica ex eo, quod agens intellectuale alligauit suam virtutem tali causae morali. Vnde instrumentum morale erit illud, quod per suam actionem physicam determinat morali modo agens principale physicum ad agendum.

21 Prima sententia asserit, esse instrumenta physica, non ad producendam gratiam, sed ad producendam praeuiam dispositionem, quae est ornatus animae. ita Alensis *3. par. qu. 5. mem. 3. ar. 5.* Durand. *in 4. distinc. 1. qu. 4. numer. 12.* Paludan. *qu. 1. conclus. 2.* Capreol. *qu. 1. ar. 1. conclus. 3.* Hyspalensis *qu. 3. ar. 3. notabil. 4.* Ferrarien. *4. contra gentes cap. 57.* & alij.

22 Secunda sententia asserit producere gratiam physicè per potentiam obedientialem, vt instrumenta Dei. ita Caietanus *3. par. qu. 62. ar. 1. & 4.* Bellarmin. *lib. 2. de sacram. cap. 16.* Suarez *disput. 9. de sacram. sect. 1. & 2.* Valentia *3. par. disput. 3. qu. 3. punc. 1.* Pesant. *qu. 62. ar. 1. disput. 1.* Nugnus *ibidem.* & communiter Thomistae, & alii recentiores. Probant Concil. Trident. *sess. 7. can. 6.* definit, Sacramenta continere gratiam, quam causant; non possunt autem continere, nisi sint instrumenta physica. 2. Patres, & Concilia tribuunt Sacramentis talem efficaciam, quae non potest saluari sinè efficientia physica, vt quod aqua mundet animam, regeneret, abluat, sanet, quod verba consecrationis mutent panem in carnem, quod Eucharistia habeat efficientiam ad viuificandum, & alia huiusmodi. ergo. 3. Ad veritatem verborum requiritur, vt Sacerdos verè absoluat, dum dicit; *Ego te absoluo.* & verè conferat gratiam: hoc autem fieri non potest, nisi suo verbo illam efficiat: nec potest verè efficere, nisi verba sint instrumenta physica.

23 Tertia sententia asserit, esse tantum instrumenta moralia. ita Canus *Relect. de sacram. par. 4.* Medina *3. par. qu. 45. ar. 5. disp. 2. ad 2.* Vasq. *3. par. disp. 132. cap. 3. & sequentibus.* Coninch. *qu. 62. ar. 4.* Hurtad. *disp. 3. de sacram. in genere difficult. 6.* Rucconis *tract. de sacram. sect. 4. ar. 6.* & alij.

24 Dicendum primo. *sacramenta non posse concurrere physice per quamcumque eleuationem ad producendam gratiam, aut aliquid aliud.* Desumitur ex D. Cypriano *de operibus Christi Cardinalibus cap. de baptismo Christi.* Basilio *cap. 15. de Spiritu sanct.* Ambr. *lib. 1. de sacr. cap. 5.* Hieron. *in cap. 4. Isaiae.* Aug. *Epist. 23.* Probatur. Sacramēta debent causare gratiā vt Sacramēta sunt, quia hoc illis conuenit, vt sunt signa practica; sed vt talia non possunt causare physicè. Ergo: minor probatur. Tum quia vt talia, seu secundum esse formale dicunt significationem sacramentalem, quae est quid morale, & totum esse physicum pertinet ad esse materiale. Esse autem morale non potest physicè operari. Tum quia potest existere totum esse physicum absque Sacramento, vt si quis abluat, & simul proferat, verba sine intentione faciendi quod facit Ecclesia, & tunc non causabitur gratia. ergo solum causatur ex vi esse moralis. Confirmatur. Sacramenta sunt entia successiua. Ergo non possunt physicè causare gratiam. Consequentia probatur. Non possunt causare antequam sint completa, quia tunc non existunt; & quod nondum physicè existit non potest physicè operari. Nec postquam sunt completa ob eamdem causam. Nec quando vltimo complentur. Quia tunc adest tantum vltimum complementum, atque adeo non adest Sacramentum physice; sed pars Sacramenti. Ergo cum in nullo signo Sacramenta existant secundum totum suum esse physicum, nec etiam possunt physice operari.

25 Respondent. Causare per vltimum mutatum esse, quod est terminus Sacramenti causans in virtute partium praecedentium. Contra. Quod non est secundum esse physicum proprium, neque secūdum suam virtutem physicam, non potest physice operari, ille autem terminus, neque est Sacramentum, neque continet virtutem physicam Sacramenti, quia haec virtus est intrinseca ipsi Sacramento. Ergò: confirmatur. Quod de Sacramento praecessit, fuerunt partes successiuae, quarum nulla erat sufficiens causa physica gratiae. Ergo non possunt relinquere virtutem causatiuam gratiae, quia quod in nullo signo secundum se est aptum causare, neque etiam potest relinquere virtutem, partes autem Sacramenti seorsim non sunt aptae, cum non sint Sacramenta, neque simul, cum simul non existant.

26 Dicendum secundò. *sacramentum esse instrumenta moralia causatiua gratiae ex institutione Dei.* Probatur. Causant gratiam vt signa, atque adeò ratione significationis. Ergo vt instrumenta moralia, quia significatio est aliquid morale, atque adeò potest tantum morali modo causare. Confirmatur. Sacramenta causant in virtute passionis Christi, quatenus per ipsa nobis applicatur efficacia meritorum Christi ex Clementina 1. *De summa Trinit.* Ergo causant vt instrumenta moralia, quae passio Christi est causa moralis nostrae iustificationis ex Tridentino *sess. 6. cap. 7.*

27 Ad primum respondetur. Sacramenta continere gratiam, quam causant non physice, sed moraliter, quatenus ratione significationis illam continent in ipso modo significandi. Instabis. Instrumentum concurrit eadem actione cum principali agente, & agit vt motum ab ipso. Ergo cum actio principalis agentis nempe Dei sit physica, actio quoque Sacramenti erit physica. Respondetur. Instrumentum agere eadem actione cum causa principali, non quia actio fluat etiam ab ipso, alia non esset instrumenta, sed quia determinat illam actionem. Vnde concurrit eadem actione non elicitiuè, sed determinatiuè. Dicitur autem moueri à principali agente, quas vt ab ipso assumptum determinat eius actionem. Ad secundum

dum. Illas & alias huiusmodi loquutiones saluari per causalitatē moralem. Ad 3. negatur minor quoad secundam partem, quia sicuti causa moralis est vera causa, ita etiam sufficit, vt effectus proueniat ab ipso, & hoc pacto saluatur veritas verborum absolutionis, quia Sacerdos est vera causa moralis, sic etiam in ciuilibus Iudex verè absoluit, aut condemnat per potestatem iurisdictionis, quæ solum est quid morale.

Quomodo Sacramenta concurrant moraliter.

SECTIO IV.

28 QVidam Recentiores asserant, causationem moralem Sacramentorum in eo consistere, quod in virtute meritorum Christi moueant Deum ad causandam gratiam.

29 Dicendum 1. *Causationem moralem sacramentorum non posse consistere in tali motione.* Probatur Sacramenta concurrunt effectiuè, & ex opere operato causant gratiam, & verba se habent significatiuè, & non deprecatiuè. Si autem concurrerent solum mouendo Deum, non concurrerent effectiuè, quia solus Deus efficeret gratiam quia non posset alio modo moueri à Sacramentis, nisi obiectiuè; nec causarent ex opere operato, quia causare ex opere operato non est alium mouere ad causandum; sed habere ex se virtutē ad causandū, & verba se haberent deprecatiuè, nam essent ordinata admouendū Deū. ergo

30 Confirmatur. Sequeretur, quod in Sacramento pœnitentiæ Sacerdos exerceret nudum ministeriū, & absoluendo declararet, peccata remitti à Deo, quia solum moueret Deum ad ea remittenda contra definitionem Concilij Triden. *sess.* 14. *can.* 9. Confirmatur 2. Sacerdos exercet actum iudicialem. Ergo eo modo soluit, quo absoluit Iudex. hic autem absoluit, non quia moueat aliquem ad absoluendum, sed quia ab ipso prouenit absolutio. Confirmatur 3. Sacerdos recipit potestatem remittendi peccata, vt definit Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 1. & *can.* 3. Ergo Sacramentum pœnitentiæ remittit peccata in virtute talis potestatis. Ergo non remittit mouendo Deum ad remittenda. Confirmatur 4. Instrumentum quia tale debet moueri à causa principali, & agere ex vi ipsius motionis. Ergo Sacramenta cum sint instrumenta debent causare gratiam, vt mota à Deo, non autem vt ipsum moueant.

31 Dicendum 2. *Sacramenta concurrere moraliter ad causandam gratiam quatenus ex pacto Dei habent annexam causationem gratiæ faciendam à Deo, & illam determinant, vt tali, vel tali modo fiat in ordine ad talem, vel talem finem.* Probatur. Instrumentum physicum, quando est purè instrumentum, concurrit determinando actionem principalis agentis. sic manus habet virtutem motiuam, calamus autem determinat ad scribendum, securis ad scindendum, &c. Ergo cum Sacramenta sint instrumenta moralia, ratione significationis, determinabunt Deum ad causandam gratiam tali, vel tali modo iuxta mensuram propriæ significationis.

DE CHARACTERE.

DISPVTATIO LXIX.

An aliqua sacramenta imprimant characterem.

SECTIO I.

NOmine characteris intelligitur quoddam signū spirituale, quo anima obsignatur, & speciali nota insignitur. Dicendum est. *Baptismum, Confirmationem, & ordinem imprimere characterem.* Ita communiter cum D. Tho. 3. *p. q.* 63. *ar.* 1. contra hæreticos præsertim Caluinistas, & est de fide ex Innoce. III. in cap. *Maiores.* De *Baptis.* Conc. Flor. in *Decreto Eugenij.* Trident. *sess.* 7. *can.* 9. *de sacram, in gener.* & ex perpetua traditione Ecclesiæ. Et desumitur ex Patribus Dionysio. *De Ecclesiast. Hier. cap.* 2. *p.* 1. & 3. Cyrillo Hierosol. *Cathech.* 4. Basilio *orat.* 13. Chrys. *hom.* 2. *in epist. ad Ephes.* Ambros. *lib.* 1. *de spiritu sancto cap.* 6. August. *lib.* 6. *de baptismo cap.* 1. & *lib.* 2. *contra Epistolam Parmenian. c.* 13. & *lib.* 1. *contra Cresconium cap.* 30. Damasc. *lib.* 4. *de fide cap.* 10. & alij. Probatur. Ad Ephes. 1. *In quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis.* Loquitur autem Apostolus de Baptismo, & c. 4. *Nolite contristari spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Per diem autem redemptionis intelligit diem regenerationis, quia tunc fit applicatio redemptionis. 2. Ad Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Confirmatur. Hæc sacramenta non possunt iterari. ergo cum ipsa quoque conferant gratiam, & gratia possit semper augeri, debent habere aliquam repugnantiam ex parte effectus, quia nimirum conferant aliquid, quod nec augeri, nec multiplicari possit. hoc autem est character.

2 Respondent Hæretici baptismum non posse iterari, quia est ingressus in ecclesiam. Contra. Apostatantes ab ecclesia, quia debent iterum recipi, deberent iterum baptizari. ergo. Deinde hoc non habet locum in ordine, & confirmatione.

3 Respondent 2. Baptismum significare mortem Christi, & ideo non esse iterabilem, quia Christus semel est mortuus. Contra: etiam Eucharistia significat mortem Christi. iuxta illud. *Hoc facite in meam commemorationem.* ergo neq; ipsa posset iterari. Deinde baptismus significat mortem Christi, quia in ipso commorimur peccato. ergo cum possimus pluries peccare, possemus pluries commori, & baptizari.

4 Respondent 3. Baptismum non esse iterabilem. Quia pactum Dei initum nobiscum in baptismate est perpetuum. Contra. Qui peccat post baptismum non potest redire ad pactum Dei, sed indiget pœnitentia, vt habet Apostolus ad Hebræos 6. Ergo. Confirmatur. Eucharistia continet pactum Dei. Io. 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum,* & tamen iteratur. ergo

5 Respondent 4. Non posse iterari, quia per ipsum nascimur spiritualiter, semel autem tantum possumus nasci. Contra. Homo potest pluries mori spiritualiter. ergo etiam pluries renasci. Ergo ex alio capite baptismus non potest iterari.

6 Ex dictis colligitur contra Vasquez 3. *par. disp.* 134. *cap.* 2. esse de fide, quod character sit aliquid reale in anima, & etiam contra Durandū *in* 4. *dist.* 4. *qu.* 2. *num.* 11. qui vult esse respectum rationis. nam in Conc. Florent. *in Decreto Eugenij.* & in Trid. *sess.* 7. *can.* 9. *de Sacram. in genere.* Definitur quod character imprimatur in anima indelebiliter, & proinde conuenit animæ nemine cogitante, & permanente, quod non esset verum, si esset respectus rationis.

An character sit qualitas.

SECTIO II.

7 DIcendum est. *Characterem esse qualitatem realem absolutam de prædicamento qualitatis inhærentem animæ.* ita communiter cum D. Th. 3. *p. q.* 63. *a.* 2. Probatur. Character confertur à Sacramento, vt ab instrumēto Dei, atq; adeo à Deo, vt agente principali, & potest conferri absq; gratia, vt cū Sacramentū recipitur cū fictione. ergo est aliquid per se primò producibile. ergo

gò entitas aliqua.ergo qualitas absoluta, cũ qualificet animũ. Confirm. Per hunc characterem ponitur specialis habilitas in anima, vt ad suscipienda Sacramenta, & ad aliqua munia exercenda. Ergo non dicit puram relationem, sed aliquid absolutum.

8 Obijcitur. Forma absoluta habet aliquam operationem sibi propriam; character autem non habet. Ergo. Respondetur. Formam absolutam, aut esse principium operationis, aut determinare in ordine ad operationem. Character autem determinat in ordine ad speciales operationes spirituales.

9 Obijcitur Secundò. Forma absoluta est delebilis; Character autem indelebilis. Respondetur. Formam absolutam esse delebilem ab eo agente, quod habet potestatem supra talem formam; solus autem Deus habet supra characterem. Quia tamen decreuit esse perpetuum, ideò est indelebilis.

10 Obijcitur Tertiò. Tale signum non ponitur ob excellentiam Sacramenti, quia Eucharistia est excellentior; nec in ordine ad Ecclesiam militantem; quia ab ipsa non cognoscitur, nec in ordine ad Beatos, quia se cognoscunt, sine tali signo. Ergo. Respondetur. Poni propter decorem animæ, & vt deferat signum Christi, & in ordine ad speciales operationes, quæ conueniunt ratione characteris.

Quænam qualitas sit character.

SECTIO III.

11 SVpponendum est cum D. Tho. 3. *par. quæst.* 63. *ar.* 5. & communi sententia; Characterem esse qualitatem indelebilem, etiam post mortem, quia Concil. Florent. in *Decreto Eugenij*, & Trident. *sess.* 7. *can.* 9. *de Sacram. in genere*. Absolutè determinant, quod sit indelebilis. Ratio autem est; quia cum importet specialem dedicationem, qua homo dedicatur Deo, congruum est, vt semper remaneat. Vndè non deletur per peccatum sicut deletur gratia, quia non habet oppositionem cum ipso. Potestas autem moralis annexa characteri non manet post mortem; quia tunc Sacramenta non habebit locum, & ideò talis potestas non potest exerceri, quæ habet locum solum in Ecclesia militante, & proindè admittitur, quando quis desinit esse membrum talis Ecclesiæ. Sic amittit potestatem, quam habet, qui desinit esse de aliqua Republica. Omissis autem varijs sententijs.

12 Dico Primò. *Character secundùm esse physicum est qualitas characterizans, & expressiua alicuius gradus, atque adeò habitus non operatiuus, sed perfectiuus, sicut est pulchritudo corporis.* Probatur. Character imprimitur in his Sacramentis, per quæ homo deputatur ad specialem statum, vt est status Christiani militis Christi, Sacerdotalis. Ergo cum gradus sit dignitas quædam in Ecclesia militante, qualitas, quæ est insigne huius gradus, erit decoratiua.

13 Dico Secundò. *Secundùm esse morale importat potestatem, & ius aliquid Diuinum, vel recipiendum, vel efficiendum.* Probatur. Confert specialem potestatem, vt inductionem, patet in ordine ad ea, quæ sunt quædam participationes ipsius Dei. Ergo. Hinc D. Dionysius *cap.* 2. *De Eccles. Hierar.* cum docuisset accedenti ad Batismum Deum tradidisse participationem sui ipsius in quodam signo. Subdit. *Perficiens eum Diuinum, & communicatorem diuinorum.*

14 Dico Tertiò. *Hæc potestas non est habitus, sed potentia, atque adeò reducitur ad secundam speciem qualitatis.* ità D. Thom. 3. *par. qu.* 63. *art.* 2. dum docet, esse naturalem potentiam r[illegible]ctiue. Probatur. Si esset habitus, esset actiuus, cum sit per modum potestatis. Ergo perficeret aliquam potentiam in ordine ad suam operationem, cum hoc sit de ratione habitus actiui, non perficit autem, & tamen dat posse. Ergo.

15 Obijcitur. Non est principium alicuius operationis, aut passionis. Ergo non se habet per modum potentiæ. Respondetur. Non esse principium physicum; esse tamen principium morale, & ideò solum secundum esse morale habet rationem potentiæ.

In quo subiecto sit character.

SECTIO. IV.

16 CErtum est, ex Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* 9. Character esse in anima, vndè solum difficultas est, an sit in substantia, seu in essentia animæ, an verò in Potentijs. Prima sententia asserit esse in voluntate, ita Scotus in 4. *dist.* 6. *qu.* 11. §. *Dico ergo.* Ocham. *qu.* 2. versiculo. *Quarto Dico.* Basollis *q.* 2. Probant. Est signum obligationis, qua tenemur seruare legem. Ergo cum obligatio pertineat ad voluntatem, character erit in ipsa.

17 Secunda sententia asserit, esse in intellectu. Ita D. Thom. 3. *par. quæst.* 63. *ar.* 4. Caietan. *ibidem.* Nugnus *diffic.* 1. Sotus in 4. *dist.* 1. *qu.* 4. *ar.* 4. Richard. *dist.* 5. *ar.* 2. *qu.* 2. Capreol. *dist.* 4. *qu. vnic. ar.* 1. *conclus.* 2. & 3. Palud. *qu.* 2. *ar.* 2. & alij. Probant. Character est potestas ad recipiendum, & tribuendum ea, quæ sunt diuini cultus, qui consistit in fidei testificatione, & professione. Ergo character, qui est potentia ad hunc cultum, debet esse in intellectu.

18 Tertia sententia asserit, esse in intellectu, & voluntate, ita Alens. *par.* 4. *q.* 8. *memb.* 8. *ar.* 1. §. 3. D. Bonau. in 4. *dist.* 6. *par.* 1. *ar.* 1. *qu.* 3. Probant. Character est participatio similitudinis Dei. Ergo debet esse, vbi est similitudo. Similitudo autem Dei, seu Trinitatis consistit in intellectu, & voluntate. Ergo.

19 Quarta sententia asserit, esse in essentia animæ, ita Marsil. in 4. *qu.* 4. *ar.* 1. *ad* 2. *dubium.* Gabriel *dist.* 6. *ar.* 6. *dub.* 2. Suar. *disp.* 11. *de Sacram. sect.* 4. Vasqu. 3. *par. disp.* 134. *cap.* 4. Coniuela de *Sacram. qu.* 63. *ar.* 4. Hortad. *disp.* 3. *de Sacram. in genere, diff.* 13. & alij.

20 Dico Primò. *Character secundum esse physicum inest substantiæ animæ.* Probatur. Non est aliqua perfectio potentiæ in ordine ad operationes, cum non sit principium alicuius operationis, sed qualitas, per quam anima secundum se disponitur. Ergo. Confirmatur. Character solum designat ad aliquod munus, non autem influit in ipsum. Vndè infidelis baptizans conficit Sacramentum, si habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & tamen non habet characterem. Ergo character non est necessarius, neque ad operationem. Confirmatur. Secundò. Non perficit intellectum in ratione cognoscitiui, neque voluntatem in ratione volitiui. Ergo non est in ipsis siue, vt facultas, siue aliquo alio modo; quia omne physicum, quod est in his potentijs, debet perficere intra genus ipsarum.

21 Dico Secundò. *Character secundum potestatem moralem annexam est in intellectu, & voluntate.* Probatur. Hæc potestas coniungitur cum ipsis potentijs in ordine ad operationes, quæ pertinent ad sacramentum, & characterem, vt patet induitione. Ergo debet esse in ipsis, non per modum complementi, sed per modum instrumenti moralis ad exercendos actus, ad quos ordinantur illa sacramenta.

22 Ad fundamentum. 1. sentent. negatur consequens: Quia sufficit, quod signum obligationis sit quomodocunque in eo, qui obligatur. Ad fundamentum. 2. Respondetur probare tantùm, quòd character secundum esse morale, vt dicit potestatem, pertineat ad intellectum, & voluntatem, cum vtraque potentia concurrat ad exercendam potestatem. Ad fundamentum. 3. Similitudinem Dei esse radicaliter in ipsa essentia animæ, quatenus est in gradu intellectuali. Character autem, quia est similitudo radicalis, debet esse in essentia animæ, sic etiam gratia est participatio similitudinis Dei, & est in essentia animæ.

DE

DE NVMERO, ET ORDINE Sacramentorum.

DISPVTATIO LXX.

Quot sint Sacramenta.

SECTIO I.

Dicendum est. *Sacramenta esse septem.* Itâ communiter cum Magistro *in 4.dist.2.*& D.Thom.*3.par. qu.65.ar.1.* contra Hæreticos, Luteranos,& Caluinistas, & est de fide. Tùm ex communi sensu Ecclesiæ,& perpetua traditione. Tùm ex Conc. Floren. *in Decreto Eugenij.* & Trident.*sess.7.can.5.de Sacram.in genere.* Probatur. De his septem constat esse Sacramenta, quia singula sunt signa sensibilia,& causant gratiam Baptismus. Ioan. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. & ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, Eucharistia, Ioan.6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Confirmatio Actorum 8.& 19. Per impositionem manuum tribuit Spiritum S. Pœnitentia. Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, nempè facta Confessione per absolutionem sensibilem. Extrema Vnctio. Iacob. 5. *Vngventes eum oleo in nomine Domini, & si in peccatis fuerit dimittentur ei.* Ordo 1.ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, qui in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbiterij.* Matrimonium ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.*

2 Dices Lotio pedum est Sacramentum; quia fuit Ritus externus ordinatus ad sanctificationem. Ioan.13. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Rursus. *Et vos debetis alter alterius pedes lauare.* Ergo. Respondetur, negando antecedens. Quia fuit tantùm exemplum humilitatis, ad quos nos Christus inuitauit, vt habemus ex traditione Apostolica. Christus autem non promisit gratiam, sed minatur est contradicenti.

3 Dicendum 2. *Hunc numerum fuisse congruentissimum.* Probatur. per hunc numerum sufficienter prouisum est vitæ, & Reipublicæ spirituali, & per minorem non fuisset sufficienter prouisum. ergo. Anteced. probatur. Requiritur. Regeneratio pro acquirenda vita spirituali, quę habetur per baptismum augmentum vitæ, quod habetur per confirmationem; nutritio, quæ habetur per Eucharistiam; remedium contra morbum spiritualem, nempè pœnitentia, remedium contra reliquias morbi, & robur pro lucta contra Dęmonem, quæ habentur per extremam vnctionem. Ex parte autem Reipublicæ pro propagatione n ordine ad cultum Dei, matrimonium; pro Regimine, & gubernatione Ordo.

4 Obijcit Caluinus. Scriptura duo tantum docet esse Sacramenta Eucharistiam;& baptismum, quia sacramenta fluxerunt ex latere Christi, quando fluxit sanguis, & aqua, nempè Eucharistia, & baptismus, vt exponunt Patres Græci. ergo. Respond. negando consequen. Quia Sacramenta dicuntur fluxisse ex latere Christi, quatenus habent virtutem ex ipsius sanguine; fuerunt autem significata illa duo, vt magis principalia.

5 Obijcitur 2. D.August. *de Doctrina Christiana, cap. 9.& epis.118.* ponit tantum duo Baptismum, & Eucharistiam. ergo. Respondetur. Ponere tantum duo per modum exempli, vt patet ex contextu: Vndè alibi expressè ponit etiam cætera: Et eodem modo exponendi sunt cæteri Patres, quando aliqua tantum recensent, quia vel recensent per modum exempli, vel quia tractatus illa tantum exigebat exprimi.

Quem Ordinem habeant Sacramenta.

SECTIO II.

6 Supponendum est. Certùm esse de fide, Sacramenta nouæ legis habere ordinem dignitatis ad inuicem, vt definit Concil. Trid.*sess.7.can.3.de Sacram.in genere.* Vndè Eucharistia ordine dignitatis antecellis omnibus, quia continet Corpus,& Sanguinem Christi, Ordo excellit cęteri, quia constituit hominem in statu sublimiori. Confirmatio excellit cæteris omnibus in ordine, quòad effectū gratiæ ad benè operandum, nam confert plenitudinem Spiritus Sancti, & est quædam consumatio baptismi, vt notat Cypri.*lib.2.epis.1.* Quò ad effectum autem remittendi peccata baptismus antecellit cęteris, quia remittit etiam originale. Et Extrema Vnctio aliquo modo antecellit pœnitentiæ, quia perficit effectum ipsius. Matrimonium verò in significatione excellit cæteris, nam significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Vndè ad Ephes. 5. dicitur magnum Sacramentum.

7 Supponendum 2. Baptismum ordine susceptionis debere præcedere omnia alia, vt est de fide, quia per ipsum homo primò dedicatur Christo, & primo profitetur fidem ipsius; cætera autem sunt quædam determinatę irritiationes Religionis Christianæ.

8 Dicendum est. *Sacramenta habere hunc ordinem. Baptismus, Cōfirmatio, Eucharistia, Pœnitētia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium.* Itâ Concil. Florent in. *in Decreto Eugenij*,& Trident.*sess.7.can.1.* Ratio est, quia primo loco sunt ponenda, quæ sunt magis necessaria singulis in particulari. Deindè, quę sunt necessaria pro communitate, quia personę particulares sunt priores communitate. Inter Sacramenta prioris generis præcedit Baptismus, quia est regeneratio, dat primum vitam spiritualem. Deindè confirmatio, quæ est veluti complementum, & roboratio ipsius. Posteà Eucharistia, vt nutrimentum ipsius; deindè pœnitentia, vt resuscitatio hominis mortui per peccatum. Deniquè Extrema Vnctio, vt complementum talis renouationis. In posteriori autem genere Ordo præcedit matrimonium, quia constituit Hierarchiam Ecclesiasticam, & ab ipso, vt à fonte, prouęniunt alia Sacramenta.

DE CAVSIS SACRAMENTORVM.

DISPVTATIO LXXI.

An omnia Sacramenta sint immediatè instituta à Christo.

SECTIO I.

1 Dicendum est. *Sacramenta nouæ legis fuisse omnia instituta à Christo.* itâ communiter contra Hugonem Victorinum *lib.2.de Sacramen.par.15.cap.2.* & Magistrum *in 4.dist. 23.cap.2.* & est de fide definitum à Concil. Trident in. *sess.7.can.1. de Sacramentis in genere, & session. 14. canon.1.* Specialiter definit de Extrema Vnctione, & tradunt communiter Patres Ambrosius *lib.4.de Sacram. cap.4.* Cyprian. *de Cardinalibus Christi operibus, cap. de ablutione pedum.* August. *de Doctrina Christi, cap.9.& epis.118.cap.1.* & alij. Ratio est. Quia Sacramenta sunt quidam influxus gratiæ, & ideò possunt esse solùm ab eo, qui tanquam caput potest habere hos influxus, & qui habet potestatem excellentiæ disponendi Ecclesiam secundum ordinem gratiæ, talis autem est solus Christus.

An potestas instituendi Sacramenta sit propria Dei.

SECTIO II.

2 SVpponendum est. Potestatem instituendi Sacramenta esse duplicem, primariam,& principalē,& dicitur authoritatiua, quę est independens à quocunque alio, & secundariam, quę est veluti delegata, & dependens à Deo. Conueniunt omnes, primariam esse propriā Dei, ita vt nulli alteri possit communicari. Ratio est. Quia in institutione Sacramenti debet productio gratiæ alligari signo sensibili, quod tantum potest fieri à Deo, cum solus sit auctor gratiæ. Vnde difficultas est de potestate secundaria.

3 Prima sententia asserit, posse communicari creaturæ, ita Suarez *disp.* 12. *de Sacram. sect.* 2. Henriq. *lib.* 1. *sum. cap.* 3. Hurtad. *disp.* 4. *de Sacram. in gen.* Richard. *in* 4. *dist.* 5. *ar.* 1. *q.* 3. Valentia *to.* 4. *disp.* 3. *q.* 5. *punct.* 3. & alij. Probant ex D. August. *tr.* 5. *in Ioann.* Vbi ait, quod Christus potuisset dare potestatem alicui seruo, vt daret baptismum tanquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem. ergo 2. Posset Deus dare potestatem alicui iustificandi homines eo modo, quo ipsi placeret. Tunc autem potuisset determinare signa sensibilia, quo iustificarentur. ergo

4 Secunda sententia est negatiua. Ita Scot. *in* 4. *dist.* 1. *qu.* 3. §. *De secundo dico.* Gabriel. *qu.* 2. *ar.* 3. *dub.* 2. Durand. *dist.* 2. *qu.* 1. *num.* 4. Vasquez 3. *par. disput.* 135. *cap.* 2.

5 Dicendum est. *Non posse communicari.* Probatur. Non potest communicari potestas instituendi Sacramenta, nisi communicata potestate tribuendi ipsis efficaciam, alioquin essent Sacramenta inefficacia; hæc autem potestas nō potest communicari. Ergò minor probatur. Virtus productiua gratiæ per modum causę principalis non potest communicari. Ergò neque potestas. Quia hęc potestas potest esse tantum in eo, qui vt causa principalis potest producere gratiam; nam est potestas alligandi gratiam Sacramentis.

6 Ad 1. respondetur D. August. solum velle, quod Christus potuisset ita instituere baptismum, vt conferretur in nomine serui, quia signa sensibilia possunt esse hęc, vel illa, atque adeò conferre potestatem seruo, vt baptizaret in nomine proprio. Non autem quod potuerit transferre potestatem conferendi efficaciam. Ad 2. negatur assumptum. Quia in tali casu homo non haberet potestatem producendi gratiam; sed tantum instituendi aliquid, ad cuius positionem Deus iustificaret.

An potestas excellentiæ possit communicari puræ creaturæ.

SECTIO III.

7 QVia Christus fuit caput Ecclesię, ideò habuit facultatem instituendi Sacramenta, quæ in eo consistunt, quod potuerit determinare signa sensibilia, quibus Deus annecteret gratiam infallibiliter. Et de hac potestate dubitatur, an possit communicari puræ creaturæ.

8 Prima sententia est negatiua. ita Alan. *de Sacram. cap.* 49. Vasquez 3. *par. disput.* 135. *cap.* 2. & alij. Probant Nulli purę creaturæ potuit communicari meritum de condigno pro nostra redemptione. Ergò neque potestas, quia Christus illam habuit ex eo, quia habuit tale meritum.

9 Secunda sententia est affirmatiua. ita D. Thom. 3. *part. quæst.* 64. *art.* 4. Valentia *disput.* 3. *quæst.* 5. *punc.* 3. & alij.

10 Dicendum est. *Potuisse communicari.* Probatur. Potuit communicari gratia capitis, cum sit gratia creata. Ergò etiam hæc potestas. Quia gratia capitis dat potestatem dirigendi membra, & instituendi gratiam in ordine ad salutem æternam instituendi Ecclesiam, & ea omnia, quę pertinent ad hanc institutionem. Confirmatur. Gratia capitis non est ex merito ipsius capitis. Ergo neque opus est, vt caput mereatur redemptionem. Quia potuit Deus gratis relaxare peccatum.

11 Ad fundamentum in oppositum negatur Consequ. Quia licet Christus meruerit nostram redemptionem, atque adeò efficaciam Sacramentorum, non tamen meruit gratiam capitis, cui est annexa potestas instituendi Sacramenta; & ideò sine merito redemptionis est communicabilis.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

DISPUTATIO LXXII.

Quinam sit debitus Magister Sacramentorum.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Certum esse de fide, potestatem ministrandi Sacramenta fuisse communicatam hominibus. Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* De Sacramento Eucharistiæ. Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* De Sacramento Pœnitentiæ. Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis,* & vniuersaliter de omnibus 1. ad Corint. cap. 4. *Sic non existimet homo vt ministros Christi. & dispensatores mysteriorum Dei.*

2 Dicendum est. *Solum hominem esse ministrum debitum Sacramentorum.* Ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 64. *ar.* 7. & est de fide ex communi sensu Ecclesiæ contra Lutherum. Probatur. Christus instituens Sacramenta, commisit ea tantum hominibus, vt constat ex allatis scripturis. Ergò cum minister pendeat ex institutione, solus homo erit minister.

3 Obijcitur, efficacia Sacramenti non pendet ex qualitate personę ministrātis, sed ex verbo Dei. ergo. Resp. neg. ant. nā etiā pēdet à persona Ministri secūdū instit. Christi.

4 Obijcitur 2. Amphilochius fuit ordinatus Episcopus ab Angelo, vt refert Nicephorus *lib.* 11. *cap.* 20. & ordinatio acceptata fuit vt valida. Ergò. Respondetur supposita veritate historiæ, id factum fuisse ex speciali dispensatione Dei, vt notāt cōmuniter cum D. Th. 3. *p. q.* 64. *a.* 7.

5 Dicendum 2. *Excepto Sacramento baptismi, & matrimonij nō potest quilibet esse minister Sacramentorum, sed tantū deputati ab Ecclesia per Sacramentum ordinis.* Est de fide ex Trid. *sess.* 7. *can.* 10. *de Sacram. in gen.* Probatur. Ita habetur ex institutione Christi iuxta traditionem Ecclesiæ, ergò hinc Apostoli Io. 4. baptizabant, quia iam inceperat mysterium baptismi, & proinde ipsi quoque erant baptizati, vt notat August. *Epist.* 108. & tamen nondum acceperāt potestatem conficiendi Eucharistiam, nec absoluendi à peccatis. ergò

6 Obijcit Lutherus. Omnes sunt Sacerdotes 1. Petri, cap. 2. *Tanquam viui lapides superædificamini in Sacerdotio Sancto.* item. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium,* ergò. Respōdetur intelligi de Sacerdotio spirituali. Vnde ibidem habetur, *offerentes spirituales hostias,* non autem de Sacerdotio Ordinis, seu Hierarchico. Instat: Possunt omnes exercere officia Sacerdotū, vt concionari 1. Petri 2. *vt virtutes annunetis.* 1. Cor. 14. *Vnusquisq; vestrum psalmum habet, doctrinā habet, Apocalipsim*

lipsim habet, potestis omnes per singulos prophetare. ergo Respondetur. Esse intelligenda in sensu accommodo, nempè quoad eos omnes, qui habent hęc dona, quia Apostolus hortatur eos, quò hoc possunt facere, vt faciant in ædificationem.

7 Obijcitur 2. Possunt omnes iudicare, & determinare dogmata, Matt. 7. *Attendite à falsis Prophetis*. hoc autē fieri non potest, nisi discernendo doctrina. ergo. Respondetur. Negando minorem, si intelligatur de discretione auctoritatiua; secus autem si de discretione priuata facta per collationem ad explicationem Ecclesiæ.

An Sacramenta dependeant à fide, & probitate. Ministrorum.

SECTIO II.

8 Dicendum est. *Sacramenta non dependere in sua validitate à fide, & probitate Ministrorum*. Ita communiter cum D. Thom. Apostolicos, Albigenses, & alios hæreticos, & est de fide definitum à Soricio Papa *Epist. 1. ad Himerium*. Innocentio I. *epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ*. Leone Papa *epis. 77. ad Nicatam*, Anastasio II. *epist. ad Anastasium Imperatorem*. Concilio Nicæno, *apud D. August. lib. 2. de baptismo cap. 3. & sequentibus*. Concilio Cartaginensi 1. *can. 11*. Arelatensi. 1. *can. 8*. Constansiensi *sess. 8*. & Trident. *sess. 7. can. 12. de Sacram. in genere*. Probatur. Minister non confert Sacramentum in virtute propria, sed in virtute Dei, vt minister Christi. *Hic est, qui baptizat*. Vnde etiam Apostolus dicebat, non fuisse baptizatos in nomine Pauli. ergo non dependet à fide, & probitate ministri. Consequentia patet, quia si dependerent, ministraret nomine proprio. Confirmatur. Si dependeret Ordo Ecclesiasticus esset maximè incertus, & perturbatus, vt arguit D. August. *lib. 1. contra Epistolas Penlian. cap. 3.*

9 Dicendum 2. *Neque effectum Sacramenti, nempè gratiam, & characterem dependere à fide, & probitate ministri*. est de fide ex supracitatis. Probatur. Posita validitate Sacramenti habetur efficacia ipsius. ergo producit suum effectum, nisi reperiat obijcem, vt definit Concilium Trident. *sess. 7. can. 7. de Sacram. in genere*.

10 Obijcitur. Ecclesiastici 34. *Ab immundo quis mundabitur*. ergo. Respondetur. Recipientem Sacramentum non mundari ab immundo, quia non agit virtute propria, sed in virtute Dei. Deinde non est sermo de Sacramentis, sed de conuersatione, ita vt qui conuersatur cum immundo non posset ab ipso exemplariter mundari.

11 Obijcitur 2. Ex eodem loco. *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius*. ergo. Respondetur. Nomine mortui intelligi idolum, & sensus est, quod ceremoniæ gentilium in cultum idolorum non proficerent ad mundationem, vt explicat D. Aug. *lib. 2. contra Crescon. c. 24.*

12 Obijcitur 3. Ex Canone 45. Apostolorū. *Episcopum, aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma damnari præcipimus. Quæ enim conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fidelis cum infideli*. Ergo. Respondetur. Id statui contra eos, qui admittebant infideles, & hæreticos ad ministrādum baptisma; non autem contra eos, qui ratum habebant.

13 Obijcitur 4. Ex D. Athanas. *Sermon. 3. contra Arianos*. vbi baptismum ministratum ab Arianis vocat inutilem, quia non habebant rectam fidem. Respondetur. Vocare inutilem illum baptismum, qui conferebatur consentientibus errori Arianorum, quia sicut non habebant veram fidem, ita nec gratiam percipiebant.

14 Obijcitur 5. Ex D. Greg. Nazianz. *Orat. 4.* vbi cum dixisset, peccatorem posse esse ministrum baptismi, id coarctat, *dummodo apertè damnatus non sit, & ab Ecclesia alienus*. Respondetur. Loqui de ministro non in ordine ad validitatem Sacramenti, sed in ordine ad facultatem licitè suscipiendi baptismum ab ipso.

15 Obijcitur 6. Ex D. Ambros. *lib. 3. de initiandis, c. 4. non sanat baptismus perfidorum, sed polluit*, & similia habent alij Patres. ergo. Respondetur. Polluere, non quia non sit verus baptismus, sed quia peccat, qui suscipit ab ipsis. Nomine autem perfidorum, intelliguntur hæretici.

16 Obijcitur 7. Hæreticus non est membrum Ecclesiæ. Ergo non potest operari, vt minister ipsius. Respondetur negando consequens. Quia licet non sit membrum, quia non habet gratiam, & fidem. Est tamen minister, quia habet potestatem.

An in ministro Sacramentorum requiratur intentio.

SECTIO III.

17 Dicendum est. *In ministro Sacramentorum requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, atq; adeò celebrandi misterium*. ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu. 64. ar. 8.* Et est de fide contra Hæreticos Lutheranos, Caluinistas, & alios ex Concil. Floren. *in Decreto fidei*, & Trid. *sess. 7. can. 11. de Sacram. in genere*. Probatur. Sacramenta debent ministrari secundum potestatem datam à Christo, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Lucę 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Non possunt autem ministrari secundum hanc potestatem, nisi intentio respiciat ipsū mysterium. Confirmatur. Minister Sacramentorum est dispensator, 1. ad Corinth. 4. Dispensator autem debet cognoscere, & intendere, quod dispensat. Confirmatur 2. Sacramenta sunt signa practica. Ergo dependent ab intentione; quia signum practicum non significat, nisi coniungatur cum intentione significandi. Confirmatur 3. Minister est instrumentū Dei intellectuale. Ergo, vt cooperetur Deo in ministratione, debet mouere intellectualī modo, atque adeò secundum intentionem.

18 Obijcitur. Alexander Episcopus Alexandrinus ratum habuit baptismum, quem Athanasius puer ministrauit per iocum, vt refert Rufinus *lib. 1. Historiæ, cap. 14.* Nicephor. *lib. 8. cap. 44.* Sozomenus *lib. 2. cap. 16.* ergo. Respondetur. Illum baptismum ratum habitum fuisse, quia iocus non fuit impliciter iocus, sed coniunctus cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vt colligitur ex citatis Historicis. Vndè etiam Mimus, qui coram Diocletiano petijt baptizari ad irridenda mysteria Christianorum, fuit verè baptizatus, quia repentè conuersus est, & seriò dixit, se petere gratiam Christi, vt scribit Ado in Martyrologio, 8. *Calendas Septembris*.

19 Obijcitur 2. Sacramenta sine intentione excitant fidem, quæ iustificat. ergo. Respondetur. Negando antecedens, quia sine intentione non essent Sacramenta, & ideò non iustificarent ex opere operato.

20 Obijcitur 3. D. Agustin. *lib. 7. de baptismo, cap. 53.* non audet definire, an baptismus collatus per iocum valeat, sed esse expectandam Dei reuelationem. Respondetur. Addere etiam, tenendum esse, quod vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est, modo autem ex Concilio Florent. & Trident. habemus, ratum esse baptismum per iocum, si sit cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

21 Obijcitur 4. Ex capite. *A quodam*. De *Consecratione. distin. 4.* Vbi Pontifex nihil curat de intentione, dummodo baptismus sit ministratus in nomine Trinitatis, quod etiam habet. D. Augustin. *lib. 7. de baptismo contra Donatistas cap. 53.* Ergo. Respondetur, nihil exprimere de intentione; quia, dum baptismus est ministratus secundum Ritum Ecclesiæ, supponitur interuenisse.

22 Obijcitur 5. Ex Innocen. IV. apud Angelum *in summa*. Sentientem. Ad veritatem Sacramenti non requiri, vt minister intendat facere, quod facit Ecclesia, dummodo extrinsecus appareat facere, etiam si oppositum intendat. ergo. Respondetur. Baptismum esse ratū, etiā si minister gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia, dummodo inten-

intendat baptizare, seu celebrare mysterium secundũ ritũ Ecclesiæ, quia hoc ipsi habet sufficientem intentionem.

23 Obijcitur 6. Si requireretur intentio, omnia Sacramenta essent incerta, & tota Ecclesiastica hierarchia, quia semper possemus dubitare de existentia ipsius. Respond. neg. sequel. Quia stante celebratione Sacramenti extrinseca adest moralis certitudo de intentione, quia cum sit facta seriò secundum ritum Ecclesiæ, debet necessariò procedere ex aliqua voluntate celebrandi Sacramentum iuxta ritum Ecclesiæ.

24 Ex dictis colligitur. Non requiri expressam intentionem de effectu Sacramenti, sed sufficere virtualem, quæ habetur ex eo, quod minister velit celebrare Sacramentum secundum ritum Ecclesiæ, vt notant Richardus *in* 4. *dist.* 6. *ar.* 1. *q.* 2. Vasquez 3. *par. disp.* 138. *cap.* 4. & communiter. Quia effectus Sacramenti non dependet immediatè ab intentione, sed ab ipso Sacramento; vnde sufficit, vt sequatur applicatio Sacramenti.

25 Colligitur 2. Sufficientem intentionem posse pluribus modis saluari, vt notant Magister *in* 4. *dist.* 6. *cap. solet.* Vasq. *citat. disp. cap.* 3. & communiter. Primò. Si quis intendat facere, quod facit Ecclesia vniuersalis. 2. si intendat facere quod facit Ecclesia, aliqua particularis. 3. si intendat facere, quod facit talis minister. 4. si quis velit vti Sacramento, vt aliqua cærimonia religiosa. Nam in his omnibus modis minister vult operari secundum institutionem Christi, atque adeo vt minister ipsius.

Quæ intentio sufficiat.

SECTIO IV.

26 Dicendum est. *Sufficere intentionem quæ moueat ministrum ad proferenda verba supra determinatam materiam quam adhibeat simul cum ritu Ecclesiæ, & in hoc saluari intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, ita vt stante tali intentione etiam si adesset intentio ministri non conficiendi Sacramentum adhuc conficeret.* Ita Catherin. *opusc. de intent. min.* Sylu. *verbo Baptismus.* 3. *q.* 12. de mente D. Th. id asserens. Palud. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 2. *ar.* 3. Scribon. *in sum. disp.* 1. *de Sacr. in gen. q.* 6. *&* 7. Desumitur etiam ex D. Th. 3. *p. qu.* 64. *ar.* 8. *in corpore.* Vbi cum docuisset, quod ablutio in baptismo debet determinari ad vnum per intentionem abluentis, subdit. *Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicũtur, puta cum dicit. Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Si ergo hæc intẽtio exprimitur per verba, dum minister pronunciat verba iuxta ritum Ecclesiæ, habet intentionem expressam per verba, cum non possit exprimere, nisi intendat exprimere, & opposita intentio non officit. Rursus ad 2. *Alij melius dicũt, quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister, in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum:* similia habet *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *a.* 2. *q. vn.* 1. *ad* 2. Ex quo habetur, quod ad validitatem Sacramenti sufficit intentio Ecclesiæ, & proinde non est necessaria alia intentio ministri, & quod hæc intentio exprimitur in verbis, quæ profert minister, nisi contrarium exterius exprimat, quia nimirum non seruat ritum Ecclesiæ, habet etiam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quia necessario ex tali intentione debet prouenire expressio verborum, dum exterius oppositum non manifestat: vnde alia intentio contraria nõ præiudicat vtpote intẽtio priuata, & quæ nõ est ipsius vt ministri Ecclesiæ, nisi declaret, se nõ facere, quod præstat vt ministrũ Ecclesiæ.

27 Probatur eo ipso, quod minister adhibet materiam, & formã secundũ institutionem Christi, & ritũ Ecclesiæ, habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. ergo cõficit Sacramentum non obstante quacunq; alia intentione contraria. Anteced. prob. Actus externus debet necessario prouenire ab actu interno, à quo sit volitus: ergo cũ actus externus proueniat à ministro, & sit ille, quem secundum institutionem Christi præscribit Ecclesia pro cõficiendo Sacramẽto necessariò debet adesse actus internus terminatus ad actum Sacramenti secundũ institutionem Christi, & Ecclesiæ. Conseq. prob. In hoc iam concurrit voluntas faciendi, quod facit Ecclesia, quę est efficax, quia infert actum externum pręscriptũ ab ipsa, & intentio non conficiendi Sacramentũ. ergo illa præualet, vt pote efficax ad inferendum actũ, cum posterior non sit efficax ad remouendũ actum, & proinde se habet, vt protestatio contraria facto, quæ non iuuat. Confir. Implicat, quod aliquis velit applicare causas intrinsecas, & principia constitutiua rei, & nolit rem constituere, etsi habeat voluntatem non constituendi, talis voluntas inefficax est, & frustratoria, vtpote contraria *facti*; sic si artifex induceret formã in materiam, & nollet constituere artificatum, adhuc constitueret. ergo cum minister applicet causas intrinsecas constitutiuas Sacramenti secundũ ritum Ecclesiæ, adhuc constituet, etiamsi habeat intentionem non cõstituendi. Nec dici potest, quod defectus istius intentionis faciat, quod verba non sint debita forma. Tũ quia ex natura sua sunt forma, si sint secũdũ institutionem Christi. Tũ quia sufficit, si informetur intentione faciendi actum institutum à Christo. Confir. 2. Minister in Sacramẽtis non agit nomine proprio, sed Ecclesiæ, & Christi. ergo pro validitate Sacramenti sufficit, si habeat intentionẽ exercẽdi actũ sibi vt ministro iniunctũ ab Ecclesia, & Christo. ergo si habeat intentionem contrariã, non præiudicabit, quia talis intentio non tollit, quin exerceat actũ iniunctũ sibi, & qui habeat intentionem exercendi, sed est intentio priuata nulliter contradicens intentioni de actu publico, quam exercet. Sic si quis vt procurator obligaret actu publico principalẽ, obligatio teneret, quamuis haberet intentionẽ non obligandi, quia obligatio non dependet ab intentione ipsius respiciente obligationẽ, sed solum ab intentione ipsius exercendi actum iniunctũ à principali, quo principalis intendit se obligare. Confir. 3. Facta declarãt animũ meliori modo, quã verba *l. certũ. ff. si cer. pet. & l. fin. ff. de diuor.* & *l. Paulus*, & *l. Non tantũ. ff.* Rem ratã haberi & *c. existimant* 22. *q.* 2. & *c. dilecti* 2. *de appel.* & tradunt cõmuniter DD. & ratio est, quia factũ non potest esse sine voluntate faciendi. ergo cũ habeamus factũ, quo fit Sacramẽtum secũdum ritũ Ecclesiæ, & institutionẽ Christi, necessariò debet interuenire voluntas, & animus faciendi illũ actũ secundũ ritũ, & institutionem Christi. ergo hoc sufficit, etsi interuenit voluntas contraria, est inefficax nõ valens pręiudicare huic voluntati, & hoc est quod ait D. Th. 3. *p. q.* 64. *a.* 8. *ad* 2. quod intentio Ecclesiæ exprimitur in verbis, ministri, si enim intentio Ecclesiæ exprimitur in verbis, dum minister profert ea secundum ritum Ecclesiæ, exequitur quod intendit Ecclesia. Confir. 4. Intentio non impedit actum, quando adest voluntas, licet coacta faciendi illum actum, vnde si habeo actum coactum donandi, non impeditur donatio, etiamsi habeam intentionẽ non donandi, vt inter alios notant Geminian. *consil.* 110. *n.* 6. ver. *Nec obstat*, Tusch. *lit. I. concl.* 269. *num.* 26. ergo multo minus impediet, quando adest voluntas nõ coacta, qualis est, quando quis facit actum Sacramenti secundum ritum Ecclesiæ, & institutionem Christi.

28 Pro solutione argumentorũ aduertendum est. Quod in eo, qui operatur nomine alterius, duplex intentio considerari potest, alia quę habeat pro obiecto exequutionẽ actus iniuncti sibi à principali, seu actum externum iniunctum. Et alia, quæ habeat pro obiecto non ipsam exequutionem, sed rem, seu actũ, quem intẽdit principalis; per 1. intentionẽ se gerit, vt ministrũ, & agit nomine principalis & hæc sufficit, vt actus sortiatur effectũ, quia principalis iniungens actũ alicui, solũ ab ipso intendit exequutionẽ. Per 2. intentionẽ non se gerit vt ministrũ, sed se cõformat in volito cũ principali. Ex quo fit, quod ad validitatem actus sufficiat, 1. intentio, quia reuera facit, quod sibi est iniun-

iniunctum; & quod secunda, licet contraria, non præiudicet validitati actus; quia non requiritur ad validitatem, quod se conformet in volito. In ministro ergo Sacramentorum, cum agat nomine alterius, sufficiet intentio exequendi actum iniunctum, quam habet eo ipso, quod facit actum secundùm Ritum Ecclesiæ, & institutionem Christi. Alia autem intentio, qua expresse vult, quod intendit Ecclesia, est intentio qua conformat in volito, cum ipsa Ecclesia, nempè in validitate Sacramenti, quæ non est necessaria, vt Sacramentum validum sit.

29 Objicies: Sacramenta sunt instituta à Christo cum dependentia ab intentione ministri; Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Iacob. 5. *Inducant Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* Lucæ 22. *Hæc facite in meam commemorationem:* & quando quis ordinatur, ei dicitur, *Accipe potestatem.* Ergo. Respondetur. Esse cum dependentia ab intentione ministri, vt exequutoris illius, quod Christus instituit, non vt principalis; & ideò sufficit intentio exequendi. Instabis in remittendo debito, & absoluendo non sufficit, si debitor seriò exterius remittat; & Iudex absoluat, nisi adsit interna intentio. ergo. Respondetur negando consequent. Quia est dispar ratio; nam debitor, & iudex operantur, vt principales, & nomine proprio, non nomine alterius, sicut minister Sacramentorum. Instabis 2. Matrimonium est nullum, nisi adsit intentio respiciens ipsum actum. Ergo. Respond. Esse nullum, quia nedum est Sacramentum, sed etiam contractus; & ratione contractus contrahentes agunt nomine proprio, & ideò nedum requiritur intentio exequendi, quod est institutum à Christo, sed etiam faciendi actum secundum eius naturam.

30 Objicies 2. Ex Trident. *sess. 14. cap. 6.* Absolutio non est valida, si sacerdoti animus seriò agendi, & absoluendi desit. Ergo requiritur intentio. Respondetur. Non esse validam, si desit animus seriò agendi, & absoluendi exequutiuo modo; secus autem, si desit alia intentio. Prima autem intentio non deest, quando minister vult facere actum externum secundum institutionem Christi, & Ritum Ecclesiæ, vt constat ex dictis. Quod habet locum, etiam si minister conaretur adstantibus occultare actum, ne illum ignorarent, tanquam actum sacramentalem. Imò ex hoc à posteriori colligeretur, velle illum actum externum tamquam sacramentalem.

31 Objicies 3. Sequeretur, quod si mulier lauans filium deuotionis causa diceret, *Ego te lauo, in nomine Patris,* &c. baptizaret, quod est absurdum. Respondetur. Baptizaret, si vellet exequi illum actum tanquam institutum à Christo, & secundum Ritum Ecclesiæ; secus autem, si alio modo exequeretur.

32 Objicies 4. Sequeretur, quod sacerdos, dum legit Epistolam Pauli, consecraret, dum diceret illa verba, *Hoc est corpus meum.* Respondetur negando Sequellam. Tùm quia diceret recitatiuè, nec haberet voluntatem proferendi significatiuè. Tùm quia, dum exequitur actum institutum à Christo, debet applicare formam materiæ, quia in hoc consistit actus; quod non potest fieri, nisi dirigat per intentionem verba ad determinatam materiam. Instabis verba debent dici significatiuè, & dirigi ad certam materiam. Ergo requiritur intentio de ipso actu. Respondetur negando consequent. Quia sufficit intentio de exequutione actus instituti à Christo. Nam cum actus institutus consistat in prolatione verborum significatiua & applicata determinatæ materiæ, voluntas exequutiua debet habere pro obiecto exequutionem talis actus cum tali modo. Et ex hoc capite fit, quod sacerdos habens præsentes decem hostias, & volens quinque solum consecrare, si illas non determinet, nullas consecrabit, non quia requiratur specialis intentio illas determinans; sed quia voluntas exequutiua actus externi non exequitur cum ordine ad determinatam materiam, nec facit actum externum Christi, quia actus externus Christi stat demonstratiuè ratione pronominis, *Hoc*, & importat externam applicationē significationis verborū ad materiam determinatā.

33 Objicies 5. Si contraria intentio non vitiaret Sacramentum, non posset conferri sub conditione sola mente concepta. Potest autem conferri, vt communiter docent. Ergo. Respondetur, negando Sequellam. Quia conditio purificata remouet voluntatem exequendi, quod est institutum à Christo, & operatur, quòd actus ille externus non proueniat à voluntate dicta: non autem remouet intentionem faciendi validum Sacramentum; quia si hanc solam remoueret, adhuc Sacramentum esset validum, quia habet suam validitatem à Christo, vt principali, & à ministro solùm, vt ab exequutore actus iniuncti.

34 Objicies 6. Non potest minister operari, vt minister Christi, nisi habeat animum operandi nomine illius: vndè non emo Petro, cuius Procurator sum, nisi habeam animum emendi pro ipso. Ergo debet habere intentionem faciendi actum Sacramenti nomine Christi. Respondetur. Non posse ministrum operari nomine Christi, nisi habeat animum operandi nomine ipsius directum, & in actu exercito; secus autem reflexum, & veluti in actu signato, à quo imperetur exequutio. Vt autem habeat animum, directum in actu practico, sufficit voluntas, quæ vult actum externum secundùm institutionem Christi, & Ritum Ecclesię, nec requiritur alia voluntas, qua velit facere hunc actum nomine Christi. Ad probationem. Procuratorem emere Petro, si exerceat emptionem in exequutionem commissionis, etiam absque alio animo emendi Petro.

Qualis esse debeat intentio ministri.

SECTIO V.

35 Communiter docent requiri intentionem, aut formalem, aut virtualem, ita D. Thom. 3. *par. quæst. 64. ar.* 8. Caiet. Nugnus, Syluius, Chelisson: *ibidem.* Concil. *dub.* 2. Pesant. *disput.* 2. Scotus *in 4. dist. 6. quæst.* 5. Sotus *dist.* 1. *qu.* 5. *ar.* 8. Suar. *disput.* 13. *de Sacram. sect.* 3. Vasqu. 3. *par. disput.* 138. *cap.* 6. & alij.

36 Dico 1. *Requiritur in esse actuali illa intentio, quæ sit causa faciendi, quod facit Ecclesia, seu quæ versatur, circa actum externum.* Probatur intentio debet esse causa actus exterioris sacramentalis, & ipsum respicere sub esse sacramentali. Ergo debet esse formalis. Consequentia probatur. Debet habere pro obiecto externum actum sacramentalem. Confirmatur. Verba debent procedere ab aliqua formali intentione, cum hoc sit de ratione omnis actus externi humano modo exerciti. Vel ergo hæc intentio dirigitur ad ipsa verba, vt sacramentalia, vel non. Si primum; Ergo est intentio formalis faciendi, quod facit Ecclesia. Si secundum; Ergo non procedunt ab ipsa sacramentali modo, atq; adeò, nec vt sacramentalia, quia procedunt tātùm secundū id, secundū quod apprehenduntur.

37 Dico 2. *Intentio de Sacramento, quæ non sit tantum de proferēdis verbis supra debitam materiam, & secundum debitum ritum, sed de ipso Sacramento, vt est quædam res sacra, quæ consurgit ex prolatione verborum supra debitam materiam, sufficit, si sit virtualis, vel in aliquo actu, qui virtute contineat intentionem formalem, vel in ipsa intentione proferendi verba sacramentalia supra debitam materiam.* Probatur. Hæc intentio non est per se requisita, nisi quatenus est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, hæc autem saluatur, absque formali intentione de Sacramento secundum se considerato. Confirmatur. Intentio non requiritur ad Sacramenta, nisi vt causa. Ergo cum Sacramentum non causetur à ministro, nisi quatenus causat verba, per quæ conficitur, non requiritur intentio, quæ per se primò terminetur ad Sacramentum; sed sufficit, quæ terminatur ad verba.

38 Dico 3. *Non sufficit intentio conditionata, manens in esse conditionato.* Ita communiter, præsertim supracitati. Probatur. Intentio requisita ad Sacramenta debet esse efficax, cum debeat ipsa causare; conditionata autem non

non est efficax, dum manet conditionata, quia suspendit actum.

39 Dices. Licet conditio non sit posita, propositio tamen de futuro est determinatè vera, vel falsa. ergo si est ponenda conditio censetur posita. Respondetur negand. Conseq. Quia conditio de futuro suspendit intentionē, & reddit inefficacem. Nam non est sensus si hoc est futurū, intēdo; sed si erit, intendo; & proinde suspēditur intentio.

40 Dices secundo. Apposita conditione proferuntur verba secundum ritum Ecclesiæ supra determinatam materiam. ergo sufficit intentio conditionata. Respondetur negando Conseq. Quia tunc intentio est absoluta, licet de obiecto conditionato. Vnde si conditio obiectiuè existit, actus transit in absolutum. Si verò non existit, verba se habent, ac si non proferrentur, quia intentio est coarctata ad existentiam conditionis cum exclusione oppositi.

An intentio debeat ferri circa subiectum, & materiam determinatam sine errore.

SECTIO VI.

41 Conueniunt communiter, quod quando minister determinat intentionem ad certam materiam, aut subiectum certum, ita vt excludat omne aliud, non conficiat Sacramenta, si circa ipsa erret substantialiter. Ratio est. Quia tunc intentio est virtualiter conditionata, cum virtuali exclusione alterius materiæ, aut subiecti. Vnde hæc determinatio est illicita cum exponat Sacramentum periculo inualiditatis sine fundamento.

42 Conueniunt secundo. Semper intentionem debere ferri circa determinatam materiam, & subiectum. Quia Sacramenta tanquam sanctificatiua debent applicari determinato subiecto, cum hoc sit de ratione cuiuscunque causæ. Sicut etiam verba debent applicari determinatæ materiæ, cum hoc sit de ratione cuiuscunque formæ. Solum ergo difficultas est, an sit validum Sacramentum, quando contingit error substantialis circa materiam, aut personam absq; exclusione alterius materiæ aut personæ, vt si baptizans puellam putet esse puerum.

43 Dicendum est, *Talem errorem non inualidare Sacramentum excepto matrimonio*, ita contra Syluestrum *verbo* Baptismus 3.*q.*15. & Hostiensem apud ipsum docent Sotus *in* 4.*dist.*1.*q.*5.*ar.*8. Maior.*disp.*6.*q.*1.§.*Tertio arguitur*. Vasquez 3.*par.disp.*138.*cap.*7. Coninc.*qu.*64.*ar.*8.*dub.*4. Suar.*disp.*13.*de Sacram.sect.*3. Ver. *Sed quæres*. & communiter. Probatur. Talis error non subtrahit materiam, aut personam ab intentione Ministri, quia licet putet esse aliam, dirigit tamen ad illam, quæ est præsens, ita vt præsentia substernat intentioni materiam, & personam præsentem. Ergo conficitur Sacramentum, quia adest sufficiens determinatio in materia, & persona.

44 Dices. Talis error irritat Sacramentum matrimonij. Ergo etiam cætera. Respondetur. Omissio varijs responsionibus esse disparem rationem, quia eo ipso, quod in matrimonio intentio fertur ad certam personam, excluditur virtualiter omnis alia; nam eo ipso intentio se habet per modum electionis, qua eligitur talis persona præ alijs in consortium matrimoniale, & ideo cum possit esse tantum electio vnius, virtualiter excluditur omnis alia, sicut etiam contingit in cæteris electionibus. Quod non contingit in cæteris Sacramentis, quia in ipsis non interuenit huiusmodi electio.



SACRA

SACRA MORALIS DOCTRINA

DE SACRA IVDICIALI Hominis expiatione per Sacramentum Pœnitentiæ ad Scholasticæ lecturæ Methodum explicata.

Inter alia sensibilia signa, seu Sacramenta ordinata ad sanctificandum hominem est Sacramentum pęnitentię institutum pro conferenda prima sanctificatione, quando per peccatum mortale est deperdita. Quia autem in hoc Sacramento interueniunt speciales actus hominis, quibus peccatum detestatur, & concipit emendationem vitæ præteritæ, atque adeò pęnitet peccasse; ideò hi actus tanquam specialis virtus, & pars Sacramenti considerandi sunt.

DE VIRTVTE Pænitentiæ.

DISPVTATIO LXXIII.

An Pęnitentia sit virtus.

SECTIO I.

1 NOmine Pęnitentiæ intelligitur quædam mutatio hominis, qua resipiscens a peccatis ipsa detestatur, & dolet. Dicitur autem secunda tabula post naufragium, vt docet Concilium Tridenr. *session.6.c.*14. Quia sicuti per baptismum tanquam per primam tabulam homo saluatur a naufragio peccati originalis; ita per pænitentiam, vt per secundam tabulam, saluatur a naufragio peccati actualis.

2 Dicendum primo. *Pænitentiam esse virtutem*, ita communiter cum D.Thom.*3.par. quæst.*85*. art.*1. & est de fide contra Lutheranos definitum in Concilio Tridentino *sessio.6. capit.6.* & tradunt communiter Patres. Probatur. Pænitentia præcipitur a Deo Math. 4. *Pænitentiam agite &c.* & non potest haberi sine auxilio gratiæ, vt definitur in Triden.*sess.6.can.*3. Quod autem pręcipitur a Deo, & est implendum cum auxilio gratiæ, est opus virtuosum.

3 Obijcitur ex Aristotele 4. *Ethicor. cap.9.* Verecundia non est virtus, quia oritur ex turpi actione, ergo nec etiam pænitentia, quia oritur ex peccato. Respondetur. Negando consequentiam. Nam verecundia non est virtus, non quia oriatur ex turpi actione, sed quia ex obiecto formali non est talis; habet enim pro motiuo proprium honorem, cum sit timor infamiæ ex affectu honoris proprij. Hoc autem motiuum potest mouere ad bonum, & ad malum; nam ex affectu honoris homines faciunt plura mala, mentiuntur, occidunt, &c. Et ideò verecundia ex obiecto non est virtus, sed solùm si negatur secundum mensuram alicuius virtutis. Pænitentia verò habet pro motiuo specificatiuum virtutis, cum detestetur peccatum ex affectu honestatis.

4 Dicendum secundò. *Pænitentiam non esse solam resipiscentiam, & mutationem vitæ in melius, sed etiam includere dolorem, & afflictionem.* Est de fide contra Lutheranos definitum à Tridentino *citato*. Probatur Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu* Ezechielis 6. *Displicebant sibimet super malis, quæ fecerunt.* Isaiæ 34. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et passim in scriptura explicatur pænitentia cum dolore.

5 Dicendum tertio. *Pænitentiam esse virtutem simpliciter:* ita communiter cum D. Thom. *3. par. quæst.* 81. *art.*5. Probatur, virtus secundùm se formaliter est bonus habitus, quo quisque rectè viuit, seu rectificatiuus operationis humanæ, vt desumitur ex D. August. *lib.* 2. *de libero arbitrio, cap.*18. *&* 19. & D.Thom. 1.2. *quæst.*55. *artic.*4. Sed talis est pænitentia. Ergo, Minor Probatur. Pænitentia detestatur peccatum ob suam turpitudinem, & vt destructiuum ordinis ad finem supernaturalem. Ergo rectificat humanam operationem. Tum quia voluntas tenetur sequi bonum, & declinare a malo, & per pænitentiam rectificatur in ordine ad hoc præceptum. Tum quia tenetur se conuertere in finem supernaturalem, conuertitur autem per pænitentiam.

6 Obijcitur: si pænitentia esset virtus, qui peccaret, esset ornatus pluribus virtutibus, & esset sanctior, hoc autem est absurdum ergo. Respondetur. Esset ornatus pluribus virtutibus quo ad actus, quia haberet actus plurium virtutum, non autem quoad habitum, quia virtutes morales supernaturales, non sunt speciales habitus distincti à charitate, non esset tamen magis sanctus: quia sanctitas non attenditur ex diuersitate actuum virtutis; sed ex charitate, & gratia.

7 Obijcitur secundo. Virtus exercetur cum delectatione, pænitentia autem cum tristitia. Ergo non est virtus. Respondetur Pænitentiam exerceri cum tristitia respectu peccati commissi: cum delectatione verò quatenus ipsa tristitia delectat: voluntas enim delectatur de sua tristitia, vt de quodam bono animæ in ordine ad finem supernatura-

turalem, nam sicut cum delectatione tendit in finem, ita etiam cum delectatione exercet omnes actus, qui concernunt assequutionem finis; nam delectans in virtute eiusdem finis, quatenus finis reddit media expetibilia propter seipsum.

An Pœnitentia sit virtus supernaturalis.

SECTIO II.

8 DIcendum primo. *Pænitentiam esse virtutem supernaturalem.* ita communiter cum D. Thom. *3. par. quæst.* 83. *art.* 5. Et est de fide ex Tridentino *sess.* 6. *cano.* 7. vbi definitur, quòd non possit haberi viribus naturalibus. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem posse credere, sperare, aut diligere, aut pænitere, sicuti oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Probatur. Pænitentia est donum Dei Hieremiæ 31. *Postquam conuertisti me, egi pænitentiam.* Actor. 3. *Deus saluatorem exaltauit ad dandam pænitentiam Israeli.* Ergo pænitentia est virtus supernaturalis. Consequentia probatur. Si esset naturalis posset haberi viribus naturæ, atque adeò non esset donum Dei, sed opus ipsius hominis.

9 Dicendum secundo. *Pænitentiam esse virtutem supernaturalem non solum quò ad modum, & ordinem ad finem supernaturalem, sed etiam quò ad substantiam.* ita D. Thom. *loco citato* Caietan. *ibidem*. Soto, *in* 4. *distinct.* 14. *quæst.* 2. *art.* 5. Richard. *art.* 4. *quæst.* 1. D. Bonauen. *par.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. Palud. *q.* 3. *num.* 4. & alij contra Durandum *in* 4. *distinct.* 14. *q.* 2. Scot. *q.* 2. *art.* 1. Gabriel. *q.* 1. Probatur. Ille actus est supernaturalis quòad substantiã, qui potest habere locum solum in ordine supernaturali, sed licet aliqua pænitentia possit habere locum in ordine naturali, aliqua tamen potest habere locum solùm in ordine supernaturali. Ergo. Minor probatur. Dolor de peccato, vt est destructiuum ordinis supernaturalis ad vltimum finem, & cæteri actus connexi non possunt habere locum, nisi in ordine supernaturali, quia tendunt ad id, quod est intra talem ordinem. Ergo.

10 Obijcitur. Peccatum non est quid supernaturale, ergo nec etiam actus circa ipsum. Respondetur negando consequentiam. Quia licet peccatum non sit in se quid supernaturale, est tamen destinitiuum alicuius supernaturalis, & ideò potest astringi vt obiectum materiale ex motiuo supernaturali.

An Pænitentia sit virtus specialis.

SECTIO III.

11 PRima sententia asserit, esse virtutem generalem importantem connexionem omnium virtutum, quatenus ad quamlibet pertinet detestari peccatum oppositum. ita Altisiod. *lib.* 4. *summ. tracta.* 6. *q.* 3. Maior. *in* 4. *distinct.* 14. *q.* 2. *dub.* 1. Probatur. Ad quod pertinet bonum prosequi, pertinet etiam fugere malum oppositum, cum fuga oriatur ex amore boni, sed ad quãlibet virtutem pertinet prosequi bonum propriũ. Ergo. secundo. Intentio satisfaciendi pro offensa parentibus pertinet ad pietatem, & intentio satisfaciendi proximo pro iniuria pertinet ad iustitiam, quia offensa est contra has virtutes. Ergo cum offensa Dei sit contra virtutem, cui contrariatur peccatum, intentio satisfaciendi pertinebit ad virtutem, contra quam est peccatum.

12 Secunda sententia asserit, esse specialem virtutem. ita D. Thom. 3. *p. q.* 83. *artic.* 2. Caietanus, Syluius, Vasquez *ibidem*, Sot. *in* 4. *distinct.* 14. *q.* 2. *art.* 2. & communiter.

13 Dicendum est. *Pænitentiam esse specialem virtutem.* Probatur. Illa est specialis virtus, quæ attingit speciali modo speciale obiectum. Sed talis est pænitentia. Ergo. Minor probatur. Pænitentia non importat odium peccati, vt est dissonum regulis rationis, sed vt contrariatur recto statui creaturæ rationalis, atque adeò respicit peccatum vt emendabile, hoc autem est tendere speciali modo in speciale obiectum. Ergo.

14 Ad primum respondetur. Ad quamlibet virtutem pertinere fugere malum oppositum, quatenus contrariatur ipsi virtuti, pęnitentia autem non tendit in peccatum sub hac ratione, sed secundum communem rationem, qua contrariatur statui pęnitentis. Ad secundum. Quicquid sit de antecedenti. Negatur Consequentia. Quia Pęnitentia non est voluntas satisfaciendi Deo pro peccato, vt dicemus, sed emendandi vitam, & destruendi peccatum.

15 Instabis. Ad emendandum peccatum infidelitatis sufficit fides, & sic de cæteris. Ergo ob emendationem peccati non est ponenda specialis virtus pęnitentiæ. Respondetur. Ad emendandam infidelitatem, vt infidelitas est ex motiuo Diuinæ veracitatis sufficere fidem; non autem ad emendandum proprium statum deordinatum generaliter per peccatum, sed requiritur specialis virtus.

DE OBIECTO PÆNITENTIAE.

DISPVTATIO LXXIV.

Quodnam sit formale obiectum Pęnitentiæ.

SECTIO I.

1 SVpponendum est contra Valentiam *to.* 4. *disp.* 7. *qu.* 2. *punc.* 1. Pęnitentiam non habere pro obiecto formali peccatum, vt est offensa Dei, quia odium peccati, & detestatio ipsius, quatenus est Dei offensa, oritur ex charitate, quæ facit vt odio habeamus, quicquid Deo contrariatur ex eo, quod diligimus bonum ipsius. Pęnitentia autem non est actus charitatis.

2 Supponendum secundo, contra Caietanum 3. *par. q.* 85. *art.* 2. & Coninch. *disput.* 1. *de pæniten. dub.* 4. *nu.* 25. Pęnitentiam non habere pro obiecto formali honorem Dei læsum vt resarciendum, quia cum honor sit debitus Deo ratione summæ excellentiæ, non potest esse formale motiuum pęnitentiæ, quia excellentia non est motiuum odij, & detestationis; nec vt specificat suam virtutem, supponit essentialiter peccatum, sicut supponit motiuum pęnitentiæ: sed specificat actum religionis, quæ tendit ad cultum Dei.

3 Supponendum tertio. Pęnitentiam importare odium, & dolorem circa peccatum, vt passim desumitur ex scriptura, & tradunt Patres Ambros. *serm.* 1. *de quadrag.* Greg. *lib.* 9. *Registri epist.* 39. August. *lib.* 2. *ad simpl. q.* 2. & alij. Vnde sequitur, quod debeat habere pro obiecto aliquid, quod causat odium, & dolorem.

4 Prima sententia asserit, obiectum formale pœnitentiæ esse peccatum vt compensandum. ita Albertus *in* 4. *dist.* 14. *ar.* 4. *ad* 3. D. Bonau. *par.* 1. *ar.* 1. *qu.* 2. *&* 3. Sot. *qu.* 2. *ar.* 2. Argentinas *quæst.* 1. *ar.* 1. Durand. *qu.* 2. *n.* 4. Richard. *ar.* 1. *qu.* 2. Vasquez 3. *par. qu.* 85. *ar.* 2. *dub. vnico num.* 51. & alij.

5 Secunda sententia asserit, obiectum pęnitentiæ esse ius Dei læsum vt resarciendum. ita Scotus *in* 4. *dist.* 14. *qu.* 2. Gabriel. *qu.* 1. *ar.* 3. *dub.* 9. Suar. *disp.* 2. *de pænitentia sect.* 3. *num.* 8. & alij.

6 Tertia sententia asserit, obiectum formale pœnitentiæ esse æqualitatem moralem cum Deo, non strictè sumptam, sed quæ in eo consistat, quod Deus non sit rationabiliter iratus, atque adeò pænitentiam esse virtutem, quæ tendit ad habendã pacẽ cũ Deo, ita nonnulli Recent.

7 Dico

7 Dico primo. *Pœnitentiam non habere pro obiecto formali compensationem pro peccato*. Probatur. Compensatio pro peccato pertinet ad iustitiam legalem. Ergo non est obiectum pœnitentiæ. Consequentia patet. Quia pœnitentia est virtus priuata respiciens priuatum bonum vniuscuiusque; iustitia verò legalis est virtus publica respiciens publicam vtilitatem communitatis. Antecedens probatur. Iustitia legalis habet pro obiecto iustum legale in ordine ad bonum commune, atque adeò rectum ordinem communitatis. Ergo stante peccato exigit compensationem, quia cum peccatum deordinet rectam dispositionem communitatis, & compensatio reordinet, quod est deordinatum, eo ipso, quòd iustitia legalis respicit rectum ordinem, exigit etiam compensationem.

8 Dico secundo. *Pœnitentia non habet pro obiecto formali ius Diuinum læsum vt resarciendum*. Probatur. velle resarcire ius Diuinum læsum ex peccato est velle se ipsum subijcere Deo, & ipsi præstare debitum obsequiū. Ergo supponit dolorem de peccato, & voluntatem destruendi ipsum. Ergo supponit pœnitentiam. Consequentia probatur. Quia vbi est dolor de peccato, & voluntas destruendi ipsum, ibi adest pœnitentia. Confirmatur. Si pœnitentia respiceret ius Dei resarciendum, peccator teneretur statim pœnitere, ne continuaret læsionem iuris Diuini, vt constat in humanis, nam statim consurgit obligatio resarciendi ius tertij, si est læsum; sed hoc est falsum. Ergo.

9 Dices non statim obligari, quia dilatio resarciendi non est nociua Deo. Contra. Tātum nocet delatio; quantum nocet læsio, quia dilatio est continuatio læsionis. Ergo si læsio obligat ad resarciendum, obligat etiam ad non differendam resarcionem.

10 Dices secundo. Deum cessisse iuri suo. Contra. Tum quia non constat de hac cessione, imo scriptura clamat, ne differamus pœnitentiam. Tum quia non potest Deus cedere huic iuri, cùm ipsi essentialiter conueniat; nam conuenit, quia Deus est.

11 Dico tertio. *Pœnitentia non habet pro obiecto formali æqualitatem moralem cum Deo, seu pacem, cum ipso*. Probatur. Tendere ad istam æqualitatem, & ad placandum Deum est tendere ad reconciliationem cum ipso. Ergo est tendere ad amicitiam ipsius, sed tendere ad amicitiam cum Deo pertinet ad charitatem, non autem ad pœnitentiam; cum reconciliatio consistat in noua amicitia. Ergo habere talem æqualitatem cum Deo, seu habere ipsum placatum, non est obiectum pœnitentiæ, sed charitatis.

12 Dices. Pœnitentiam tendere ad reconciliationem cum Deo, non vt fiat amicus positiuè, sed solùm, vt non sit iratus, quia inter amicitiam, & inimicitiam datur status medius. Contra. Iste status medius est impossibilis; Tum quia amicitia, & inimicitia opponuntur contradictionem. Tum quia habere Deum amicum est habere gratiam sanctificantem, & non habere gratiam sanctificantem est habere inimicum.

13 Obijcitur Deus placatur pœnitentia. Ergo pœnitentia est virtus placatiua Dei. Respondetur. Placari pœnitentia, non quia pœnitentia tendat formaliter ad placandum Deum, sed quia est obiectum placatiuum, vnde placatur obiectiuè, non autem formaliter.

14 Dicendum quarto. *Peccatum vt maculans animā, & indignum reddens fine supernaturali, est obiectum pœnitentiæ*. Probatur, Peccatum est obiectum pœnitentiæ, prout est obiectum doloriferum. Ergo prout maculat animam. Consequens probatur. Obiectum ex eo est doloriferum, quod est malum coniunctum dolenti, cum dolor nascatur ex applicatione obiecti disconuenientis. Ergo peccatum vt malum coniunctum animæ est obiectum doloriferum; est autem malum coniunctum, prout est macula ipsius.

15 Dicendum quinto. *Motiuum pœnitentiæ, ex quo oritur odium, & dolor de peccato, est status supernaturalis, ita vt ex amore ordinis ad finem supernaturalē oriatur odium peccati*. Desumitur ex D. Tho. 2. 2. q. 28. *art*. 2. *ad* 2. quatenus docet, quod ratio dolendi de peccato est, quia diuidit inter nos, & Deum, & impedit a participatione Diuini boni. Probatur. Odium peccati attingit ipsum sub ratione disconuenientis. Ergo debet ipsum attingere ex motiuo illius boni, quo priuat; priuat autem ordine ad finem supernaturalem. Consequentia patet. Quia malum non potest per se primò attingi, sicut nec per se primo cognosci; sed debet attingi ratione illius boni, quo priuat.

Quodnam sit obiectum materiale pœnitentiæ.

SECTIO II.

16 Supponendum est. Pœnitentiam habere per obiecto nedum malū, quod odit, sed etiam bonum oppositum, ratione cuius malum detestatur; quia virtutes sequuntur naturam potentiæ, cuius sunt virtutes, potentia autem per se primò tendit in obiectum materiale pœnitentiæ in ratione boni, quæ aliquo modo substernuntur obiecto formali, vnde cum obiectum formale sit status supernaturalis, non solum ea, quæ concernunt talem statum, sed etiam quæ aliquo modo ad ipsum conducunt, erunt obiectum materiale.

17 Supponendum secundo. Certum esse, quod omnia peccata mortalia sint obiectum materiale in ordine ad odium, vt docent communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 85. *art.* 1. *ad* 3. Quia cum peccatum mortale destruat omnino ordinem ad finem supernaturalem, est malum totaliter oppositum motiuo pœnitentiæ.

18 Dico primo. *Peccata venialia sunt obiectum materiale pœnitentiæ*. ita Suar. *disput.* 2. *de pœnitentia. sect.* 2. *num.* 4. & communiter. Probatur. Peccatum veniale est macula animæ. Ergo est obiectum doloriferum potens terminare odium ex motiuo pœnitentiæ.

19 Dico secundo. *Imperfectiones, quæ non continent peccatum, vt omissio actus perfectioris non seruare consilia &c. non sunt obiectum pœnitentiæ*. Probatur. Non participant aliquo pacto obiectum formale pœnitentiæ, quia non maculant animam, Ergo non sunt odibiles ex motiuo pœnitentiæ.

20 Dices. Has imperfectiones facere, quod Deus quasi auertatur negatiuè; seu minus conuertatur, & quòd deobligatur ad danda vlteriora auxilia. Contra. Tum quia hoc non est malum oppositum motiuo pœnitentiæ. Tum quia cum nullum contineant peccatum, non reddunt hominem indignum his auxilijs. Tum quia cum Deus nullo modo obligetur ad danda hæc auxilia, nec etiam potest deobligari.

21 Dico tertio. *Peccatum habituale est obiectum pœnitentiæ*. ita communiter cum D. Tho. 3. *par. q.* 85. *art.* 2. *ad* 1. Probatur. Peccatum habituale est formalis macula animæ. Ergo potest odio haberi vt malum coniunctum ex motiuo pœnitentiæ.

22 Dico quarto. *Peccatum originale est obiectum pœnitentiæ*. ita D. Tho. *in* 4. *distin.* 17. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiuncula* 2. Sot. *quæst.* 2. *art.* 2. Suar. *disput.* 2. *de pœnitentia. sectio.* 1. *num.* 13. & alij contra Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 1. *puncto* 2. Granad. 3. *parte controuers.* 7. *tract.* 2. *disp.* 2. Probatur. Peccatum originale est obiectum odij, vt macula animæ, & soluens ordinem ad finem supernaturalem. Ergo substernitur motiuo formali pœnitentiæ.

23 Obijcies. Pœnitentia fertur in peccatum, prout a nobis commissum, & voluntarium; peccatum autem originale non est commissum a nobis, nec nobis voluntarium. ergo. Respondetur. Pœnitentiam ferri in peccatum vt a nobis commissum, & nobis voluntarium siue physicè, siue moraliter, peccatum autem originale est a nobis commissum, & nobis voluntarium moraliter, quia est com-

commissum a capite generis humani, in quo repræsentabantur omnium voluntates.

24 Dico quinto. *Peccatum habituale, & originale sunt obiectum pænitentiæ, etiam in ordine ad retractationem.* Probatur. Illud potest a nobis retractari, quod est aliquo modo nobis voluntarium. Sed peccatum habituale est nobis voluntarium, quatenus est effectus peccati actualis; & etiam originale, vt constat ex dictis. ergo.

25 Dico sexto. *Actus externus est obiectum pænitentiæ, non seorsim, sed simul cum interno.* Probatur. Actus externus integrat vnum peccatum simul cum interno. Ergo simul cum ipso est obiectum pænitentiæ tanquam pertinens ad complementum peccati.

26 Dico septimo. *Actus, qui sunt tantum materialiter mali, vel ex inaduertentia, vel ex alio capite, non sunt obiectum pænitentiæ.* Probatur. Non sunt offensa Dei nec maculant animam. Ergo non sunt attingibilia ex motiuo pænitentiæ.

27 Obijcitur. Iustitia habet pro obiecto nocumentum proximi resarciendum, etiamsi sine peccato inferatur. Ergo etiam pænitentia. Respondetur negando conseq. Quia in damno, quomodocunque illato, est obiectum destruendum per iustitiam, sicut etiam in obiectis aliarum virtutum; in actu verò solum materialiter malo non reperitur ratio obiecti pænitentiæ, quæ est macula animæ, & malum ipsius.

28 Dico octauo. *Malum pœnæ pertinet ad obiectum materiale pænitentiæ.* Probatur. Malum pœnæ dicit ordinem ad malum culpæ, & connotat turpitudinem animæ. Ergo potest esse obiectum odij ex motiuo pænitentiæ, vt quid consequens ex culpa, & annexum cum macula animæ.

An peccatum alienum sit obiectum pænitentiæ.

SECTIO III.

29 PRima sententia est affirmatiua. ita Suar. *disput.* 2. *de pænitentia sectio.* 1. *nume.* 9. Coninch *de Sacram. disput.* 1. *de pænit. dub.* 3. Granad. 3. *par. controu.* 7. *tract.* 2. *disp.* 2. *num.* 4. Probant. Potest voluntas conari ad destruendum peccatum alienum, quantum est de se. Ergo potest circa ipsum exercere actum pænitentiæ. Secundo. Peccata proximi ratione vinculi charitatis possunt reputari propria. Ergo possunt esse obiectum pænitentiæ. Tertio. Idem habitus potest tendere in plura obiecta, quando motiuum principale est idem, vt patet in charitate. Ergo eodem habitu potest detestari ex communi motiuo peccatum proprium, & alienum.

30 Secunda sententia est negatiua. ita D. Thomas *in* 4. *distinct.* 17. *q.* 2. *art.* 2. & communiter id pro certo supponunt.

31 Dicendum est. *Pænitentiam non posse habere pro obiecto peccato aliena.* Probatur. Ideò essent obiectum pænitentiæ, quia potest quis ea detestari & de ipsis dolere, sed non potest ex motiuo pænitentiæ. Ergo, minor probatur. Tum quia Deus detestatur peccata nostra, & tamen non est pœnitens. Tū quia non potest quis detestari talia peccata ex motiuo proprij status supernaturalis.

32 Ad primo respondetur. Voluntatem posse conari ad destruendum alienum peccatum, non ex motiuo pænitentiæ; sed ex motiuo charitatis. Ad secundū. Peccata aliena posse ratione charitatis reputari propria, non proprietate personæ, sed proprietate æstimationis; quatenus charitas facit, quod æstimemus, tanquam proprium, bonum, & malum amici. Pænitentia autem respicit malum proprium proprietate personali. Ad tertiū distinguitur consequens. Potest detestari eodem habitu peccatum proprium, & alienum ex motiuo charitatis; aut ex motiuo illius virtutis, cui opponitur peccatum; non autem ex motiuo pænitentiæ, quia motiuum pænitentiæ fundatur in propria persona, nec egreditur terminos ipsius.

DE SVBIECTO Pænitentiæ.

DISPVTATIO LXXV.

Quodnam sit subiectum proximum Pænitentiæ.

SECTIO I.

1 OMissis varijs opinionibus Antiquorum, de quibus Alens. *par.* 4. *quæst.* 12. *memb.* 2. *artic.* 3. §. 2. Dicendum est. *Virtutem pænitentiæ subiectari in voluntate* ita docent communiter cum D. Tho. 3. *par. q.* 85. *art.* 4. Probatur. Actus pænitentiæ est actus voluntatis. Ergo virtus pænitentiæ subiectatur in voluntate, quia virtus subiectatur in ea potentia, a qua elicitur actus. Antecedens probatur. Quia actus pænitentiæ est odium, & dolor, vt docet Concil. Triden. *sess.* 6. *cap.* 6.

2 Obijcitur. Pænitentia est pœna. Ergo cum pœna debeat esse inuoluntaria; pænitentia non pertinet ad voluntatem. Respondetur. Pænitentiam esse pœnam non ab extrinseco prouenientem, sed ab intrinseco, quatenus est dolor, qui affligit animam.

3 Quæres. An in appetitu sensitiuo sit ponendus aliquis habitus pænitentiæ. Respondetur negatiuè cum Soto, *in* 4. *distinct.* 14. *q.* 2. *art.* 4. & alijs contra Suarez *disput.* 7. *de pænitentia. sect.* 1. *num.* 4. Quia dolor, qui consurgit in appetitu sensitiuo, quando voluntas dolet de peccato, consequitur ex naturali redundantia, & proinde non est necessarius habitus, quia non ponitur habitus, qui consurgat in potentia ex determinatione naturæ, cum habitus debeat aliquo modo determinare potentiam.

In quibus sit virtus pænitentiæ.

SECTIO II.

4 PRima sententia ponit in omnibus, etiam in Christo, virtutem pænitentiæ. ita Argentinas *in* 4. *distinct.* 14. *art.* 1. *in fine.*

5 Secunda sententia excipit Christum, quia non potuit peccare, & Angelos, quia non erant capaces pænitentiæ post peccatum. ita Richard. *in* 4. *distinct.* 14. *qu.* 1. *art.* 3. Paludanus *q.* 4 Cisterciensis *q.* 3. & alij.

6 Tertia sententia, non solum excipit Christum, & Angelos, sed etiam B. Virginem. ita Sot. *in* 4. *distinct.* 14. *q.* 2. *art.* 5. Maior. *q.* 2. & alij.

7 Quarta sententia asserit, pænitentiam, vt dicit actum retractationis, non habere locum in ijs, qui non potuerunt peccare, quoad alios autem actus fuisse etiam in Christo. ita Alensis *par.* 4. *q.* 12. *memb.* 1. *art.* 1. §. 1. Suar. *disp.* 7. *de pænitentia sectio.* 1. *num.* 10. Coninch. *de Sacram. disp.* 1. *de pæniten. dub.* 3. *in fine.*

8 Quinta sententia ponit pænitentiam tantum in ijs, qui sunt capaces peccati, non autem in ijs, qui non potuerunt peccare, aut si peccarent erant amissuri virtutem pænitentiæ. ita Vasquez 3. *par. q.* 85. *art.* 4. *dub.* 2. Carpens. *par.* 2. *cursus Theologi, disp.* 2. *de pænitentia. sect.* 8.

9 Dico primo. *In ijs, qui non potuerunt peccare, non fuit virtus pænitentiæ.* Probatur. Pænitentia non potest habere aliquos actus sibi proprios in ijs, qui non potuerunt peccare. Ergo in ipsis non est pænitentia. Antecedens est certum. Quia non possunt retractare, & detestari peccatum vt proprium. Consequentia probatur. Quando aliqua potētia potest habere aliquos actus, ex vi alicuius motiui formalis, potest etiam habere omnes, qui causantur

tur

tur ex illo motiuo, vtpote proportionata tali motiuo, atque adeò quæ possit mouere ad omnes actus ab ipso causatos. Ergo quando non potest habere aliquem ex ijs actibus, nec etiam potest habere alios, quia non est apta moueri a tali motiuo. Confirmatur. Quando aliqua virtus procedit ex motiuo propriæ personæ, si tēdat in idem obiectum, sed ex motiuo diuerso, non est amplius illa virtus. Sed pænitentia tendit in peccatum ex motiuo propriæ personæ, quia tendit in destructionem ipsius vt mali proprij, atque adeò ex motiuo proprij boni. Ergo quando tendit in peccatum ex alio motiuo, non est amplius pœnitentia.

10 Dico secundò. *Neque in Angelis, neque in primis Parentibus pro statu innocentiæ fuit virtus pœnitentiæ.* Probatur. Pro illo statu non erat possibilis actus pænitentiæ. Ergo nec etiam virtus. Antecedens patet. Quia durante statu gratiæ non erat possibile peccatum, atque adeò nec etiam pænitentia. Consequentia probatur. Destructo statu gratiæ per peccatum, fuisset etiam destructa virtus pœnitentiæ. Ergo fuisset frustra, quia non fuisset ordinata ad aliquem actum.

11 Dices. In illo statu fuisse possibilem actum sub conditione, nempe pæniterem, si peccatum committerem. Contra. Talis actus condicionatus pænitentiæ non est formalis, sed obiectiuus, quia est obiectum voluntatis, quatenus decernit, se electuram pœnitentiam existente conditione peccati. Ergo non est actus pœnitentiæ, quia voluntas pænitendi sub conditione non est pænitentia.

12 Dico tertiò. *In Beatis, etiamsi peccauerint in hac vita, non est virtus pænitentiæ.* Probatur. Beati non possunt detestari peccatum proprium ex motiuo pænitentiæ. Ergo non est in ipsis virtus pænitentiæ. Antecedens probatur. Pœnitentia non dicit quamlibet detestationem proprij peccati, sed quæ sit recessus ab ipso, quia est detestatio, ex qua oritur dolor, & propositum emendationis. Beati autem non possunt tali pacto detestari peccatum.

13 Hæc autem quæ dicta sunt debent intelligi de virtute pænitentiæ vt proximè determinata in ratione talis virtutis. Nam cum virtutes morales non distinguantur a charitate, vt suo loco ostenditur, vbicunque est charitas, est etiam virtus pœnitentiæ, secundum esse remotum, non tamen secundum vltimam determinationem, qua charitas determinetur ad eliciendos actus pænitentiæ. Consistit autem hæc vltima determinatio in eo, quòd charitas proximè moueri possit ab obiecto pœnitentiæ; & ex eo potest proximè moueri, quia stat sub iudicio practico dictante de detestatione proprij peccati. Quando verò non adest habitus charitatis, id præstat voluntas supplente Deo defectum habitus.

DE ACTIBVS Pœnitentiæ.

DISPVTATIO LXXVI.

Quinam sint actus Pænitentiæ.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Omnes virtutes posse habere illos actus circa proprium obiectum seruata proportione, quos potest habere voluntas circa suum, quia cum speciale obiectum dicat in esse determinato, quod dicit vniuersale in communi, potest mouere voluntatem informatam tali virtute ad omnes illos actus in speciali, ad quos secundùm rationem communem potest mouere obiectum vniuersale, & ideò elicit actus non solum amoris, & prosequutionis, sed etiam odij, & fugæ, vt notat D. Thom. 3. *par. q.* 85. *art.* 2. *ad* 1.

2 Dico primò. *Gaudium de motiuo formali pænitentiæ est actus pænitentiæ.* ita Suar. *disput.* 3. *de pæniten. sect.* 2. *num.* 4. Probatur. Voluntas gaudet de bono in communi. Ergo pœnitentia vt talis virtus gaudet de tali bono sibi correspondente, quia, determinat voluntatem ad operandum circa tale obiectum particulare, & ad illos actus, quos potest exercere circa bonum in communi.

3 Obijcitur. Gaudium repugnat cum dolore. Ergo cū pœnitentia causet actum doloris, non potest causare gaudium. Respondetur. Gaudium repugnare cum dolore in ordine ad idem obiectum; non autem in ordine ad diuersa. Pœnitentia autem gaudet de suo motiuo formali, & dolet de peccato commisso.

4 Dico secundò. *Propositum non peccandi de cætero est actus proprius pænitentiæ.* Ita communiter. Probatur. Potest elici ex motiuo pœnitentiæ. Ergo est actus illius. Antecedens probatur. Omne bonum nedum mouet ad amorem sui, sed etiam ad fugam mali oppositi, & ad ea arcenda, quibus corrumpi potest. Ergo etiam motiuum pœnitentiæ mouet ad arcenda peccata vt sibi opposita, atque adeò ad propositum non peccandi.

5 Obijcitur. Propositum non peccandi respicit futurum. Pœnitentia autem præteritum. Ergo. Respondetur. Pœnitentiam respicere præteritum secundum actum retractationis, & doloris; potest autem se extendere etiam ad futurum, quatenus mouet ad præcauenda, quæ sunt contraria proprio motiuo.

6 Dico tertiò. *Detestatio peccati, licet possit prouenire a pluribus virtutibus, quatenus talis procedit ex motiuo pænitentiæ, est actus proprius illius.* ita communiter, & desumitur ex Concilio Triden. *session.* 14. *cap.* 4. vbi docet. Pænitentiam esse detestationem peccati cum pio animi dolore. Probatur. Voluntas potest detestari malum in communi vt oppositum bono, quod prosequitur. Ergo pœnitentia potest ex proprio motiuo detestari peccatum vt malum oppositum bono, quod prosequitur.

7 Dico quartò. *Detestatio peccati quæ oritur ex pænitentia, distinguitur a dolore.* ita cōmuniter cum D. Tho. *in* 4. *distinct.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 3. *&* 3. *par. q.* 84. *art.* 8. Probatur. Detestatio tendit contra obiectum, prout est contra nostram voluntatem, dolor verò tendit in ipsum, prout est malum nobis coniunctum. Ergo dolor supponit detestationem, quia supponit obiectum malum nobis coniunctum contra nostram voluntatem.

8 Dico quintò. *Detestatio peccati, & voluntas destruendi ipsum sunt actus distincti.* Probatur. Detestatio peccati facit, quod voluntas recedat a peccato; intentio autem destruendi facit, quod tendat contra ipsum, & applicet media destructiua. Ergo cum tendant diuerso modo, sunt actus distincti.

9 Obijcitur. Sunt ex eodem motiuo. Ergo non sunt distincti. Respondetur negando consequentiam. Quia ex eodem motiuo possunt prouenire actus diuersi stante diuersitate obiecti materialis, vt amor, & odium, detestatio autem habet pro obiecto peccatum vt abominabile, intentio verò destruendi vt emendabile.

10 Dico sextò. *Odium peccati non distinguitur ab eiusdem detestatione.* Probatur odiū peccati est odium abominationis quo abominamur peccatum ob turpitudinem qua maculat animam, ergo est idem ac detestatio. Consequentia probatur. Detestatio non est aliud quam volitio quod non sit, odium autem est huiusmodi volitio, quia abominari turpitudinem est nolle eam in nobis esse.

11 Obijcitur. Desiderium non carendi bono amato distinguitur ab amore circa bonum possessum. Ergo etiam desiderium, quod non fuerit peccatum, quod est detestatio, distinguitur ab odio circa peccatum. Respondetur. Negando antecedens. Nam tale desiderium est idē amor, vt respicit continuationem possessionis boni amati. De-

inde

inde negando etiam consequentiam. Quia odium peccati ex pœnitentia est odium, quo voluntas odit peccatum vt malum sibi, & proinde includit desiderium, quod non adsit peccatum.

12 Instabis. Pœnitentia potest odio habere peccatum, non quia præsens est, sed quia absolutè malum. Ergo hoc odium distinguitur à desiderio, quod peccatum non fuerit. Respondetur. Negando antecedens. Quia motiuum pœnitentiæ non mouet ad odio habendum peccatum, quia sit in se malum, sed quia est malum pœnitenti; & ideò etiam, mouet ad odium desiderans absentiam peccati.

In quonam actu formaliter consistat pœnitentia.

SECTIO II.

13 Prima sententia asserit, consistere in dolore, non autem in detestatione, ita Vega *lib.* 13. *in Trid. cap.* 25. Coninch. *de Sacram. disp.* 1. *de pœnitent. dub.* 2. *num.* 11. Probatur. Pœnitere importat afflictionem, quæ est in dolore; non autem in detestatione; vnde etiam Patres explicant pœnitentiam sub nomine doloris. Ergo. 2. Beati perfectè detestantur peccatum, quod commiserunt, & tamen non habent pœnitentiam, quia non dolent de ipso. Ergo.

14 Secunda sententia asserit, consistere formaliter in detestatione. ita Caietanus *tomo* 1. *opuscu. tract.* 4. *qu.* 1. Paludan. *in* 4. *distinct.* 17. *q.* 1. *art.* 1. *&* 2. Sot. *qu.* 1. *art.* 1. Granad. 3. *par. controu.* 7. *trac.* 2. *disp.* 4. *num.* 2.

15 Dicendum est. *Pœnitentiam consistere formaliter in odio, seu detestatione peccati, ex qua oriatur dolor.* Desumitur ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. dum docet, pœnitentiam esse detestationem peccati cum pio animi dolore. Probatur. In illo actu consistit formaliter pœnitentia, per quem primò distinguitur ab alijs virtutibus, & qui per se primò habetur ex motiuo ipsius. Sed talis est detestatio peccati. Ergo. Minor probatur. Odium est primus actus circa malum, qui oritur ex amore oppositi boni. Ergo etiam in pœnitentia tale odium est prius dolore, ergò cum sit ex motiuo pœnitentiæ, erit primus actus, per quem distinguitur ab alijs virtutibus.

16 Dicendum 2. *Detestationem peccati esse radicaliter dolorem, ita vt ex ipsa consequatur dolor.* Probatur. Pœnitentia detestatur peccatum, vt malum pœnitentis. ergò est radix doloris, quia dolor consurgit ex malo nobis coniuncto contra voluntatem.

17 Ad 1. respondetur. Pœnitentiam dici dolorem, & importare afflictionem non formaliter, sed radicaliter, & explicatur per dolorem tanquam per aliquid magis notum. Ad 2. Beatos non habere pœnitentiam, quia non detestantur peccatum cum recessu ab ipso, nec ea detestatione, quæ sit radicaliter dolor.

An actus pœnitentiæ sit absolutus, & efficax.

SECTIO III.

18 Prima sententia asserit, esse condicionatum ex parte obiecti, quatenus dicit voluntatem, quod peccatum non fuerit, si esset possibile. ita Suar. *disput.* 3. *de pœnit. sect.* 3. *n.* 2. Coninc. *de Sacram. disp.* 1. *de pœnit. dub.* 2. *nu.* 8. Granad. 3. *par. contr.* 7. *trac.* 2. *de pœnit. disp.* 4. *nu.* 4. & alij. Probatur. Voluntas non potest velle absolutè, quod est impossibile, sed tantum sub conditione. ergo cum sit impossibile se non peccasse, quando vult, se non peccasse, non vult absolutè, sed condicionatè.

19 Secunda sententia asserit, esse absolutum, quia non est absolutè impossibile, quod peccatum non fuerit commissum, sed tantum ex suppositione. ita Alensis 4. *p. q.* 12. *memb.* 1. *ar.* 2. §. 2. Albertus *in* 4. *distinc.* 14. *ar.* 2. Medina *tract.* 1. *de pœnit. q.* 1.

20 Tertia sententia asserit, non esse absolutum, neque condicionatum, sed simplicem displicentiam peccati commissi. ita Adrian. *in* 4. *q.* 1. *de pœnit.*

21 Dico primò. *Actus pœnitentiæ circa peccatum vt præteritum non potest esse condicionatus ex parte obiecti, quasi voluntas velit non peccasse, si esset possibile.* Probatur. Tunc voluntas potest attingere obiectum sub conditione obiectiua, quando conditio potest coniungi cum ipso, sed in casu nostro non potest. Ergo maior patet. Tum quia quando non potest coniungi, non adest obiectum, cum obiectum non sit sub conditione. Tum quia quando non potest coniungi, nec etiam intellectus potest proponere sub conditione, cum in ipsa propositione debeat fieri coniunctio. Minor etiam patet. Quia non fuisse non potest coniungi cum eo, quod fuerit; nam fuisse, & non fuisse sunt contradictoria, quæ neque per intellectum coniungi possunt.

22 Dico 2. *Pœnitentia circa peccatum præteritum, vt præteritum, dicit tantum odium absolutum, & displicentiam.* Probatur. Pœnitentia non potest facere, quod peccatum præteritum non fuerit. Ergò potest solum tendere in ipsum per odium absolutũ, & absolutam displicentiã.

23 Dico 3. *Actus detestationis pœnitentiæ est absolutus, & efficax ad excludendum peccatum de futuro.* Probatur. Detestatio pœnitentiæ tendit ad distruendum peccatum, quantum potest, & imperat media necessaria, & excludit voluntatem peccandi, vt ait Triden. *sess.* 14. *c.* 4. alioquin non est vera pœnitentia. Ergò est efficax, alioquin non imperaret media destructiua peccati, nec excluderet voluntatem peccandi.

24 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur assumptum. Nam impossibile, neque sub conditione potest attingi a voluntate, si vt tale cognoscatur.

An actus pœnitentiæ versetur necessariò circa omnia peccata.

SECTIO IV.

25 Certum est, quod possit versari, quia omnia peccata subijciuntur motiuo formali ipsius. Vnde solum difficultas est, an versetur necessariò circa omnia, ita vt non possit versari circa vnum, nisi etiam versetur circa alium.

26 Dico primò. *Detestatio vnius peccati ex vero motiuo pœnitentiæ est essentialiter virtualis detestatio omnium mortalium.* ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 86. *artic.* 3. Probatur. Quando aliqua sunt necessario connexa, qui vult vnum, vult necessario etiam alterum, sed detestatio vnius peccati ex motiuo pœnitentiæ est connexum necessariò cum detestatione omnium. Ergo. Minor probatur. Motiuum pœnitentiæ facit, vt detestetur peccatum vt malum sibi oppositum, quo destruitur, atque adeò in ordine ad sui conseruationem. Sed conseruatio motiui pœnitentiæ requirit essentialiter destructionem cuiuscunque peccati mortalis. Ergo si voluntas vult conseruationem ipsius, vult etiam necessariò destrictionem cuiuscunque peccati mortalis.

27 Dico secundò. *Detestatio pœnitentiæ non se extendit necessariò ad venialia.* ita communiter. Probatur. Venialia non sunt absolutè incompossibilia cum motiuo pœnitentiæ, nam non destruunt gratiam. Ergo detestatio mortalium non se extendit necessario ad venialia cum non adsit necessaria connexio.

28 Dico tertiò. *Si detestatio peccati sit ex perfecto amore motiui pœnitentiæ, est etiam virtualiter detestatio venialium.* Probatur. Amor perfectus vult bonum amatum in suo esse perfecto. Ergo mouet contra omne malum, quod quocunque modo opponitur tali bono, cum non possit esse in statu perfecto, nisi excludat omne malum oppositum. Ergo cum peccatum veniale sit aliquod malum oppositum motiuo pœnitentiæ, detestatio ipsius includitur in detestatione cuiuscumque peccati orta ex perfecto amore talis motiui.

29 Dico

29 Dico quartò. *Detestatio venialium est etiam virtualis detestatio mortalium*. Probatur. Detestatio venialium est detestatio ipsorum, quatenus contrariantur aliquo modo motiuo pænitentiæ. Ergo eo ipso, quod voluntas detestatur, quod leuiter contrariatur, a fortiori detestatur etiam quod grauiter contrariatur. Consequentia probatur. Quia talis detestatio oritur ex perfecto amore, atque adeò est secundùm mensuram ipsius.

30 Obijcitur. Aliæ virtutes tendunt in propria obiecta ex eodem motiuo formali, & tamen non eo ipso, quod tendunt in vnum obiectum materiale, tendunt virtualiter in omnia. Ergo nec etiam pænitentia. Respondetur. Distinguendo antecedens. Aliæ virtutes, quæ non habent idem motiuum numero indiuisibile, sed tantum vnum specie, vt iustitia, & temperantia &c. non tendunt virtualiter in alia ex eo, quod tendunt in vnum, secus autem, si motiuum sit indiuisibiliter vnum, sic charitas, quia habet idem numero motiuum, facit, quod amans aliquem de proximo, amet virtualiter omnes.

DE CONTRITIONE.

DISPVTATIO LXXVII.

Ex quo motiuo procedat Contritio.

SECTIO I.

1 Contritio iuxta Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. Est detestatio peccati commissi cum pio animi dolore, & proposito non peccandi de cætero. Diuiditur autem in Perfectam; & Imperfectam. Perfecta dicitur simpliciter Contritio; Imperfecta verò dicitur Attritio.

2 Dicendum est. *Contritionem esse detestationem peccati, quatenus est offensa Dei ex motiuo charitatis*. ita communiter cum D. Thom. *3. par. quæst.* 85. *art.* 5. *&* 6. *& quæst.* 86. *art.* 6. Et desumitur ex D. August. *sermo.* 7. *de Tempore*, vbi ait. *Veram pænitentiam non facit nisi odium peccati, & amor Dei*. Probatur. Contritio debet auertere hominem a peccato, & conuertere in Deum; non potest autem hoc fieri, nisi sit ex motiuo charitatis. Ergo. Minor probatur. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, atque adeò non auertitur a peccato, Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum inuenies eum, si tamen ex toto corde tuo quæsieris eum*.

3 Dicendum 2. *Detestationem peccati ex motiuo obedientiæ, religionis, aut alterius virtutis esse virtualiter contritionem*. Probatur. Prouenit virtualiter ex motiuo charitatis. Ergo est virtualiter contritio. Antecedens probatur. Motiuum harum virtutum subordinatur motiuo charitatis, nam hæ virtutes in tantum sunt tales, in quantum tendunt virtualiter in vltimum finem, qui in ordine supernaturali est primum motiuum. Ergo motiuum ipsarum debet mouere in virtute vltimi finis. Consequentia probatur. Actus est talis, qualis specificatur in motiuo. Ergo si motiuum harum virtutum est virtualiter motiuum charitatis, detestatio peccati ex tali motiuo erit virtualiter contritio.

An in contritione requiratur formalis amor Dei distinctus a detestatione peccati.

SECTIO II.

4 Prima sententia est affirmatiua. ita Alensis *par.* 4. *quæst.* 17. *memb.* 2. Scot. *in* 4. *distinct.* 14. *quæst.* 2. Mercer. *de Sacramentis. quæst.* 1. *supplem. art.* 2. Nugnus *art.* 1. & al. Probatur. Triden. *sess.* 6. *cap.* 6. ponit amorem Dei antecedere dolorem, & contritionem. Ergo. 2. Primus actus peccatoris est amor in Deum, quia ex natura sua amor est prior odio. Ergo debet amor Dei præcedere detestationem peccati.

5 Secunda sententia asserit, non esse necessarium amorem formalē, sed perfici simplici actu detestationis peccati. ita D. Thom. *in* 4. *distinct.* 14. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 2. Paludan. *quæst.* 3. Gabriel *quæst.* 1. *art.* 2. *conclus.* 5. Soto. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 4. & alij.

6 Dico primò. *Ad veram contritionem non semper requiritur actus amoris distinctus a detestatione peccati*. Probatur. Peccatores eo ipso, quod perfectè detestantur peccatum, etiamsi non habeant amorem distinctum a detestatione, consequuntur gratiam. Ergo habent perfectam contritionem. Consequentia patet. Quia non fit iustificatio peccatoris extra Sacramentum pænitentiæ sine perfecta contritione. Antecedens probatur. Scriptura non requirit pro reconciliatione cum Deo, nisi perfectam auersionem a peccato. Ezechielis 33. *Si auerterit se peccator ab iniustitia sua, iniquitatum eius amplius non recordabor*. Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. 2. Regum. 12. Dauid solum dixit, *Peccaui Domine*, & statim subditur, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*.

7 Dico secundò. *Vt contritio sit perfecta, requiritur, vt non solùm sit detestatio peccati, sed etiam amor Dei, ita vt idem actus respectu Dei sit amor, & respectu peccati sit detestatio*. Probatur. Contritio perfecta debet esse ex motiuo charitatis. Ergo ita debet esse detestatio peccati, vt sit etiam amor Dei. Consequentia probatur. Actus est necessario talis, quale est motiuum cum ab ipso specificetur. Ergo cum motiuum charitatis concurrat immediatè ad detestationem peccati, nec interueniat amor distinctus, constituet ipsam detestationem in esse amoris. Confirmatur. In motu recessus a termino a quo est essentialiter accessus ad terminum ad quem. Ergo etiam in motu voluntatis. Ergo cum voluntas per detestationem recedat a peccato, per eundem actum accedit ad terminum ad quem. Ergo ad Deum per amorem, quia accedit ad illum terminū, a cuius motiuo mouetur.

8 Ad primum respondetur. Tridentin. ponere amorem ante contritionem, quia vt plurimum ita contingit. Ad secundum. Primum actum voluntatis esse amorem ex natura sua; non quia semper sit simplex amor; sed etiam quia potest esse simul fuga oppositi obiecti.

9 Obijcitur. Idem motiuum sub eadem ratione non potest specificare oppositas tendentias in obiectum. Ergo ex motiuo charitatis non potest prouenire amor, & detestatio. Respondetur. Non posse specificare in ordine ad idem obiectum materiale; posse tamen in ordine ad opposita, quia dum facit voluntatem tendere in vnum speciali tendentia, facit attingere alium opposita tendentia.

10 Obijcitur 2. Amor, & odium opponuntur inter se. Ergo non possunt coalescere in eundem actum. Respondetur. Opponi inter se in ordine ad idem obiectum; non autem in ordine ad diuersa.

11 Ex dictis colligitur. Contritionem consistere formali-

maliter in detestatione peccati; dolorem verò consequi ad ipsam detestationem, vt docent communiter cum D. Thom. 3. *par. q.* 84. *art.* 8. quia detestatio ipsa est auersio a peccato, cum sit motus fugæ ex motiuo charitatis, & conuersio in Deum, atque adeò rectificatiua voluntatis respectu vltimi finis supernaturalis, & proinde importat detestationem, ex vi cuius voluntas recedit a peccato; licet enim, qui non habet peccatum, possit ipsum detestari vt offensam Dei ex motiuo charitatis, tunc tamen motiuum charitatis non specificat detestationem, quæ sit contritio, cum non moueat cum ordine ad terminum a quo, qui requiritur in contritione; idem enim terminus ad quem potest specificare diuersos motus, quatenus connotat diuersos terminos a quo, vt motus sursum, & deorsum, & ideo etiam motiuum charitatis non specificat contritionem, nisi quatenus connotat peccatum, vt terminum, a quo recedat voluntas.

Quomodo contritio requirat propositum non peccandi.

SECTIO III.

12 SVpponendum est vt certum de fide, non posse haberi veram contritionem, nisi interueniat propositum non peccandi, vt desumitur ex Concilio Florent. *in compendio fidei*, & ex Tridenc. *sess.* 14. *capit.* 4. Vnde Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit præcepta mea, vita viuet.* Et Amos 3. *Odite malum, & diligite bonum.* Ratio autem est, quia non potest homo conuerti ad Deum, & verè recedere a peccato, nisi interueniat tale propositum. Non est tamen tale propositum de quidditate contritionis, nisi sumatur secũdum esse explicitum, sicut docet D. Thomas 3. *par. q.* 2. *supplem. art.* 4. est actus distinctus a detestatione peccati.

13 Prima sentẽtia asserit, quòd contritio requirit propositum explicitum, ita Albertus, *in* 4. *quæst.* 14. *artic.* 10. D. Bonauentura *par.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. Sotus *dist.* 13. *quæs.* 1. *art.* 2. Alensis 4. *par. quæs.* 12. & 16. Bellarminus *lib.* 2. *de pœniten. cap.* 6. Probatur. Scriptura requirit tale propositum explicitum, vt constat ex allatis scripturis. Ergo. 2. In definitione pœnitentiæ ponitur propositum nõ peccandi, vt constat ex Trident. *cap.* 6. & ex cap. *Pœnitentia. de Pœnitentia distinct.* 3. Ergo. 3. Hoc propositum est necessarium ad dispositionem ad gratiam. quia debet esse perfecta conuersio voluntatis, quæ habetur per tale propositum. Ergo etiam ad perfectam contritionem.

14 Secunda sententia asserit, sufficere propositum virtuale, ita Maior. *in* 4. *distinct.* 14. *quæst.* 1. Almainus *ibidem.* Adrian. *quæst.* 4. *de pœnitentia.* Medina *tract.* 1. *de pœniten. quæst.* 3. Coninch *disput.* 2. *de pænit. dub.* 6. Vasquez 3. *par. quæs.* 86. *art.* 2. *dub.* 7. & alij.

15 Dicendum est. *Ad perfectam contritionem, quæ sit dispositio ad gratiam, non requiri expressum propositum non peccandi, sed sufficere virtuale.* Probatur. Illa est perfecta contritio, per quam voluntas perfectè auertitur a peccato, & totaliter conuertitur ad Deum, sed hæc non requirit propositum expressum non peccandi. Ergo. Minor probatur. Perfecta detestatio peccati facit, quod voluntas perfectè auertatur ab ipso, cum detestatio sit auersio. Ergo etiam facit, quod perfectè conuertatur ad Deũ, quia recessus a termino a quo est accessus ad terminum ad quem. Confirmatur. Perfecta detestatio peccati, & virtuale propositum non peccandi excludit omnem affectum ad peccatum. Ergo non requiritur propositum formale. Antecedens probatur. Quia implicat, quod voluntas retineat aliquem affectum ad peccatum, & perfectè recedat ab ipso. Consequentia patet. Quia propositum explicitum solum potest esse necessarium, vt excludat affectum peccandi, & conuertat ad Deum.

16 Ad primum respondetur. Scripturam requirere propositum non peccandi, non formale; sed virtuale, & ponens explicitè inchoationem nouæ vitæ explicat solum, quid sit faciendum in exequutione, non autem quid sit habendum in intentione. Ad secundum illas definitiones non esse vigoras definitiones, sed tantum descriptiones, vnde explicat etiam propositum tanquam actum consequentem ad ipsam contritionem. Ad tertium negatur assumptum. Quia perfecta detestatio peccati est etiam perfecta conuersio ad Deum vt constat ex dictis.

17 Quæres. An ad contritionem requiratur propositum confitendi peccata. Respondetur non esse necessarium tale propositum explicitum, sed implicitum, quod includitur in detestatione peccati, vt communiter docent, & desumitur ex Triden. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi tribuit iustificationem voto confessionis, quatenus includitur in contritione; includitur autem solum virtualiter. Et Ratio est, quia tale propositum non est necessarium, nisi quatenus est necessaria confessio; confessio autem est necessaria ratione præcepti; & ideò non magis contritio debet dicere propositum confitendi, quam seruandi reliqua præcepta.

18 Quæres 2. An requiratur ad contritionem propositum satisfaciendi. Respondetur sufficere, si sit virtuale, & implicitum, vt docent Suar. *disput.* 4. *de pœniten. sect.* 3. *nume.* 8. Syluius 3. *par. quæst.* 1. *supplem. art.* 1. *quæst.* 2. Quia sufficit illud propositum, quod per modum causæ possit inferre satisfactionem; pro hoc autem sufficit virtuale propositum.

An contritio debeat summè detestari, & dolere de peccato.

SECTIO IV.

19 DIcendum est. *Contritionem esse summam detestationem, & summum dolorem de peccato: non intensiuè, sed appretiatiuè.* ita communiter cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 3. *supplem. art.* 1. Probatur. Deuteron. 4. *Cum quæsieris Dominum, inuenies cum si toto corde quæsieris eum.* Ioelis 2. *Cõuertimini ad me in toto corde vestro.* conuerti autem ad Deum ex toto corde, est ipsum anteponere rebus omnibus, atque adeò magis appretiare, quam omnia alia. Confirmatur. Contritio requirit solum illam detestationem, quæ sit proportionata proprio motiuo. Ergo tantum summam appretiatiuè, Consequentia probatur. Motiuum contritionis est motiuum charitatis. Ergo peccatum ex eodem motiuo erit tantùm summè detestabile appretiatiuè, quia tale motiuum facit solum Deum amari super omnia appretiatiuè.

20 Dicendum 2. *Appretiationem summam in eo consistere quod detestatio peccati sit ex toto corde.* Probatur. Dilectio Dei tunc est summa appretiatiuè, & super omnia, quando est ex toto corde, & tunc est ex toto corde, quando omnia amantur propter Deum. Ergo etiam detestatio erit summa appretiatiuè, quando erit ex toto corde.

21 Obijcitur. Scriptura requirit summum dolorem intensiuè vt Micheæ 4. Isaiæ 59. Ergo. Respondetur negando antecedens. Quia huiusmodi scripturæ debent intelligi de summo dolore appretiatiuè.

22 Obijcitur 2. Patres docent pœnitentiam debere correspondere grauitati culpæ, vt Cyprian. *tract. de baptismo.* Ergo. Respondetur. Pœnitentiam debere correspondere grauitati culpæ in ordine ad satisfactionem, non autem in ordine ad remissionem, quia pro hac sufficit quæcumque vera pœnitentia.

An

An contritio detestetur peccatum supra omne malum pœnæ.

SECTIO V.

DIco Primò. *Peccatum est magis detestabile, quàm quodlibet malum pœnæ*. ita communiter cum D. Thom. 1. *par. quæst.* 48. *art.* 6. Probatur. Malum culpæ nunquam est eligibile, quia semper est contra rectam rationem; malum autem pœnæ potest eligi secundum rectam rationem, vt si eligatur pro satisfactione, aut ex alio honesto motiuo. Ergo.

24 Dico secundò. *Ex natura rei peccatum non est magis detestabile, quam pœna æterna.* ita Caietan. *tom.* 1. *opuscul. tract.* 4. *quæst.* 5. Vega *lib.* 13. *in Triden. cap.* 23. & alij contra Palud. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 6. Probatur. Pœna æterna includit offensam Dei tanquam essentiale fundamentum. Ergo eo ipso, quod odio habetur peccatum, odio etiam habetur pena æterna, & econtra. Ergo non est magis detestabile peccatum, quam pœna æterna.

25 Dices. Peccatum esse magis detestabile, quàm pœnam æternam, quatenus præscindit a culpa. Contra. Pœna æterna dicit essentialem ordinem ad culpam, quia non est bonum absolutum, sed occasionatum, quod non est volibile absolutè, sed occasionaliter. Ergo non est detestabile, nisi cum dependentia a culpa, atque adeò non potest ab ipsa præscindere.

26 Dico tertiò. *Ad contritionem non requiri, quod fiat comparatio actualis ad omnia detestabilia; & quod voluntas velit explicitè illa potius eligere, quàm admittere peccatum, sed sufficit virtualis, quæ in eo consistit, quod voluntas detestetur peccatum vt offensam Dei cum proposito absoluto non peccandi.* Probatur. Sola implicita comparatio sufficit ad ordinandum respectu vltimi finis. Ergo sufficit ad perfectam contritionem. Antecedens patet. Eo ipso, quod quis detestatur peccatum ex motiuo charitatis, habet voluntatem placendi Deo in omnibus, hic autem actus ponit debitum ordinem cum fine vltimo.

27 Quæres. An per contritionem vnum peccatum sit detestabilius altero. Respondetur affirmatiuè cum D. Thom. *in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæst.* 3. Quia vnũ est grauior offensa Dei, quàm sit alterum; vnde licet omnia peccata sint æquè detestabilia quò ad modum appretiationis, non tamen quò ad quantitatem, quia grauius peccatum plus æstimari debet.

An per contritionem sit magis detestabile peccatum proprium.

SECTIO VI.

28 DIcendum est. *Peccatum proprium esse magis detestabile, quàm alienum*, ita Sot. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 2. *ar.* 4. Palud. *quæst.* 1. *art.* 5. Suar. *disp.* 3. *de pænitẽn. sect.* 10. & alij. Probatur. Peccatum alienum non nos auertit a Deo. Ergo ex motiuo charitatis est magis detestabile peccatum proprium, quia ex præcepto charitatis obligamur diligere Deum super omnia.

29 Obijcitur. Grauius peccatum alienum est maius damnum Dei extrinsecum, quam proprium minus graue. Ergo ex motiuo charitatis est detestabilius, quia charitas non respicit bonum, vel malum proprium, sed alienum. Respondetur negando consequentiam. Ad Probationem. Charitatem respicere bonum, vel malum alienum, non quomodocunque, sed secundum mensuram amicitiæ, & ideò ex vi charitatis est magis detestabile peccatum, quod soluit amicitiam cum Deo, quàm quod non soluit.

30 Dico secundò. *Ex vi contritionis est magis detestabile peccatum proprium veniale, quàm alienum mortale.* ita auctores citati. Probatur. Peccatum est detestabile secundum mensuram charitatis. Ergo est magis detestabile, quod contrariatur charitati, quàm quod non contrariatur. Peccatum autem veniale aliquo modo contrariatur propriæ charitati; peccatum verò alienum nullo modo contrariatur.

An per contritionem sit magis detestabile peccatum actuale quàm originale.

SECTIO VII.

31 DIco primò. *Peccatum mortale actuale est magis detestabile, quam Originale.* Probatur. Peccatum actuale mortale non solum priuat gratia, sed etiam est voluntarium, & totaliter proprium. Peccatum verò Originale est tantum voluntarium repræsentatiuè. Ergo actuale est grauior offensa Dei ex genere suo.

32 Dico secundò. *Peccatum veniale est minus detestabile, quàm peccatum originale.* Probatur. Peccatum veniale non separat a Deo, nec facit inimicum. Peccatum verò originale separat a Deo, & facit inimicum. Ergo.

33 Obijcitur peccatum veniale non potest eligi ad vitandum originale. Ergo originale non est magis detestabile. Respondetur negando consequent. Quia ordo detestabilitatis non mensuratur ex electione, sed ex contrarietate cum charitate, & amicitia cum Deo.

An ad contritionem requiratur recogitatio omnium peccatorum, & detestatio singulorum in speciali.

SECTIO VIII.

34 SVpponendum est. Non esse necessarios tot actus detestationis, quot sunt peccata, vt docent communiter cum D. Thom. *par.* 3. *quæst.* 2. *supplem. art.* 3. sed sufficere vnicum actum complectentem omnia peccata, cum vnicus actus sufficiat pro perfecta conuersione ad Deum. Vnde solùm difficultas est, an extra Sacramentum pœnitentiæ debeant omnia peccata in particulari detestari.

35 Prima sententia est affirmatiua. ita Richard. *in* 4. *distinct.* 16. *art.* 2. *quæs.* 2. D. Bonau. *par.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Palud. *quæst.* 2. *ad* 1. Gabriel *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Alens. *par.* 4. *q.* 69. *memb.* 8. *art.* 2. Syluest. *verbo* contritio. *mem.* 5. Angelus *num.* 4. Syluius 3. *par. quæst.* 2. *supplem. art.* 5. *concl.* 1. & alij. Probatur Isaiæ 34. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Psalm. 76. *Cogitari dies antiquos*. Ergo 2. ex Trident. *sess.* 14. *Canon.* 5. *de pœnitentia*. Contritio paratur per discussionem peccatorum, qua quis recogitat annos suos. Ergo requiritur talis recogitatio. 3. Patres docent, peccata esse in memoriam reuocanda, vt de ipsis nos pæniteat. Ergo 4. Plura peccata non possunt vitari, nisi tollatur occasio, & adhibeantur media; hoc autem non potest fieri, nisi recogitentur peccata. 5. Pœnitens est iudex, & medicus sui ipsius, quia debet emendare, & castigare sua peccata; hoc autem non potest fieri sine recogitatione singulorum.

36 Secunda sententia asserit, sufficere detestationem in communi, ita Maior *in* 4. *distinct.* 17. *artic.* 3. Caietan. 3. *par. quæst.* 87. *art.* 1. Vega *lib.* 14. *in Trident. cap.* 21. Suarez *disput.* 4. *de pænit. sect.* 6. *num.* 9. Vasquez 3. *par. quæst.* 86. *art.* 2. *dub.* 7. Pesant. *quæst.* 5. *supplem. disput.* 5. *conclus.* 1. & alij.

37 Dicendum est. *Ad veram contritionem, quæ sufficiat*

ficiat pro iustificatione, non requiri detestationem peccatorum in particulari, sed sufficere in communi. desumitur expressè ex D.Thom. *quæst.18. de veritate, art.5. ad 3. & 4.* Probatur. Potest elici contritio ex motiuo charitatis de omnibus peccatis in communi. Ergo erit vera contritio sufficiens pro iustificatione. Antecedens patet. Quia omnia peccata in hoc conueniunt, quod sint detestabilia ex motiuo charitatis, & detestabilitas illis conuenit, quatenus sunt offensa Dei. Consequentia probatur. Tum quia actus est talis, qualis specificatur a motiuo, detestatio autem peccati ex motiuo charitatis est perfecta contritio ex vi suæ specificationis. Tum quia scriptura promittit veniam peccati ingemiscenti, nec requirit detestationem peccatorum in speciali, vt Ezech. 18.& 33.Zach.1. *Conuertimini, & conuertar.* Isaiæ 30. *Si reuertamini, & quiescatis, salui eritis.* Et rursus. *Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.* Hierem.15. *Si conuerteris, conuertam te, & ante faciem meam stabis.*

38 Ad primum respondetur. Scripturam explicare, quid factum sit, non autem quid sit necessarium ad contritionem. Ad secundum Tridentinum explicare, quomodo ex discussione peccatorum excitetur contritio; non autem asserere, quod talis discussio sit necessaria. Ad tertium Patres requirere discussionem peccatorum ad pænitentiam, tanquam medium vtile; non autem tanquam necessarium. Ad quartum. Non posse tolli occasiones, & adhiberi media, nisi recogitentur peccata in ordine ad exequutionem; secus autem in ordine ad propositum. Contritio autem perfecta non requirit exequutionem vitandi peccata, sed solum propositum exequutionis. Ad quintum negatur secunda pars antecedentis, Quia pænitens non est iudex sui ipsius, sed Deus. Deinde negatur etiam consequentia. Quia ad contritionem sufficit propositum emendandi, & castigandi, quod potest haberi sine speciali discussione peccatorum.

DE ATTRITIONE.

DISPVTATIO LXXVIII.

Quid sit Attritio.

SECTIO I.

1 DIco primò. *Attritio est contritio imperfecta, atque adeo detestatio peccati cum pio animi dolore,* ita Trid. *sess.* 14. *capit.*4. Probatur. Attritio est quædam pænitentia. Ergo debet dicere in aliquo speciali gradu, quod dicit pænitentia in communi, pænitentia autem dicit detestationem peccati, quæ faciat ab ipso recedere.

2 Dico secundò. *Attritio debet esse efficax detestatio peccati, ita vt vel habeat annexum formale propositum non peccandi, vel dicat virtuale.* ita communiter contra Caieta. *tom.* 1. *opusc. tract.* [illegible] *quæst.* 1. & Nauar. *capit.* 1. *Manual. num.* [illegible]. & desumitur ex Trident. *session.* 14. *capit.*4. vbi hanc conditionem requirit, vt attritio sit dispositio ad iustificationem in Sacramento pœnitentiæ. Probatur. Attritio debet auertere voluntatem a peccato, alioquin non esset vera pœnitentia. Ergo debet esse efficax, & dicere propositum non peccandi, alioquin non auerteret voluntatem a peccato.

3 Colligitur ex dictis, vt communiter docent contra Sot. *lib.* 2. *de natura, & gratia, cap.* 14. & Canum *Relect. de pænitent. par.* [illegible] Quod licet possit dari detestatio naturalis de peccato, non est tamen vera attritio, quia non auertit voluntatem a peccato absoluta auersione; sed solum ita auertit, vt conuertat in aliud. Si enim absolutè auertit, importat aliquod initium salutis, quod non potest esse, nisi ex adiutorio Dei, vt definit Conci. Millen. *capit.*4.& Arausican. *Can.*7. vnde etiam Trident. *sess.*14. *cap.*4. vocat attritionem donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti.

An Attritio possit esse ex puro timore.

SECTIO II.

4 PRima sententia est affirmatiua; asserit enim sufficere, quod aliquo modo respiciat Deum, quatenus potest intligere pænas. ita Præpos. *3. par. quæst.* 76. *art.*1.*dub.*11.*num.*71.& alij Recentiores, qui volunt attritionem conuertere hominem ad Deum, non per amorem, sed per timorem.

5 Secunda sententia vult, debere aliquo modo prouenire ex amore Dei. ita Valentia. *tom.*4. *disput.*7.*q.*8.*puncti.*1. Vasquez *3.par.qu.*92. *art.*1.*dub.*3. Syluius *q.*1.*supplem. art.*2.*quæst.*2.

6 Dicendum est. *Veram attritionem, non posse prouenire ex solo timore, sed debere prouenire ex aliquo amore Dei.* Probatur. Attritio, vt sit vera attritio, debet excludere voluntatem peccandi, vt definit Triden. *sess.* 14. *capit.*4. sed quando est ex puro timore, & non ex amore Dei, non excludit. Ergo. Minor probatur, voluntas peccandi non excluditur, nisi per auersionem a peccato; non potest autem quis auerti a peccato, nisi aliquo pacto se conuertat in Deum, & non potest se conuertere nisi per amorem. Ergo. Hinc Augustinus epistol. 144. ad Anastasium. *Inimicus iustitiæ est, qui pænæ timore non peccat; amicus autem eius, si eius amore non peccet, tunc enim verè timebit peccare; nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere, ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit.* Et de natura & gratia cap. 51. *Qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore iustitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi est.*

7 Dices. Id esse verum de amore, quando displicet sola pœna; non autem, quando displicet etiam peccatum. Contra. Peccatum non displicet, nisi sub ratione mali, atque adeò solùm ratione boni; ex cuius amore oritur displicentia. Ergo quando displicet ex solo timore pænæ, displicet solum ex amore boni creati, quo priuat pæna. Ergo ex amore, qui non rectificat voluntatem, cum tunc solum rectificetur, quando se conuertit in Deum. Confirmatur. Si peccatum displiceret ratione pænæ damni, seu priuationis visionis beatæ, iam displiceret ratione amoris vltimi finis, atque adeò attritio oriretur ex amore Dei.

8 Ex dictis colligitur contra Alensem 4.*par. quæst.* 14. *memb.*1. Palud.in 4.*distinct.*14. *quæst.*1. Suar. *disput.* 5. *de pæniten. sectio.*1. *num.*11. Attritionem non esse veram attritionem, nisi extendat virtualiter ad omnia peccata mortalia, quia quamdiu voluntas habet affectum ad aliquod peccatum, est auersa a Deo, & proinde non recedit a peccato, cum non possit recedere, nisi se conuertat ad suum oppositum, nempe Deum.

Quod-

Quodnam sit motiuum Attritionis.

SECTIO III.

9 Attritionem oriri ex consideratione turpitudinis peccati, & ex timore pœnarum, & gehennæ, decernit Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. quia scilicet primum motiuum voluntatis est bonum, ita vt non moueatur a turpitudine obiecti, neque a malo, quod timet, nisi ratione alicuius boni, ideò videndum est, quodnam bonum sit motiuum respectu attritionis.

10 Prima sententia asserit, non habere pro motiuo nisi turpitudinem peccati, & timorem gehennæ. ita Putean. 3. *par. quæst.* 3. *supplem. par.* 1. *de contritio. dub.* 3. Pesant. *quæst* 5. *disput.* 3. Caspens. *par.* 2. *curs. Theolog. disp.* 3. *de pænitentia. sect.* 7. & alij.

11 Secunda sententia asserit, attritionem non habere vnicum motiuum, sed plura, prout a pluribus virtutibus potest prouenire detestatio peccati, ita Suar. *disputat.* 5. *de pæniten. sect.* 1. *numero* 11. Coninch. *de Sacramen. quæst.* 62. *art.* 1. *dub.* 2. Præposit. *quæst.* 86. *artic.* 1. *dub.* 11. & alij.

12 Dicendum est. *Motiuum attritionis esse tantum vnicum, siue tendat in peccatum ob ipsius turpitudinem, siue ex timore pænarum, & hoc esse motiuum spei, ita vt attritio sit actus secundarius spei Theologicæ.* Colligitur ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 6. vbi docet. Peccatores moueri per odium contra peccata, ex eo, quòd considerantes Dei misericordiam, eriguntur inopem, sperantes, Deum sibi propitium fore. Probatur. Attritio debet auertere a peccato, & conuertere in Deum. Ergo debet esse ex motiuo ipsius Dei. Ergo ex motiuo spei. Antecedens patet. Tum quia voluntas auersa non potest rectificari, nisi excludatur auersio; & non potest excludi, nisi per conuersionem. Consequentia prima probatur. Non potest fieri conuersio ad aliquod obiectum, nisi voluntas ab ipso moueatur. Ergo non potest conuerti in Deum, nisi ex motiuo eiusdem Dei. Consequentia secunda probatur. Deus potest tantùm mouere velut bonus in se ratione suæ excellentiæ, vel ut bonum nostrum. Primò modo mouet ad amorem perfectum charitatis. Secundò modo ad spē, & amorem concupiscentiæ. Ergo cum non possit mouere ad attritionem ex motiuo charitatis, alioquin attritio non esset imperfecta, sed perfecta contritio, mouebit ex motiuo spei.

13 Colligitur ex dictis. Attritionem differre a contritione, quia contritio oritur ex perfecto amore, quo Deus diligitur super omnia; attritio verò ex amore imperfecto, quo Deus diligitur, vt nobis benefaciens.

14 Colligitur secundò. Attritionem, & Contritionem distingui specie, quia habent diuersa motiua, cum vna procedat ex motiuo charitatis, & alia ex motiuo spei, atque adeò proueniat a diuersis virtutibus.

An Attritio sufficienter diuidatur in eam, quæ est ex turpitudine peccati, & eam, quæ est ex timore pænæ.

SECTIO IV.

15 Dicendum est. *Sufficienter diuidi*. Probatur. Attritio versatur necessariò circa peccatum. Vel ergo attingit illud, vt est malum in se; & tunc detestatur ratione turpitudinis; vel vt est causa alterius mali, nempe punitionis, & tunc consurgit attritio ex metu pænarum.

16 Dicendum secundò. *Hanc diuisionem non esse essentialem formalem, sed tantum essentialem materialem, vt sunt diuisiones aliorum actuum sumptæ ex obiecto materiali*. Probatur. Quælibet Attritio siue sit ex timore, siue ex turpitudine peccati, procedit ex eodem motiuo. Ergo ista diuisio desumitur tantum ex obiecto materiali, atque adeò non est essentialis formalis. Antecedens patet. Quia cum sit in genere fugæ, debet procedere ex motiuo boni oppositi. Peccatum autem tàm ratione turpitudinis, quàm ratione punitionis opponitur bono, quod est obiectum spei, quia opponitur donis supernaturalibus, & beatitudini.

17 Obijcitur. Peccatum est detestabile ex metu pænarum temporalium. Ergo dabitur alia species attritionis. Respondetur esse detestabile ex metu pænæ temporalis, vt infligendæ a Deo in punitionem peccati per attritionem, non autem quomodocunque; nam tunc non erit detestabile per veram attritionem: quando autem detestatur ex metu pænæ infligendæ a Deo, detestatio habet motiuum ex misericordia Dei, atque adeò est motiuum spei, quam speramus Deum misericordem futurum.

18 Obijcitur secundò. Detestatio peccati ex proprio motiuo pænitentiæ, vt est specialis virtus, non est ex motiuo spei. Ergo non pertinet ad has species. Respondetur negando antecedens. Nam pulchritudo animæ ex donis supernaturalibus est obiectum materiale spei, & ideò detestatio ex tali motiuo est virtualiter ex motiuo spei, si obiectum materiale consideretur vt bonum nostrum.

19 Obijcitur tertiò. Detestari peccatum ex amore iustitiæ, quia lædit ius Dei, est attritio, & non pertinet ad has species. Ergo. Respondetur. Non esse attritionem, sed contritionem virtualem, quia peccatum, quatenus est contra ius Dei, dicit offensam ipsius, atque adeò est detestabile ex amore iustitiæ, quam homo vult seruare cum Deo ex amore ipsius vt vltimi finis.

20 Quæres. Quomodo Attritio feratur in peccatum ratione turpitudinis. Respondetur ferri in turpitudinem peccati, prout opponitur pulchritudini animæ in ordine ad finem supernaturalem, & quatenus talis pulchritudo est obiectum spei; hoc enim pacto attritio habet ex suo motiuo, quòd sit recessus a peccato, & accessus ad Deum.

Quomodo Attritio sit ex timore pænarum.

SECTIO V.

21 Supponendum est. Quod operari ex timore, tanquam ex occasione excitante ad bonum, est laudabile, si aliàs operatio laudabilis sit; quia tunc timor non est causa, sed occasio operationis, & relinquit ipsam in suo esse. Vnde D. Augustinus *de Cathechizandis rudibus capit.* 5. docet, quod rarò quis venit ad fidem, nisi prius commotus aliquo timore, & Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. Quod iustificatio incipit a timore Diuinæ iustitiæ. Difficultas autem est, an attritio sit ex timore pænarum, vt ex fine proximo, an verò tantùm, vt ex occasione.

22 Prima sententia asserit, esse ex timore vt fine proximo. ita Alens. 3. *par. quæst.* 74. *memb.* 2. & 3. Sot. *in* 4. *distinct.* 14. *quæst.* 2. *art.* 5. Suar. *disp.* 5. *de pænit. sect.* 2. *num.* 7. & alij. Probatur. Quando operatio fit ex tali timore, intentio finis est bona ex obiecto. At fugere peccatum est medium ad talem finem. Ergo attritio ex timore pænæ habet pro fine fugere pænam.

23 Secunda sententia est negatiua. ita Ariminen. *in* 2. *distinct.* 26. *quæst.* 1. *artic.* 3. *ad* 1. *principale.* Almain. *tract.* 1. *moral. capit.* 3. *dub. vltimo.* Adrianus *quodlib.* 4. *quæst.* 2. & alij.

24 Dicendum est. *Attritionem non esse ex timore pænarum, vt fine proximo, sed tantum vt occasione.* Desumitur ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. & *sess.* 14. *cap.* 4. quatenus docet, quod attritio est ex metu pœnarum, non autem pro-

propter metum pœnarum. Probatur. Timor est terminus, à quo fit transitus ad Spem Diuinæ Misericordiæ, ex qua sequitur detestatio peccati. ergo non est finis proximus, sed occasio. Antecedens est Trident. *sess. 6. cap. 6.* Consequentia probatur. Si esset finis proximus, esset immediatum motiuum detestationis, atque adeò voluntas non transiret ad alios actus, vt detestaretur peccatum, & de se sufficeret, vt media essent eligibilia. Hoc autem est falsum, quia debet fieri transitus ad motiuum Diuinæ Misericordiæ. ergo, &c.

25 Dices. Timorem pœnę non esse se solo finem, sed tantum finem immediatum. Contra. Timor pœnarum non potest habere rationem finis, quia finis debet, vt bonum allicere voluntatem. ergo nullo pacto potest timor habere rationem finis.

26 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum. Quia intentio fugiendi pœnam non est ex motiuo timoris, sed ex motiuo boni, cui pœna opponitur.

An attritio possit fieri contritio.

SECTIO VI.

27 Dicendum est. *Attritionem non posse fieri contritionem.* ita communiter cum D. Thom. *in 4. dist. 17. quæst. 2. ar. 1. quæstiuncula* 1. contra Sotum in 4. *distinct. 14. quæst. 2.* & Victoriam, *Relect. 1, de potestate Ecclesiæ, quæst. 2.* Probatur. Attritio, & Contritio habent diuersa motiua. ergo diuersam specificationem. ergo non potest vna fieri altera, ratione cuiuscumque mutationis accidentalis, & extrinsecæ, quia actus vnius speciei non potest mutari in actum alterius speciei.

28 Colligitur ex his. Quod licet superueniat amor Dei super omnia, atque adeò, qui est solùm attritus possit fieri contritus, non tamen potest ipsa attritio fieri contritio; nam licet attritio referatur in vltimum finem, adhuc tamen non est ex motiuo charitatis, sed ex proprio; sicuti, verbi gratia, actus temperantiæ ex eo, quod referatur in vltimum finem, adhuc remanet in sua specie, quia relatio in finem mutat tantùm actum extrinsecè.

DE POENITENTIA VT SACRAMELTO.

DISPVTATIO LXXIX.

An detur Sacramentum Pœnitentiæ.

SECTIO I.

1 Dicendum est. *Dari in Ecclesia verum Sacramentum pœnitentiæ.* ita communiter cum D. Thom. *3. p. q. 84. ar.* 1. & est de fide definitum in Concil. Florent. *in Litteris vnionis* & in Tridentino *sess. 14. can.* 1. contra Caluinistas, Lutheranos, & alios Hæreticos. Probatur. Quod est signum sensibile causatiuum gratiæ, est Sacramentum; sed talis est pœnitentia ex institutione Christi. ergo. Minor probatur. Tùm ex traditione vniuersalis Ecclesiæ. Tùm ex illo Ioa. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo remissio peccatorum per ministerium Sacerdotum per signa sensibilia est Sacramentum.

2 Dices. Dictum locum Ioannis posse intelligi de remissione, absque sensibili signo. Contra. Ex traditione Ecclesiæ institutæ à Christo remissio fit per signa sensibilia, ita vt nec ex natura rei possit aliter fieri. Tùm quia, vt fiat remissio, debet manifestari peccatum Sacerdoti alioquin nesciret, quid remitteret. Tùm quia remissio debet manifestari peccatori; non potest autem manifestari, nisi per signa sensibilia.

3 Respondent Hæretici. Verba Ioannis intelligi de prędicatione Euangelij, quatenus per ipsam excitatur fides, qua remittuntur peccata. Contra. Quia hoc est contra traditionem Ecclesiæ, & communem sensum SS. Patrum. Deindè remittere, & retinere dicit specialem potestatem in ordine ad peccata, non saluatur autem per prædicationem; quia prædicatio solum potest excitare ad pœnitentiam, vndè qui excitat aliquem ad contritionem, non remittit ipsi peccatum.

4 Dicendum 2. *Sacramentum pœnitentiæ esse distinctum à Sacramento Baptismi.* est de fide contra Lutherum definitum in Trident. *sess. 14. can.* 2. Probatur. Post Baptismum adest remedium pro peccato. Ergo Sacramentum pœnitentiæ est distinctum à Baptismo. Antecedens patet. Ezechielis 18. *In quacunque die ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor amplius.* & cap. 35. *Derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius.* Consequentia probatur. Non possunt remitti per Baptismum. Ad Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui sunt illuminati.* (hoc est baptizati, vt explicant communiter Patres) *& prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam,* nempè per Baptismum, quia est regeneratio hominis.

5 Dices. Id est verum de remissione peccati per nouum Baptismum, posse verò remitti per recordationem Baptismi. Contra. Non esset impossibile renouari ad pœnitentiam, vt ait Apostolus, sed facilè, vt est recordatio Baptismi.

6 Obijcitur. Ad Sacramentum requiritur res externa applicanda per ministrum, ad quam accedens verbum fiat Sacramentum, iuxtà Augustinum tract. 80. in Ioann. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum,* sed in pœnitentia non est talis res. ergo. Respondetur negand. maiorem. Ad probationem. Requiri solùm rem, quæ sit materia sensibilis, quod D. August. intelligit nomine elementi.

7 Obijcitur 2. Pęnitentia non fuit Sacramentum ante aduentum Christi. ergo, neque post, quia ex actorum 26. Nihil prędicandum est, quàm ea, quæ Prophetæ, & Moyses loquuti sunt. Respondetur negando consequentiam. Ad probationem. Sacramentum pęnitentiæ fuisse prænunciatum, & in figuris, & in genere, quatenus fuit prænunciatus Christus, vt nouus legislator, & institutor mediorum pro salute.

8 Colligitur ex dictis. Sacramentum pænitentiæ fuisse institutum à Christo, quando Ioann. 20. dixit Apostolis. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata,* &c. & est de fide, ex Trident. *sess. 14. cap.* 1. Vt enim instituatur Sacramentum, requiritur collatio potestatis ad illud conficiendum; tunc autem est data Apostolis potestas in ordine ad hoc Sacramentum, quia tunc solùm concessum est, vt possent remittere peccatum.

In quo consistat Sacramentum pænitentiæ.

SECTIO II.

9 Prima sententia asserit consistere in sola absolutione, connotare verò confessionem tanquam cōditionem, sine qua non potest esse absolutio. ita Scot. *in 4. distinct. 14. qu. 4. §. de pænitentiæ.* Cistercien. *distinct. 23. quæst. 2. art. 1.*

10 Secunda sententia asserit, consistere in confessione, & satisfactione, excludit autem contritionem, quia non est quid sensibile, ita Gabriel *in 4. distinct. 14. quæst. 2. art. 1.* & alij.

11 Tertia sententia asserit consistere formaliter in absolutione vt forma, & in actibus pænitentis vt materia.

ita

ita D. Thom. 3. *par. quæst.* 84. *ar.* 2. & 3. Caietanus *ibidem* Alensis 4. *p. q.* 60. *per totam.* Suar. *disput.* 18. *de pænitent. sect.* 2. Vasquez 3. *par. q.* 84. *ar.* 1. *dub.* 2. Putean. *dub.* 3. & alij.

12 Dico primo. *Sacramentum pænitentiæ consistit formaliter in absolutione vt forma, & actibus pænitentis, vt materia.* Desumitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. Vbi definit formam huius Sacramenti consistere in verbis absolutionis, & actus pęnitentis esse partes materiales. Probatur. In eo consistit hoc Sacramentum, in quo consistit significatio, sed consistit in absolutione, & actibus pęnitentis. Ergò, maior patet. Quia Sacramentum est signum practicum gratiæ. Minor probatur. Hoc Sacramentum causat gratiam vt remissiuum peccati per modum iudicij. Ergò ad hoc significandum requiruntur ea, ex quibus essentialiter constat iudicium; iudicium autem coalescit essentialiter ex actibus rei, & ex sententia iudicis, ergò ex parte ministri hoc Sacramentum dicit absolutionem vt sententiam, & ex parte pænitentis dicit confessionem, & alios actus.

13 Dices, ergò etiam pænitens erit minister huius Sacramenti, quia etiam ipse ponit ea, in quibus est vis causatiua gratiæ. Respondetur neg. conseq. Ad probationem; Actus pęnitentis non causare de se gratiam, quia sunt pars materialis, sed solum vt determinantur per formam, & ideò solus Sacerdos proferens formam est minister, cum solus proferat sententiam.

14 Dico secundo, *Partes materiales huius Sacramenti sunt confessio, & contritio, seu attritio.* Loquendo de partibus essentialibus componentibus. ita Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 3. & Leo X. *in bulla contra Lutherum.* Vbi damnat oppositum. Probatur. Nisi adsit confessio cum detestatione peccati. absolutio non sortitur suum effectum. ergò non adest verum Sacramentum. ergò Sacramentum coalescit ex his actibus, alioquin haberet suam vim, & essentiam independenter ab ipsis.

15 Dices. Hos actus requiri solum, vt conditionem, & dispositionem pęnitentis. Contra. Concurrunt ad constituendum iudicium, & partes essentiales ipsius. ergò etiam ad constituendum Sacramentum, cum se habeat per modum iudicij.

16 Dices. Detestatio peccati non est sensibilis. Ergò non est pars Sacramenti. Respondetur non esse sensibilem in se; fieri tamen sensibilem ratione confessionis, quod sufficit.

17 Dico tertio. *Satisfactio est pars huius Sacramenti non essentialis, sed integralis.* ita communiter ex Trid. *citato.* Probatur. Sacramentum pænitentiæ potest subsistere, & obtinere suum effectum absque satisfactione. Tum quia satisfactio non adest, quando fit Sacramentum; Tum quia potest non imponi, vt cum pęnitens non potest illam implere. ergò non est pars essentialis, quia nulla res potest subsistere sine suis partibus essentialibus.

18 Obijcies. Materia debet antecedere formam; satisfactio autem non debet necessariò antecedere, vt declarauit Sixtus IV. *in bulla contra Petrum de Hosma.* Respõdetur. Materiam, quæ est pars essentialis, debere antecedere formam, quia debet ab ipsa informari; non autem quæ est pars integralis, qualis est satisfactio, vt patet etiam in iudicijs humanis.

19 Dico quarto. *Peccata non sunt materia, ex qua fiat Sacramentum, sed tantum circa quam.* Probatur. Sacramentum exercet suam efficaciam supra peccata ea delendo. ergo non possunt esse materia ex qua, sed solum circa quam. Quia si essent materia ex qua concurrerent ad destruenda se ipsa, cum totum Sacramentum participet vim causatiuam gratiæ.

20 Obijcitur. Notitia peccati vt vera debet intrare constitutionem Sacramenti, cum debeat esse confessio de peccato vero. Ergò etiam ipsum peccatum, cum notitia constituatur vera per obiectum, nempè quod peccatum fuerit commissum. Respondetur negando antecedens Quia confessio, quę constituit Sacramentum, non est notitia peccati, sed solum illam supponit. Deinde negatur etiam conseq. Quia licet notitia sit vera ex conformitate cum obiecto, non tamen obiectum constituit ipsam notitiam, quia tantum se habet vt terminus extrinsecus.

21 Quæres. An in Sacramento pęnitentiæ sit aliquid quod simul sit Sacramentum, & res Sacramenti. Respondetur affirmatiuè cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 84. *ar.* 1. *ad* 3. & communiter. Nam contritio, seu attritio est Sacramentum, quatenus est pars constitutiua ipsius, & etiam est res sacramenti, quatenus ex vi absolutionis requirit valorem moralem, in ordine ad remissionem peccatorum, & esse formatum per gratiam.

An Sacramentum Pænitentiæ sit vnum.

SECTIO III.

22 Certum est. Esse vnum specie, nam semper concurrit eadem materia, & forma: vnde solum difficultas est, an omnia, quæ concurrunt ad constituendum tale sacramentum coalescant in vnum indiuisibile Sacramentum.

23 Dicendum est. *Omnia quæ concurrunt ad constituendum hoc Sacramentum, efficere vnum Sacramentum indiuisibile.* ita communiter cum D. Thoma 3. *par. quæst.* 90. *ar.* 3. Probatur. Adæquata significatio huius Sacramenti non subsistit, nisi in omnibus partibus essentialibus. Ergò omnes constituunt vnum Sacramentum, vt potè necessaria ad ipsius significationem. Antecedens probatur. Significatio huius Sacramenti est per modum iudicij reconciliatiui: ad significandum autem per modum talis iudicij, non solum requiritur absolutio, sed etiam confessio, & contritio pęnitentis.

24 Obijcitur. Contritio, confessio, & absolutio, vt plurimum non sunt simul tempore. ergò non faciunt vnũ Sacramentum. Respondetur. Non esse simul tempore physicè, esse tamen moraliter, quia partes materiales relinquunt suum effectum in pęnitente, nempè dispositionem ad recipiendam absolutionem.

25 Obijcitur secundo. Satisfactio non adest, quando conficitur Sacramentum. ergò non pertinet ad vnitatem Sacramenti, vt pars integralis. Respondetur. Adesse in virtute, quia adest in impositione, & acceptatione, quod sufficit, quia pertinet tantum ad integritatem, vt quid in tempore sequenti exequutioni mandandum.

An Sacramentum Pænitentiæ sit iterabile.

SECTIO IV.

26 Dicendum est. *Sacramentum Pænitentiæ esse iterabile.* ita communiter cum D. Tho. 3. *par. quæst.* 84. *ar.* 10. & est de fide, definitum in Concilio Niceno 1, *can.* 8. & in Triden. *sess.* 14. *can.* 5. Probatur. Quoties peccator detestatur peccatum commissum, Deus ignoscit, vt habetur Ezechiel 33. Hieremiæ 18. & passim, Ergò Sacramentum pęnitentiæ est iterabile. Consequentia probatur. Sacramentum pęnitentiæ est institutum pro remissione peccatorum post baptismum. ergò quoties peccatum remitti potest, etiam hoc Sacramentum adhiberi potest, quia quoties finis est assequibilis, possunt etiam media adhiberi.

27 Obijcitur ex D. Ambrosio 2. *de pæniten. cap.* 10. vbi habet, *sicut vnum est baptismum, ita vna est pænitentia.* Respondetur. Loqui de pęnitentia publica solemni, quia subdit, *quæ tamen publicè agitur,* nam hæc non repetebatur propter scandalum.

28 Obijcitur secundo. Si semper posset remitti peccatum per hoc Sacramentum, quilibet semper peccaret, nam *facilitas veniæ incentiuum præbet delinquendi*, vt ait Am-

Ambrof.*ferm*.81 *in Pfal*. 128. Ergò. Refpondetur negan. Confeq. Quia vt ait D. Auguft. *homil*.27. & 50. *Ne defperando augeamus peccata, datus eft pænitentiæ portus; ne fperando augeamus, datus eft dies mortis incertus.*

An Sacramentum Pænitentiæ poßit effe informe.

SECTIO V.

29 SAcramentum dicitur informe, quando eft validum, fed non habet fuum effectum, quoad gratiam, quia fufcipiens non eft difpofitus ad illam recipiendam.

30 Supponendum autem eft. Non pofse dari Sacramentum pœnitentiæ informe, fi fit abfque propofito peccandi formali, vel virtuali, aut quando culpabiliter pænitens non eft difpofitus; quia tunc committit nouum peccatum facrilegij, atque adeo Sacramentum eft inualidum; vnde difficultas eft. An ex alio capite pofsit efse informe.

31 Prima fententia eft affirmatiua, ita Capreol. *in* 4. *dift*.17.*qu*.1.*ar*.3. Palud.*quæf*.8. Durand.*diftin*.17. *q*.13. Sot.*diftin*.18.*ar*.2.*&* 3. Suar.*difp*.20.*de pænten. fect*.5. Hurtad.*difp*.6.*de pænit.difficul*.8. & alij plures. Probatur. Dolor, qui requiritur pro validitate Sacramenti, fufficit fi fit de peccatis confefsis; vt autem Sacramentum conferat gratiam, debet efse de peccatis omnibus non dimifsis, quia dolor non eft pars Sacramenti, nifi vt fit fenfibilis per confefsionem, non fit autem fenfibilis, nifi in ordine ad peccata quæ exprimuntur. ergò

32 Secunda fententia eft negatiua. ita D. Thom. *in* 4. *dift*.23.*q*.1.*ar*.4.*q*.2. quatenus docet, quod remifsio peccati eft effectus, qui femper confequitur exiftente contritione, quæ eft de efsentia Sacramenti pœnitentiæ. Gabr. *diftinct*.17. *quæf*.1.*ar*.1. *dub*.4. Maior. *quæf*.9. Adrian. *quæf*.5.*de confeßione dub*.5. Medina *cap. de confeßione, quæf*.20. Vafquez 3.*par.q*.92.*ar*.2.*&* 3. Syluius *q*.9.*fupplem.ar*.1. Coninch.*difput*.4.*de pænit.dub*.5. *&* *dub*.11. *num*.72. & alij.

33 Dicendum eft. *Sacramentum pænitentiæ non poffe effe validum, & fimul informe*. Probatur. Attritio, quæ eft necefsaria ad valorem Sacramenti, debet efse ex voluntate reconciliationis cum Deo, & efse cum propofito non peccandi, vt decernit Tridentin. *feff*.14.*cap*.4. aliud non efset virtuofa attritio, fed faceret hominem hypocritam, quia ex animo non deteftaretur peccatum; fed tantum oftenderet fe deteftari. Ergò debet verfari faltem virtualiter circa omnia peccata, atque adeò erit etiam fufficiens ad recipiendam gratiam. Confeq. probatur. Tum quia voluntas reconciliationis imperat illam deteftationem peccati, quæ eft necefsaria pro reconciliatione. Tum quia voluntas non peccandi de cætero eft voluntas vniuerfalis, quæ habet motiuum vniuerfale excludens omnia peccata, & ideò debet oriri ex deteftatione vniuerfali peccatorum. Tum quia voluntas non peccandi non poteft ftare cum affectu ad peccatum aliquod, nam hoc effet peccare.

34 Dices. Voluntatem reconciliationis cum Deo non includere virtualiter retractationem omnium peccatorum, ficuti actus fpei, licet fit defiderium beatitudinis, non eft tamen virtualis deteftatio omnium peccatorum. Contra. Intentio efficax finis eft virtualis volitio omnium mediorum, quæ funt abfolutè necetfaria, fed retractatio omnium peccatorum eft medium abfolutè neceffarium ad reconciliationem cum Deo. ergo. Confirmatur. Actus fpei, fi fit efficax defiderium beatitudinis, excludit omnia virtualiter, quæ impediunt exequutionem, quia voluntas efficax finis eft virtualis exclufio impedimentorum, quantum eft in poteftate intendentis. ergo eft virtualis deteftatio omnium peccatorum.

35 Dices 2. Voluntate reconciliationis cum Deo poffe faluari cum affectu ad aliquod peccatum, vt fi quis putat, fe poffe reconciliari cum ipfo per folam eleemofinam. Contra. Talis voluntas fundabitur in errore, atque adeò non erit voluntas, quæ ex natura fua poffit effe efficax. Sacramentum autem pœnitentiæ requirit veram voluntatem reconciliationis, & quę poffit effe efficax, atque adeò quæ fit virtualis volitio mediorum, quæ funt neceffaria; vnum autem ex medijs neceffarijs eft retractatio omnium peccatorum, quia quamdiù voluntas non difcedit ab omnibus peccatis, non poteft accedere ad Deum.

36 Ad fundamentum oppofitæ fententiæ, negatur affumptum. Nam ad validitatem facramenti requiritur dolor de omnibus peccatis commiffis fe extendens faltem virtualiter ad non recogitata. Ad Probationem. Dolorem effe partem Sacramenti, vt fit fenfibilis fecundùm fe per Confeffionem; non autem, vt fit fenfibilis terminatiuè, quia non eft neceffe, quod fiat fenfibile, fecundùm omnem terminum, vt conftat, quando licitè omittitur aliquod peccatum; & in cafu, in quo quis poteft confiteri vnum, aut alterum peccatum. Quia autem fecundùm fe extenditur virtualiter ad peccata, quæ non occurrunt memoriæ, ideò eft fenfibilis fecundùm fe, prout complectitur omnia peccata commiffa.

37 Obijcitur. Qui fufcipit Baptifmum, abfque effectu gratiæ, qui non doluit de peccatis commifsis, & confitetur peccata commiffa poft Baptifmum deteftans ex motiuo, quòd fint peccata hominis Chriftiani, Sacramentum effet validùm, & tamen non conferret gratiam, quia tale motiuum non fe extendit ad peccata commiffa ante Baptifmum. ergo Sacramentum erit informe. Refpondetur, negando fecundam partem antecedentis. Quia deteftatio peccati ex motiuo, quod fit peccatum hominis Chriftiani, refoluitur in motiuum finis fupernaturalis, quia motiuum deteftationis debet effe bonum oppofitum malo, quod deteftatur, atque adeò in cafu noftro eft illud bonum, cui opponuntur peccata hominis Chriftiani, tale bonum eft finis fupernaturalis, atque adeò fe extendit faltem Virtualiter ad peccata commiffa ante Baptifmum.

An Sacramentum pænitentiæ poßit eße informe defectu integritatis Confeßionis.

SECTIO. VI.

38 PRima fententia eft affirmatiua. ita Palud. *in*. 4. *diftinct*.17.*quæf*.5.*art*.3 Sot. *diftinct*.14. *qu*.3. *art*. 3. Caietan. *in fumm. verbo, Confeßione, Conditione* 10. Victor. *de Sacramento pænitentiæ, num*.160. Probatur. Confefsio poteft non effe integra ex defectu debitæ diligentiæ, ita vt negligentia fit moraliter culpabilis; tunc autem Sacramentum erit validum, quia adeft debita materia, nēpè attritio de peccatis confefsis, & non conferet gratiā, quia repetit obicē negligētię culpabilis. ergo.

39 Secunda fententia eft negatiua. ita Medina *de Confeßione, quæf*.23. Suar.*difput*.23. *de pænitentia fectio* 4. Petrus Sotus *lect*. 10.*de pænitentia*. Nauar.*cap*.19. *Manual.num*.16. & alij.

40 Dicendum eft. *Sacramentum pænitentiæ non poffe effe validum, & informe defectu integritatis, fed fimul etiam erit inualidum*. Probatur. Eo ipfo, quod in Confefsione omittitur culpabiliter aliquod peccatum, committitur nouum peccatum facrilegij in ipfa Confefsione. ergo Sacramentum eft inualidum. Confequentia probatur. Tùm quia, dum peccatur in ipfa confefsione, non eft dolor de peccatis commifsis, atque adeò nec materia Sacramenti. Tum quia non adeft propofitum non peccandi de cætero, atque adeò peccator non eft capax reconciliationis cum Deo, nec abfolutionis.

41 Ad fundamentum in oppofitum negatur minor. Nam deeft pars efsentialis facramenti, nempè confefsio integra, quia culpabiliter omittitur peccatum, vndè etiam deeft debita attritio.

DE

DE MATERIA REMOTA Sacramenti Pœnitentiæ.

DISPVTATIO LXXX.

An omne peccatum sit materia per se huius Sacramenti.

SECTIO I.

1 SVpponendum est tanquam certum. Peccatum originale non esse materiam huius Sacramenti, siquidem pro ipso tollendo institutum est Sacramentum Baptismi, vt definit Triden. *sess.* 14. *cap.* 1. & proinde Sacramentum pœnitentiæ est institutum solum pro peccatis, quę committuntur post Baptismum, vt decernit idem Triden. vndè peccata actualia commissa ante baptismum, etiam Catechumenorum, non sunt materia per se Sacramenti pœnitentiæ, sed tolluntur per ipsum Baptismum. Difficultas autem est de peccatis, quæ committuntur in ipsa susceptione Baptismi.

2 Prima sententia asserit, non pertinere ad materiam, huius Sacramenti. ita Syluester *verbo Baptismus* 4. *nu.* 11. Ioan. à Cruce *par.* 2. *directorij conscientiæ.* Prob. Ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 2. Ecclesia non exercet iudicium in aliquem, nisi prius per baptismi ianuam fuerit in ipsam ingressus: sed qui actu baptizatur, non est ingressus. ergo. 2. Sacramentum pœnitentiæ est institutum pro peccatis, quæ post baptismum committuntur, quæ sola Trid *sess.* 14. *cap.* 2. assignat pro materia. ergo peccata commissa in ipso Baptismo, non sunt materia.

3 Secunda sententia. Asserit omnia peccata, quæ committuntur in instanti baptismi esse materiam huius Sacramenti, ita Scot. *in* 4. *distinc.* 14. *quæst.* 5. & alij. Recentiores. Prob. Talia peccata sunt peccata hominis fidelis, quia peccat, dum actu ingreditur Ecclesiam. ergo pertinent ad iudicium Ecclesiæ. 2. Qui baptizatur, & in eodem instanti peccat, posset excommunicari pro illo peccato, quia in illo instanti incipit subiectio ad Ecclesiam, atque adeò incipit obligari legibus Ecclesiæ. ergo tale peccatum pertinet ad Tribunal Ecclesiæ.

4 Tertia sententia Asserit, peccatum fictionis, quo impeditur fructus baptismi esse materiam huius Sacramẽti, non autem alia peccata, ita D. Thom. 3. *par. qu.* 69. *ar.* 1. *ad* 2. Caiet. *ibid.* Medina *Cod. de pœnitentia, tract.* 1. *q.* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *ar.* 8. Valent. *tom.* 4. *dispnt.* 4. *par.* 2. Suar. *disp.* 28. *de pœnit. sect.* 5. Petuar. *sed quæres.* Vasq. 3. *par. disp.* 160. *cap.* 2. Nugn. *quæst.* 69. *ar.* 1.

5 Dico 1. *Peccatum fictionis, quo quis indignè accedit ad baptismum, est materia Sacramenti pœnitentiæ.* deffinitur ex D. August. *lib.* 1. *de baptismo contra Donatistas, cap.* 12. Probatur. Peccatum fictionis est posterius baptismo. ergo est materia Sacramenti pœnitentiæ; quia omnia peccata, quæ subsequuntur baptismum, sunt materia huius sacramenti. Antecedens probatur. Peccatum fictionis, habet pro obiecto susceptionem baptismi, ita vt consistat in voluntate suscipiendi indignè baptismum; actus autem est posterius obiecto, & ideo licèt sit simul tempore cum exequutione baptismi, est tamen posterius natura. Confirmatur. Peccatum fictionis perseuerat etiam post baptismum, quia quandiu homo perseuerat indispositus, durat peccatum, quia durat obex, quò impeditur fructus Baptismi contra obligationem tollendi talem obicem. ergo est etiam posterius tempore. Confirmatur 2. peccatum fictionis impedit, ne baptismus conferat gratiam. ergo non potest tolli per baptismum, quia si baptismus haberet efficaciam ad ipsum tollendum, non impediretur, nè conferret gratiam. ergo pertinet ad sacramentum pęnitentiæ, quia omnia peccata tolluntur, aut per baptismum, aut per pœnitentiam.

6 Dico 2. *Alia peccata, quæ committuntur in susceptione baptismi, non sunt materia huius Sacramenti, si excludant peccatum fictionis.* Probatur. Talia peccata, si non continuantur post baptismum, sunt priora natura ipso baptismo. ergo non sunt materia sacramenti pænitentiæ. Antecedens probatur. Talia peccata proueniunt ab intrinseco, & pertinent ad qualificandum subiectum. ergo sequuntur naturam subiecti; subiectum autem est prius secundùm omnia, quæ habet ab intrinseco ijs omnibus, quæ aduenịunt ab extrinseco.

7 Dices. Ergo idem simul peccabit, & sanctificabitur, quia in eodem instanti peccabit, & simul recipiet baptismum remissiuum peccati. Respondetur negando Sequellam. Quia primum esse sanctificationis, erit primum non esse peccati; sicut in motu, quando mobile accedit ad terminum, *ad quem,* simul recedit à termino *a quò*; vndè accessus ad sanctitatem erit recessus à peccato.

8 Ad 1. Primæ sententiæ distinguo minorem. Qui actu baptizatur, non est ingressus in Ecclesiam in facto esse; est tamen in fieri, quia actu ipsam ingreditur; Et ideò, si peccatum non tollitur per baptismum ex eo, quod impedit fructum baptismi, pertinet ad iudicium Ecclesiæ. Ad 2. Distinguo antecedens. Sacramentum pænitentiæ est institutum pro peccatis, quæ committuntur post baptismum, vel tempore, vel natura; & quæ faciunt perdere gratiam baptismi, aut impediunt, quia quod impediant, est quædam amissio; non autem pro peccatis, quę sunt priora baptismo duratione, vel natura. Fictio autem est posterior natura, vt constat ex dictis.

9 Ad 1. Secundæ sententiæ negatur assumptum loquendo de ijs peccatis, quæ vt priora natura non dicunt ordinem ad hominem, vt ingredietem Ecclesiam; sed sunt delenda per baptismum. Ad 2. negatur assumptum, quòad ea peccata, quæ sunt priora natura ipso baptismo. Ad probationem. Subiectionem ad Ecclesiam incipere in eodem instanti, quòad ea, quæ sunt posteriora natura ipso baptismo, non autem quòad priora.

An peccata venialia sint materia huius Sacramenti.

SECTIO II.

10 DIcendum 1. *Peccata venialia esse materiam sufficientem huius Sacramenti; non tamen necessariam, cum non tollant gratiam.* ita communiter cum D. Th. 3. *par. quæst.* 84. *art.* 2. & est de fide definitum à Leone X. *in Bulla contra Lutherum. in damnatione articuli* 5. & à Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. Probatur. Illud totum est materia huius Sacramenti, quod continetur sub potestate concessa Apostolis, quando fuit institutum hoc Sacramentum. Sed sub tali potestate continentur etiam venialia. ergo. Minor probatur. Potestas data Apostolis in institutione huius Sacramenti est potestas remissiua peccati. Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* ergo complectitur omne peccatum remissibile, sed veniale est remissibile, cum sit verè peccatum, & offensa Dei.

11 Dices. Potestas tributa Apostolis est potestas simul remittendi, & retinendi. ergò cum peccata venialia non possint retineri, nec etiam possunt remitti. Respondetur. Esse potestatem remittendi, & retinendi non coniunctim ex parte obiecti, sed secundum subiectam materiam, ita vt sit potestas remittendi, quæ sunt remissibilia, & retinendi, quæ possunt retineri.

12 Dicendum 2. *Peccata venialia non esse materiam prima-*

primariam, sed secundariam. Probatur ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. Si homo conseruaret gratiam receptam in baptismo, non fuisset institutum Sacramentum pænitentiæ. Ergò tantum secundariò est institutum pro venialibus. Ergò sunt materia secundaria.

13 Dices. Cum solis venialibus potest confici Sacramentum. Ergò sunt materia primaria. Respondetur. Distinguendo conseq. Sunt materia primaria, quatenus Sacramentum potest per se primò circa ipsa versari; non autem primaria quoad intentionem & finem institutionis, quia cum secundario fuerit institutū pro ipsis, etiā secūdario loco sunt instituta pro materia huius Sacramenti.

An peccata semel ritè confessa sint materia huius Sacramenti.

SECTIO III.

14 Dicendum 1. *Peccata semel remissa in confessione posse esse materiam huius Sacramenti*. ita communiter cum D. Thom. *in* 4. *distinc.* 18. *quæst.* 1. *ar.* 3. *quæ stiuncula* 2. contra Rubionem *in* 4. *distinc.* 15. *quæst.* 2. & est determinatum à Benedicto XI. *in Extrau.* 1. §. *Cæterum. De priuilegijs*. Probatur. Peccata sunt materia huius Sacramenti, vt remissibilia non quomodocunque, sed vt detestata, & remissione, quæ introducit amicitiam cum Deo. Sed peccata semel ritè confessa sunt de nouo hoc pacto remissibilia. Ergò. Minor probatur. Peccata possunt coniungi cum noua detestatione, & si detestata exponi in confessione, & homo semper est capax nouæ gratiæ. Ergò sunt de nouo remissibilia ea remissione, quæ fit in hoc Sacramento. Confirmatur. Peccata semel confessa possunt determinari per nouam detestationem, & confessionem, vt sint capacia nouæ absolutionis. Ergò possunt de nouo esse materia huius Sacramenti; nam eo ipso, quod sunt capacia absolutionis, sunt etiam materia. Antecedens probatur. Eo ipso, quod coniunguntur cum noua detestatione, coniunguntur cum noua materia proxima. Ergò de nouo determinantur, vt sint capacia absolutionis. Tum quia capacitas subiecti attenditur secundum materiam proximam. Tum quia forma absolutionis non cadit immediatè supra materiam remotam, sed supra proximam, atque adeò supra remotam iuxta incapacitatem proximæ. Tum quia peccatum de se non est capax absolutionis Sacramentalis, sed tantum vt detestatum, & confessum, atque adeo habet capacitatem ab ipsa confessione.

15 Dicendum secundo. *Quando sacramentum Pænitentiæ versatur circa peccata aliàs confessa, habet suum fructum, nempe conferre gratiam, & remittere aliquid de pæna debita peccatis*. ita communiter cum D. Thom. *citato*, contra Scotum *in* 4. *dist.* 19. *quæstione vnic. ad* 1. D. Bonauen. *dist.* 18. *par.* 1. *ar.* 2. *qu.* 2. *ad vltimum*. Gabriel. *quæst.* 1. *ar.* 3. *dub.* 3. & desumitur ex Benedicto XI. *citata Extrauag.* vbi docet talem confessionem esse salubrem: non esset autem salubris, si Sacramentum non haberet suum fructum. Probatur. In tali casu Sacramentum est verum Sacramentum Ergò causat suos effectus, quos potest causare ex opere operato, quia causa applicata subiecto disposito habet suum effectum. Ergò cum in nostro casu subiectum sit dispositum, Sacramentum causabit suum effectum, quem potest causare ex natura sua, & ex opere operato.

16 Obijcies. Qui semel est absolutus à peccatis, non est amplius ijs ligatus. Ergò non est capax nouæ solutionis. Respondetur negando Conseq. Quia peccata semel remissa sunt de nouo remissibilia, quando substernuntur nouæ detestationi, vt constat ex dictis. Instabis. Solutus à vinculis corporeis, quibus ligabatur, non potest de nouo solui. Ergò nec semel solutus à peccatis, quia verba, *Absoluo te*, non poterunt verificari. Respondetur negando Conseq. Quia solutio vinculi corporei versatur immediatè circa ipsa vincula, vnde si non adsint, non potest fieri solutio. Solutio verò in Sacramento pęnitentiæ versatur immediatè circa confessionem, quam pænitens confitetur fuisse ligatum, & ideò verba verificantur, quia est absolutio reconciliatiua acceptans peccatorem ad amicitiam Dei se auertentem à peccato, adest autem vera auersio, & ideò potest habere locum vera acceptatio pęnitentis ad amicitiam Dei. Et sicuti qui est absolutus in foro externo, potest de nouo iudicialiter absolui si deferat causam in iudicium, & verba absolutionis verificantur, ita etiam pænitens si deducat de nouo peccata in iudicium Sacramentale.

17 Obijcitur 2. Contra secundam conclusionem, si relaxaretur pæna esset optimum semper confiteri eadem peccata, donec remitteretur tota pæna. Respondetur. Esse optimum, dummodo fiat secundum regulas prudentiæ, & cū debita reuerentia; sicut est optimum frequenter elicere actus contritionis circa eadem peccata.

DE PRIMA PARTE MATERIÆ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ.

DISPVTATIO LXXXI.

An ad validitatem Sacramenti sufficiat voluntas confitendi absque alio dolore.

SECTIO I.

1 Supponendum tanquam certum, requiri voluntatem confitendi, & suscipiendi Sacramentum, quia hoc est commune omnibus Sacramentis, quæ conferuntur adultis; & specialiter conuenit huic Sacramento, cum sit per modum iudicij voluntarij, quo pænitens se subijcit clauibus Ecclesiæ; vnde requiritur voluntaria subiectio, vt possit Sacerdos exercere suam iurisdictionem.

2 Dicendum est. *Voluntatem solam non sufficere pro validitate huius Sacramenti, sed requiri aliquam detestationem peccati*. ita communiter cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 86. *ar.* 6. contra Syluest. *verbo*. Confessio. 1. *quæ.* 22. & Roselam. *ibidem* §. 4. Probatur. Non potest Sacramentum subsistere sine suis partibus essentialibus, nempè materia, & forma. Sed detestatio peccati est materia huius Sacramenti. Ergò Maior est certa apud omnes. Minor est de fide determinata in Conc. Flor. *in literis vnionis*. & in Trid. *sess.* 14. *cap.* 3.

3 Dices. Intelligi de contritione virtuali, quæ includitur in voluntate confitendi. Contra. Si intelligeretur de contritione virtuali, seu voluntate confitendi, non requireret Concilium contritionem, vt actum distinctum à confessione, quia voluntas confitendi includitur in ipsa confessione, sine qua non potest esse confessio. Ergò

4 Dices 2. Intelligi quod sit pars materialis integralis. Contra. Sacramentum pęnitentiæ non solum dicit Sacramentalem confessionem, sed etiam cor contritum, vt definit Trident. *sess.* 6. *cap.* 14. Ergò.

5 Obijcitur. Voluntas confitendi est virtualis displicentia peccati. Ergò sufficit. Respondetur negand. Conseq. Quia ad validitatem Sacramenti requiritur, quod homo formaliter recedat à peccato, cum non sit capax sententiæ reconciliatiuæ, nisi ratione formalis recessus à peccato.

An

An detestatio peccati debeat præcedere confessionem.

SECTIO II.

6 PRima sententia est affirmatiua. ita Coninch. *de Sacram. disput.* 4. *de pænit. dub.* 6. Layman *lib.* 5. *Theologiæ moral. tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. Suar. *disput.* 20. *de pænit. sect.* 4. *num.* 31. & alij Recentiores. Probatur. Confessio debet reddere sensibilem dolorem internum, & ipsum significare; hoc autem fieri non potest, nisi oriatur ex dolore. 2. Vera accusatio debet procedere ex odio delicti. Ergò debet odium præcedere.

7 Secunda sententia asserit sufficere, si subsequatur confessionem, & præcedat absolutionem, ita Nauar. *cap.* 1. *Manual. n.* 22. Maior. *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 3. Henriq. *lib.* 1. *de pænit. cap.* 28. *nu.* 3. Vasq. 3. *par. quæst.* 92. *ar.* 2. *dubio vnico*, & alij.

8 Dico primo. *Ad Sacramentum pænitentiæ requiritur, quod detestatio peccati saltem virtute præcedat confessionem, quatenus est pars Sacramentalis.* Probatur. Ad Sacramentum pænitentiæ non sufficit quæcunque confessio, sed debet esse accusatio ordinata ad reconciliationem cum Deo. Ergò debet procedere saltem ex virtuali detestatione peccati. Conseq. probatur. Explicatio peccatorum non est ex natura sua determinata, vt ordinetur ad reconciliationem cum Deo, atque adeò vt sit pars Sacramentalis. Ergò debet determinari. Hoc autem non potest fieri, nisi interueniat actus, quo intendens reconciliationem ordinet ad ipsam confessionem; intentio autem reconciliationis est virtualis detestatio peccatorum.

9 Dices. Posse determinari, postquam est facta. Contra. Ex eo quod ordinatur, acquirit, quod sit pars Sacramentalis. Ergò ex virtuali dolore. Ergo virtualis dolor semper præcedit confessionem, quatenus partem Sacramentalem.

10 Dico secundò. *Confessio procedit virtualiter à detestatione peccati per id, quod procedit ex voluntate ritè confitendi peccata.* Probatur. Voluntas ritè confitendi est virtualis volitio omnium mediorum, quæ sunt necessaria pro fine. Ergo est virtualis dolor de peccatis, quia est volitio implicita doloris.

11 Ad primum. distinguitur minor. Non potest dolor reddi sensibilis, nisi confessio oriatur ex ipso, vel formali modo existente, vel virtualiter; non autem, si non existat tantum formali modo. Ad 2. Veram accusationem debere procedere ex odio delicti vel formali, vel virtuali; procedit autem ex virtuali, si procedat ex voluntate confitendi.

12 Dices. Narratis peccatis Confessario per modum historiæ absque animo confitendi, posset quis elicere actum doloris, & absolui à Sacerdote. ergo confessio non debet oriri ex virtuali dolore. Respondetur. Posset absolui, si alio actu externo ordinaret illam narrationem ad obtinendam absolutionem, atque adeo ex voluntate absolutionis illi tribueret, quod fieret Sacramentalis: secus autem si non haberet talem actum.

13 Quæres. An pro hoc Sacramento sufficiat dolor, quod non adsit verus dolor de peccatis. Respondetur negatiuè, vt docent communiter Palud. *in* 4. *distinct.* 17. *qu.* 1. *ar.* 5. Nauar. *cap.* 10. *manual. num.* 4. Quia Concilium Florentin. *in litteris vnionis*, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. assignant pro materia Sacramenti contritionem; dolor autem quod non adsit contritio, seu dolor de peccatis, non est dolor de ipsis peccatis. Vnde etiam Scriptura Ezechiel. 18. & 33. & passim requirit verum dolorem formalem de peccatis, vt adsit vera pænitentia, quia sine formali detestatione voluntas non recedit à peccato

An naturalis detestatio peccati sufficiat pro hoc Sacramento.

SECTIO III.

14 SVpponendum est contra Sotum *in* 4. *distin.* 18. *qu.* 3. *ar.* 3. tanquam certum de fide, Non sufficere attritionem naturalem ad effectum huius Sacramenti, quia debet esse dispositio ad gratiam: nemo autem pœnitere potest, sicuti oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur sine inspiratione, & adiutorio Spiritus Sancti, vt definit Triden. *sess.* 6. *can.* 3. & ideò *sess.* 14. *cap.* 4. Vocat attritionem, quæ in Sacramento pænitentiæ disponit ad iustificationem, donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti, & Concil. Arausican. *can.* 4. habet, quod voluntas, qua quis purgari vult à peccato, est ex inspiratione Spiritus Sancti. Et *can.* 7. definit hominem nihil posse facere, aut cogitare sine gratia, quod pertineat ad salutem; talis autem attritio est voluntas se purgandi à peccato pertinẽs ad salutem. Vnde difficultas est, an attritio naturalis sufficiat pro sola validitate Sacramenti.

15 Prima sententia est affirmatiua. ita Sot. *in* 4. *distin.* 17. *quæst.* 2. *ar.* 5. Nauar. *cap.* 9. *manualis num.* 10. Canus *Relectione de pænit. par.* 5. Granad. 3. *par. contron.* 7. *tra.* 3. *de pænitentia, disp.* 3. *num.* 22. Probatur. Materia Sacramentorum non debet esse supernaturalis, vt patet in alijs Sacramentis. Ergò nec etiam attritio in Sacramento pœnitentiæ.

16 Secunda sententia asserit, debere esse supernaturalem. ita D. Tho. 3. *par. q.* 84. *ar.* 1. *ad* 2. & *in* 4. *distinc.* 17. *quæst.* 2. *ar.* 3. *quæst.* 1. *ad* 4. Gabriel. *quæst.* 1. *ar.* 1. *dub.* 2. Maior. *qu.* 9. Adrian. *qu.* 5. *de confess.* Suar. *disp.* 20. *de pæn. sect.* 4. *num.* 6. & alij communiter.

17 Dicendum est. *Non sufficere naturalem detestationem peccati, sed debere esse supernaturalem.* Probatur. Materia huius Sacramenti debet esse vera pænitentia interna, quæ reddat subiectum capax absolutionis. Ergo debet esse supernaturalis. Antecedens patet. Homo non est capax absolutionis, nisi quatenus verè ex animo pænitet, aliàs posset absolui cum affectu actuali ad aliquod peccatum; & nisi reddatur capax absolutionis, non potest forma Sacramenti in ipso verificari. Conseq. probatur. Illa tantum pænitentia est vera, & reddit hominem capacem absolutionis, quæ reddit capacem reconciliationis cum Deo. Ergò tantum pænitentia supernaturalis; quia ex Trident. *sess.* 6. *can.* 3. Nemo sine gratia pænitere potest in ordine ad iustificationem. Confirmatur. Vel attritio naturalis excludit voluntatem peccandi, vel non. Si primum; ergò est donum Dei ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. & est exordium bonæ voluntatis, quod necessariò est à Deo secundum definitionem Cælestini Papæ *ad Episcopos Galliæ cap.* 11. Si secundum; ergò non est materia sufficiens, quia materia sufficiens debet excludere voluntatem peccandi, aliàs posset Sacramentum esse validum durante voluntate peccandi.

18 Dicendum 2. *Vt attritio sufficiat ad validitatem Sacramenti, debet esse supernaturalis quo ad substantiã.* ita Suar. *disp.* 20. *de pænit. sect.* 2. *nu.* 10. Coninch. *disp.* 4. *dub.* 5. contra Vasq. 1. 2. *disp.* 194. *cap.* 4. & alios. Probatur. Actus, qui non est supernaturalis quoad substantiam, potest fieri sine gratia, quia non excedit vires naturales. Actus autem peccatoris, seu pænitentiæ, quæ sit sufficiens materia pro hoc Sacramento, non potest esse sine gratia ex Concil. Arausican. *can.* 7. & ex Trident. *sess.* 6. *can.* 3. & *session.* 14. *cap.* 4. ergò.

19 Ad fundamentum in oppositum negatur Conseq. Quia in hoc Sacramento ex speciali ratione materiæ debet esse supernaturalis, nam debet esse dispositio ad gratiam, & reddere peccatorem capacem reconciliationis cum Deo.

An

An detestatio peccati, quæ est materia huius Sacramenti, debeat esse efficax.

SECTIO IV.

20 PRima sententia asserit, sufficere simplicem displicentiam cum velleitate non peccandi. ita Victoria *de pœnit. num.* 144. Canus *Relect. de pœnit. par.* 5. Paludan. *in* 4. *distinc.* 17. *qu.* 8. Granad. 3. *par. controu.* 7. *tr.* 3. *de pœnit. controu.* 7. *tract.* 3. *de pœnit. disput.* 3. *n.* 19. Probatur. Ille dolor sufficit, qui facit, quod confessio sit vera accusatio; hoc autem facit simplex displicentia, nam tunc accusatio est dolorosa.

21 Secunda sententia asserit, *debere esse efficacem*; ita Gabriel. *in* 4. *distin.* 11. *qu.* 1. *ar.* 1. Maior. *qu.* 9. Adrian. *qu.* 5. *de confessio.* Suar. *disput.* 20. *de pœnit. sect.* 4. *numer.* 7. & alij.

22 Dicendum est. *Requiri efficacem detestationem peccati, quæ inferat efficax propositum non peccandi.* Desumitur ex Florent. *in litteris vnionis*, & Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 4. quatenus assignant pro materia contritionem cum proposito non peccandi, propositum namque est efficax voluntas, non autem velleitas. Probatur. Attritio inefficax non auertit voluntatem à peccato, nec excludit voluntatem peccandi. Ergò non est sufficiens materia. Antecedens patet. Quia ex genere suo voluntas inefficax est compossibilis cum contraria voluntate efficaci. Consequent. probatur. Vt attritio sufficiat pro materia, debet auertere voluntatem à peccato, & excludere voluntatem peccandi, vt constat ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. Tùm quia, cum Sacramentum sit reconciliatiuum peccatoris cum Deo, & non possit fieri reconciliatio, nisi fiat auersio à peccato, non est peccator capax absolutionis reconciliatiuæ, nisi recedat à peccato.

23 Ad fundamentum in oppositum negatur Minor. Quia voluntas inefficax non facit, quod confessio sit vera accusatio in ordine ad reconciliationem cum Deo.

An pro Sacramento pœnitentiæ sufficiat attritio non vera, quæ putetur vera.

SECTIO V.

23 SVpponendum est tanquam certum de fide contra Canum *Relectio. de pœnitent. par.* 5. & Vegam *lib.* 13. *in Triden. cap.* 34. Talem attritionem non sufficere ad obtinendum fructum Sacramenti, quia nemo pœnitere potest in ordine ad iustificationem, nisi cum adiutorio gratię, vt definit Trid. *sess.* 6. *can.* 3. atque adeò nisi pęnitentia, & attritio sit vera. Difficultas solum est, an sufficiat ad validitatem Sacramenti.

24 Prima sententia asserit, sufficere, etiamsi ex ignorantia vincibili putetur vera attritio. ita Palud. *in* 4. *dist.* 17. *qu.* 8. Capreol. *qu.* 2. *ar.* 3. Durand. *qu.* 13. Sot. *distin.* 18. *quæst.* 3. *ar.* 3. Nauar. *cap.* 9. *manual. num.* 2. Probant. Sententia, quæ non continet errorem intolerabilem, etiamsi sit iniusta, non est nulla; absolutio autem talis pœnitentis non continet errorem intolerabilem, quia fundatur in ignorantia. Ergò 2. In tali casu non constat euidenter de obligatione iterandi confessionem. ergò non est imponenda.

25 Secunda sententia asserit, sufficere attritionem non veram, si tamen inuincibiliter putetur vera. ita Petr. Sot. *lect.* 8. *de pœnit.* Henriq. *lib.* 1. *de pœnit. c.* 26. *n.* 3.

26 Tertia sententia asserit, requiri attritionem, quæ in se sit vera attritio. ita D. Thom. 3. *par. qu.* 84. *ar.* 1. *ad* 2. D. Bonau. *in* 4. *dist.* 17. *par.* 2. *ar.* 2. *qu.* 3. Gabriel. *quæst.* 1. *ar.* 1. *dub.* 2. Maior. *quæst.* 9. Adrian. *quæst.* 5. *de confessione*, & alij.

27 Dicendum est. *Non sufficere ad validitatem huius Sacramenti, quod attritio putetur vera, sed debet esse in se talis.* Probatur. Attritio, quæ est materia huius Sacramenti, & assignatur à Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. est vera attritio. Ergò non sufficit attritio tantum putatiua. Antecedens probatur. Quia si non est vera attritio, posset quis pænitere in ordine ad gratiam iustificationis sine adiutorio Dei contra definitionem Trident. *sess.* 6. *can.* 3. Nam Sacramentum quia non reperit obicem, conferret gratiam absque vera attritione. Conseq. patet. Quia materia pendet ab institutione Christi, non autem ab opinione hominum, vnde si est instituta pro materia vera attritio, non sufficit putatiua. Confir. Aqua, quæ non est vera aqua, sed existimata, non sufficit pro validitate baptismi, & sic in cæteris Sacramentis, si materia non sit vera in se ipsa, non sufficit pro validitate. Ergò nec in Sacramento pænitentiæ sufficit attritio putatiua, sed debet esse vera attritio in se ipsa.

28 Ad primum respondetur. Sententiam, quæ non continet intolerabilem errorem, licet iniusta, non esse nullam si adsint essentialia requisita ad validitatem, secus autem si non adsint. In casu autem nostro non adest essentialis materia requisita ad validitatem Sacramenti, & sententia absolutiuæ. Ad secundum negatur antecedens. Nam est euidens, Sacramentum esse nullum, quando deficit aliqua pars essentialis; & ideò, si constet, quod attritio non fuerit vera attritio, euidens est etiam obligatio repetendi confessionem; si autem non constet, stante bona fide, illa peccata remittuntur indirectè in subsequenti confessione valida.

An ad validitatem Sacramenti pænitentiæ requiratur contritio.

SECTIO VI.

29 PRima sententia asserit requiri contritionem perfectam. ita Gabriel. *in* 4 *dist.* 14. *qu.* 2. *ar.* 1. & 2. Maior. *dist.* 18. *qu.* 2. Marsil. *qu.* 12. *ar.* 2. Petr. Sot. *lect.* 7. *de pæniten.* & alij. Probatur. Ad Sacramentum pęnitentiæ requiritur conuersio in Deum. Non potest autem peccator, qui plus dilexit creaturam, quam Deum, conuerti in Deum, nisi diligat Deum plusquam creaturam, atque adeò nisi habeat perfectam contritionem. 2. Confessio est peccatorum, vt sunt offensa Dei. Ergò etiam dolor debet esse de ipsis, vt sunt Dei offensa, atque adeò contritio.

30 Secunda sententia asserit, sufficere veram attritionem. ita D. Thom. 3. *par. qu.* 80. *ar.* 4. *ad* 2. Scotus *in* 4. *distin.* 14. *qu.* 4. *ar.* 3. Capreol. *ar.* 3. *ad* 4. Durandus, & alij communiter.

31 Dicendum est. *Ad validitatem, & effectum huius Sacramenti sufficere veram attritionem.* ita determinatum est in Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi decernit quod attritio extra Sacramentum pęnitentię non producit ad iustificationem, perducit tamen in ipso Sacramento. Probatur. Si requireretur perfecta contritio, Sacramentum pęnitentiæ non esset remissiuum peccati, sed hoc est contra definitionem Trid. *sess.* 14. *can.* 1. ergò Sequella probatur. Contritio habet annexam infallibiliter remissionem peccati Ezechiel. 14 Deute. 4. & alibi passim. ergò antequam conficeretur Sacramentum essent remissa peccata ex vi materię eiusdem Sacramenti. Quod autem hoc Sacramentum sit remissiuum peccati definitur à Concilio Trident. *sess.* 14. *can.* 6. & *can.* 9.

32 Ad 1. respondetur. Peccatorem non posse conuerti in Deum, nisi diligat Deum plusquam creaturam conuersione perfecta quoad modum, secus conuersione simpliciter dicta, quæ totaliter auertat à peccato, nam tunc sufficit si diligat Deum, vt benefactorem sui. Ad 2. Quicquid sit de antecedente negatur Consequentia. Nam detestatio peccati non debet conformari confessioni in motiuo; sed tantum in materia, ita vt sit de ijs peccatis, quæ sunt materia confessionis.

An

An sufficiat attritio cognita vt attritio.

SECTIO VII.

33 PRima sententia asserit, non sufficere, sed debere putari contritionem, ita Victoria *Relect. de potestate Ecclesiæ, quæ* 2. Sot. 2. *de natura, & gratia cap.* 15. Nauar. *cap.* 1. *Manualis, num.* 42. Vega *lib.* 13. *in Trident. cap.* 34. *ad tertiam obiectionem*, & alij. Probatur. In articulo mortis requiritur, quod attritio sit saltem existimata contritio, quia peccator debet adhibere illa media, de quibus non potest dubitari, an sufficiant. Ergo semper est necessarium, cum semper sit idem sacramentum. Secundò. Peccatum est contra Deum; attritio autem non est propter Deum. Ergo non est motus contrarius peccato, atque adeo non tollit obicem.

34 Secunda sententia asserit, sufficere, etiamsi cognoscatur vt attritio. Ita D. Tho. *in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 3. *articul.* 3. *quæst.* 1. Palat. *disput.* 1. Paludan. *distinct.* 19. *quæst.* 1. *art.* 2. Adrian. *quæst.* 5. *de confessione*. Suarez *disput.* 20. *de pænitentia sect.* 1. *num.* 20. & alij communiter.

35 Dicendum est. *Ad validiatem, & effectum huius sacramenti sufficere attritionem cognitam, vt attritionem*. Probatur. Attritio secundum se est materia huius sacramenti, & proxima dispositio ad gratiam, ita vt à parte rei in genere detestationis nihil aliud requiratur. Ergo etiam cognita vt attritio est sufficiens. Antecedens est determinatum à Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. Consequētia probatur. Tum quia, quando materia est de se sufficiens, non fit insufficiens ex eo, quod cognoscatur vt est in se, quia cognitio nihil aufert ab ipsa. Tum quia, si esset necessarium, quod putaretur contritio, Concilium id explicasset. Tum quia talis cognitio est erronea, & ideò non potuit requiri ex institutione Christi ad validitatem Sacramenti, alias validitas ipsius dependeret ab errore.

36 Ad primum. Concesso antecedente negat. consequētia cum Suarez *disput.* 15. *sect.* 4. *de pænit. num.* 19. Sanchez *lib.* 1. *sum. cap.* 9. *num.* 34. Granad. 3. *par. controu.* 7. *tract.* 3. *de penit. disput.* 2. *num.* 17. Quia talis necessitas non prouenit ex validitate sacramenti, sed ex cura, quam peccator debet habere de propria salute. Potest etiam negari antecedens. Quia non tenemur adhibere pro salute, nisi media instituta ab Ecclesia. Sacramentum autem pœnitentiæ est medium sufficiens, & validum cū sola attritione cognita. Ad probationem. Non posse prudenter dubitari, quod attritio cognita vt talis non sit sufficiens, alias nec etiam extra articulum mortis liceret accedere cum attritione cognita vt tali. Accedit etiam quod cum sacramentum pænitentiæ sit remissiuum peccati vt definit Concilium Tridentinum *sess.* 14. *can.* 1. *de pœnit*. Certum etiam est, quod non requirat contritionem, aliàs supponeret remissa peccata, non autem remitteret.

Ad secundum negatur consequ. Quia attritio est propter Deum vt bonum nostrum, quod sufficit, vt faciat voluntatem totaliter auerti à peccato; totalis autem auersio est motus contrarius.

An attritio debeat esse de omnibus mortalibus.

SECTIO VIII.

37 SVpponendum est. Ad effectum Sacramenti sufficere; quod pænitens detestetur peccata oblita communi detestatione cum alijs, quia, etiamsi talia peccata non subijciantur clauibus, remittuntur tamen indirectè ex vi sacramenti, quatenus ex opere operato confert gratiam remissiuam omnis peccati.

38 Dicendum 1. *Sufficere vnicum actum attritionis de omnibus peccatis confessis in particulari*. Ita communit. contra Richard. *in* 4. *dist.* 16. *art.* 4. *quæst.* 2. Durand. *dist.* 17. *qu.* 2. qui volunt requiri tot actus, quos sunt peccata. Prob. Per vnicum actū habetur vera accusatio quò ad omnia peccata. Ergo sufficit, quia habetur materia sufficiens pro sacramento.

39 Dicendum secundò. *Etiam si inuincibiliter quis non habeat attritionem de omnibus mortalibus, Sacramentū non est validum*. Probatur. Non adest vera pænitentia interna, ergo deest vera accusatio, atq; adeo pars essētialis Sacramenti. Antec. patet. Talis pęnitētia nō est ex vero motiuo, nec excludit absolutè voluntatē peccādi, ergo.

40 Dicendum tertiò. *Ad validitatem huius Sacramenti requiri attritionem, quæ saltem virtualiter se extendat ad peccata oblita.* Probatur. Requiritur attritio, quę sit vera pœnitentia. Ergo quæ virtualiter extendatur ad peccata oblita. Consequ. prob. Vt sit vera pænitentia, debet facere, quod voluntas recedat absolutè à peccato. Non facit autem recedere, nisi saltem virtualiter se extendat ad omnia peccata.

41 Obijcitur. Peccator tenetur se accusare seorsim de singulis peccatis. Ergo etiam seorsim de singulis dolere, quia accusatio debet esse cum displicentia. Respondetur. Teneri de singulis dolere, non singulis actibus doloris pro singulis peccatis, sed vnico; quia vnicus dolor facit, quod confessio sit vera accusatio respectu omnium.

An ad validitatem Sacramenti pænitentiæ requiratur propositum non peccandi.

SECTIO IX.

42 DIco primò. *Sufficere propositum virtuale ad validitatem, & effectum Sacramenti*. Prob. Attritio ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. *Si excludat voluntatē peccandi*, est materia sufficiens pro hoc Sacramento, & disponit ad iustificationem. Ergo non est necessarium propositum formale, cum talis attritio includat ipsum in virtute, & sufficienter disponat.

43 Dico secundò. *Propositum non peccandi siue virtuale, siue formale, debet esse vniuersale respectu omnium peccatorum*. Prob. Debet esse propositum non peccandi de cætero ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. Ergo debet esse vniuersale respectu omnium peccatorum, quæ committi possunt, aliàs non esset absolutè propositum non peccandi de cætero, quia cum proposito non committendi peccata similia, commissis potest stare voluntas committendi alia peccata.

44 Obijcitur. Si sufficeret detestatio peccati sine proposito explicito, sufficeret etiam propositum, sine detestatione explicita, cum propositum includat virtualiter detestationem; hoc autem est contra Trident. *sess.* 14. *c.* 4. quod præter cessationē à peccatis, & propositum nouæ vitæ requirit etiam odium peccati. Resp. neg. sequelā. Ad probat. Non sufficere virtualem detestationem, quia pro materia huius sacramenti est instituta pęnitentia interna formalis, atquę adeo detestatio formalis.

45 Obijcitur secundò. Qui sciret ex reuelatione, se esse prædestinatum ex eo, quod doleret de peccatis commissis, non haberet virtuale propositum non peccandi. Ergo tale propositum non includitur in attritione. Sequela probatur. Includitur tantum voluntas mediorum, quæ necessaria sunt ad salutem, vitare autem peccata non esset respectu illius medium necessarium; nam stante prædestinatione esset subleuandus per pęnitentiam. Respondetur negando sequelam. Ad probat. Non solum includi voluntatem mediorum, quæ sunt necessaria, sed etiam detestationem eorum, quæ ex eodem motiuo sunt detestabilia; & proinde etiam voluntatem arcendi ipsa. Motiuum autem attritionis facit odio haberi omnia peccata.

An eadem attritio sit necessaria in confessione solum venialium.

SECTIO X.

46 DIcendum est. *Quando confessio est de solis venialibus, requiritur eadem attritio, nempe vera supernaturalis, & efficax*. ita communiter. Probatur. In confessione venialium debet confici verum Sacramentum. Ergò est necessaria illa attritio, quæ est vera materia Sacramenti.

47 Obijcitur. Si attritio efficax præcedat absolutionem de venialibus, remittuntur ante absolutionem. Ergò si est necessarium, nunquam venialia remittentur ex vi Sacramenti. Respond. neg. Conseq. Tum quia per talem attritionem non semper remittuntur omnia venialia. Tum quia in Sacramento remittuntur per modum iudicij.

48 Dicendum 2. *Confiteri veniali a sine debita attritione est mortale peccatum.* Probatur. Reddere irritum Sacramentum est mortale, sed in tali casu redderetur irritum, ob defectum materiæ.

49 Dices. Esse mortale reddere irritum in re graui, non autem in re leui. Contra. Irreuerentia est contra ipsum Sacramentum, vt obiectum immediatum. Ergò cum semper sit idem Sacramentum exigens eandem reuerentiam, semper erit mortale.

50 Obijcitur. Non est mortale non implere pænitentiam leuem, etiamsi Sacramentum priuetur sua integritate; Respond. neg. Conseq. Quia in primo casu non inualidatur Sacramentum, sicut in secundo.

51 Obijcitur 2. Contrahere fictè matrimonium ad vitandum graue damnum non est peccatum mortale, & tamen Sacramentum est irritum. Respond. negan. Conseq. Quia Sacramentum matrimonij sequitur naturam contractus, vnde retinet conditiones ipsius. Ex graui autem causa potest contractus fictè celebrari, & ideò non fit in hoc iniuria Sacramento.

52 Dicendum 3. *Habere attritionem solum de aliquibus venialibus confessis, & non de alijs, non est peccatum mortale.* ita Henriquez *lib. 1. de pænit. cap. 26. nu. 7.* Suar. *disp. 20. de pænit. sect. 6. nu. 7.* Probatur. Potest quisque non confiteri omnia venialia, quorum meminit absque peccato. Ergò etiam dolere solum de aliquibus ex confessis, quia eo ipso, quod solum de aliquibus dolet virtualiter, vult subijcere clauibus ea tantum de quibus dolet. Ergò non peccat, quia in tantum peccaret, in quantum subijceret absolutioni peccata, de quibus non dolet.

53 Obijcitur. Apponit pro materia Sacramenti, quod non est materia. Ergò peccat grauiter, sicut peccaret, qui inter hostias triticeas apponeret non triticeam. Respon. dist. antec. Apponit pro materia, quod non est materia subijciendo clauibus, & negatur; non subijciendo, & conceditur. Ad probationem negatur paritas. Quia in consecratione verba diriguntur ad singulas hostias, vt fiant tot Sacramenta, quot sunt hostiæ, & ideò apponere hostiam, quæ non sit materia sufficiens est absolutè apponere materiam non debitam, & irritare Sacramentum. Absolutio verò non ordinatur ad singula peccata seorsim, sed ad accusationem, & ad conficiendum vnicum Sacramentum, & ideò licet aliqua venialia non informentur attritione, non inualidatur aliquod Sacramentum.

54 Quæres. An in confessione venialium requiratur propositum non peccandi amplius venialiter. Respondetur affirmatiuè. Quia requiritur vera attritio, quæ est virtuale propositum. Nec obstat, quod impossibile sit vitare omnia venialia absque speciali priuilegio, quod regulariter nō conceditur à Deo, quia sufficit, quod propositum vitandi venialia sit efficax secundum quid, & consistit in desiderio, quod Deus concedat gratiam vitandi omnia venialia, quia non requiritur aliud propositum, nisi quoad ea, quæ pænitens potest exequi.

DE CONFESSIONE SACRAmentali.

DISPVTATIO LXXXII.

An ex institutione Christi detur confessio Sacramentalis.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Confessionem Sacramentalem esse accusationem propriorum peccatorum apud legitimum Sacerdotem in ordine ad sententiam absolutionis; cum enim sit materia huius Sacramenti, & hoc Sacramentum sit reconciliatiuum hominis cum Deo per absolutionem à peccatis, debet confessio consistere in explicatione propriorum peccatorum apud Sacerdotem, qui sit legitimus Iudex.

2 Dicendum est. *Confessionem Sacramentalem propriorum peccatorum in particulari esse ex institutione Christi*, est de fide contra Montanistas, Caluinistas, Lutheranos, Nouatianos, qui negant necessitatem confitendi peccata in particulari; definitum est in Concilio Constant. *sess. 8. & in Bulla* Martini V. in Florent. *in decreto fidei*, in Trid. *sess. 14. can. 6. & 7.* Et traditur communiter à Patribus. Probatur. Christus dedit Ecclesiæ facultatem relaxandi, & retinendi pecata, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Ergò instituit confessionem Sacramentalē. Conseq. patet. Tum quia Trident. *sess. 14. cap. 5.* definit ex hoc loco haberi talem institutionem; Tum quia Iudex non potest ferre sententiam, nisi causa cognita, & ideò Sacerdos, qui est Iudex in ordine ad peccata remittenda, & retinenda, debet agnoscere statum peccantis per explicationem peccatorum in particulari.

3 Respondent Hæretici. Hanc potestatem non esse, nisi declaratiuam, qua declarant, peccata esse remissa à Deo. Contra: verba, *Quorum remiseritis*, non important potestatem declaratiuam, sed relaxatiuam, vt semper intellexit Ecclesia. Ergò non solum declarant, sed etiam remittunt peccata.

4 Obijcitur. Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus, teste Socrate *lib. 5. c. 9.* & Sozomeno *lib. 6. c. 1.* abstulit confessionem. Ergò non est de iure Diuino. Respond. vt notat Baronius *anno 56.* Non sustulisse confessionem Sacramentalem, sed confessionem publicam, in qua pænitentes solebant in Ecclesijs accusare peccata, quæ publica non erant, & scandalum generabant.

5 Obijcitur 2. Patres excludunt Confessionem, vt Chrisost. *hom. 2. in psal. 50. & homil. 4. de Lazaro*, & August. *lib. 10. confession. cap. 30.* & dicunt, peccata esse confitenda soli Deo, ergò. Respondetur. Loqui de Confessione publica; nam dicunt, quod non est facienda confessio in theatro coram testibus; volunt autem quod fiat soli Deo, quia dum fit Sacerdoti, fit ipsi Deo, nam Sacerdos non audit peccata vt homo, sed vt repræsentans Deum.

6 Obijcitur 3. Ex D. Ambrosio, *lib. 10. in Lucam cap. 45.* Petrus *doluit, & fleuit, quia vt homo errauit, non inuenio quid dixerit, inuenio, quod fleuerit; lachrymas lego, satisfactionem non lego*; ergo non est necessaria Confessio. Respondetur negando Conseq. Nam solum colligitur, quod peccatum negationis fuerit remissum Petro ex vi contritionis; quia nondum inceperat obligatio legis Euangelicæ; imò nec etiam erat institutum Sacramentum pœnitentiæ.

Quo-

Quomodo peccata sint in confessione exprimenda.

SECTIO II.

7 PLures conditiones solent tribui confessioni Sacramentali, de quibus ait D. Thomas *in 4. distin. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 4.* Et comprehenduntur his versibus. *Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis. Atque frequens, nuda, discreta, lubens, verecunda. Integra secreta, atque lachrimabilis, accelerata, fortis, accusans, & sit parere parata.* Hæ tamen conditiones non sunt omnes necessariæ, sed solum pertinent ad quandam perfectionem accidentalem ipsius.

8 Supponendum autem est, tanquam certum. Confessionem debere consistere in aliquo signo externo, sensibili, quia debet ordinari vt materia Sacramenti ad absolutionem. Quia autem vox est maximè apta ad hoc munus, cum per ipsam possint distinctè explicari peccata, ideò voce facienda est confessio; Difficultas autem est, an hoc sit de necessitate Sacramenti.

9 Dicendum est. *Non esse necessarium, quod Confessio fiat voce, sed posse etiam fieri nutibus, aut alijs externis signis, nempe scriptura.* ita communiter cum D. Thoma Et desumitur ex Concilio Arausicano *cap. 11.* & Cartaginensi 4. *cap. 67.* Probatur. Nutus, & alia signa externa possunt sufficienter subijcere clauibus peccata, quantum exigit sententia absolutionis. Ergò sufficiunt, quando aliàs confessio fieri non potest voce ipsa. Antecedens patet. Tum quia iuxta praxim Ecclesiæ mutus est capax Sacramenti pœnitentiæ. Tum quia nutus æquiualent verbis, & declarant conceptum mentis, vnde sufficiunt pro explicando consensu in contractibus.

10 Obijcitur ex Florentino in *Decreto fidei.* Confessio, quæ est materia huius Sacramenti, dicitur oris Confessio. Ergò debet ore fieri. Respondetur negando Consequent. Nam dicitur oris confessio, quia præsentialiter fit ore ad os, & quia regulariter fit per verba.

11 Obijcitur secundo. Ex Tridentino *sessio. 14. cap. 5.* Peccata sunt in speciali manifestanda. Ergò confessio non potest fieri nutibus. Respondetur. Esse in speciali manifestanda, quando possunt manifestari, quia ex vi Sacramenti sunt tantum explicanda eo modo, quo est possibile. Deinde possunt per nutus in speciali manifestari, vt constat in mutis.

12 Obijcitur tertio. Confessio est relatiua ad absolutionem, Ergò cum absolutio fiat verbis debet etiam fieri confessio. Respondetur esse relatiuam disquiparantiæ, consistit autem relatio in eo, quod sit accusatio ordinata ad absolutionem.

An confessio debeat fieri voce, quando potest fieri.

SECTIO III.

13 DIcendum est. *Esse peccatum mortale confiteri absque graui causa per alia signa, quàm per verba.* ita communiter cum D. Thom. *Quolib. 1. par. 10.* contra Caspensem *par. 2. cursus Theolog. tract. 24. de pœniten. disput. 4. sect. 13. num. 114.* Probatur. Licet non adsit præceptum expressò, siue Diuinum, siue humanum, quod confessio fiat per verba, adest tamen vniuersalis consuetudo declarans præceptum confessionis esse tali modo implendum. Ergò facere contra talem consuetudinem erit mortale. Conseq. probatur, Tum quia Doctores ita communiter interpretantur obligationem consuetudinis. Tum quia consuetudo est comprobata ex praxi Ecclesiæ, & ea vtitur tanquam obligatiua.

14 Obijcitur. Contrahere matrimonium solis nutibus relictis verbis non est mortale. Ergò nec etiam confiteri per nutus. Respondetur negando Conseq. Quia contrahere matrimonium non est contra praxim Ecclesiæ, si fiat per solos nutus, imò secundum consuetudinem ciuilis contractus, qui ab Ecclesia relinquitur in suo esse, & assumitur ad esse Sacramentale.

15 Obijcitur secundo. Confessio non est determinatè instituta in verbis, sed in signis aptis ad explicanda peccata. Ergò. Respondetur negando Consequent. Nam solum fit, quod ex vi institutionis non sint adhibenda verba, non autem quantum est ex vi consuetudinis, & praxis Ecclesiæ.

An qui non potest aliter, teneatur per scripturam confiteri.

SECTIO IV.

16 PRima sententia asserit, teneri. ita Maior. *in 4. dist. 17. qu. 1.* Palud. *qu. 2.* Syluester *verbo.* Confessio 1. *qu. 15.* Suar. *de Sacrament. pœnit. disp. 36. sect. 6. n. 7.* Vasq. *3. par. qu. 91. art. 4. dub. 5.* Henriq. *lib. 2. de pœnit. cap. 3. nu. 8.* Nugnus *3. par. qu. 9. supplem. ar. 3.* Granad. *3. p. contro. 7. trac. 1. disp. 9. sect. 1. nu. 4.* Hurtad. *de Sacram. disp. 8. de pœnit. diffic. 4.* & alij apud citatos Doctores. Probatur. Obligatus ad implendam aliquam legem, præsertim ordinatam ad implendum præceptum Diuinum, tenetur adhibere media, quæ non sunt magnæ difficultatis; lex autem confessionis ordinatur ad adimplendum præceptum Diuinum, & scribere peccata non est medium valdè difficile. Ergò.

17 Secunda sententia docet, non adesse obligationem confitendi per Scripturam. ita Caiet. *in Sum. verbo.* Confessio. *condit. 11.* Sotus *in 4. dist. 18. qu. 2. ar. 3.* Nauar. *in manuali cap. 21. n. 36.* Valent. *tom. 1. disp. 7. qu. 11. pun. 1.* Victoria *in Sum. num. 137.* Medina *C. de confess. qu. 15. §. Quantum dubium.* Ledesma *2. p. qu. 7. ar. 3.* Frater à Crine *par. 2. director. conscient. qu. 3. de pœnit. dub. 7. conclus. 1.* & alij.

18 Dicendum est. *Pœnitentem non teneri confiteri per Scripturam, quando aliter confiteri non potest, sed in tali casu sufficit, si eliciat actum contritionis.* Probatur. Quando lex non potest seruari eo modo, quo cõmuniter, & vniuersaliter solet seruari, desinit obligare, sed lex confessionis. ita vniuersaliter solet seruari, vt fiat voce ad aures. Ergò si non potest seruari tali pacto, desinit obligare, nec obligat ad alium extraordinarium modum. Maior patet. Quia obseruantia declarat legẽ, & determinat obligationem ipsius, cum enim possit introducere ius nouum. *l. de quibus. ff.* De legib. & *l. Nulli. ff. Quod cuiusq. vniuers.* & *l. obseruare, §. 5. ff.* De *offic. proconf.* multo magis poterit ius positum declarare; *l. si de interpret. ff.* De legibus, & cap. *Cum dilectus de consuet.* Confirm. Quando lex non potest seruari eo modo, quo obseruantia declarat esse seruandam, obseruantia ipsius habetur pro impossibili, præsertim si sit necessarius extraordinarius modus, vt possit seruari, & proinde non obligat. Ergò quando non potest voce fieri confessio, qui est modus ordinarius, non obligatur, quis vt confiteatur per scripturam, cum iste sit modus extraordinarius. Confirmatur 2. Scriptura est ex natura sua medium ordinatum ad publicè manifestandũ, & per accidens est, quod sit secreta, & potest inseruire in iudicio pro foro externo. Vnde qui scriberet hæresim, esset hæreticus externus: non autem qui in confessione fatetur hæresim, quam tenet. Ergò confessio non obligat, vt fiat per scripturam, cũ sit medium, in quo nõ seruatur per se secretum, quod per se requiritur in confessione.

19 Ad fundamentum 1. sententiæ. Distinguitur maior. Obligatus ad seruandam aliquam legem ordinatam ad præceptum Diuinum implendum, tenetur adhibere media, quæ non sunt magnæ difficultatis, si sint solita adhiberi, & non contrarientur conditionibus requisitis in illa adimpletione. Secus autem, si sint insolita,

nec cadant ex interpretatione sub obligationem legis, qualis est scriptura in ordine ad confessionem, quæ neque est secundum exigentiam secreti ipsius.

20 Instabis. Quando aliquod præceptum impleri potest seruata substantia pluribus modis, obligat ad omnes illos modos seorsim, Ergo cum confessio fieri possit per scripturam,& præceptum confessionis nō potest alio modo impleri, debet impleri per ipsam. Antecedens probatur. Præceptum respicit per se primò substantiā rei præceptæ, & secundariò modos adimplendi vt quid accessorium, quod exigitur a substantia. Ergo cum principale trahat accessorium, substantia præcepti trahet tunc, vel illum modum adimpletionis, prout erit necessarius pro substantia præcepti. Respondetur. Præceptum obligare ad omnes illos modos seorsim, quibus impleri potest, si tales modi sint conformes obseruantiæ, quam obseruari solet præceptum; secus autem, si sint modi extraordinarij, & imponant nouum onus, quod aliàs non est impositum. Scriptura autem esset medium extraordinarium imponens nouum onus pænitenti, nec est ex natura apta pro secreto confessionis.

An sit de ratione confessionis, quod sit secreta.

SECTIO V.

21 DIcendum est. *Non esse de ratione confessionis, vt secretò fiat, sed posse fieri aliquando publicè, quando nimirum pænitens potest sine peccato sua delicta manifestare.* ita communiter cum D.Thom. *quodlib.*1.*ar.*10. contra Scot. *in* 4. *distinct.*17. *quæst.*1. §. *Ad argumenta* Gabriel *quæs.*1. *art.* 2. Angel. *verbo* confessio 1. *num.* 32. Et desumitur ex Triden. *seß.*14. *cap.*5. vbi habet, Christum non vetuisse, quin aliquis publicè sua delicta confiteretur. Probatur. Per id, quod confessio sit publica, non tollitur aliquid necessarium ad validitatem Sacramenti. Ergo non est de ratione ipsius quod sit secreta. Antecedens probatur. Confessio non est pars Sacramenti, nisi quatenus est dolorosa accusatio, per hoc autem, quod sit publica, non desinit esse talis.

22 Dicendum 2. *Non posse ab Ecclesia imponi præceptum, quod fiat confessio publica de peccatis non publicis.* ita Suar. *disput.* 21. *de pænitent. sect.* 2. *num.* 6. & communiter. Desumitur ex Triden. *cita.* dum ait. Quod non satis consultè præciperetur confessio publica. Probatur. Lex humana debet esse moraliter possibilis, & facilis, vt obseruetur. Confiteri autem publicè secreta peccata est moraliter impossibile, & esset causa plurimorum sacrilegiorum.

23 Objicitur. Si confessio non fieret secretè, posset peccatum deduci ad forum externum, hoc autem est contra institutionem huius Sacramenti. Respondetur negando minorem, quicquid sit de maiori, quia non est contra institutionem, quòd aliquando fiat publicè, vt constat ex Tridentino allato.

An adsit præceptum, quod confessio sit secreta.

SECTIO VI.

26 SVpponendum est. Ab exordio Ecclesiæ fuisse in vsu confessionem secretam, vt docet Trident. *seß.*14. *cap.*5. Et desumitur ex S. Clemente *epist.*1. *ad Iacobum Fratrem Domini.* Quia quamuis esset in vsu etiam confessio publica, non erat tamen Sacramentalis.

25 Supponendum 2. Sacerdotem teneri seruare sigillum confessionis ex iure naturali Diuino, vt docent communiter cum D.Thom *in* 4. *distin.* 2. *quæst.* 3. *art.* 1. quia cum in confessione aperiantur peccata Sacerdoti tanquam repræsentanti ipsum Deum, non potest vt homo ea manifestare, aliàs faceret iniuriam Sacramento, & ipsi Deo; solum ergo difficultas est, an adsit præceptum respectu pœnitentis confitendi secretò.

26 Prima sententia est negatiua. Vult tamen pænitentem peccaturum grauiter, si absque causa sufficienti publicè confiteretur, quia faceret contra praxim vniuersalem Ecclesiæ. ita Suar. *disput.* 21. *de pæni. sect.* 2. *nu.* 12. Henriq. *lib.*6. *summ. cap.* 2. Valent. *tom.*4. *disp.*7. *qu.*11. *punc.*1. & alij.

27 Secunda sententia. Non adesse præceptum, quod semper obliget, sed tantum aliquando. ita Granat. 3. *par. controuer.*7. *trac.*9. *de pænit. disp.*4. *num.*8.

28 Dicendum est. *Confessionem ex institutione Diuina debere esse secretam, ita tamen vt secretum non sit de essentia Sacramenti, sed solum pertineat ad ritum.* desumitur ex Triden. *seß.*14. *cap.*5. vbi docet, quòd non est humanum inuentum, quod confessio sit secreta; si autem non esset institutum a Christo, quòd esset secreta, esset institutum ab hominibus, atque adeo esset inuentum humanum. Probatur. Christus instituit confessionem Sacramentalem, vt semper possit esse actus virtutis, aliàs instituisset pro materia Sacramenti actum malum. Ergo instituit confessionem secretam. Consequentia probatur. Tum quia, si non sit secreta, posset multoties esse scandalosa. Tum quia causaret infamiam pænitenti, etiam quando tenetur iure naturali conseruare propriam famam.

29 Dicendum 2. *Ita fuisse institutum secretum, vt tamen relictum sit in potestate pænitentis publicè confiteri, quando prudenter fieri potest.* Probatur Triden. *citat.* docet, quod Christus non vetuit, quod aliquis publicè posset confiteri. Ergo instituit confessionem secretam absque prohibitione absoluta, quod aliquando fiat publicè.

30 Ex dictis colligitur contra Præpos. 3. *p. q.*4. *de qualitate confessionis. dub.*1. *num.*68. Neque in articulo mortis aliquem teneri publicè cōfiteri, quia Triden. *citatum,* docet absolutè, publicam confessionem non esse de iure Diuino; vnde neque ratione charitatis ad se ipsum adest talis obligatio. Tum quia ad propriam salutem procurandam adest remedium contritionis. Tum quia posset moribundus in tali casu confiteri vnicum peccatum ex leuioribus; & ita absolui.

An adsit obligatio confitendi per interpretem.

SECTIO VII.

31 SVpponendum est tanquam certum. Cōfessionem posse fieri per Interpretem, vt constat ex praxi Ecclesiæ, & in tali casu interpres tenetur seruare sigillum confessionis. Difficultas est, an adsit obligatio.

32 Prima sententia asserit, adesse, quando confessio obligat ex præcepto Diuino. ita supplem. D.Thom. *quæst.* 9. *art* 3. *ad* 2. Canus *Relect. de pænit. par.* 5. Caspens. *par.* 2. *cursus Theolog. disp.*4. *de pænit. sect.*15. *nu.*120. & alij. Probatur. In tali casu confessio adhuc est secreta, nec sequitur, quod peccatum possit probari in foro externo, cū non admittantur testes, qui in confessione peccata audierunt. Ergo nullum sequitur damnum, ob quod esset obligatio præcepti. 2. Multoties tenetur quis confiteri duobus idem peccatum, vt cum habet casus reseruatos, quos aperit superiori, & inferiori. Ergo aderit etiam obligatio confitendi per interpretem. 3. Reuelare crimen occultum proximi viri tantum, non est peccatum mortale secundū aliquos. Ergo nec manifestare peccata interpreti erit graue incommodum excusans a præcepto.

33 Secunda sententia asserit, adesse obligationem solum in articulo mortis, non ex vi præcepti confessionis, sed ratione curæ de propria salute. ita Turrian. *de pænit. q.*9. *art.*2. *disp.*32. *dubio* 1. Coninch. *disput.*5. *de pænit. dub.*10. Vasq. 3 *par. quæst.*91. *art.*4. *dub.*3. Suar. *disp.*26. *de pænit. sect.*9. *num.*4. & alij.

34 Ter-

34 Tertia sententia. Nunquam adesse obligationem. ita Caietan. *verbo*. Confessio. *conditione* 11. Sot. *in 4. dist.* 18. *quaest.* 2. *artic.* 6. Maior *distin.* 17. *quaest.* 4. Palud. *quaest.* 2. & alij.

35 Dico 1. *Praeceptum Confessionis nunquam obligat, vt confessio fiat per interpretem*. Probatur. Nunquam obligat ad confessionem publicam, vt decernit Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. Ergo nec ad confessionem per interpretem. Consequen. probatur. Ex eo, quod non adest obligatio ad confessionem publicam, sequitur tantum, quod adsit ad secretam. Ergo non ad confessionem per interpretem. Consequentia ista probatur; secreta confessio est illa, qua apud solum sacerdotem manifestantur peccata, vt docet Tridentinum *citat.* Ergo non est confessio per interpretem. Confirmatur. Sacramentum poenitentiae est iudiciũ, quod exercetur inter Deum, & hominem, & sacerdos interuenit vt gerens vicem Dei. Ergo non obligat ad confessionem per interpretem. Consequent. probatur. Praeceptum obligat tantum, quando tale iudicium potest exerceri secundum formam institutam, nempe inter paenitentem, & Deum; non autem, quando esset exercendum cum hominibus; fit autem coram hominibus, quando fit per interpretem.

36 Dico 2. *Neque ex generali obligatione procurandi propriam salutem tenetur quis in articulo mortis confiteri per interpretem*. Probatur. Praeceptum confessionis non obligat, nisi ad eam confessionem, quae fieri potest, ita vt sufficiat etiam vnicum peccatum explicare, aut etiam solum exhibere signum externum contritionis, quãdo aliud non est possibile. Ergo quando opus esset interprete, sufficiet explicare per nutus propria peccata sacerdoti eo modo, quo possunt explicari.

37 Ad 1. negatur assumptum. Quia secretum confessionis in eo consistit, quòd solùm in Dei tribunali peccatum sit notum; vnde quando quis non pertinens ad hoc tribunal, cognoscit peccatum explicatum in illo tribunali, iam confessio non est secreta, quia peccatum fit notum extra tribunal, quod coalescit ex solo paenitente, & confessario. Ad 2. negatur consequentia. Quia etiamsi peccatum manifestatur pluribus habentibus facultatem absoluendi, semper tamen manet in tribunali conscientiae; vnde seruatur secretum confessionis. Ad 3. Quicquid sit de antecedente, negatur consequentia. Quia in casu antecedenti non variatur genus cognitionis, sicut variaretur in casu nostro, quia notitia, quae pertinet ad tribunal conscientiae, quod est tribunal Diuinum, extenderetur extra ipsum, & transiret ad alium ordinem.

An liceat absenti per epistolam, vel nuntium confiteri.

SECTIO VIII.

38 PRima sententia est affirmatiua, ita Palud. *in 4. distinct.* 17. *quaest.* 2. Maior *quaest.* 1. Richard. *art.* 2. *quaest.* 5. Palat. *disput. vltima*. Adrian. *quaest.* 1. *de confessio*. Nauar. *capit.* 2. *Manual num.* 36. & alij plures Probant ex capite. *Qualis*. 3. *quaest.* 5. vbi dicitur, poenitentem iam adulterae per scriptum accipiendam esse. 2. Hoc Sacramentum est per modum iudicij, sententia autem in iudicio potest ferri circa absentes. 3. Sacramentum matrimonij potest celebrari inter absentes, quamuis requirat consensum mutuae traditionis. Ergo etiam Sacramentum paenitentiae.

39 Secunda sententia est negatiua. ita D. Thomas in 4. *dist.* 17. *art.* 4. *quaest.* 3. Scot. *quaest. vnica*. Durand. *qu.* 15. & alij communiter.

40 Dicendum est. *Confessionem factam absenti esse illicitam, & absolutionem inualidam*, ita vt opposita sententia damnata sit a Clemente VIII. *die* 20. *Iunij anno* 1602. Damnauit enim hanc propositionem, *licere per litteras, seu inter nuntium confeßario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, & declarauit, esse falsam, temerariam, & scandalosam, & in nullo vnquam casu probabilem. Est autem contra Praepositum 3. *par. in supplem. q.* 4. *de qualitate confessionis. dub.* 3. vbi docet, quod Pontifex tantùm prohibuit, ne confessio fieret absenti, non autem quòd Sacramentum sit irritum, si fieret, quantum est ex vi Sacramenti, quod tamen est falsum. Quia si Sacramentum posset esse validum, talis confessio in aliquo casu necessitatis esset licita, quia lex non habet locum contra necessitatem, atque adeò Pontifex non declarasset, quod in nullo vnquam casu esset probabilis. Probatur. Quando forma non potest verificari, Sacramentum non est validum, sed forma absolutionis non potest verificari respectu absentis. Ergo. Minor probatur. Forma absolutionis ex vi suae significationis est demonstratiua, & directa ad praesentem, ergo non potest verificari circa absentem. Sic quia verba consecrationis sunt demonstratiua, requirunt materiam praesentem, nec possunt habere suum effectum circa materiam absentem.

41 Dices. In forma absolutionis pronomen *Te* non esse demonstratiuum personae. Contra. Idem posset dici de forma consecrationis. 2. Pronomen ex vi suae propriae, & naturalis significationis stat demonstratiuè; ingreditur autem formam secundum propriam naturalem significationem.

42 Dicendum 2. *Non solùm non posse absolui absentem, sed nec confessionem fieri absenti in ordine ad absolutionem obtinendam a praesenti*. desumitur ex eodẽ Decreto Clementis VIII. nam damnauit vtramque propositionem, nempe & quod possit fieri confessio absenti, & quod confessarius possit absoluere absentem; vnde Paulus V. *die* 18. *Augusti anno* 1605. decreuit, quòd ex tractatu de paenitentia, quem ediderat Suar. deleretur *sect.* 4. *disput.* 21. quia in ipsa tenebat, quod licet non possit absolui absens, posset tamen confessio fieri per litteras absenti, & ita explicabat Decretum Clemen. VIII. Probatur. Quod confessio fiat secretò apud solum sacerdotem, vt est in praxi, atque adeo coram ipso personaliter est ex institutione Christi, vt decernit Trident. *sess.* 14. *can.* 6. Ergo non potest confessio Sacramentalis, quae sufficiat pro Sacramento, fieri absenti. Consequentia probatur. Validitas Sacramentorum pendet ex institutione Christi, ita vt si aliter fiant, quàm instituta sint, non sint valida. Ergo confessio facta absenti non erit sufficiens pro hoc Sacramento: vnde Trident. *cap.* 2. *sessio. citata* docet, Quod Christus voluit peccatores sisti ante tribunal Confessarij tanquam reos.

43 Ad 1. negatur consequent. quia in illo textu est sermo de paenitentia publica, quae fiebat per reconciliationem cum Ecclesia, non autem de Sacramentali. Ad 2. sententiam posse ferri circa absentes, quando ex vi suae veritatis non requirit praesentiam; secus autem, si requirat, vt in casu nostro. Ad 3. negatur consequentia. Quia Matrimonium consistit in contractu eleuato ad esse Sacramentale, & ideo retinet naturam contractus, qui potest celebrari inter absentes.

43 Quaeres. An possit absolui moribundus, qui in absentia Sacerdotis dedit signa doloris. Respondetur affirmatiuè cum communi sententia, dum modo signum doloris fuerit in ordine ad confessionem contra Sot. *in* 4. *dist.* 18. *quaest.* 2. *art.* 5. Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 268. & alios recentiores. Desumitur autem ex Leone I. *epist.* 91. *in fine*. Et ex Rituali Romano *edito iussu Pauli V. de Sacramento paenitentiae*. §. *penultimo*, vbi docetur, quòd absoluendus est moribundus, qui etiam per alios ostenderit desiderium confitendi. Ratio autem est. Quia talis confessio non est facta absenti, sed praesenti, quia dirigitur ad Sacerdotem superuenturum, & tanquam deducta ad tribunal Ecclesiae moraliter durat in testium attestatione. Non autem dirigitur ad Sacerdotem vt absentem, vnde non obstat decretum Clementis VIII.

44 Quæres 2. Quando confessio sit inualida. Respondetur ex parte Confessarij esse inualidam. Primò si non adhibeat debitam formam. 2. Si non habeat intentionem, quia Sacramenta dependent ab intentione ministri. 3. Ex defectu iurisdictionis, si aut illa careat absolutè, aut si illa sit impedita, vt in excommunicatis; quia cum absolutio sit per modum sententiæ, requirit iurisdictionem. 4. Si sacerdos ob distractionem, vel ex alia causa nullum percipiat peccatum, nam tunc non potest exercere validum iudicium, sicut si percipiat aliquod peccatum. Ex parte verò pœnitentis est nulla, quando de est intentio recipiendi Sacramentum. 2. Si deficiat debita attritio. 3. Si sit incapax, vt si esset excommunicatus, & non absolueretur prius ab excommunicatione, vnde excommunicatus non toleratus etiamsi inculpabiliter non recordetur excommunicationis, & confiteatur absolutio est nulla vt notat Syluester *verbo*. Confessio *par. 2. quæst. 3.* Quia Ecclesia prohibet ministris ipsi administrare Sacramentum, atque adeò suspendit iurisdictionem. 4. Si sacerdos sit ita ignarus vt nesciat discernere inter mortale, & veniale, inter species & numerum peccatorum; & pœnitens id sciens nihilominus ipsi confiteatur, quia in tali casu non solùm sacerdos, sed etiam pænitens peccat mortaliter, atque adeò non potest habere veram attritionem, quæ sit materia sufficiens pro hoc Sacramento.

DE INTEGRITATE Confessionis.

DISPVTATIO LXXXIII.

An ad integritatem confessionis requiratur quòd explicentur omnia peccata.

SECTIO I.

1 INtegritas Confessionis est duplex; materialis, quæ consistit in explicatione omnium peccatorum; & formalis, quæ consistit in eo, quòd explicentur ea peccata, quæ possunt explicari, & in vniuersali dolore, de omnibus.

2 Supponendum est. Ad integritatem confessionis prærequiri debitum examen conscientiæ, aliàs pœnitens se exponit periculo non explicandi omnia peccata, atque adeò peccat: & proinde non potest habere debitam attritionem, vt definit Triden. *sess. 14. cap. 5.* & docent communiter. In hoc autem examine non requiritur exactissima diligentia, sed sufficit mediocris, quæ moraliter censeatur sufficiens pro recordatione omnium peccatorum; atque adeò debet esse maior, aut minor iuxta qualitatem pænitentis, vt docent communiter, & desumitur ex Tridentino *citato*, vbi solum requirit diligentem præmeditationem.

3 Dicendum est. *Ex vi institutionis Diuinæ omnia peccata mortalia esse explicanda in confessione eidem sacerdoti.* ita communiter cum D. Thom. *in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 4.* & est de fide contra VVickleff: qui volebat, non esse explicanda peccata interna, & Lutherum, definitur autem in Florentino *in Decreto fidei.* & Trident. *sessio 14. can. 7.* Probatur. Sacramentum pœnitentiæ est institutum per modum iudicij. Ergo ex vi institutionis debent in ipso explicari omnia peccata mortalia. Antecedens est Tridentini *sess. 14 cap. 5.* Consequent. probatur. Confessarius debet iudicare pœnitentē de omnibus peccatis, quia omnia sunt subiecta a Christo iudicio ipsius; non potest autem iudicare, nisi omnia explicentur, cum non possit iudicare causa incognita, vt deducit Triden. *citat.*

4 Dicendum 2. *Confessionem peccatorum debere esse integram materialiter, non absolutè; sed quantum fieri potest.* Probatur. Praxis Ecclesiæ ita interpretatur præceptum Diuinum de integritate confessionis, vt desumitur ex Concilio Carthaginensi 4. *capit. 26.* Arauf. 1. *cap. 11.* Leone I. *epist. 91. in fine.* Lex autem nō obligat, nisi prout a consuetudine accipit interpretationem.

5 Objicitur. Est contra legem naturæ, quòd quis teneatur de occultissimis peccatis se infamare. Ergo non adest obligatio ea explicandi in confessione. Respondetur negando consequen. Quia in confessione non aperiuntur peccata Sacerdoti vt homini, sed vt gerenti vices Dei, atque adeò absque infamia, quia confessio est tribunal, in quo est iudicanda conscientia in ordine ad reconciliationem cum Deo.

6 Objicitur 2. In alijs iudicijs non est necesse, quòd reus confiteatur omnia delicta, imo potest absolui ab vna excommunicatione, & non ab alia. Ergo nec etiam in hoc respondetur negando consequent. Quia alia iudicia non sunt voluntaria, nec quò ad forum conscientiæ, nec ordinata ad salutem animæ. Potest autem absolui ab vna excommunicatione, & non ab alia, quia excommunicationes non habent necessariam connexionem quòad ablationem, sicut habent peccata mortalia, quia cum non possint tolli, nisi per restitutionem amicitiæ cum Deo, non potest vnum tolli, nisi tollantur omnia.

7 Colligitur ex dictis, vt docent communiter, esse in confessione explicandos etiam actus externos, vt constat ex praxi Ecclesiæ, quia pertinet ad integritatem peccati; aliàs peccatum non manifestaretur integrè, quia per actū externum peccatum transit ad alium ordinem, cum non sistat in solo proposito, sed etiam in exequutione.

8 Colligitur 2. contra Caietan. *tom. 1. opuscula tract. 5. quæst. 3.* Nauar. *cap. desideret de pænitent. distinct. 5.* Esse explicandas in confessione omnes species peccatorum, siue causent diuersum iudicium in confessario, siue non, vt docent communiter, & desumitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5.* dum docet. Peccata in specie, ac singillatim esse declaranda, & *can. 7.* dum definit, singula peccata esse confitenda, nam si non confiteantur omnes species, non explicantur singula peccata.

9 Colligitur 3. contra Syluestrum *verbo.* Confessio *3. quæst. 6.* victoriam *in summ. num. 196.* non esse contra integritatem cōfessionis, nec esse peccatum mortale prius confiteri vni omnia mortalia, deinde confiteri alteri sola venialia vt docent Suar. *disput. 22. de pænitentia sect. 1. num. 13.* & communiter. Quia in prima confessione habetur debita integritas, cum explicentur omnia mortalia, in secunda verò confessione non sunt amplius mortalia explicanda, cum sint cum remissa. Neque sequitur quòd pœnitens mentiatur, quia in secunda confessione non negat se peccasse mortaliter sed solùm occultat.

10 Colligitur 4. contra Caspens. *par. 2. cursus Theolo. disput. 4. de pæniten. sect. 15. nu. 135.* Posse absolui eum, qui solum dicit se peccasse, etiamsi nesciat exprimere aliquod peccatum siue in genere, siue in specie, quia dum non scit explicare, censetur impotens ad explicandum; qui autem est impotens, potest absolui, si solùm se accuset, quòd peccauerit, vt constat in moribundis.

An, & quomodo numerus peccatorum sit explicandus in confessione.

SECTIO II.

11 SVpponendum est tanquam certum de fide. Esse explicandum in confessione numerum peccatorum, vt definitur in Florent. *in Decreto fidei.* & Trident. *sess. 14. can. 7.* Difficultas autem est, quomodo debeat explicari.

plicari. In qua certum est, quod quando occurrit memoria, debet explicari numerus determinatus.

12 Dico 1. *Quando non occurrit numerus determinatus, explicandus est numerus magis verisimilis addendo particulam plus, aut minus.* ita communiter. Probatur. Quodlibet præceptum obligat solum ad obseruantiã moraliter possibilem. Ergo quando non potest explicari numerus præcisus, sufficit explicare ipsum, prout est moraliter possibile.

13 Dico 2. *Quando pœnitens hoc pacto confessus est numerum peccatorum, si postea recordetur numeri præcisi, non tenetur ad aliquid aliud, si numerus præcisus contineatur sub particula plus, aut minus, secus si non contineatur*, ita *Sot. in 4. distinc.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Suar. *disput.* 22. *de pænit. sect.* 5. *num.* 38. & alij Probantur. In tali casu numerus præcisus causetur explicatus ex vi particulæ plus, aut minus. Ergo non remanet alia obligatio.

14 Dico 3. *Quando quis longo tempore perseuerauerit in aliquo peccato, & non potest explicari numerus peccatorum neque morali modo, sufficit, si explicet, quod tãto tempore perseuerauit in illo peccato paratus ad omnem occasionem cum qualitate frequentiæ peccandi, & quod explicet, si interuenerit aliquid extraordinarium, quod mutet speciem peccatis.* ita Suar. 3. *par. disp.* 22. *de pœniten. sectio.* 5. *num.* 39. & communiter. Probatur. Tali pacto explicantur peccata eo modo, quo est moraliter possibile. Ergo pœnitens non tenetur ad aliquid aliud.

15 Dico 5. *Qui tali modo confessus est si postea recordetur in particulari aliquorum peccatorum, non tenetur ea rursus confiteri, nisi contineant aliquam extraordinariam rationem peccati, quæ indigeat explicatione speciali.* ita Præpos. 3. *par. in supplem. quæst.* 5. *de integritate confessionis. dub.* 1. *num.* 104. Probatur. Quod comprehenditur sub illa generalitate, est sufficienter explicatum in prima confessione, quia in illa generalitate explicantur peccata etiam in particulari, licet in confuso. Ergo non est amplius explicandum.

16 Dices. Qui recordatur notabilis excessus supra numerum explicatum, tenetur illud confiteri. Ergo etiam, qui confessus est cum hac generalitate, tenetur confiteri, si recordetur aliquid in speciali. Respondetur. Distinguendo consequen. Tenetur confiteri, si id, cuius recordatur, non contineatur sub illa generalitate; secus, si contineatur.

17 Quæres. Ad quantum se extendat particula *plus, aut minus*. Respondetur. Extendi tantùm ad id, quod non est excessus notabilis supra numerum explicatum arbitrio prudentis viri iuxta qualitatem, & naturam subiectæ materiæ, vt desumitur ex *l. Hæc adiectio. ff. de verbo. signif.* & notat Glos. *ibidem*, vnde aliquando importat aliquid magnum respectiuè, licèt in se non sit aliquid magnum, vt duo respectu sex. Aliquando importat aliquid magnũ in se quia est aliquid parum respectiuè, vt quinquaginta respectu mille.

An in confessione sint explicandæ circumstantiæ.

SECTIO III.

18 SVpponendum tanquam certum de fide. Circumstantias, quæ mutant speciem, esse necessariò conficiendas, vt definiit Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. & docent communiter cum D. Thom. *in* 4. *distinct.* 16. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæstiuncul.* 5. Eo ipso enim, quod mutant speciem, constituunt nouum peccatum, quod debet explicari, vt confessio sit integra. Quando tamen potest peccatum explicari seorsim ab his circumstantijs, non est necesse explicare simul cum ipsis, sed potest circumstantia explicari seorsim vt distinctum peccatum. Difficultas est de circumstantijs, quæ non mutant speciem, sed tantum notabiliter aggrauant, vel minuunt intra eandem speciem.

19 Prima sententia est affirmatiua. ita Alensis 4. *par. quæst.* 76. *mem.* 3. *art.* 2. Marsil. *in* 4. *quæst.* 12. Maior. *distinc.* 17. *quæst.* 4. Richard. *art.* 2. *quæst.* 8. Sot. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Suar. *disput.* 22. *de pæni. sectio.* 3. Fagundez *precep.* 2. *Ecclesiæ lib.* 4. *capit.* 2. Sanchez *lib.* 2. *summ. capit.* 11. *num.* 24. & alij plures. Probatur ex Can. Trullano 102. vbi proponuntur hæ circumstantiæ, vt necessariò confitendæ, & ex Concilio Vormaticensi *Can.* 25. & ex cap. *Consideret. De pænitentia. distin.* 5. 2. Ex D. Aug. *lib.* 2. *de visitatione infirmorum. cap.* 5. vbi recensens has circumstantias, concludit, *Hæc omnia, si taceantur, vel dicta callidè pallientur, animam iugulant.* 3. In Canonibus pœnitentialibus imponuntur variæ pœnitentiæ pro peccatis eiusdem speciei iuxta diuersas circumstantias aggrauantes. Ergo sunt necessario confitendæ. 4. Ecclesia reseruat aliquando peccatum ratione circumstantiæ aggrauantis; non reseruat autem, nisi quæ sunt necessariò confitendæ. 5. Si taceantur hæ circumstantiæ confessio non esset integra, quia taceretur præcipua grauitas peccati. 6. Infamans aliquem falsum dicendo, & infamans vtrum dicendo, sed occultum, committit peccatum eiusdem speciei nempe iniustitiæ, quia malitia mendacij per se non est mortalis, & tamen hæ circumstantiæ sunt necessario explicandæ. 7. Frangere ieiunium comedẽdo carnes, & frangere non comedendo est peccatum eiusdem speciei, & tamen hæc diuersitas est confitenda.

20 Secunda sententia est negatiua. ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 2. *q.* 5. Albert. Mag. *ar.* 24. Palud. *q.* 3. *ar.* 3. Durand. *quæst.* 4. D. Bonau. *dist.* 17. *qu. vltima.* Adrian. *quæst.* 4. *de Confessione ar.* 2. Nauar. *cap.* 6. *manual. num.* 6. Vasq. 3. *par. qu.* 91. *ar.* 1. *dub.* 2. Ioan. Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 11. *num.* 6. Hurtad. *disp.* 9. *de Sacram. pænitentiæ diffic.* 3. Granad. 3. *p. contr.* 7. *tr.* 9. *de pœniten. disput.* 9. *dub.* 3.

21 Dicendum est. *Circumstantias aggrauantes intra eandem speciem non esse necessariò explicandas in confessione, licet sit expediens, quod explicentur.* Probatur. Triden. *sess.* 14. *cap.* 5. & *can.* 7. definiens, quæ sint explicanda de necessitate in confessione ex institutione Diuina; declarat, quod sint explicanda peccata singula in particulari, & insuper circumstantiæ, quæ mutant speciem; & nihil aliud assignat, quod sit explicandum. Ergò non est obligatio confitendi alias circumstantias. Consequ. probatur. Præceptum non obligat, nisi secundum mensuram declarationis auctoritatiuè. In hac autem declaratione Concilij intendentis declarare obligationem præcepti Diuini in ordine ad ea, quæ erant explicanda in confessione, non continentur, nisi peccata in particulari, & circumstantiæ, quæ mutant speciem. Confirmatur. Concilium loquens de circumstantijs, quæ sunt explicandæ in confessione, taxat & limitat ad illas, quæ mutant speciem. ergò excludit, quæ non mutant. Tum quia loquutio taxatiua assignat terminum in re taxata, & excludit quicquid non continetur sub taxatione. Tum quia in declaratione auctoritatiua legis quoad extensionem legis inclusio aliquorum est exclusio cæterorum, quæ non explicantur.

22 Dices. Concilium voluisse tradere doctrinam certam, & abstinere ab eo, quod erat sub opinione. Contra. Ibi agebat contra Hæreticos, & voluit determinare, quid esset explicandum ex vi institutionis Diuinæ. Ergò cum extenderit obligationem tantum ad circumstantias, quæ mutant speciem, obligatio non se extendit, nisi ad ipsas. 2. Concilium non cognouit esse certum, quod sint explicandæ hę circumstantiæ ex vi institutionis Diuinæ. Ergò non constat, quod sit imposita obligatio eas confitendi. Quando autem non constat, an sit posita obligatio non obligemur, vt communiter docent.

23 Ad primum respondetur. Tam in Can. Trullano, quàm Vormaicensi non fieri mentionem aliquam de circumstantijs aggrauantibus, sed tantum quod sit iniungenda pænitentia iuxta qualitatem delicti. Deinde Canones

nones Trullani fuerunt semper reiecti, vt notat Baronius *anno* 692. In cap. verò . Consideret. Continet tantum consilium, non autem praeceptum. Deinde non facit legem, quia est desumptum ex libro de vera, & falsa pœnitentia, quia adscribitur D. Augustino. Ad 2. Diuum Augustinum enumerare illo loco non solum circumstantias aggrauantes, sed etiam mutantes speciem, & numerum peccatorum, & de illis omnibus collectiuè sumptis ait, quod si taceantur, iugulant animam, quia si taceantur etiam circumstantiæ aggrauantes, & numerus peccatorũ iugulatur anima. Ad 3. Canones assignare illas pœnitentias, non quia circumstantiæ aggrauantes sint necessario confitendæ, nam etiam assignant diuersas pœnitentias, quando adsunt circumstantiæ, quæ non aggrauant notabiliter, & proinde non sunt confitendę, sed vt imponeretur peccatis cum illis circumstantijs, vt nimirum fideles possent melius satisfacere pro pęna temporali debita peccatis. Ad 4. Ecclesiam non reseruare circumstantiam, sed peccatum sumpta occasione ex circumstantia, quia cum peccatum sit reseruabile, potest reseruari ex quocunque motiuo rationabili. Ad 5. negatur antecedens. Quia cum tota grauitas ex circumstantia contineatur intra speciem peccati, explicata specie nihil relinquitur explicandum, quia explicatur totum id, quod est intra speciem. quantum spectat ad formalem rationem peccati. Ad 6. negatur antecedens. Nam illæ infamationes sunt contra diuersas virtutes, nam vna est solum contra iustitiam, altera verò est etiam contra veracitatem. Ad 7. negatur antecedens: Quia ieiunium constat ex duplici parte, nempè ex qualitate ciborum, & vnica comestione, & ideò debet explicari secundum quam partem fuerit violatum.

An vt peccatum integrè manifestetur, debeat explicari complex.

SECTIO IV.

24 Difficultas procedit de complice, qui est talis sua culpa, atque adeo qui est particeps peccati. Supponendum autem est. In tali casu pœnitentem teneri quærere confessariũ, cui non sit solum notus complex, vt docent communiter contra Facund. *præcep.* 2. *Ecclesiæ lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 3. Quia non potest pœnitens causare præiudicium alteri quoad bonam opinionem. Solum ergò difficultas est, quando complex est notus Confessario, & non potest pœnitens habere alium Confessarium.

25 Prima sententia est affirmatiua. ita D. Th. *opu.* 12. *ar.* 6. Alens. 4. *par. qu.* 18. *memb.* 4. *ar.* 2. §. 4. D. Bonauen. *in* 4. *dist.* 21. *p.* 2. *ar.* 1. *qu.* 3. Palud. *qu.* 3. *ar.* 2. Richard. *ar.* 5. *qu.* 2. Maior. *qu.* 3. Vasq. 3. *par. qu.* 91. *ar.* 3. *dub.* 3. Conin. *disp.* 7. *de Sacram. pænit. dub.* 9. & alij plures. Probant. Non est graue damnum infamari apud vnum, qui teneatur sub sigillo ad secretum. Ergò non adest causa sufficiens non confitendi integrè, ne manifestetur complex. 2. Pœnitens manifestans complicem vtitur iure suo, quod habet ad integram confessionem, & complex dum peccauit se exposuit tali periculo. Ergò non fit ipsi iniuria. 3. Quisque tenetur confiteri proprio pastori, & per accidens est, quod alij habeant facultatem. Ergò cum Pastori sint notæ propriæ oues non est tacendum aliquod peccatum ad occultandum complicem, nam complex adhuc se deberet manifestare eidem Confessario. 4. Reuelare extra confessionem vni, aut alteri crimen proximi in ordine ad bonum, non est peccatum saltem graue. Ergò nec in confessione.

26 Secunda sententia est negatiua. ita Nauar. *cap.* 7. *manual. nu.* 3. *&* 4. Caiet. *verbo.* Confessio. *condit.* 3. Armill. *verbo.* Circumstantiæ. *nu.* 11. Faber. *in* 4. *dist.* 17. *disput.* 24. *cap.* 5. Valentia *tom.* 4. *disput.* 7. *qu.* 11. *punc.* 1. Præposit. 3. *par. qu.* 5. *de integrit. confessionis. dub.* 6. Salonius *de iust. & iur. qu.* 73. *ar.* 2. *contr.* 1. *concl.* 2. Medina *lib.* 2. *summ. cap.* 4. §. 1. Sot. *in* 4. *distinc.* 18. *qu.* 2. *ar.* 5. Bannes 2. 2. *q.* 33. *dub.* 8. & alij.

27 Dicendum est. *Non licere in confessione manifestare complicem, quando ipsi sequitur læsio bonæ opinionis apud Confeßarium.* Probatur. Quando concurrunt duo præcepta naturale, & positiuum, obligatio positiui est interpretanda secundum mensuram naturalis, ita vt non se extendat ad id, quod prohibetur in naturali, sed præceptum naturale prohibet læsionem bonæ opinionis proximi. Ergò præceptum positiuum integritatis confessionis debet ita explicari, vt non contineat læsionem proximi. Vnde ob eandem rationem præceptum integritatis non obligat, quando pœnitenti sequeretur graue damnum, etiam temporale.

28 Dices. Materiam subtrahi ab obligatione præcepti naturalis ob bonum integritatis confessionis. Contra. Non subtrahitur in ordine ad pœnitentem, sed ad vitandum graue damnum potest tacere aliquod peccatum. Ergò nec in ordine ad complicem, cum debeamus diligere proximum sicut nos ipsos. Rursus lex naturalis non dictat, quod bonum integritatis confessionis debeat præponi bonæ opinioni complicis. Ergò non subtrahitur.

29 Dices 2. Hoc damnum sequi complici ab intrinseco confessionis; solum autem damnum, quod sequitur ab extrinseco, potest facere, quod præceptum integritatis non obligat. Contra. Ideo cessat præceptum integritatis, quando damnum prouenit ab extrinseco, quia præceptum integritatis non obligat contra præceptum naturale. Ergò cessat etiam quando prouenit ab intrinseco; nam si non cessaret adhuc obligaret contra præceptum naturale. Confirmatur. Per confessionem exercetur iudicium inter Deum, & pęnitentem mediante Sacerdote secundum forum conscientiæ, ita vt sit iudicanda conscientia pœnitentis. Ergò hoc iudicium nunquam exigit, quod manifestetur complex cum detrimento bonæ opinionis. Ergò non potest manifestari, quia in tantum posset, in quantum confessio id exigeret. Conseq. prima probatur. Hoc iudicium est iudicium singularis personæ ordinatum ad bonum ipsius particulare taxatiuè, & priuatiuè quoad alios. Ergò non exigit, nisi quod manifestetur conscientia pœnitentis taxatiuè, & priuatiuè quo ad alios, quia manifestatio debet commensurari iudicio; ergo non exigit manifestationem complicis noti Confessario, nam tunc manifestarentur, quæ sunt in conscientia alterius, & plus extenderetur manifestatio, quàm iudicium.

30 Ad primum negatur assumptum. Nam nisi esset graue damnum, iudicium temerarium non manifestatum, nunquam esset peccatum mortale. Imò aliquando est grauius amittere bonam opinionem apud vnum, quàm apud plures. Ad secundum negatur antecedens. Nam pœnitens non habet ius ad manifestandum complicem, vt constat ex dictis; atque adeò nec ad manifestandum proprium peccatum cum detrimento complicis. Ad tertium negatur Consequen. Nam si quis confiteretur proprio Pastori, adhuc deberet celare complicem; vnde adhuc saluaretur, quod nemo amitteret bonam opinionem apud Confessarium extra confessionem. Ad 4. Quicquid sit de antecedenti. Negatur Consequen. Quia ad summum talis reuelatio non esset peccatum, quando sequeretur ex alia ratione per se licita; atque adeò quando esset indirecta; confessio autem circumstantiæ complicis est formalis manifestatio peccati complicis.

An aliquando sit licita confessio non integra.

SECTIO V.

31 Dico primo. *Esse licitam, quando imminet mortis periculum, vel ipsi pænitenti, vel alijs, qui volunt confiteri, vt in bello, peste, naufragio, aut quando proba-*

probabiliter timetur, ne possit Sacerdos audire integram confessionem, vt si morbo corriperetur. ita Sot. *in 4. dist. 18. q. 2. ar. 5.* Vasq. *3. par. qu. 91. ar. 2. dub. 2.* Suar. *disp. 23. de pœnit. sect. 1.* & communiter. Probatur. In his casibus confessio integra materialiter est moraliter impossibilis; præceptum autem integritatis confessionis non obligat, quando obseruantia est moraliter impossibilis.

32 Dico secundo. *Posse in confessione taceri aliquod peccatum, quando ex manifestatione sequeretur graue damnum siue spirituale, siue temporale, tam ipsi pœnitenti, quã alicui alteri, vt si pœnitens timeret prudenter, quod peccatum esset manifestandum à Confessario*. ita communiter cum D. Tho. *in 4. distin. 17. qu. 3. ar. 3. quæ. stiunc. 4. ad 5.* Probatur. Præcepta affirmatiua non obligant cum graui dispendio, præceptum autem integritatis confessionis est affirmatiuum.

33 Dico tertio. *Quando pœnitens haberet vnicum peccatum mortale, & illud non posset explicare, & vrgeret præceptum confessionis, teneretur confiteri venialia tacendo mortale*. ita Granad. *3. par. controu. 7. trac. 9. de pœnit. disput. 5. num. 23.* contra Suarez *disputat. 23. de pœniten. sect. 2.* & alios Recentiores. Probatur. Tunc vrget præceptum confessionis. Ergò est implendum eo modo, quo potest.

34 Dices. Præceptum non obligat, nisi ratione mortalium. Ergò cum non possit manifestari mortale, non obligabit. Respondetur negando Conseq. Quia obligat ad confessionem habentes mortalia; & ideò qui habet mortale, etiamsi non possit illud confiteri, obligatur tamen ad confessionem.

35 Dico quarto. *Quando longo tempore esset differẽda confessio, vt possit fieri integra, posset taceri aliquod peccatum ob supradictas causas*. ita Suar. *disputat. 23. de pœnit. sect. 2. num. 7.* Præpos. *3. par. qu. 5. de integritate confessionis, dub. 3. nu. 124.* Granad. *citatus*. Probatur. Præceptum integritatis non obligat cum graui incommodo; est autem graue incommodum priuari longo tempore Sacramento pœnitentiæ; præsertim quia potest timere, ne superueniat aliquod accidens, quod impediat confessionem, quando esset necessaria, & quia non posset quis esse paratus ad mortem.

36 Dico quinto. *Quando in confessione omittitur aliquod peccatum ex iusta causa, debet postea explicari in alia confessione cessante causa*. Probatur. Adest obligatio vniuersalis subijciendi clauibus omnia peccata. Ergò.

37 Colligitur ex dictis. Quod tempore pestis, quando Sacerdos timeret prudenter infectionem, posset audito vno, aut altero peccato absoluere pœnitentem, vt docent Granad. & Præpos. *citati*. Sic etiam quando pœnitens non haberet copiam Confessarij, qui intelligeret ipsius idioma; posset facere confessionem non integram explicando peccata, quæ potest, vt docent Granad. *citat.* & Henriq. *lib. 2. summ. cap. 12. nu. 3.*

An in confessione generali debeat explicari, quod peccato commissa post vltimam confessionem non sint amplius confessa.

SECTIO VI.

38 PRima sententia est affirmatiua. ita Turrian. *in select. disput. centur. 4. Theolog. dub. 6.* qui vocat oppositam sententiam perniciosam more suo nimis facilis in censuris.

39 Secunda sententia est negatiua. ita Sanchez *libr. 1. Sum. cap. 10. num. 71.* Bonac. *disp. 5. de Sacram. quæst. 5. sect. 2. pun. 3. §. 3. diffic. 4. n. 5.* Homob. *volum. 2. consultationum, p. 5. respon. 132.* & alij Recentiores.

40 Dicendum est. *Non esse opus explicare, quod peccata sint, vel non sint, alias confessa, dummodo ex hoc non sequatur variatio speciei*. Probatur. Peccatum est idem, siue sit, siue non sit alias confessum. Ergò quod sit, vel non sit alias confessum, non est materia necessariò explicanda. Confirmatur. Si ante confessionem præcedat contritio, non est explicandum, quod peccata sint remissa per contritionem, & si non præcedat, quod non sint remissa. Ergò.

41 Obijcitur. Posset Confessarius intelligere, quod peccata noua sint aliàs confessa, & imponere minorem pœnitentiam. Ergò debent explicari. Respondetur negando Consequ. Quia in confessione non sunt omnia explicanda, quæ conferunt ad augendam, vel minuendam pœnitentiam.

42 Obijcitur secundo. Plus distat peccatum non remissum à remisso, quàm veniale à mortali. Ergò cum pœnitens debeat explicare circumstantiam, quæ mutat de mortali in veniale, aut è contra, debet etiam explicare, quod non sit remissum. Respondetur. Plus distare distantia extrinseca, non autem intrinseca in ratione peccati, debet autem explicari peccatum in ratione peccati secundum statum, quem habet, dum fuit commissum, quia explicatur vt capax absolutionis, atque adeò solum secundum esse intrinsecum.

An quando peccatur in causa, debeat explicari effectus subsequutus.

SECTIO VII.

43 PRima sententia est affirmatiua. ita Sot. *in 4. dist. 12. qu. 1. ar. 7.* Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 45. n. 30.* & alij. Probatur. Est conficiendus actus externus. Ergò etiam effectus sequutus. 2. Sequuto effectu delictũ magis punitur, & contrahuntur censuræ. ergò.

44 Secunda sententia est negatiua. ita Vasq. *1. 2. disput. 49. cap. 3.* Curiel. *qu. 71. ar. 5. dub. 3. §. 3.* Sanch. *in select. de Sacram. disput. 20. nu. 5.* & alij.

45 Dico primo. *Quando effectus est continuatio moralis, actus externi debent explicari in confessione*. Probatur. Actus externus est explicandus. Ergò etiam talis effectus.

46 Dico secundo. *Tunc etiam debet explicari, quando est necessaria explicatio ad notitiam efficaciæ causæ*. Probatur. Non explicatur integrè peccatum, nisi explicetur causa secundum efficaciam. Ergò quando effectus est necessarius ad intelligendam efficaciam causæ, debet explicari.

47 Dico tertio. *Quando peccatum consumatur in ipsa causa, & potest seorsim explicari vt efficax, non est opus explicare effectum*. Probatur. Effectus non est peccatum, sed quid consequens ex ipso, in confessione autem sunt tantum explicanda peccata. Confirmatur. Qui dedit causam effectui, nec potest illam auferre, si confiteatur, antequam sequatur effectus, quando sequitur, non peccat de nouo, nec tenetur aliquid aliud confiteri, & tamen non est explicatus effectus sequutus.

48 Ad primum negatur Consequentia. Quia effectus non participat malitiam, nec pertinet ad integritatem peccati, sicut actus externus. Ad secundum negatur Consequent. Quia leges in puniendo respiciunt ad effectum, vt conditionem, quia effectus infert actualiter damnum communitati.

DE

DE FORMA SACRAMENTI pœnitentiæ.

DISPVTATIO LXXXIV.

An verba sint de essentia formæ Sacramenti pœnitentiæ.

SECTIO I.

1 PRima sententia docet, verba non esse de essentia, sed sufficere aliud signum externum, per quod Sacerdos potest absoluere. ita Palud. *in 4. distinct. 17. qu. 2. ar. 1.* Medina *c. de confessione, qu. 15.* Nauar. *cap. 21. man. num. 36.* & alij. Probatur. De essentia iudicij non est, quod sententia verbis proferatur. Ergò in hoc Sacramento cum se habeat per modum iudicij. 2. Accusatio pœnitentis non fit necessario voce. Ergò nec etiam absolutio. 3. In matrimonio non requiruntur necessario verba, sed sufficiunt nutus. Ergò neque in hoc Sacramento. 4. Absolutio ab excommunicatione non fit necessario verbis. Ergò nec absolutio a peccatis.

2 Secunda sententia asserit, essentialiter consistere in verbis. ita D. Thom. *3. par. qu. 84. ar. 3. ad 3.* Coninch. *disput. 4. de Sacram. pœnit. dub. 9.* Suar. *disput. 19. de pœnit.* & alij communiter:

3 Dicendum est, *Formam Sacramenti pœnitentiæ consistere essentialiter in verbis.* Desumitur ex Trident. *sess. 14. cap. 3.* Vbi decernit. Formam huius Sacramenti esse positam in illis ministri verbis. *Ego te absoluo*, &c. Probatur. Quæ pertinent ad materiam, & formam Sacramentorum pendent essentialiter ex institutione Christi. Sed ex institutione Christi habetur, quod consistat in verbis. Ergò minor probatur. Traditio Ecclesiæ habet, quod consistat in verbis. Ergò ex institutione Christi posita est in verbis.

4 Ad primum negatur Consequent. Quia licet Sacramentum sit per modum iudicij, habet tamen aliqua specialia ex institutione Christi. Ad secundum negatur Consequentia. Quia Christus instituit determinatè formam huius Sacramenti in verbis; non autem instituit determinatè in verbis confessionem, ne ij, qui loqui non possunt, priuarentur Sacramento tàm necessariò. Ad tertium negatur Consequentia. Nam est diuersa institutio in Sacramento matrimonij, aliàs posset inferri, quod neque pro cæteris Sacramentis sint verba necessaria. Ad quartum negatur Conseq. Quia absolutio ab excommunicatione non habet formam determinatam, a qua dependeat validitas ipsius, sicut habet absolutio à peccatis.

In quibus verbis consistat forma absolutionis.

SECTIO II.

5 SVpponendum tanquam certum de fide, definitum à Tridentin. *sess. 14. cap. 3.* Formam absolutionis consistere in illis verbis. *Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Preces autem quæ præmitti solent, & quæ subsequuntur, non pertinere ad formam, neque esse necessarias ad administrationem Sacramenti, vt habet idem Tridentin. *citat.* Difficultas autem est, An omnia ista verba sint essentialia, certum autem est apud omnes, quod verbum. Ergo non est essentiale, quia non pertinet ad essentialem significationem formæ.

6 Prima sententia asserit, omnia verba, etiam quæ continent inuocationem Trinitatis, esse essentialia. ita Maior. *in 4. dist. 14. q. 2.* & alij. Probant. Inuocatio Trinitatis est de essentia formæ baptismi; & confirmationis. Ergò etiam formæ Sacramenti pœnitentiæ.

7 Secunda sententia asserit, sufficere verba, *Absoluo te.* ita Caiet. *verbo. Absolutio.* Nauar. *cap. 26. manual. nu. 2.* Suar. *disput. 19. de pœnit. sect. 1.* Vasquez *3. par. qu. 84. ar. 3. dub. 4.* Coninch. *disput. 4. de Sacram. pœnit. dub. 3.* & alij. Probant. Qui offensam est passus, si dicat condono tibi, sufficienter explicat remissionem offensæ. Ergò 2. Matthæi 18. Christus dixit discipulis, *Quæcunque solueritis super terram, &c.* Ergò non est opus exprimere peccata. 3. Si Iudex diceret reo in iudicio, *Absoluo te*, sufficienter explicaret se absoluere à crimine, de quo est accusatus. Ergò etiam in iudicio pœnitentiæ.

8 Quarta sententia vult non sufficere verba, *Absoluo te*, sed requiri etiam particulam, *a peccatis tuis.* ita Gabriel *in 4. distinct. 14. q. 2.* Maior *ibidem.* Palud. *distinct. 22. q. 3.* Petr. Sot. *lect. 4. de confess.* & alij.

9 Dico 1. *Inuocatio Trinitatis non est necessaria.* Probatur. Neque ex verbis Christi, neque ex traditione Ecclesiæ habetur, quod sit necessaria. Ergo non est ponenda vt de essentia. Consequentia probatur. Quia in Sacramento baptismi, & confirmationis ideò ponitur vt necessaria, quia habetur ex verbis Christi, & traditione Ecclesiæ.

10 Dico 2. *verba. Ego te absoluo non sufficiunt, sed necesse est ponere saltem a peccatis.* Probatur. Illa verba sunt essentiatialia formæ, quæ sunt necessaria ad significandum effectum, quem causant. Sed hæc verba, *Absoluo te*, non significant. Ergo. Minor probatur. Effectus Sacramenti est remittere peccata, & ab ijs absoluere; verba autem *absoluo te*, non significant absolutionem a peccatis, quia absoluere est indifferens ad significandam absolutionem ab hoc, vel ab illo.

11 Dices. Determinari a subiecta materia, quia cadit demonstratiuè supra pœnitentem petentem absolui a peccatis. Contra. Forma Sacramentorum non debet determinari a materia, sed ipsa debet determinare materiam ad significandum effectum Sacramenti. Ergo si ex se non significat determinatè effectum, non erit sufficiens.

12 Dices 2. verbum *absoluere* supponere pro eo, a quo fit absolutio, & ideò non suspendere significationem. Cõtra verba, quæ non significant aliquod vnum, sed possunt significare plura, suspendunt significationem, cum non sit maior ratio, cur potius vnum, quam alterum significent, tale autem est verbũ *absoluo.* Confirmatur. Verba *absoluo te*, non significant explicitè, & formaliter absolutionem a peccatis, sed ad summum virtualiter. Ergo non sunt sufficiens forma. Consequent. probatur. Forma Sacramentorum causat effectum ex vi suæ significationis. Ergo ad causandum requiritur adæquata significatio formalis, quia causa non potest causare, nisi eius vis causatiua formali modo existat. Ad fundamentum Primæ sententiæ patet ex dictis.

13 Ad 1. Tertiæ sententiæ negatur consequen. Quia illa verba *condono tibi*, significant sufficienter significatione virtuali ex determinatione materiæ; quæ significatio non sufficit pro forma Sacramenti. Ad 2. negatur Consequent. Quia Christus in eo loco non expressit ea, quæ essent soluenda; nam posuit verbum vniuersale, *Quæcunque*, quia dabat Apostolis vniuersalem potestatem soluendi, & ligandi. Ad 3. negatur Consequen. Quia verba Iudicis non habent causare effectum absolutionis; sed tantum manifestare, & ideò sufficit, si virtualiter significent, & determinentur à subiecta materia.

14 Dices. In Baptismo sufficit forma. *Ego te baptizo*, seu abluo, nec opus est addere à peccatis. Ergò nec in Sacramento pœnitentiæ. Respondetur negando Conseq. Quia in baptismo verbum baptizo determinatur ab alijs verbis ad significandum ablutionem spiritualem. Quia autem

autem ablutio spiritualis non potest esse, nisi à peccatis, ideò non est necesse addere à peccatis, ad determinandum verbum *abluo*, seu baptizo, cum iam habeat significationem determinatam. At verbum *Absoluo*, etiam si significet absolutionem spiritualem, quia tamen absolutio spiritualis est multiplex, nempè à peccatis, & à censuris, ideò nisi addatur à peccatis, remanet significatio indeterminata.

An forma absolutionis possit esse deprecatiua.

SECTIO III.

15 Dicendum est. *Non posse esse.* ita communiter cum D. Thom. *3. par. qu. 84. ar. 3. ad 1.* contra Mayronium *in 4. distinc. 14. qu. 2.* D. Bonau. *dist. 18. ar. 2. qu. 1.* Probatur. Sacramentum pœnitentiæ est per modum iudicij, in quo Sacerdos profert sententiam, vt definit Trid. *sess. 14. cap. 5.* Ergò absolutio non potest esse deprecatiua, quia debet esse relaxatio iurisdictionalis peccatorum proueniens à potestate Sacerdotis, ita vt significet Sacerdotem esse illum, qui exercet iurisdictionem. Ergò non potest significare, quod pœnitens ab alio sit absoluendus, sicut significaret, si esset deprecatiua.

16 Obijcitur. Patres vocant absolutionem orationem, & preces Sacerdotis. Ergò potest esse deprecatiua. Respondetur. Dici orationem virtualiter, quia in virtute orationis Christi causat gratiam. Deinde dicitur oratio, quia obiectiuè impetrat, quatenus verba sunt obiectum, ad cuius positionem, ex impetratione Christi Deus tenetur conferre gratiam.

17 Obijcitur secundo. Ex D. Augustino, *homil. 23. ex Quinquaginta tribus* reprehendit eos, qui dicunt, Dimitto tibi peccata tua. Ergò. Respondetur. Reprehendere, qui sic dicunt quasi intendant potestate propria remittere peccata. Nam Sacerdos dimittit peccata potestate Dei.

18 Obijcitur tertio. Extrema Vnctio confertur verbis deprecatorijs. Ergò etiam Sacramentum pœnitentiæ. Respondetur negando Conseq. Nam extrema Vnctio est instituta cum forma deprecatiua; non autem hoc Sacramentum.

19 Obijcitur quarto. Ideò non posset adhiberi forma deprecatiua, quia Christus dedit potestatem dimittendi peccata; sed etiam dedit potestatem curandi infirmos, & tamen talis potestas exercetur per verba deprecatiua. Ergò. Respondetur. Non posse adhiberi formam deprecatiuam, non quia sit data potestas quocunque modo, sed quia est data per modum iudicij, quæ exigit vt exerceatur auctoritatiuo modo.

20 Colligitur ex dictis. Omnem formam esse validam, cum qua Iudex potest ferre sententiam, quia cum hoc Sacramentum sit per modum iudicij, potest absolutio dari eò modo, quo potest ferri sententia, vt docent Scotus *in 4. dist. 14. qu. 4.* Gabriel. *quæst. 2.* Suar. *disput. 19. de pœniten. sect. 1. num. 25.*

An effectus absolutionis sit vera remissio peccatorum.

SECTIO IV.

21 Prima sententia est negatiua, asserens esse solam declarationem, qua declaratur peccata esse remissa. ita Magister *in 4. distinc. 18.* D. Bonau. *ar. 2. qu. 2.* Argent. *ar. 3.* Gabriel. *quæst. 1. ar. 2.* Maior. *qu. 1.* Ocham. *quæst. 9. ar. 4.*

22 Secunda sententia est affirmatiua. ita D. Tho. *in 4. dist. 18. ar. 3. qu. 1.* Durand. *qu. 2.* Richard. *ar. 2. q. 1.* Scot. *qu. vnica*, & communiter.

23 Dicendum est. *Effectum formæ absolutionis esse veram remissionem peccatorum.* Est de fide definitum in Florentino *in litteris vnionis*, & in Triden. *sess. 14. can. 9.* Probatur. Effectus absolutionis est commensuratus potestati, quam Christus credidit Apostolis. Ergò est vera remissio peccati. Consequent. probatur. Potestas, quæ est data Apostolis, non est potestas declarandi, esse remissa peccata, sed remittendi, ita vt ratum habeatur, quod faciunt Sacerdotes, ab ipso Deo, nam Christus dixit Io. 20. *Quorum remiseritis peccata;* non autem quorum declaraueritis remissa peccata.

24 Dicendum est 2. *Quando peccata sunt iam remissa per contritionem ante absolutionem, adhuc effectus absolutionis est remittere peccata complendo remissionem factam per contritionem, quatenus absolutio causat gratiam, quæ complet iudicium inter peccatorem, & Deum remittendo peccata iudiciali modo; vnde prius erant remissa peccata, sed non iudiciali modo, sed extraiudicialiter.* Probatur. Contritio, vt definit Trid. *sess. 14. cap. 4.* non remittit peccatum, nisi cum dependentia ad claues, & absolutionem Sacramentalem. Ergò gratia acquisita per contritionem dependet ab absolutione, vt effectus virtualis ipsius. Ergò quando ponitur absolutio cum noua gratia, præcedens gratia est dependens ab absolutione, & absolutio complet iudicium. Ergò tota remissio est effectus absolutionis.

25 Obijcitur. Solus Deus potest remittere peccatum, cum sit offensa ipsius. Ergo. Respondetur solum Deum posse remittere auctoritate propria; Sacerdotē autem posse remittere nomine Dei.

26 Obijcitur secundo. Christus solus suscitault Lazarum à mortuis, deinde iussit solui à Discipulis. Ergò cum fuerit figura confessionis, solus Deus remittit in ipsa peccata, & Sacerdotes declarant esse remissa; vnde August. *trac. 6. in Ioan.* infert Christum sibi retinuisse potestatem remittendi peccata, & seruis ministerium dedisse. Respōdetur negando Conseq. Quia exemplum Lazari ostendit, quod peccator debeat prius excitari à morte peccati per Dei vocem, nempè gratiam, & deinde solui à Sacerdote, vt declarat Augustinus *tract. 19. in Ioan.* Docet autem, quod seruis dedit tantum ministerium. Quia Sacerdotes in hoc Sacramento tantum ministerialiter remittunt peccata. Christus verò principaliter, & hoc pacto explicandi sunt alij Patres, quando dicunt, Christum remittere peccatum, & Sacerdotes esse tantum ministros.

27 Obijcitur tertio. Eodem modo conuenit Sacerdotibus potestas soluendi, quo conuenit potestas ligandi, sed hęc est tantum ad ostendendum aliquem esse ligatum. Ergò. Respondetur negando Antecedens. Quia potestas ligandi non est potestas, nisi retinendi vincula, quibus peccator se ligauit.

28 Quæres. An ex vi absolutionis Sacramentalis remittatur aliquid pœnæ temporalis debitæ peccatis. Respondetur affirmatiuè, vt docent communiter. Talis autem remissio fit iuxta dispositionem pœnitentis, quia cum actus confessionis sit ex natura sua satisfactorius, determinatur à forma ad absoluendum à pęna, quatenus satisfactorius est.

An absolutio possit dari sub conditione.

SECTIO V.

29 Conueniunt communiter, quod possit dari validè sub conditione de præterito, vel præsenti: peccet tamen mortaliter, qui talem conditionem interponit, nisi interueniat causa rationabilis. Vnde difficultas est de conditione de futuro.

30 Dicendum est. *Absolutionem sub conditione de futuro nedum esse illicitam, sed inualidam.* ita Nauar. *cap. 26. manual. nu. 20.* Henriq. *lib. 1. summ. cap. 12. num. 5.* Suar. *3. par. tom. 3. disput. 13. sect. 3.* & communiter. Probatur. Conditio de futuro suspendit actum, & trahit ad tem-

tempus conditionis. Ergò facit, quod absolutio sit inualida. Consequent. probatur. Tempore futuro, in quo ponitur conditio, non adest materia, supra quam cadat absolutio, nempè confessio, nec adest ipsa forma verbalis. Ergò non potest confici Sacramentum.

31 Dices. Adesse virtualiter, quatenus absolutio, & confessio virtualiter perseuerant. Contra. Sacramenta non coalescunt ex suis partibus virtuali modo existentibus, sed existentibus formali modo; vnde materia huius Sacramenti non est virtualis confessio, sicut nec in baptismo virtualis ablutio; nec forma consistit in verbis virtualibus. Ergò.

32 Obijcitur. In humanis potest proferri sententia sub conditione de futuro, & etiam absolui ab excommunicatione. Ergò etiam in hoc Sacramento. Respondetur negando Conseq. Quia in alijs iudicijs sententia dependet à voluntate Iudicis, & verba, aut alia signa externa solum manifestant voluntatem Iudicis, in hoc autem iudicio verba sunt causa efficiens effectus Sacramenti, & causa formalis constituens ipsum Sacramentum.

33 Obijcitur 2. Matrimonium potest fieri sub conditione de futuro. Ergò etiam hoc Sacramentum. Respondetur. Quicquid sit de antecedenti, nam à pluribus negatur. Negatur Conseq. Quia matrimonium consistit in contractu relicto suæ naturæ. Vnde sufficit consensus virtuali modo existens, & quocunque modo expressus. At hoc Sacramentum ex sua institutione consistit in verbali absolutione significante de præsenti.

DE MINISTRO SACRAmenti pœnitentiæ.

DISPVTATIO LXXXV.

An omnis Sacerdos sit Minister huius Sacramenti.

SECTIO I.

1 Supponendum est tanquam certum de fide, definitum in Florentino, *in litteris vnionis*, & in Trident. *sess.* 14. *can.* 10. solos Sacerdotes esse ministros huius Sacramenti, nam solis Apostolis dictum est Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* atque adeò solum ijs, qui succedunt Apostolis in hoc munere; vnde neque ex dispensatione Papæ potest non Sacerdos ministrare hoc Sacramentum, cum non possit Pontifex immutare institutionem Christi.

2 Supponendum 2. Tanquam certum de fide definitum in Trident. *citato*. Validitatem Sacramenti pœnitentiæ non dependere à bonitate ministri, & proinde esse validum, etiamsi minister sit malus, quia sufficit sola potestas in ministro, & debita intentio. Difficultas est, an omnis Sacerdos sit minister huius Sacramenti.

3 Dicendum est. *Non omnem Sacerdotem esse sufficientem ministrum*. Est de fide definitum in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3. & *can.* 10. & traditur communiter cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 19. *qu.* 2. *ar.* 3. Probatur. Sacramentum pœnitentiæ est per modum iudicij, in quo iudicatur conscientia pœnitentis. Ergò requirit, quod pœnitens sit subditus Sacerdoti, quia iudicium non potest exerceri, nisi in subditos. Ergò Sacerdos, qui non habet subditos, non potest ministrare validè hoc Sacramentum.

4 Dices. Hoc iudicium esse voluntarium, & ideò sufficere si pænitens sponte se subijciat. Contra. Non potest subditus se subtrahere à iurisdictione proprij Superioris, & alteri se subijcere; quilibet autem fidelis est subditus Summo Pontifici, ac cæteris immediatis pastoribus.

5 Obijcitur. Io. 20. Dictū est omnibus Sacerdotibus in persona Apostolorum. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergò omnes Sacerdotes sunt ministri. Respondetur. Esse ministros quoad habilitatem, non quoad exercitium, quia ad exercitium non sufficit potestas iudicandi, sed etiam requiritur materia iudicanda, quæ deest Sacerdotibus, qui non habent subditos.

6 Obijcitur 2. Si Sacerdotes acciperent iurisdictionem à Pontifice, & non à Christo, Summus Pontifex à nullo posset absolui, quia non potest alicui conferre iurisdictionem supra seipsum. Respondetur, si acciperent quātum ad potestatem, concedo; secus autem, si accipiant tantum quo ad subiectionem, nam Pontifex potest se subijcere Sacerdoti quoad forum conscientiæ cum Sacerdos in hoc foro gerat vicem Dei.

An, & quam iurisdictionem accipiant Sacerdotes in consecratione.

SECTIO II.

7 Prima sententia asserit, Sacerdotes in ordinatione accipere tantum potestatem ordinis; potestatem verò iurisdictionis accipere ab Ecclesia. ita Sot. *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 4. *ar.* 2. Medina C. *de confessione, quæst.* 35. Suar. *disput.* 16. *de pœnitent. sect.* 3. Coninc. *disput.* 8. *de Sacram. pæniten. dub.* 2. Syluius *quæst.* 8. *supplem. ar.* 4. *quæst.* 2. & alij.

8 Secunda sententia asserit, accipere etiam iurisdictionem in ordinatione: ab Ecclesia autem habere tantum assignationem subditorum. ita Maior. *in* 4. *dist.* 19. *qu.* 1. Angel. *verbo.* Confessio 3. *nu.* 4. Chellisonias 3. *par. q.* 8. *supplem. ar.* 1. *dub.* 1. Putean. *par.* 2. *punc.* 3. *de Ministro confessionis dub.* 1. Caspens. *par.* 2. *cursus Theolog. tr.* 24. *disput.* 5. *nu.* 19.

9 Dicendum est. *Potestatem iurisdictionis conferri Sacerdoti in ordine ad absoluendum à peccatis, quando ordinatur.* Probatur. Sacerdotes in ordinatione accipiunt duplicem potestatem alteram ad offerendum sacrificium, & alterum ad remittenda peccata, quando illis dicitur. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Ergò accipiunt iurisdictionem in foro conscientiæ. Consequent. probatur. Potestas, quam accipiunt in ordine ad remittenda peccata est per Sacramentum pœnitentiæ. Ergò est potestas iudicialis; Quia in hoc Sacramento solum iudiciali modo remittuntur peccata: potestas autem iudicialis est potestas iurisdictionis.

10 Dices. Esse potestatem ordinis, quæ est iudiciaria, quia est exercenda in ordine ad iudicium. Contra. Est facultas remittendi peccata. Ergò facultas absoluendi. ergò iurisdictionalis.

11 Dices 2. Esse facultatem remotam. Contra. Si esset remota, esset tantum habilitatio ad facultatem proximam. Ergò non esset facultas remittendi peccata, nisi esset distincta ab ea, quam accipiunt supra corpus Christi, quando ijs dicitur. *Accipite potestatem offerendi, &c.* Confirmatur ex eo, quod dictum est à Christo Apostolis. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Colligit Triden. *sess.* 14. *cap.* 1. concessum esse Ecclesiæ facultatem proximam iurisdictionalem; ergò cum eadem verba dicuntur Sacerdoti in sua ordinatione, debet idem colligi.

12 Dicendum 2. *Hanc iurisdictionem determinari ab Ecclesia, vt possit exerceri per deputationem subditorum.* Probatur. Iurisdictio non potest exerceri, nisi in subditos. Ergo vt sacerdos possit exercere hanc iurisdictionem, debent ipsi assignari subditi, in quos exerceat.

13 Obijcitur. Non datur iurisdictio sine subditis. Ergo si in ordinatione non dantur subditi, neque datur iurisdictio. Respondetur. Non dari iurisdictionem, sine subditis

ditis, aut assignatis, aut assignabilibus. In ordinatione autem datur iurisdictio in ordine ad subditos assignabiles.

14 Obijcitur 2. Omnis iurisdictio, aut est ordinaria, aut delegata. Ergò cum vtraque sit ab Ecclesia, nulla confertur in ordinatione. Respondetur negando Conseq. Quia vtraque est ab Ecclesia solum quoad determinationem, & assignationem subditorum.

An, & quomodo in articulo mortis quilibet Sacerdos sit sufficiens minister.

SECTIO III.

15 Supponendum est tanquam certum. Quemlibet Sacerdotem in articulo mortis esse sufficientem ministrum, vt declarat Trid. *seß.* 14. *cap.* 7. Difficultas est, vnde habeat iurisdictionem.

16 Prima sententia asserit, habere ex iure Diuino. ita Durand. *in* 4. *dist.* 19. *q.* 2. *ad* 4. Capreol. *qu.* 2. *ar.* 3. *ad* 4. *contra* 3. *conclus.* Palud. *dist in.* 20. *qu.* 1. *ar.* 2. Nauar. *cap.* 27. *manual. num.* 20. Probatur. Talis potestas est ex perpetua traditione Ecclesiæ, cuius initium ignoratur. Talis autem traditio est signum iuris Diuini, ex August. *lib.* 4. *de baptismo cap.* 24. 2. Ecclesia non potest auferre hanc facultatem. ergò est de iure Diuino.

17 Secunda sententia asserit, esse de iure Ecclesiastico. ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 19. *qu.* 1. *ar.* 3. D. Bonauen. *ar.* 3. *quæst.* 1. Mayron. *qu.* 1. Suar. *disp.* 26. *de pœniten. sect.* 4. & communiter.

18 Dicendum est. *Sacerdotem quemlibet de iure Ecclesiastico esse sufficientem ministrum in articulo mortis.* Desumitur ex Triden. *citato*. Probatur. Sacerdotes ex vi ordinationis non habent subditos assignatos, sed pertinet ad Ecclesiam illos assignare. Ergò quod possint absoluere in articulo mortis, habent ab Ecclesia. Conseq. probatur. Quia absolutio non potest conferri, nisi subditis, alias est inualida ex Trid. *seß.* 14. *cap.* 7.

19 Ad primum negatur minor. Et ad probationem respondet D. August. tantum velle, quod talis traditio sit signum, quod aut sit de iure Diuino, aut quod proueniat ab Apostolis. Ad secundum negatur Conseq. Quia Ecclesia non potest facere, quod est in destructionem, cum habeat tantum potestatem in ædificationem, & ideò debuit concedere talem facultatem tanquam necessariam, nec potest auferre, quia esset in destructionem.

20 Quæres. An etiam Sacerdos hæreticus, aut Ecclesiasticis censuris ligatus sit sufficiens minister in tali casu. Respondetur affirmatiuè cum communi sententia; dummodò non adsint alij Sacerdotes. Quia Triden. *seß.* 14. *cap.* 7. sine vlla restrictione declarat, quod vniuersaliter omnes Sacerdotes possint absoluere quoslibet pœnitentes.

An præsente proprio Sacerdote, aut delegato possit quilibet Sacerdos absoluere in articulo mortis.

SECTIO IV.

21 Prima sententia est negatiua. ita Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 13. *n.* 1. Suar. *disp.* 26. *de pœnit. sec.* 4. *nu.* 4. Vasq. 3. *par. qu.* 93. *ar.* 1. *dub.* 4. Coninch. *disput.* 8. *de Sacram. pœnit. nu.* 16. & alij. Probant. *In Extrauag.* 1. §. *Decernimus*, De *senten. excom.* declaratur, pœnitentes in certis casibus posse in articulo mortis absolui, si non possint recurrere ad Superiorem, & cap. *Eos qui*, *De senten. excommun.* absolutus ratione imminentis periculi à censura reseruata, cessante causa, tenetur comparere coram Superiore. Ergò si sit præsens, non poterit ab alio absolui. 2. Talis facultas est concessa ab Ecclesia, vt obuiet necessitati, & periculo, quod moribundus moriatur sine confessione. Ergò est concessa solum in defectu alterius Sacerdotis.

22 Secunda sententia est affirmatiua. ita Nauar. *consil.* 15. *nu.* 2. *de pœnit. & remissionib.* Henriq. *lib.* 6. *sum. cap.* 11. Rodriq. *par.* 1. *summ. cap.* 15. *num.* 1. Ledesma *par.* 1. *summ. cap.* 15. *de pœniten. difficul.* 2. *post primam conclusionem.* Vega *par.* 1. *sum. cap.* 6. *casu* 16. Io. Sanchez *in select. d.* 49. *nu.* 5.

23 Dicendum est. *Quemlibet Sacerdotem, qui non sit impeditus aliquo impedimento canonico, posse absoluere præsentibus quibuscunque, in articulo mortis.* Probatur Triden. *seß.* 14. *cap.* 7. Declarat, quod omnes Sacerdotes absoluere possunt in articulo mortis; & quod tunc nulla est reseruatio, nec adhibet vllam restrictionem. Ergò non debet restringi, vt valeat tantum in defectu Sacerdotis, quia alias posset absolui, quia lex vniuersalis præsertim fauorabilis, debet vniuersaliter recipi.

24 Ad primum negatur Conseq. Quia alia est ratio de censuris, & de peccatis; quia cum absolutio à censura sit actus iurisdictionis, etiam quoad forum externum, voluit Ecclesia, quod semper teneatur, qui fuit absolutus, comparere coram Superiore. Hoc autem non determinauit quoad peccata; imò cōcessit facultatem, vt quilibet posset absolui in articulo mortis, nec aliam obligationem imposuit. Ad secundum. Talem facultatem esse concessam ab Ecclesia, ratione necessitatis, vt causa impulsiua; non vt causa finali. Lex autem vniuersalis non debet restringi secundum restrictionem causæ impulsiuæ.

An quilibet Sacerdos sit sufficiens minister pro absolutione venialium, & mortalium, aliàs confessorum.

SECTIO V.

25 Supponendum est contra Medinam *C. de pœnit. qu.* 40. Quemlibet Sacerdotem posse absoluere à venialibus, & mortalibus alias ritè confessis, vt docent communiter. Solum difficultas est, ex quo iure id habeat.

Prima sententia asserit id habere ex iure Diuino, nempè ordinatione. ita Vasquez 3. *par. quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 6. & alij.

26 Secunda sententia asserit habere de iure Ecclesiastico. ita Suar. *disput.* 26. *de pœnit. sect.* 5. Coninch. *disput.* 8. *dub.* 2. Caspens. *par.* 2. *cursus Thdolog. trac.* 24. *disput.* 5. *sect.* 4. *in fine.*

27 Dicendum est. *Hanc iurisdictionem esse ab Ecclesia per determinationem subditorum.* Probatur. Simplex Sacerdos non habet in ordine ad hæc peccata iurisdictionem ordinariam. Ergò delegatam; Quia omnis iurisdictio, aut est ordinaria, aut delegata. Ergò habet ab Ecclesia, quia iurisdictio delegata prouenit essentialiter ab ordinaria. Antec. patet. Quia iurisdictio ordinaria non conuenit, nisi ratione muneris, per quod quis constituatur Superior in foro externo, & pastor animarum.

28 Obijcitur. Ecclesia non potest priuare Sacerdotem hac potestate. Ergò. Respondetur neg. antec. Nam de facto priuat per excommunicationem.

29 Obijcitur 2. Absolutio non datur sub conditione, si peccata sint aliàs confessa. Ergò simplex Sacerdos non habet hanc potestatem. Respondetur neg. Conseq. Quia habet facultatem absoluendi à mortalibus, sed restrictam ad ea, quæ aliàs ritè confessa sunt.

30 Quæres. Quotuplex sit minister huius Sacramenti. Resp. Esse duplicem ordinarium, & delegatum. Ordinarius est ille, qui ratione muneris est pastor animarum, vt Summus Pontifex, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, Parochi, & eorum Vicarij, & qui habent iurisdictionem, quasi Episcopalem, vt Abbates, & Prælati regulares. Delegatus verò est ille, qui accipit iurisdictionem ab eo, qui habet ordinariam.

DE SATISFACTIONE SACRAmentali.

DISPVTATIO LXXXVI.

An Confessarius teneatur imponere satisfactionem.

SECTIO I.

1 DIcendum 1. *Confessarium teneri regulariter imponere satisfactionem pœnitenti sub mortali.* ita communiter, & habetur ex Triden. *sess.* 14. *c.* 8. Probatur. Tenetur conficere Sacramentum integrum, & punire peccatum. Ergò debet imponere satisfactionem, cum sit pars Sacramenti, & punitio peccatorum.

2 Dicendum 2. *Hanc obligationem ratione subiectæ materiæ, posse esse aliquando sub veniali, & aliquando posse etiam cessare.* Probatur. Sacramentum exigit imponi satisfactionem, quatenus est iudicium, in quo debet puniri pœnitens. Ergò cum possit aliquando non exigere grauiter hanc punitionem, vt cum versatur tantum circa venialia, non erit peccatum graue non imponere pœnitentiam. Rursus potest aliquando non esse necessaria satisfactio, aut impossibilis, vt cum pœnitens est destitutus sensibus. Ergò

3 Colligitur ex dictis. Quod quando pœnitens est lucraturus indulgentiam plenariam, non est necessarium imponere pœnitentiam, quia per talem indulgentiam satisfacit pro tota pœna debita peccatis, & quia interuenit aliquod opus pœnale potest Confessarius illud determinare pro satisfactione pœnali. Imò debet determinare, vt Sacramentum habeat suam partem integralem. Hoc tamen solum procedit, quando pœnitens non indiget punitione, nam cum satisfactio sit etiam ob punienda delicta, vt habet Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. Est necessario imponenda, quando delicta exigunt puniri.

In qua mensura imponenda sit satisfactio.

SECTIO II.

4 DIcendum est. *Confessarium teneri sub mortali imponere pœnitentias proportionatas peccatis.* ita communiter & decernitur in Triden. *sess.* 14. *cap.* 8. vbi declarat, quod Sacerdotes imponentes leuia opera pro grauibus peccatis, fiunt participes eorundem peccatorũ. Probatur. Satisfactio ex genere suo requirit proportionem. Ergò etiam in Sacramento pœnitentiæ.

5 Dicendum 2. *Hanc proportionem satisfactionis in eo consistere, quod leuis pœnitentia imponatur leuibus peccatis, & pœnitentia grauis pro grauibus, & grauissima pro grauissimis.* Probatur. Illa tantum proportio requiritur, quæ sufficiat, vt peccata puniantur cum debita mensura, tali autem pacto puniuntur.

6 Dicendum 3. *In imponenda pœnitentia esse habendam rationem personæ, cui imponitur, & fragilitatis ipsius, ne sit ipsi occasio noui peccati.* Probatur. Hoc Sacramentum est propter bonum pœnitentis. Ergò etiam satisfactio. ergò non debet ipsi esse occasio ruinæ.

7 Quæres. An possit imponi pœnitentia publica. Respondetur. Posse imponi pro peccatis publicis, vt docet Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 8. *De re fir.* Quia multoties est necessarium ad tollendum scandalum. Neque sequitur, quod per accidens manifestetur confessio, quia Sacerdos vtitur iure suo, nec facit aliquid, quod aliquo pacto sit contra sigillum confessionis.

An pœnitens teneatur acceptare satisfactionem iniunctam.

SECTIO III.

8 PRima sententia est negatiua. ita Sot. *in* 4. *distin.* 29. *quæst.* 1. *ar.* 2. Gabriel. *distinc,* 18. *quæst.* 1. *ar.* 3. *dub.* 1. Nauar. *cap.* 26. *manual. num.* 21. Caietan. *tom.* 1. *opuscul. tract.* 6. *quæst,* 3. *ad* 2. & alij. Probant. Potest pœnitens velle soluere totam pœnam in purgatorio. Ergo potest non acceptare pœnitentiam iniunctam. 2. Sacerdos duo facit, mutat pœnam æternam in temporalem, & temporalem alterius vitæ in temporalem præsentis. Ergo potest pœnitens quoad vnum se subijcere confessario, & non quoad alterum,

9 Secunda sententia est affirmatiua. ita communiter cum D. Thom. *in* 4. *distinc.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. *questiunc.* 3.

10 Dicendum est. *Confessarium posse obligare pœnitentem ad acceptandum satisfactionem iniunctam, & ipsum teneri ad eam acceptandam, dummodo sit rationabilis.* Probatur. Sacerdos habet claues ad soluendum, & ligandum, & hæc potestas est in ordine ad imponendas pœnitentias, vt docet Triden. *sess.* 14. *cap.* 8. & *can.* 15. Ergò Sacerdotes habent potestatem obligandi pœnitentes in ordine ad satisfactionem. Ergò pœnitentes tenentur acceptare pœnitentiam iniunctam, quia tenentur ad id, ad quod obligantur ab habente legitimam potestatem.

11 Dices. Sacerdotem posse ligare eo modo, quo potest soluere, vnde sicut non potest soluere, nisi volentem solui, ita nec ligare, nisi volentem. Contra. Eo ipso, quod pœnitens vult solui, vult iudicari secundum propriam conscientiam quo ad peccata. Ergò se subijcit potestati iudicatiuæ Sacerdotis. Ergo punitioni, quia punitio est de necessitate iudicij.

12 Ad primum negatur assumptum. Quia non est in potestate rei eligere sibi tempus punitionis. Ad secundum negatur Consequen. Quia illa duo non sunt separabilia ex vi institutionis Sacramentalis, nisi ratio iudicij aliter exigat.

13 Quæres. An possit pœnitens etiam quando non vult absolui, non acceptare pœnitentiam. Respondetur negatiuè cum Suar. *disputat.* 38. *de pœniten. sect.* 7. *nu.* 4. & alijs. Quia incipiendo confessionem se subijcit iudicio Confessarij, qui acquirit ius, à quo non potest pœnitens amplius se subtrahere.

An pœnitens teneatur sub mortali implere pœnitentiam.

SECTIO IV.

14 PRima sententia asserit, semper teneri sub mortali. ita Sanchez *in selec. de Sacram. disput.* 15. *num.* 15. Nugnus 3. *par quæst.* 13. *supplem. art.* 2. *dub.* 2. *conclusio.* 4. & alij. Probant. Nisi impleatur, semper tollitur pars integralis Sacramenti. Ergò semper est mortalis.

15 Secunda sententia asserit, nunquam esse mortale, siue pœnitentia sit grauis, siue leuis, quando est imposita pro peccatis venialibus, aut mortalibus, alias confessis. ita Nauar. *cap.* 21. *manual. num.* 43. Palud. *in* 4. *distin.* 17. *quæst.* 7. Sot. *distin.* 20. *quæst.* 2. *art.* 2. Suar. *disput.* 28. *de pœniten. sect.* 7. *numer.* 5. & alij. Probant. Quando materia sit leuis, etiam peccatum ex suo genere mortale fit leue. Fit autem leuis materia, si pœnitentia sit iniuncta pro venialibus, aut mortalibus, aliàs confessis.

16 Ter-

16 Tertia sententia asserit, teneri sub mortali semper, quando pœnitentia est grauis; sub veniali, quando est leuis. ita Henriquez *lib. 5. summ. cap. 20. num. 3.* Palat. *in 4. distin. 17. disput. 7.* Coninch *disput. 10. de Sacram. pœniten. dub. 9.* Caspens. *par. 2. curs. Theolog. tract. 24. disput. 8. sect. 5.*

17 Dicendum est. Adesse obligationem sub mortali implendi pœnitentiam, quotiescunque est grauis, siue imposita pro venialibus, siue mortalibus aliàs confessis, & solum esse peccatum veniale non implere, quando est leuis. Probatur. Grauitas, vel leuitas obligationis desumitur ex grauitate, vel leuitate materiæ, circa quam versatur; non autem ex radice, vnde habuit originem. Ergò obligatio implendi pęnitentiam non est mensuranda ex grauitate, vel leuitate peccatorum, vnde habuit originem, sed ex grauitate materiæ, circa quam versatur. Antecedens patet. Quia ex eadem radice nempè læsione iustitiæ oritur grauis, & leuis obligatio restituendi. Confirmatur. Satisfactio est debita Deo. Ergò si est grauis, & non soluitur, læditur vis Dei in re graui.

18 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur Consequent. Quia, quando pœnitentia est leuis, Sacramentum non exigit grauiter hanc integritatem, quia exigit solum, vt punitionem, atque adeò grauiter, vel leuiter iuxta grauitatem punitionis.

19 Ad fundamentum secundæ sententiæ negatur minor. Nam quando pœnitentia est grauis, ex quacunque radice proueniat, semper obligatio est grauis, vt constat ex dictis.

20 Dices. Si non impleatur, semper deerit pars integralis Sacramenti, quod est quid graue. Respondetur negando sequellam. Quia adest acceptatio pœnitentiæ, atque adeò voluntas satisfaciens, quæ sufficit, vt tanquam proprius actus pœnitentis integret Sacramentum, adimpletio verò pœnitentiæ est exequutio huius satisfactionis.

An Confessarius possit imponere pœnitentiam implendam per alium.

SECTIO V.

21 Prima sententia est affirmatiua. ita Sot. *in 4. distinct. 19. quæst. 2. ar. 4.* Durandus *distinct. 20. quæst. 1.* D. Bonauen. *art. 1. quæst. 1.* Facundez *præcept. 2. Ecclesiæ. lib. 9. cap. 4. num. 13.* & alij. Probant. Potest Sacerdos virtute clauium eleuare actus alterius, vt sint satisfactorij pro pœnitente. Ergò 2. Tales actus cum sint ad instantiam pœnitentis, censentur proprij illius. Ergò.

22 Secunda sententia est negatiua. ita Vasquez *3. par. quæst. 94. art. 2. dub. 1.* Turrian. *disput. 37. de pœniten. dub. 2.* Coninch. *disput. 10. num. 66.* Hurtad. *disput. 14. diffic. 5.* & alij.

23 Dicendum est. *Non posse imponi satisfactionem in Sacramento pœnitentiæ implendam per alium.* Probatur satisfactio Sacramentalis est actus proprius pœnitentis, vt definit Tridentinum *sess. 14. cap. 4.* & *can. 5.* & debet esse in castigationem peccatorum, vt habet *cap. 8.* Ergò non potest imponi, vt implenda per alium, quia tunc nec est actus proprius pœnitentis, nec castigatio peccatorum.

24 Ad primum negatur antecedens. Quia potestas clauium non se extendit, nisi ad eum, qui subest iudicio sacramentali. Ad secundum distinguitur antecedens. Censentur proprij pęnitentis, non proprietate personali; sed tantum per attributionem, quod non sufficit in casu nostro.

An pœnitentia iniuncta possit ab alio mutari.

SECTIO VI.

25 Supponendum est. Posse relaxari ab eo, qui habet potestatem concedendi indulgentias iuxta quantitatem indulgentiarum, quas potest concedere, si pœnitentia sit purè satisfactiua, & non medicinalis; quia tunc compensatur per indulgentias, vt docent communiter cum D. Thom. *in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 3. & 4.* & desumitur ex cap. *Cum ex eo De pœnit. & remissionibus.*

26 Supponendum 2. Vt docent communiter contra nonnullos Recentiores. Non posse pęnitentem mutare pęnitentiam sibi iniunctam, etiam in melius, quia est determinata virtute clauium, iudiciali modo per sententiam Confessarij, non potest autem reus mutare sententiam Iudicis, cum hoc sit actus iurisdictionalis.

27 Supponendum 3. Posse mutari ab eodem Confessario, vt docent communiter, quia habet iurisdictionem circa propriam sententiam, quod est verum, etiamsi non recordetur peccatorum pro quibus illam imposuit; nam cum sit purè satisfactoria, sufficit si cognoscatur obligatio pęnitentis ad satisfaciendum, & ratio, ob quam est rationabile, quod fiat mutatio. Difficultas est, an possit mutari ab alio confessario.

28 Prima sententia est negatiua. ita Sot. *in 4. distin. 20. quæst. 2. art. 3.* Vasquez *3. par. quæst. 94. art. 2. dub. 3.* & alij. Probant. Par in parem non habet auctoritatem, *l. Ille à quo §. Tempestiuum. ff.* Ad *Trebellianum.* Ergò non potest æqualis mutare pœnitentiam impositam ab æquali.

29 Secunda sententia est affirmatiua. ita Suar. *disput. 38. de pænitent. sect. 10.* Coninch. *disput. 10. dub. 11.* & communiter.

30 Dicendum est. *Pænitentiam iniunctam ab vno Confessario, posse mutari ab alio.* Probatur. Quilibet legitimus Confessarius habet iurisdictionem supra pęnitentem quoad forum conscientiæ, ex Triden. *sess. 14. c. 8.* Ergò potest mutare pœnitentiam iniunctam ab alio. Consequ. probatur. Iudicium confessionis, est iudicium voluntarium. Ergò potest pęnitens postquam se subiecit vni Confessario, se subijcere etiam alteri in ordine ad cōmutandam pœnitentiam. Ergò potest Confessarius exercere iurisdictionem circa ipsum.

31 Ad fundamentum in oppositum negatur Consequ. Quia Confessarius commutans pœnitentiam non exercet iurisdictionem circa eum, qui eam imposuit; sed circa pœnitentem, qui cum non sit minus subditus ipsius, quam primi Confessarij, potest moderari obligationes, quas habet.

An quando poenitentia est imposita pro reseruatis, possit mutari ab inferiori.

SECTIO VII.

32 Prima sententia est affirmatiua. ita Henriq. *lib. 5. summ. cap. 22. nu. 1.* Medina *C. de confessione, qu. 44.* Syluius *3. par. qu. 18. supplem. ar. 3. qu. 4. conclusione 7.* Vasq. *qu. 94. ar. 2. dub. 3. num. 9.* & alij. Probant. Peccata reseruata semel confessa Superiori non manent amplius reseruata. Ergò nec etiam pęnitentia pro ipsis iniuncta. Ergò poterit mutari ab inferiori, sicut potest mutari votum reseruatum, quando est iam mutatum in non reseruatum.

33 Secunda sententia est negatiua. ita Angel. *verb. Cōfessio 6. nu. 4.* Tab. *verbo*, Confessio *2. nu. 21.* Sylu. *verbo* Confessio *2. qu. 27.* Hurtad. *disp. 44. de poenit. difficul. 1.* Suar. *disp. 38. sect. 10.* & alij. Desumitur ex cap. *Accedēs dist. 50.*

dist. 50. & cap. *Latorem* 33. *quæst.* 2. Probatur. Pœnitens non est subditus quoad iudicium reseruatorum Confessario interiori. Ergò nec quoad pœnitentiam iniunctam pro ijs. Ergò non potest ab ipso commutari. Consequent. probatur. Pœnitentia iniuncta obligat ex vi iurisdictionis Superioris. Ergò obligatio excedit iurisdictionem inferioris Confessarij. Et ob hanc rationem hanc opinionem censui probabilem in quæst. canon. *qu.* 70. *num.* 10.

34 Dicendum est. *Pœnitentiam iniunctam pro reseruatis posse mutari ab inferiori*. Probatur. Pœnitentia imponitur virtute clauium, quæ in virtute illius facultatis, quam in sua ordinatione recipit Sacerdos. Ergò potest quilibet confessarius commutare pœnitentiam, quæ imposita est pro reseruatis. Anteced. prob. Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 9. loquens de potestate, quam habent Sacerdotes ad imponendam satisfactionem ait. *Nam claues Sacerdotum non ad soluendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent, &. can.* 15. *si quis dixerit claues Ecclesiæ, esse datas tantum ad soluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus agere contra finem clauium, &c. anathema sit*. Tum quia Sacerdotes imponunt pœnitentiam tanquam Iudices, atque adeo per potestatem iudicatiuam, quam exercent, vt Vicarij Christi, vt habet Concil. Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 5. Consequentia probatur. Sacerdotes omnes sunt pares in potestate imponendi pœnitentiam, cum omnes eam imponant, vt Vicarij Christi, & vt Iudices vt præsentantes ipsum Christum, cum sint pares in potestate ministrandi Sacramentum, seu Sacramentale iudicium; ergò pœnitentia imposita pro reseruatis, potest ab inferiori commutari. Nam in tantum non posset commutari, in quantum esset actus facultatis Superioris.

30 Ad fundamentum secundæ sententiæ respond. In illis textibus agi tantum de pœnitentia publica imposita in foro externo pro publico delicto, & ideo non faciunt ad rem; quia in foro externo iurisdictiones non sunt æquales. Ad rationem neg. Conseq. Ad prob. Pœnitentiam iniunctam non obligare ex vi iurisdictionis Superioris, per quod reseruantur peccata, sed ex vi potestatis clauium, quia cum sit pars Sacramenti, est actus potestatis Sacramentalis, seu facultatis, quia confici potest tale Sacramentum.

An pro commutatione pœnitentiæ debeat repeti confessio.

SECTIO VIII.

36 PRima sententia est negatiua. ita Nauar. *cap.* 26. *manual. num.* 22. Herniq. *lib.* 5. *summ. cap.* 22. Victoria *in summ. nu.* 21. Rodriq. *par.* 1. *summ. cap.* 5. 6. & 8. & alij.

37 Secunda sententia est affirmatiua. ita Vasquez 3. *p. quæst.* 94. *ar.* 2. *dub.* 3. Suar. *disput.* 38. *de pænit. sect.* 10. *num.* 8. Hurtad. *disput.* 14. *difficul.* 10. Calpensis *par.* 2. *cursus Theolog. tract.* 24. *disputat.* 8. *num.* 51. & alij communiter.

38 Dicendum est. *Non posse commutari, nisi repetatur confessio peccatorum pro quibus fuit iniuncta, non est tamen necesse, quod perfectè repetatur, sed sufficit si inconfuso*. Probatur. Commutatio pœnitentiæ est actus iurisdictionis. Ergò debet prouenire à potestate clauium. Ergò non potest fieri sine repetitione confessionis. Consequent. probatur. Potestas clauium non potest exerceri, nisi in Iudicio Sacramentali; & hoc iudicium non potest fieri, nisi circa peccatum vt materiam necessariam. Ergò nisi exponantur peccata, pro quibus fuit iniuncta pœnitentia non potest fieri mutatio, quia esset iudicare, non cognita Sacra.

Confirm. Non potest Confessarius imponere congruam satisfactionem, nisi explicentur peccata in specie, ex Concil. Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 5. *de pœniten.* Ergò neque commutare, cum adhuc in commutatione seruanda sit debita proportio.

39 Obijcitur. Potest ab eodem Confessario commutari pœnitentia, etiamsi non recordetur peccatorum pro quibus illam iniunxit. Ergò. Respond. neg. Conseq. Quia quando commutatur ab eodem, fit quædam continuatio prioris iudicij, in cuius virtute exercet iurisdictionem; non fit autem in casu nostro.

An satisfactio Sacramentalis habeat aliquem effectum ex opere operato.

SECTIO IX.

40 SVpponendum est cum D. Thom. *in* 4. *distinc.* 16. *quæst.* 1. *ar.* 1. *quæst.* 2. Satisfactionem Sacramentalem non causare aliquam gratiam sanctificantem ex opere operato, quia non est Sacramentum distinctum ab ipsa absolutione, à qua causatur gratia sanctificans. Vnde difficultas est de remissione pœnæ.

41 Prima sententia asserit remittere poenam debitam peccatis ex opere operantis. ita Sot. *in* 4. *distinc.* 19. *qu.* 1. *art.* 5. Adrianus *quæst.* 2. *de satisfactione*. Probant. Non est Sacramentum, ergò non habet effectum ex opere operato. 2. si haberet ex opere operato suum effectum, etiam facta ex fine moraliter malo, ipsum causaret, quia peccatum mortale non obstat remissioni pœnæ temporalis.

42 Secunda sententia asserit causare remissionem pœnæ ex opere operato. ita D. Thom. *quodlib.* 3. *art.* 28. Caietan. *tom.* 1. *opuscul. trac.* 6. *quæst. vltima*, Coninch. *disput.* 10. *de Sacramen. pœnit. dub.* 10. *num.* 92. & communiter.

43 Dicendum est. *Satisfactionem sacramentalem remittere pœnam debitam peccatis ex opere operato*. Probatur. Satisfactio est pars Sacramenti. Ergò ex opere operato habet suum effectum; quia talis modus causandi est proprius Sacramentorum, effectus autem est satisfacere pro pœna debita.

44 Ad primum non esse Sacramentum totale, esse tamen partem Sacramenti; & ideò habere ex opere operato suum effectum partialem iuxta suam significationem. Ad secundum negatur sequella. Quia cum implicet satisfieri Deo per id, quo offenditur; implicat etiam, quod opus peccaminosum eleuetur virtute clauium ad satisfaciendum.

An pœnitentia impleta in statu peccati habeat suum effectum.

SECTIO X.

45 SVpponendum est. Pœnitentem non peccare saltem mortaliter, si impleat pœnitentiam in statu peccati, vt docent communiter. Quia obligatio ipsius est tantum ad compensandam pœnam debitam peccatis; quæ compensatio non obligat pœnitentem, vt sit in statu gratiæ. Vnde difficultas est, an habeat suum effectum.

46 Prima sententia est negatiua. ita Sotus *in* 4. *distinc.* 19. *quæst.* 5. *ar.* 5. Adrianus *quæst.* 2. *de satisfactio*. Turrian. *de pœnitent. disputat.* 28. *dub.* 3. Hurtadus *disputat.* 14. *difficul.* 15. & alij. Probant. Opera mortua non viuificantur adueniente charitate. Ergò nec etiam Sacramentalis satisfactio. Ergò nunquam habet effectum.

47 Secunda sententia docet, habere suum effectum, non quando impletur, sed quando pœnitens resurgit à peccato. Ita Caietan. *tom.1.opusc. tract.6.cap.2.* Suar. *disp.* 38. *de pœnit. sect.*8. Coninch *disput.*10. *dub.* 11. & alij. Probant. Satisfactio sacramentalis est instituta à Christo in remissionem pœnæ, quatenus supponit remissionem culpæ mediante gratia, cùm hoc sit effectus secundarius; non potest causari nisi mediante gratia. Ergo tunc solum, quando pœnitens resurgit à peccato.

48 Tertia sententia asserit, causare statim, ac adimpletur. Ita Marsilius *in* 4. *quæst.*13. *art.* 1. Scotus *dist.* 15. *quæst.*1. *art.*5. Maior *quæst.* 1. Vasquez 3. *par. qu.* 94. *art.* 2. *dub.*5. Mæratius *tom.*3. *disput.* 41. *de pœnit. sect.*1. & alij cum D. Tho. *quodlib.*3. *art.*28.

49 Dicendum est. *Satisfactionem sacramentalem, etiamsi impleatur in statu peccati, habere statim suum effectum.* Probatur. Satisfactio sacramentalis habet suum effectum ex opere operato. Ergo statim causat etiã si impleatur in statu peccati. Consequentia prob. Causat ex vi suæ significationis, quatenus est opus extinctiuum peccati quò ad pœnam determinatum ad talem extinctionem à Sacramentali confessione. Ergo cum Sacramentum sit validum, & absolutio efficax, statim causat suum effectum.

50 Dices. Impediri ab obice peccati. Contra. Status peccati non impedit, quod non possit solui, quod debetur Deo, alioquin qui impleret votum in statu peccati, non satisfaceret propriæ obligationi. Ergo.

51 Ad fundamentum in oppositum primæ sententiæ negatur consequ. Quia satisfactio sacramentalis nõ sortitur suum effectum vt opus viuũ operantis, sed vt opus viuum sacramentale; vt autem sit viuum sacramentaliter, sufficit, si sit viuum in radice sacramenti.

52 Ad fundamentum secundæ sententiæ distinguitur consequens. Non potest hic effectus causari, nisi mediante gratia, qua remissa sunt peccata, pro quibus est satisfaciendum; secus autem, si loquamur de gratia pro statu præsenti.



SACRA MORALIS DOCTRINA

DE SACRA, ATQVE SPIRITVALI Hominis refectione per Euchariſtiæ Sacramentum ad Scholaſticæ lecturæ Methodum explicatá.

Cum gratia, qua homo ſanctificatur, ſit participatio Diuinæ naturæ, communicat homini vitam quandam ſupernaturalem, per quam ſpiritualiter viuit. Sicuti autem non ſufficit, quod vita corporea homini communicetur, ſed inſuper ſubminiſtrandum eſt alimentum, vt poſſit in ipſa proficere, & augeri. Ita etiam vita ſpiritualis, quæ per primam gratiam homini communicatur indiget ſuo alimento, vt proficere poſſit. Hoc autem alimentum habetur per Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt quoddam ſanctificatiuum animæ, & proinde iuuat hominem ad augmentum vitæ ſpiritualis, & ad ſe perficiendum in ordine ad finem ſupernaturalem. Et de hoc modo agendum eſt.

DE EXISTENTIA EVCHARIſtiæ.

DISPVTATIO LXXXVII.

An Euchariſtia ſit Sacramentum.

SECTIO I.

1 Icendum eſt. *Euchariſtiam eſſe verum Sacramentum nouæ legis.* Ita communiter cum D. Thoma *3. par. quæſt. 76. art. 1.* Et eſt de fide ex Conc. Floren. *in Decreto Eugenij.* Trident. *ſeſſ. 7. canon. 1. de Sacramentis in genere.* Lateran. vt habetur in cap. *Firmiter*. De *ſumm. Trinitat.* Probatur. Ioan. 6. Math. 26. Marci 14. Lucæ 22. vbi legitur, Chriſtum inſtituiſſe pro cibo, & potu corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini ad nos ſanctificandos, & reficiendos in vita ſpirituali; hoc autem eſt eſſe Sacramentum, videlicet ſignum ſenſibile ſanctificatiuum.

2 Obijcitur. Euchariſtia ſignificat corpus, & ſanguinem Chriſti, vt patet ex verbis, quibus conficitur, & tamen non efficit corpus, & ſanguinem Chriſti. De ratione autem Sacramenti nouæ legis eſt, vt efficiat, quod ſignificat. Reſpondetur. Euchariſtiam poſſe ſumi per modum ſacrificij, & Sacramenti. Primo modo ſignificat corpus, & ſanguinem Chriſti. Secundo modo dicit ſignificationem Sacramentalem fundatam in corpore, & ſanguine Chriſti, prout ſtat ſub ratione cibi, & potus Sacramentalis, & hæc ſignificat ſpiritualem refectionem animæ, quam etiam cauſat.

3 Inſtabis. Sacramenta debent ſignificare gratiam ex vi formæ. Forma autem Euchariſtiæ non ſignificat gratiam, ſed corpus, & ſanguinem Chriſti. Reſpondetur. Sacramenta debere ſignificare gratiam, non ex vi formæ præcisè; ſed ex vi illius coniuncti, quod reſultat ex forma, & materia. Hoc autem coniunctum importat corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus, prout ſtant ſub illa determinatione, quam acquirunt ex vi verborum. Hoc autem coniunctum ſignificat, & cauſat gratiam.

An Euchariſtia ſit Sacramentum diſtinctum à cæteris.

SECTIO II.

4 Dicendum eſt. *Eſſe Sacramentum diſtinctum à cæteris.* ita communiter; & eſt de fide non ſolum ex communi ſenſu Eccleſiæ, ſed etiam ex Concilio Triden. *ſeſſ. 6. canon. 1. de Sacram. in genere.* Vbi definit, ſeptem eſſe Sacramenta, inter quæ enumerat Euchariſtiam, vt Sacramentum diſtinctum à cæteris. Probatur. Conuenit cum alijs Sacramentis in eo, quod ſit ſignum ſenſibile cauſatiuum gratiæ, & differt in modo ſignificandi, quia ſignificat per modum refectionis ſpiritualis; diuerſitas autem ſignificationis Sacramentalis variat eſſentialiter Sacramentum, cum per talem ſignificationem conſtituatur.

5 Obijcitur, tam Confirmatio, quam Euchariſtia ordinantur ad eundem finem, nempè ad augendam gratiam acceptam per baptiſmum, vel renouatam per pœnitentiam, ſeu ad roborandam animam. Ergo non diſtinguuntur. Reſpondetur. Diuerſo modo roborare. Quia Euchariſtia roborat animam in ſe ipſa quò ad vitam ſpiritualem. Confirmatio verò in ordine ad extrinſeca, nempe contra inimicos fidei.

Quo tempore Christus instituerit hoc Sacramentum.

SECTIO III.

6 Certum est. Christum instituisse Eucharistiam, quando celebrauit Pascha, vt patebit ex dicendis. Difficultas autem est, an celebrauerit Pascha agni legalis vespere lunæ decimæ tertiæ, an verò decimę quartæ; quia si celebrauit in vespere decimæ quartæ, certum est instituisse Eucharistiam in azimo, quia Exodi 12. præcipiebatur, quod vespere decimæ quartæ lunæ comederent azima, & nihil fermentati haberent in domibus.

7 Supponendum est. Iudæos incepisse suas festiuitates à vespere præcedente diem festiuitatis, & illas duxisse ab occasu Solis vnius diei vsque ad occasum diei subsequentis, vt patet ex Leuitico 23.

8 Supponendum est secundò. Iudęos celebrasse Pascha die decima quarta mensis primi, seu mensis Nissan in vespera, & comedisse agnum paschalem, vt habetur Exo. 12. die autem 15. sequenti incipiebat dies azimorum, & hæc dies 15. erat solemnissima in memoriam transitus Domini percutientis Aegyptum, vt habetur Leuit. 23. & ipsum vocabant diem festum Paschæ.

9 Supponendum tertiò. Hæbreos non comedisse agnũ paschalem vespere decimæ tertiæ lunæ, sed decimę quartæ, quia comedebant eo die, in quo comederunt, quandò egressi sunt de Aegypto, vbi præcipitur Exodi 12. Quando autem sunt egressi de Aegypto, immolauerunt die decimaquarta circa vesperam, & vespere comederunt. Vnde Exod. 12. Moyses præcepit vt immolarent Pascha, & comederent in nocte, in qua Deus percussit primogenitos Aegyptiorum, quos Aegyptij percussos videntes surrexerunt, & vrgebant Iudæos, vt velociter discederent.

10 Prima sententia asserit, Christum celebrasse pascha die decima tertia. Ita Schismatici Græci à Photio Patriarcha vsque ad hæc tempora, qui proinde volunt, Latinos non conficere Sacramentum, quia adhibent panem azimum. Probant Ioann. 18. *Et ipsi* (nempe Hębrei) *non introierunt in prętorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha.* Ergo eo die, quo Christus occisus est, erant celebraturi pascha, Christus autem pridie instituerat Eucharistiam. Secundò. Ibidem Christus dicitur mortuus in parasceue paschæ; ergo die decima quarta. Tertiò. Ioan. 13. habetur. Ante diem festum paschæ Christum fecisse aliqua, quæ fecit in celebratione paschæ, vt fuit lotio pedum. Ergo. Quartò. Mat. 26. *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* Ergo non fuit occisus in die paschæ. Quintò. Eo die, quo Christus mortuus est, Ioseph mercatus est syndonem, & mulieres parauerunt aromata ad sepeliendũ Christum, quæ non licebant in die festo paschæ ex Leuit. 23.

11 Secunda sententia asserit, celebrasse pascham vespere decimæ quartæ lunæ, atque adeo instituisse Eucharistiam in azimo, ita communiter Patres Latini, & Scholastici, cum D. Tho. 3. *par. qu.* 46. *art.* 9.

12 Dicendum est. *Christum celebrasse pascha vespere Lunæ decimæ quartæ.* Probatur. Matthæi 26. *Prima autem die azimorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis paremus tibi manducare Pascha?* Marci 14. *Primo autem die azimorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quò vis eamus, vt paremus, &c.* Lucæ 22. *Venit dies azimorum, in quo necesse erat occidi pascha.* Ergo Christus comedit agnum paschalem die præscripto secundum legem, qui erat vespere decimæ quartæ lunæ.

13 Respondet Euthymius. Diem decimam tertiam vocatam esse diem primam azimorum, quia proximè precedit. Contra. In tota die decima tertia non obseruabant azima, ergo.

14 Respondet secundò. Euangelistas non dicere, quod fuerit prima dies azimorum, sed quod instabat prima dies azimorum, Contra. Matth. apertè ait, *Prima die azimorum.* Et Lucas. *Erat autem dies azimorum*, ergo.

15 Probatur secundò. Ex patribus Græcis Chrisostomo *homil.* 83. & 84. *in Matth.* Nazianz. *orat. de sacro lauacro.* Epiphanio *lib.* 1. *hæres.* 30. Origene *tract.* 3. *in Matth.* Theodor. *quæst.* 24. *in Exo.* Theophil. Alex. *epist. ad Theodosium.* Cyrillo Hierosolim. *Cateches.* 13. Cyrillo Alexandr. *lib.* 12. *in Ioann.* Qui docent, Christum celebrasse pascha, quando comedebantur azima.

16 Ad primum respondetur. Hæbreos noluisse introire prætorium, vt comederent pascha, hoc est victimas illas, quæ per omnes dies azimorum immolabantur, vt habetur Deuteron. 16. quæ solum poterant comedi ab ijs, qui erant mundi, & dicebantur pascha, seu Phase, vt patet ex *citato loco* Deuteron. Ad secundum. Per parasceue intelligi diem præcedentem respectu sabbati. Vnde Marci 15. *Erat autem parasceue, quod est ante Sabbatum.* Dicitur autem parasceue paschæ, quia incidebat in diebus paschatis. Ad tertium. Aliud esse dicere *ante diem festum paschæ*, & aliud *ante festum paschæ.* Primum significat ante diem naturalem, in quo incidebat pascha, qui erat Luna 15. Vnde quæ sunt facta ante hunc diem, facta fuerunt vespere lunæ decimæ quartæ. Secundum dicit antecessionem respectu diei legalis, atque adeo ante vesperam decimæ quartæ lunæ. Ad quartum. Iudeos timuisse tumultum, si palam caperent Christum in die festo, quia tamen habuerunt commoditatem capiendi nocte, & proditoriè, cessauit timor tumultus. Ad quintũ. In diebus festis non fuisse prohibita omnia opera, sicut erant prohibita in Sabbato; vnde licebat coquere cibos. Exod. 12. &c. Et ideo potuit Ioseph mercari syndonem, mulieres aromata, &c.

DE ESSENTIA SACRAMENTI Eucharistiæ.

DISPVTATIO LXXXVIII.

An hoc Sacramentum consistat in actione, & vsu.

SECTIO I.

1 Dicendum est. *Sacramentum Eucharistiæ non cõsistere in vsu, sed ad ipsum præsupponi facta consecratione, & esse quid permanens.* Est de fide definitum in Concilio Trident. *sess.* 13. *can.* 4. *de Eucharistia* contra Hæreticos nostri temporis Lutheranos, Caluinistas, Zuinglianos. Et traditur communiter à Patribus, Tertulliano *lib.* 2. *ad vxorem.* Cipriano *serm. de lapsis.* Ireneo *epist. ad Victorium Papam.* Basilio *epist. ad Cesarium Patricium.* Ambrosio *orat. de obitu Satyri.* Chrisostom. *epist. priori ad Innocentium Papam.* Hieron. *epist. ad Rusticum*, & alijs. Probatur. Sacramentum Eucharistiæ constituitur ex vi verborum; Tum quia ex vi ipsorum ponitur corpus Christi sub speciebus. Tum quia, quando fuerunt prolata à Christo, fuerunt vera, quia Christus non poterat mentiri; vt autem vera essent, debuit ille panis esse corpus Christi.

2 Respondent Hæretici. Christum fuisse loquutum de pane, quando comedebatur; vnde prius dicatur, quod dederit discipulis suis, deinde dixerit, *Hoc est corpus meum.* Contra, quia Euangelistæ non seruarunt ordinem in verbis, qui fuit in actione, alioquin Christus protulisset verba post comestionem. Secundò. Lucæ 22. & 1. ad

& 1. ad Corinth. 11. habetur. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo*. Ergo in calice, atq; adeò ante sumptionem est sanguis Christi. Et 1. ad Corinth. 1. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est, & hic calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* Ergo ante sumptionem.

3 Respondet Caluin. Licet verba prius fuerint à Christo prolata, non tamen prius verificari, quàm exerceatur manducatio, quia continent promissionem, quæ non impletur, nisi seruetur præceptum manducandi. Contra. Si continerent promissionem, non dixisset. *Hoc est corpus meum*. Sed hoc erit &c. Quia promissio erat de futuro, vnde oratio fuisset falsa, quia significasset aliquid vt præsens, quod erat futurum.

4 Pro solutione autem eorum, quæ objiciunt Heretici, sciendum est. Quod quando aliqua Concilia, & Patres dicunt, quod illud, quod superest ex communione fidelium, non sit asseruandum, non ita loqui, quia non permaneat sub illis specieb. corpus, & sanguis Christi; sed quia tunc non censebatur conueniens seruare hujusmodi sacramentum ob diuersas rationes, quæ pro diuersitate temporum militabant. Deinde solebant etiam asseruari pro infirmis.

An hoc sacramentum consistat in actiua consecratione.

SECTIO II.

5 Dicendum est. *Verba prout important consecrationem actiuam, non esse Sacramentum Eucharistiæ, nec pertinere ad intrinsecam constitutionem ipsius.* Ita ferè communiter contra Marsil. *in 4. qu. 6. art. 2.* Durand. *dist. 8. qu. 2. num. 5.* & nonnullos alios. Probatur. Hoc sacramentum est res permanens transacta consecratione, vt definitur in Concil. Trid. *sess. 13. can. 4. de Eucharistia*. Vnde est adorandum adoratione latriæ, vt definitur can. 6. ergo non potest consistere in verbis, cum non habeant esse permanens.

6 Dices. Nomine Sacramenti intelligi à Concilio Tridentino rem sacramenti. Contra: Ibi loquitur Tridentinum de Eucharistia, vt est vnum è septem Sacramentis. Res autem Sacramenti non est vnum è septem, Secundò. Eucharistia, vt habet esse permanens, participat definitionem Sacramenti, cum sit signum sensibile causans sanctitatem animæ per sui applicationem.

7 Dices secundò. Verba moraliter permanere, & hoc pacto habere rationem sacramenti. Contra. Sacramentum, quamdiu permanet, debet esse applicabile physico modo. Hoc autem non conuenit verbis, prout moraliter permanent.

8 Dicendum secundò! *Consecrationem, vt dicit actionem transubstantiatiuā, non pertinere ad essentiā sacramenti.* Est contra Corn. *3. p. q. 73. disp. 2. dub. 1.* Prob. Actio est prior natura termino, atq; adeo nō pertinet ad intrinsecam constitutionem ipsius. Ergo cum hæc actio habeat pro termino sacramentum, quia ex vi ipsius ponitur coniunctum corporis ipsius sub speciebus, non potest pertinere ad intrinsecam constitutionem ipsius.

9 Objicitur. Consecrationi conuenit definitio sacramenti, quod est signum sensibile rei sacræ, vnde illam causat, ergo. Respondetur negando assumptum. Quia non est signum significans interiorem sanctitatem; vnde nec eam causat, sed tantum corpus Christi sub speciebus.

An Sacramentum Eucharistiæ consistat in solo corpore, & sanguine Christi.

SECTIO III.

10 Dicendum est. *Solum corpus in recto, & sanguinem cum connotatione specierum non esse Sacramentum Eucharistiæ.* Ita ferè communiter contra nonnullos Recentiores. Probatur. Sacramentum intrinsecè, & in recto est signum sensibile. Vnde Concilium Trident. *sess. 16. cap. 3.* quod Eucharistia conuenit cum alijs sacramentis in eo, quod sit signum sensibile: & quod corpus, & sanguis Christi continetur sub hoc sacramento. Ergo non consistit in solo corpore, & sanguine, cum hæc non sint sensibilia.

11 Objicitur. Patres docent, corpus, & sanguinem Christi esse Eucharistiam, Vnde etiam Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, ergo. Respondetur esse corpus, & sanguinem Christi, non quomodocunq; sed prout sacramentaliter se habet, seu sensibili modo.

12 Objicitur secundò. Corpus Christi est id, quod sacrificantur, ergo sacramentum. Respondetur negando consequentiam, Quia est sacrificium secundum id, quod offertur. Est autem sacramentum, prout est signum sensibile sanctificatiuum. Instabis. Etiam sacrificium debet esse sensibile ex Augustino *lib. 1. de ciuit. Dei cap. 5.* Et tamen solū corpus potest esse sacrificiū. Ergo. Resp. Sacrificium debere esse sensibile, non secundum id, quod offertur præcisè, sed sufficit, si sit secundum ipsam oblationem; vnde sufficit, vt id, quod offertur, coniungatur cum aliquo sensibili, vt possit subijci actioni sensibili.

An Sacramentum Eucharistiæ consistat in solis speciebus, an etiam in corpore, & sanguine Christi.

SECTIO IV.

13 Prima sententia asserit, hoc Sacramentum importare in recto solas species, connotare verò corpus, & sanguinem Christi. Ita Richard. *in 4. distinc. 8. ar. 1.* Sotus *qu. vnica ar. 1.* Maior. *ibidem*, Scot. *qu. 1.* Gaspar Hurtad. *disput. 1. de Eucharist. diffic. 3.* & alij. Probatur. Ex cap. *Cum Marthæ*, *De celebrat. miss.* vbi pro Sacramento assignantur tantum species, & Corpus, & sanguis Christi dicitur res Sacramenti. Ergò cum res Sacramenti causetur à Sacramento, non potest esse pars illius. 2. Solæ species sunt signa causatiua gratiæ, & significatiua vnionis membrorum Christi inter se, & cum Christo. ergò.

14 Secunda sententia asserit, Corpus, & sanguinem Christi pertinere ad hoc Sacramentum, vt partem essentialem. Ita Caietanus *3. part. quæst. 75. art. 1.* Coninch. *quæst. 73. artic. 1. dub. vnico.* Pesant. *disputat. 4.* Suarez *disput. 42. de Sacram. sect. 3.* Vasquez *disput. 137. cap. 7.* & alij.

15 Dico primo. *Species Sacramentales pertinere ad essentiam Eucharistiæ.* Probatur. Corpus, & sanguis Christi continentur in Sacramento Eucharistiæ ex Triden. *sess. 13. cap. 1.* & ex cap. *Hoc est. De Consecr. dist. 8.* Ergò species pertinent ad Sacramentum, quia corpus Christi continetur tantum sub speciebus.

16 Dico secundo. *Solas species in recto non esse totum Sacramentum, sed etiam corpus, & sanguinem pertinere ad intrinsecam constitutionem.* Desumitur ex citato cap. *Hoc est.* Probatur. Hoc Sacramentum secundum esse Sacramenti est cibus cælestis. 2. Ad Corinth. 11. Ratio autem cibi conuenit corpori Christi Ioan. 6. *Ego sum panis viuus. Caro mea verè est cibus.* Confirmatur. Hoc Sacramentum est adorandum adoratione latriæ, vt definit Con-

nit Concil. Trident. *sess. 13. can. 6.* Non potest autem tali pacto adorari ratione specierum, quia species tantum coadorantur, & tota ratio adorationis se tenet ex parte Christi. Ergò Corpus, & sanguis Christi debent concurrere ad constituendum Sacramentum, quia si tantum esset præsens, non adoraretur Sacramentum ad oratione latriæ, sicuti neque adoratur Pixis, licet in ipsa contineatur corpus Christi.

17 Dices sufficere, si corpus Christi pertineat ad Sacramentum vt quid essentialiter contentum in ipso, licèt non sit pars. Contra. Hoc Sacramentum ratione corporis Christi habet rationem cibi, & in recto dicitur corpus, & sanguis Christi, ita vt significatio Sacramentalis fundetur in corpore, & sanguine Christi; ergò constat ex corpore Christi, tanquam parte.

18 Dico 3. *Species, & corpus Christi se inuicem determinare, ita vt species determinent corpus ad esse sensibile sacramentale; Corpus verò species ad rationem cibi.* Probatur. Tota sensibilitas est à speciebus, & ratio cibi à corpore Christi, iuxta illud Io. 6. *Ego sum panis vitæ.* ergò, &c.

19 Ad 1. respondetur. Species solas dici Sacramentum impropriè, quatenus Sacramentum sumitur pro quocunque signo iudicante rem sacram; indicant enim corpus Christi, & hoc pacto causant corpus Christi in ratione cibi Sacramentalis per determinationem ad esse sensibile; vnde corpus Christi est res, & Sacramentum simul; res quidem prout significatur; Sacramentum autem prout simul cum speciebus significat spiritualem refectionem. Ad 2. negatur assumptum, quia in hoc Sacramento sine ratione cibi non potest haberi virtus Sacramentalis, causatiua gratiæ; ratio autem cibi non habetur absque corpore Christi.

20 Objicitur contra primam conclusionem. Species sacramentales non causant gratiam, sed solum corpus Christi iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me.* Ergò non pertinent ad rationem Sacramenti. Respondetur negando assumptum. Quia etiam species communicant in ratione cibi cum corpore Christi, nam dant ipsi determinationem cibi sacramentalis. Illud autem Ioannis intelligitur de corpore Christi, prout sacramentaliter existit: vnde species simul cum ipso constituunt vnum adæquatum instrumentum.

Quomodo se habeant verba consecrationis ad essentiam Eucharistiæ.

SECTIO V.

21 PRima sententia vult, esse formam intrinsecam essentialiter constituentem Eucharistiam. ita Marsil. *in 4. quæst. 6. ar. 6.* Suar. *disp. 42. de Sacram. sect. 2.* Corneius *3. p. q. 78. art. 1. disput. vnica,* Nugnus *diffic. 1.* & alij Recentiores. Probant. Verba sunt forma, & determinant materiam, sicut in alijs Sacramentis. Ergò sunt pars intrinseca. 2. Sunt signum sacrum, & efficax. ergò. Confirmatur species substant semper verbis, & censentur moraliter informari ab ipsis. ergò.

22 Secunda sententia vult esse formam intrinsecam Eucharistiæ infieri, non autem in facto esse. ita quidam Recentiores. Probant. Quando existunt, habent quicquid requiritur ad essentiam Sacramenti, nam sanctificant per id, quod producunt. ergò

23 Tertia sententia asserit, esse tantum formam extrinsecam. ita Sotus *in 4. distinc. 1. quæst. 1. art. 1.* Scotus *distin. 8. quæst. 1. ad 3.* Gabriel. *quæst. vnica,* & *sect. 38. in Canon. missæ.*

24 Dico primo, *Verba non esse formam intrinsecam, & partem essentialem Eucharistiæ, etiamsi considerentur secundum significationem.* Probatur. Transactis verbis manet integrum Sacramentum Eucharistiæ; nihil autem permanere potest sine suis partibus essentialibus.

25 Dices verba permanere moraliter. Contra. Res, & verba quando concurrunt ad constituenda Sacramenta concurrunt secundum esse physicum, physico modo existens, quia concurrunt, vt signa sensibilia, & solum secundum esse physicum, physico modo existens significant sensibiliter. ergò

26 Dices secundo. Vt Sacramentum maneat de præsenti, sufficere, si maneat corpus Christi sub speciebus, & quod fuerint verba transacta. Contra. Verba si intrinsecè componerent Sacramentum, essent vt causa intrinseca de intrinseco conceptu ipsius. Implicat autem quod existat totum sine suis constitutiuis intrinsecis, nec oppositum potest concipi.

27 Dico secundo. *Neque infieri esse partem intrinsecè constitutiuam Sacramenti.* Probatur. Res infieri, & in facto esse, non differt à se ipsa essentialiter. Ergò requirit semper eadem intrinseca constitutiua.

28 Dico tertio. *Verba se habere vt extrinsecum determinans partim efficienter, partim formaliter in ratione significationis, quatenus determinant ad talem significationem Sacramentalem.* Probatur. Verba sunt significatiua corporis Christi sub speciebus. Ergò determinant effectiuè, vt ille panis sit corpus Christi. Rursus significant illam determinationem, & substernunt sibi vt subiectum rem significatam. Ergò formali modo illam determinant, vt stet sub illa ratione, secundum quam significatur.

29 Dices. Hæc determinatio est essentialis Sacramento, & tamen non manet, cum non maneant verba, in quibus fundatur. Ergò etiam verba possunt esse essentialia. Respondetur. Significationem intrinsecam verbis non esse essentialem; sed tantum obiectiuam, quæ consistit in habitudine, quam Sacramentum dicit ad verba, vt ad determinatiuum, & hæc manet transactis verbis.

30 Ad primum. Respondetur. Verba esse formam extrinsecam, & extrinsecè determinare materiam, vt explicatum est. Dicuntur autem Sacramenta constare rebus, & verbis, quia verba requiruntur ad determinandam materiam. Ad secundum. Non esse signum sanctificatiuum efficax, quia non causant gratiam; sed tantum signum sacrificatiuum. Ad confirmationem. Non sufficere moralem permanentiam, & informationem, vt patet ex dictis.

31 Instabis. Sacrificium habet vim contrariam, nam destruit, quod sacrificatur; verba autem non destruunt, sed faciunt. Ergò sunt Sacramenta. Respondetur negando minorem. Nam in sacrificio Missæ significatur sacrificium cruentum, & quia verba ponunt separatim sub speciebus corpus, & sanguinem, ideo destructiuo modo repræsentant, nempè cum separatione corporis à sanguine, quod sufficit.

32 Ex dictis colligitur. Sacramentum Eucharistiæ consistere essentialiter in illo coniuncto ex speciebus, & corpore Christi, vt stat sub determinatiuo extrinseco verborum, in quo pars materialis est corpus, & sanguis Christi simul cum speciebus; pars autem formalis ratio cibi Sacramentalis, seu illa determinatio passiua intrinseca, quæ habetur ex vi verborum importans determinationem Sacramentalem.

DE VNITATE HVIVS Sacramenti.

DISPVTATIO LXXXIX.

An sub vtraque specie sit vnum specie Sacramentum.

SECTIO I.

1 Dicendum est. *Esse vnum specie atboma*. ita D. Thoma 3. *par. qu.* 73. *art.* 2. Caietanus, Coninc. Pesantius, Nugnus *ibid.* Suarez *disput.* 39. *de Sacramen. sect.* 3. Vasq. *disput.* 168. *cap.* 1. Probatur. In vtraque specie habet eundem finem, & eandem significationem Sacramentalem, nempè refectionem animæ per gratiam significatam per modum conuiuij, iuxtà illud Ioan. 3. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; conuiuium autem, vt respicit refectionem, constat ex cibo, & potu.

2 Dicendum secundo. *Esse plura Sacramenta materialiter, hoc est plures res sensibiles, habentes tamen eandem significationem sacramentalem.* Ita intelligenda sunt Concilia, Pontifices, & Patres, quando dicunt esse plura Sacramenta. Probatur, sunt plures res, & per diuersa verba ex diuersa materia conficitur corpus, & sanguis. Ergò.

3 Obiicitur. Species panis independenter à speciebus vini sunt simpliciter Sacramentum; & è contra. Ergò duo Sacramenta. Respondetur, sunt duo Sacramenta inadæquata, & materialiter; non autem adæquatè, vt infra.

An in qualibet specie saluetur tota essentia Sacramenti.

SECTIO II.

4 Prima sententia asserit seorsim in qualibet specie reperiri totam essentiam Sacramenti. ita Bellarm. *lib.* 4. *de Eucharistia cap.* 22. Probat. Trident. *sess.* 22. *c.* 3. definit sub vna specie non solum totum Christum sumi, sed etiam verum Sacramentum. Ergò. 2. In qualibet specie seorsim reperitur significatio, & causalitas. Ergò. 3. Qualibet species habet peculiarem materiam, & formam; nec inesse Sacramenti vna dependet ab alia. ergo

5 Secunda sententia, requirit vtramque speciem ad essentiam Sacramenti. ita Corneius 3. *par. quæst.* 73. *ar.* 2. *disput.* 1. *dub.* 2.

6 Dico primo. *Sacramentum Eucharistiæ quoad efficaciam sacramentalem, & vim refectiuam integrè saluari in qualibet specie seorsim.* Probatur. In qualibet specie continetur Christus totus, vel ratione corporis, vel ratione sanguinis, & qualibet species causat gratiam reficientem animam. Ergò cum efficacia huius Sacramenti sit reficere animam, erit tota in qualibet specie.

7 Dices. Non esse in qualibet ex vi consecrationis, quia habetur tantum, vel corpus, vel sanguis, cætera autem per concomitantiam; efficacia autem debet conuenire ex vi consecrationis. Contra. Ex vi consecrationis ponitur sub speciebus, aut corpus, aut sanguis. Ergò ex vi verborum habetur tota efficacia sacramentalis, quia siue corpus, siue sanguis est sufficiens refectiuum animæ.

8 Dico secundo. *Sacramentum Eucharistiæ quo ad modum significationis sacramentalis requirere essentialiter vtramque speciem.* Probatur. Institutum est vt significet spiritualem refectionem animæ per modum conuiuij; conuiuium autem constat essentialiter, ex potu, & cibo.

9 Dico tertio. *Eucharistiam quoad efficaciam comparari ad singulas species sacramentales, vt speciem ad indiuiduа.* Probatur. In qualibet specie reperitur efficacia sacramentalis determinata indiuidualiter. ergò

10 Dico quarto. *Secundum significationem sacramentalem comparari, vt totum ad suas partes essentiales.* Probatur. Vna & eadem significatio consurgit ex vtraque, & significatio Sacramenti non potest in sua natura subsistere absque significatione vtriusque partis, cum sit per modum conuiuij. ergò

11 Ad primum respondetur. Concilium tantum velle, quod in vna tantum specie reperiatur verum Sacramentum quoad efficaciam, quia agit contra Hæreticos volentes communionem sub vtraque specie esse necessariam, quia in vna tantum specie non est Christus, nec Sacramentum; non autem loquitur de significatione. Ad 2. negatur assumptum loquendo de significatione sacramentali, & si Instes. Quod res significata est eadem respectu vtriusque partis. Respondetur. Esse eandem secundum esse, non autem secundum significabilitatem. Si rursus instes. Quod res significata per quamlibet partem est integrum conuiuium, alioquin fideles sub vna specie non reficerentur integrè. Respondetur esse integrum conuiuium materialiter, atque adeò importare integram refectionem materialiter; non autem integram formaliter, quia non habetur cum omnibus partibus, ex quibus conuiuium essentialiter constat, sed tantum habetur substantia conuiuij; non autem integer modus exhibitionis. Ad tertium. Adesse peculiarem materiam, & formam in ordine ad peculiares partes conuiuij, quæ tamen sicuti communicant in significatione refectiui; ita etiam in vnitate significationis sacramentalis per moralem coniunctionem.

12 Ex his colligitur contra Corneium 3. *par. quæst.* 73. *ar.* 2. *disp.* 1. *dub.* 3. In qualibet specie reperiri Sacramentum Eucharistiæ simpliciter quoad efficaciam; licet non quoad modum significationis sacramentalis. Ratio est, quia qualibet species integrè & simpliciter reficit animam, non tamen simpliciter importat totam significationem conuiuij.

13 Obiicies. Non potest dari ratio generica sine ratione specifica, quæ sit simpliciter talis. Ergò nec ratio Sacramenti vt sit sine ratione talis significationis Sacramentalis, vt sic. Respondetur. In qualibet specie non esse adæquatam rationem Sacramenti, vt sit quoad modum significandi, sed tantum quoad substantiam significationis; vnde nec est adæquatum signum sensibile quoad modum significandi vt sic. Instabis. Species panis, & vini essent duæ species Sacramenti, quia qualibet dicit genus, & propriam differentiam, quæ facit tale Sacramentum simpliciter. Respond. negando sequell. Quia hæc differentia, quæ est in vna specie est etiã eadem in alia, & ideò non multiplicatur; modus autem significationis, quia est diuersus, non est adæquatus in singulis seorsim, sed in vtraque simul.

14 Obiicitur 2. significatio Sacramentalis est practica, atque adeo eadem cum efficacia. Ergò si in qualibet specie est Sacramentum completum quoad efficaciam, erit etiam quoad significationem. Respond. significationem secundum substantiam esse eandem cum efficacia; non verò secundum modum significandi, quia eadem efficacia potest diuerso modo significari.

An Sacramentum Eucharistiæ sit vnum numero.

SECTIO III.

15 Dicendum est. *Sacramentum Eucharistiæ non esse vnum numero, sed multiplicari.* ita communi-

muniter contra Coninch. 3. *par. qu.* 73. *art.* 2. Probatur. Quod potest fieri, & corrumpi seorsim ab alio, non est idem numero cum ipso. Sacramentum autem Eucharistiæ, vt est in vna specie potest produci, & desinere seorsim ab omnibus alijs. Ergò, confirmatur. Significatio sacramentalis potest plurificari, & totum quod est essentiale Sacramento prædicatur de qualibet specie sacramentali independenter ab alio. Ergò.

16 Dices, Idem Sacramentum fieri, & produci inadæquatè, sicut si corrumpatur, aut producatur aliqua pars de eodem continuo. Contra. Quod est vnum in se, ideò potest inadæquatè produci, & corrumpi secundum aliquam sui partem, quia potest diuidi, & fieri plura numero. Ergò si hoc potest esse in Eucharistia, poterit etiam numero plurificari.

17 Obijcies. Est vnus Christus in omnibus speciebus, atque adeò vna virtus sacramentalis. Ergò etiam vnum Sacramentum. Respondetur negando Consequentiam. Quia Sacramentum non dicit solum Christum, sed etiam species sacramentales, vt signum sensibile, & significationem sacramentalem: hæc autem multiplicantur, & sufficiunt pro multiplicatione Sacramenti.

18 Obijcies secundò. Si verbum assumeret plures humanitates, essent vnus homo. Ergò Christus assumens plures species, erit vnum Sacramentum. Respondetur negando Consequen. Quia plures humanitates essent vnus homo, quia essent in eadem concretione eiusdem suppositi, species autem sacramentales non veniunt in concretionem corporis Christi, sed corpus Christi trahitur ad modum, & determinationem specierum: vnde, vt ipsis accommodetur, replicatur.

19 Obijcies tertio 1. Ad Corinth. 10. *Vnum corpus sumus omnes, qui de eodem pane participamus*. Ergò sicut corpus est vnum numero, ita etiam panis. Respondetur neg. Conseq. Quia vnitas corporis Ecclesiæ non infertur ex vnitate numerica Sacramenti, sed ex vnitate cibantis, qui est Christus.

Vnde sumatur vnitas numerica huius Sacramenti.

SECTIO IV.

20 PRima sententia asserit non sumi ex physica continuatione specierum, sed ex morali, ita vt plures species in ordine ad eandem sumptionem sint vnum Sacramentum. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 8. *qu. vnica ar.* 2. Bellarm. 4. *de Eucharistia*, *cap.* 22. & alij. Probant. Si sit eadem sumptio, est vnum conuiuium. Ergò etiam vnum Sacramentum.

21 Secunda sententia. Desumi ex vnitate consecrationis. Ita quidam Recentiores. Probant. Verba consecrationis sunt forma huius Sacramenti. Ergò dant vnitatem.

22 Tertia sententia sumi ex vnitate physica specierum. ita Vasquez 3. *part. disput.* 168. *cap.* 2. Corneius *quæst.* 73. *art.* 2. *disput.* 2. *dub.* 3. Hurtad. *disput.* 1. *de Euchar. diffic.* 3. & alij.

23 Dico 1. *Vnitatem numericam in ratione Sacramenti non sumi ex vnitate sumptionis*. Probatur. Sumptio est posterior Sacramento, & quid extrinsecum; & ordo ad sumptionem consequitur ab extrinseco, quod enim dicat ordinem ad vnam, vel plures sumptiones prouenit ex determinatione extrinseca assumentis. Vnitas autem consequitur ex intrinsecis principijs.

24 Dico 2. *Neque sumi ab vnitate consecrationis*. Probatur. Vnitas consecrationis est vnitas causæ; causa autem potest simul habere plures effectus numero, si applicetur pluribus subiectis; hinc etiam vnica forma possunt plures baptizari.

25 Dico 3. *Desumi ex vnitate, & continuatione physica specierum*. Probatur. Quælibet species physicè distincta ab alia habet integram rationem Sacramenti, cum sit integrum signum sensibile significans spiritualem refectionem, quam causat. ergo.

26 Dico 4. *Plures species ordinatæ simul ad eandem sumptionem, licet sint plura Sacramenta, sunt tamen moraliter vnum conuiuium, & vnica refectio, atque adeò non causant maiorem gratiam, quam si vnica tantum sumeretur*. Probatur. Coalescunt in vnicam rationem cibi sacramentalis, & se habent per modum vnius causæ. Ergò causant etiam vnicam tantum refectionem, quia vnicum conuiuium ordinatur ad vnicam refectionem.

27 Obijcies. Multiplicata causa multiplicatur effectus; quælibet autem species est adæquata causa refectionis spiritualis. Respondetur negando minorem. Si species sumantur coniunctim, quia tunc non multiplicantur moraliter. Causæ autem, quæ concurrunt moraliter, vt sint plures, debent moraliter multiplicari. Deinde hoc tantum valet in causis principalibus, non verò in instrumentalibus, vt sunt Sacramenta.

28 Obijcies secundò. Sacerdos celebrans suscipit vnicum tantum Sacramentum, & tamen suscipit hostiam diuisam in tres partes. Ergò. Respondetur sumere vnum Sacramentum moraliter, non quia reuera non sint plura, sed quia assumit per modum vnius refectionis, & illa multiplicatio se habet tantum materialiter in ordine ad refectionem.

29 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur Consequenn. Quia possunt plura Sacramenta se habere per modum vnius conuiuij, & refectionis. Instabis. Etiam conuiuium conuenit essentialiter Eucharistiæ. Ergò si est multiplex Sacramentum, est etiam multiplex conuiuium. Respondetur. Conuiuium posse sumi, vel pro quolibet refectiuo, vel pro adæquata refectione; primo modo conuenit essentialiter Sacramento; secundo modo ipsi conuenit, prout substernitur sumptioni, & ideo ab ipsa sumit in hac ratione vnitatem, vel multiplicitatem.

30 Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur verba consecrationis esse formam extrinsecam. Deinde neque ex vnitate formæ sumitur vnitas Sacramenti, vt patet ex dictis.

DE NECESSITATE SACRAMENTI Eucharistiæ.

DISPVTATIO XC.

An sit necessarium medium ad salutem.

SECTIO I.

1 DVplici modo aliquid est necessarium ad salutem nempe necessitate medij, vel necessitate præcepti. Illud est necessarium necessitate medij, sine quo absolutè non potest salus obtineri, quia ordinatur tanquam remedium ad tollendum impedimentum salutis. Necessarium autem necessitate præcepti est illud, quod est necessarium ad non ponendum obicem pro assequenda salute, vnde eam supponit debitam, non autem facit.

2 Prima sententia asserit, esse necessarium necessitate medij saltem adultis; ita quidam Recentiores, qui citant D. Thom. 3. *par. quæst.* 73. & *quæst.* 80. *ar.* 11. & *in* 4. *distin.* 8. *qu.* 1. *ar.* 2. *quæstiunc.* 1. Verum in his locis tantum vult quod res Sacramenti, videlicet vnio cum Christo, sit absolutè necessaria ad salutem; vnde deducit sufficere effectum Sacramenti ex voto Eucharistiæ, quatenus

nus baptismus est votum omnium Sacramentorum. Probant: Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis*; & eodem modo Patres loquuntur. 2. Cibus corporalis est necessarius necessitate medij ad conseruandam vitam corporalem. Ergò cibus spiritualis ad conseruandam vitam spiritualem. 3. In primitiua Ecclesia, vt meminit Trident. *sess. 21. cap. 4.* dabatur Eucharistia infantibus morientibus sub specie vini; hæc autem consuetudo indicat necessitatem.

3 Secunda sententia est negatiua. ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu. 73. ar. 3.*

4 Dico primo. *Realem susceptionem Eucharistiæ non esse necessariam pueris, antequam perueniant ad vsum rationis.* Est de fide ex Concil. Tridentin. *sess. 21. can. 4.* contra Armenos. Probatur. Non potest esse necessaria nisi vt medium ad tollendum originale, quia eo ablato pueri sunt in statu salutis vsque ad vsum rationis, sed non est necessaria, quia sufficit baptismus; nec ordinatur ad tollendum peccatum, sed ad augendam gratiam, vnde Trident. *sess. 13. can. 15.* damnat dicentes. Præcipuum fructum huius Sacramenti esse remissionem peccatorum.

5 Dico secundo. *Nec etiam adultis esse necessarium hoc Sacramentum necessitate medij ad primam gratiam obtinendam, seu ad salutem.* Sequitur ex dictis, quia prima gratia ex Concilio Tridentino allato, est proprius effectus baptismi tantum, aut pœnitentiæ. Probatur. Prima salus consequi potest ab adulto, vel per baptismum, si nondum sit baptizatus; vel per pœnitentiam, vt docet Triden. *sess. 5. can. vltimo.* Ergò non est necessaria Eucharistia necessitate medij.

6 Dices. Esse necessariam ad conseruandam vitam spiritualem per modum nutrimenti. Contra. Vita spiritualis non est talis, vt non possit perseuerare sine alimento. ergò Eucharistia, quamuis iuuet pro conseruatione; non est tamen medium simpliciter necessarium.

7 Ad primum respondetur. Illas conditionales esse accipiendas secundum exigentiam subiectæ materiæ; vnde non colligitur necessitas medij, nisi seruemus præcepta, non intrabimus in regnum cælorum, & tamen actus bonus, quo illa obseruamus, non est necessarius necessitate medij, & hoc modo accipiendi sunt etiam Patres. Ad secundum probare tantum, quod sit necessaria Eucharistia ad perseuerandum; non autem ad acquirendam salutem: sed neque hoc probat, quia vita spiritualis potest conseruari sine alimento ex eo, quod non sit corruptibilis, nisi per peccatum.

8 Dices. Fuit antiqua consuetudo dandi Eucharistiam corporibus defunctorum, quando viui non potuerunt sumere, vt habetur ex Concilio Cartaginensi 3. *cap. 1.* Respondetur, Non fuisse consuetudinem, sed abusum superstitiosum. Ad tertium respondetur. Illam consuetudinem non fuisse vniuersalem, vt desumitur ex eodem Tridentino; vnde neque indicat necessitatem medij; deinde concilium oppositum decreuit.

An saltem in voto Eucharistia sit necessaria necessitate medij.

SECTIO II.

9 Certum est apud omnes, Eucharistiam esse necessariam omnibus in voto, quatenus cadit sub præcepto, vnde est necessarium votum illam sumendi tempore, quo vrget præceptum; & hoc propositum debet esse proprium in adultis saltem implicitè; respectu autem paruulorum supplet Ecclesia, sicut supplet in fide. ita docet D. Tho. 3. *p. q. 75. ar. 3.* Difficultas est, an sit necessaria in voto necessitate medij.

10 Prima sententia est affirmatiua. ita Caietanus 3. *p. qu. 73. ar. 3.* Corneius *disput. 2. dub. 1.* Sotus *in 4. distin. 8. ar. 3.* Probant ex Innocentio III. *epist. ad Patres Concilij Milenitani*, vbi infert necessitatem baptismi ad salutem ex necessitate Eucharistiæ. 2. Vnio cum Christo per gratiam est simpliciter necessaria ad salutem, & est effectus etiam Eucharistiæ in genere causæ finalis. Ergo, &c.

11 Secunda sententia est negatiua. ita Durandus *in 4. distin. 9. qu. 1.* Palud. *ibidem.* Gabriel. *qu. 2.* Suar. *disput. 40. de Sacrament. sect. 1.* Vasq. *disputat. 169. cap. 3.* & communiter.

12 Dicendum est. *Eucharistiam neque paruulis, neque adultis esse necessarium medium in voto ad salutem.* Desumitur ex D. Thom. 3. *par. qu. 66. ar. 4.* vbi docet, solam pœnitentiam, & baptismum esse Sacramenta necessaria necessitate medij vnicuique homini: Probatur. Hoc Sacramentum non est ordinatum ad dandam primam gratiam, sed illam supponit, quia cibus supponit vitam, & datur tantum ad augmentum gratiæ, vt definit Concilium Tridentinum *sess. 13. canon. 2.* Ergò non est necessarium necessitate medij, quia cum prima gratia habetur salus.

13 Respondet Corneius. Non dare primam gratiam in genere efficientis, sed in genere causæ finalis. Contra. Ergò non dat gratiam, vt Sacramentum, quia vt tale confert in genere efficientis. Confirmatur. Sacramentum non potest causare gratiam, nisi existat realiter, & sensibili modo applicetur. Ergò non potest causare in genere finali, quia finis causat, vt est in intentione.

14 Respondet 2. In re supponere primam gratiam non autem in voto. Contra. Votum supplet pro reali susceptione, ita vt tunc habeat locum, quando non potest haberi realis susceptio. Ergò non est necessarium, quando non est necessaria realis susceptio, nec facit, quod Sacramentum concurrat in genere finali, sed adhuc concurrit efficienter, vt virtualiter existens in voto.

15 Ad primum respondetur. Pontificem arguere contra hæreticos ad hominem; volebant enim Eucharistiam esse necessariam ad salutem: non autem baptismum; vnde arguit ipse. Si est necessaria Eucharistia, est etiam necessarius baptismus, quia sine ipso non potest suscipi Eucharistia. Ad secundum negatur talem vnionem esse effectum Eucharistiæ in genere finali, vt patet ex dictis.

DE MATERIA EVCHARISTIÆ.

DISPVTATIO XCI.

Qualis panis sit materia Eucharistiæ.

SECTIO I.

1 Materia est duplex; Alia proxima, ex qua constat intrinsecè hoc Sacramentum; Alia remota, ex qua conficitur, quæ est etiam materia transiens, quia conuertitur in corpus, & sanguinem Christi, & de hac in præsenti agimus.

2 Supponendum est. Materiam consecrationis corporis Christi esse panem; consecrationis verò calicis, vinum, & est de fide ex cap. *Firmiter. De summ. Trinit.* Concilio Florentino *in Decreto Eugenij.* & Tridentino *sess. 13. 21. & 22.* & habetur ex facto Christi Math. 26. Lucæ 22. & Marci 14. qui instituens hoc Sacramentum instituit in pane, & vino. Ratio autem congruentiæ est, quia cum institueretur ad reficiendam animam, debuit institui in ijs rebus, quæ sunt principale refectiuum corporis, vt sunt panis, & vinum ad hoc vt congruenti modo significarent spiritualem refectionem.

3 Prima sententia asserit, posse confici ex pane cuiuscunque

cunque frumenti. Ita Gabriel *lect.35. in can. missæ.* Caietan. 3. *par. quæst.73. art.3.* Probant. Scriptura, Concilia, & Patres tantum docent, Christum consecrasse panem, & nondum determinarunt, hunc panem debere esse ex tritico. Ergo sufficit quodcunque genus frumenti.

4 Secunda sententia asserit, solum panem triticeum esse materiam: ita communiter cum D. Th. 3. *p. q.74. ar.3.*

5 Dico primò. *Materiam sufficientem ad validitatem Sacramenti esse solum panem vsualem.* Probatur. Christus confecit in pane, & conficiendo designauit materiam. Ergo sicut instituit cibum omnibus communem, ita etiam debuit instituere in illo pane, qui est communis omnibus.

6 Dico secundò. *Hunc panem vsualem, de facto ex declaratione Ecclesiæ esse panem triticeum.* ita declarauit Eugenius IV. *in Concilio Florentino, in decreto fidei.* Et ratio est, quia triticeus est magis vsualis.

7 Dico tertiò. *Posse Ecclesiam declarare ex rationabili causa, panem ex aliquo alio grano esse vsualem, & tunc ille panis erit materia apta.* Probatur. Christus in quolibet Sacramento instituit tantum materiam vsualē, & reliquit potestati Ecclesiæ declarare quænam sit, vnde de facto Concilium Tridentinum declarauit consensum clandestinum non esse materiam sufficientem pro matrimonio, declarando non esse legitimum contractum; ergo potest etiam declarare, aliquem panem esse, vel non esse vsualem, si adsit legitima causa.

8 Dices. Sequeretur, quod modo panis triticeus non esset de necessitate validitatis sacramenti, sed tantum de necessitate præcepti. Respondetur negando sequellam. Quia Ecclesia declarans, aliquid esse illud vsuale, quod est materia sacramenti, constituit ipsum in esse materiæ aptæ: & declarans non esse, extrahit à ratione materiæ: & ideo panis triticeus est necessarius necessitate sacramēti, quia declarauit, ipsum solum esse panem vsualem.

9 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur, non adesse declarationem, vt patet ex dictis.

10 Ex dictis colligitur. Hoc sacramentum non posse confici ex amido, quia non est panis, neque aptus ad cibum, nec ex massa farinæ aqua permixta: neque ex pane compacto cum quocunq; liquore, qui non sit aqua naturalis, quia tunc non est panis vsualis, et docent communiter cum Diuo Tho. 3. *par. quæst.74.* posse verò confici ex pane triticeo, cui aliqua alia farina admixta sit, si tamen sit in parua quantitate, ita vt moraliter remaneat panis triticeus. Sic etiam ex pane siligineo, quia siligo est verum triticum, licet non ita perfectum, vt docet D. Tho. *art.3. citatæ quæstionis.*

An panis azimus, vel fermentatus sit materia.

SECTIO II.

11 QVo tempore Græci inceperunt consecrare in fermentato, non est certum; certum tamen est, tempore Leonis IX. incæpisse errorem Græcorum damnantium consecrationem in azimis: Inter Catholicos autem.

12 Prima sententia asserit, nec azimum, nec fermentatum esse materiam sacramenti. Sed posse in vtroq; confici, quantum est ex vi sacramenti: peccare tamen Græcos consecrando in fermentato, quia non se conformant vsui veræ Ecclesiæ. Ita Scotus *in 4. dist.* 11. *qu. 6.* Palud. *quæst.* 1. *artic.4.*

13 Secunda sententia. Posse confici tam in azimo, quàm in fermentato: peccare tamen Latinos si conficiant in fermentato, & Græcos si in azimo, quia tenetur vnusquisque seruare consuetudinem suæ Ecclesiæ. Ita communiter cum D. Tho. *3. par. qu.74. art.4.*

14 Dico primò. *Quoad validitatem Sacramenti posse confici tam in azimo, quàm in fermentato.* Est de fide ex Concilio Florentino *in litteris vnionis sess. vlt.* Probatur. Tam azimus, quàm fermentatus est verus panis, quia fermentum non variat substantiam panis, ergo.

15 Dices. Azimus non est panis vsualis. Ergo. Resp. esse panem vsualem quoad substantiam, quod sufficit.

16 Dico secundò. *Esse congruentiorem azimum.* Probatur. Christus, vt vidimus, instituit in azimo: congruentius autem est se ipsi conformare non solum quoad substantiam materiæ, sed etiam quoad qualitatem.

17 Dico tertiò. *Non solum licere Latinis, & Græcis amplecti consuetudinem suæ Ecclesiæ, sed etiam debere.* Est contra Nugnum *3. par. quæst.24. arti.4.* Probatur. Quia adest præceptum seruandi consuetudinem suæ Ecclesiæ, vt habetur ex Leone IX. epist. 1. aduersus Præsumptiones Michaelis Constantinopolitani; & ex Eugenio IV. *in litteris vnionis.* Probatur. Consuetudo legitimè introducta apud Ecclesias obligat illos, qui sunt illius Ecclesiæ: hęc autem consuetudo Græcorum, & Latinorum est legitimè introducta.

18 Obijcies. Christus consecrauit in azimo. Ergo solum licet consecrare in ipso. Respondetur negando consequ. Quia per accidens fuit, quod tunc panis vsualis fuerit azimus, quia videlicet erant dies azimorum.

In quo pane teneatur Græcus apud Latinos conficere, & è contra.

SECTIO III.

19 CErtum est, Græcos habentes Ecclesias apud Latinos, & è contra Latinos apud Græcos teneri conficere secundum ritum propriæ Ecclesiæ, cum adhuc sint intra propriam Ecclesiam, vt docet Leo IX. cap.29. citatę epistolæ. Rursus non potest Latinus in huiusmodi Ecclesijs conficere more Gręcorum, aut è contra. Ratio est. Quia huiusmodi Ecclesię eriguntur ex speciali priuilegio, quod respicit tantum personas illarum Ecclesiarum.

20 Dico primò. *Latinus acquirens domicilium apud Gręcos tenetur conficere in fermentato, & è contra Græcus apud Latinos in azimo.* Probatur. Dum acquirit domicilium, fit membrum illius Ecclesiæ. Ergo tenetur sequi consuetudinem ipsius.

21 Dico secundò. *Peregrinum Latinum degentem absque domicilio apud Græcos, & Græcum apud Latinos, posse seruare consuetudinem propriæ Ecclesiæ, in qua habet domicilium.* Probatur. Eugenius IV. docet vnumquemque debere seruare ritum proprię Ecclesiæ vbique locorum, & monet vt vnusquisque permittatur celebrare more proprio, ergo.

22 Dico tertiò. *Posse etiam celebrare secundum ritum Ecclesiæ, per quam transit.* Probatur. Non est indecens, imo conueniens se conformare consuetudini locorum, vt habetur in cap. *Ille*, dist.12. nec Eugenius IV. ad oppositum obligat, sed tantum permittit, & præcipit, vt non impediatur, ergo.

23 Obijcies. Leges loci obligant etiam peregrinos. Ergo Latinus apud Græcos non potest conficere, nisi in fermentato. Respondetur negando consequentiā. Quia hæc lex non obligat, cum oppositum sit determinatum in Concilio Florentino. Deinde est etiam falsum assumptum, vt in materia de legibus.

Quale vinum sit materia huius Sacramenti.

SECTIO IV.

24 DIcendum est. *Quodlibet vinum, quod verè sit vinum, siue album, siue rubrum, etiam si differant inter se, esse materiam aptam.* Ita communiter cum D. Tho. 3. par. qu. 74. art.7. Ratio est, quia quodlibet vinum est potus vsualis.

25 Ex his colligitur. Succum expressum ex vuis non maturis. Item aquam, quæ effluit è vitibus, nec vuā non expressam,

pressam, nec acetum posse esse materiam huius sacramẽti. Mustum autem expressum, & etiam vinum congelatum esse materiam sufficientem, vt docent communiter cum Diuo Thom. Ratio est, quia tam mustum, quàm vinum congelatum sunt verè vinum.

26 Obijcies. Aqua congelata non est sufficiens materia baptismi. Ergo nec vinum congelatum Eucharistiæ. Respondetur negando antecedẽs. Nam etiam baptismus potest ministrari cum aqua congelata, quia quando tangit corpus, aliqualiter potest liquefieri, vt cum pluribus tradidi in *Decis. moral. Decis.* 281. *num.* 3. *&* 4. Deinde est etiam dispar ratio, quia baptismus habet pro materia proxima ipsam ablutionem, & ideo requirit aquam aptam ad abluendum. Eucharistia autem solum requirit potabilem, non tamen quod sit actu potabile, dum consecratur, quia consecratio non consistit in potatione.

An vino consecrando sit aqua miscenda.

SECTIO V.

27 Dicendum est. *Esse permiscendam ante consecrationem secundum institutionem Christi.* Est contra Armenos, Lutheranos, & Caluinistas. Probatur. Traditio fert, quod Christus miscuerit aquam vino, vt habetur ex Liturgia Iacobi Fratris Domini. *Similiter postquam cœnauit accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua, & aspiciens in cœlum &c.* Itẽ ex Liturgia Marci Euangelistæ. *Similiter & Calicem, postquam cœnauit, accipiens, factaque vini, & aquæ commixtione.* Et ita tradunt etiam Patres, Clemens *lib.* 8. *Constitutionum Apostolic. cap.* 14. Ireneus *cap.* 57. *lib.* 4. Cyprian. *lib.* 2. *epistol.* 3. Basilius *in sua Liturgia.* Chrysostomus item *in sua liturgia.* Augustinus *sermon.* 120. *in Ioan.* & alij. Vnde Concilia huic traditioni innixa determinarunt, aquã esse permiscendã.

28 Dicendum secundò. *Aquam non esse de necessitate Sacramenti, licet sit de necessitate præcepti.* Ita communiter cum D. Tho. 3. *par. qu.* 74. *art.* 1. Probatur Eugenius IV. *in Concilio Florentino in decreto Fidei*, non reprehendit Armenos, quod validè non consecrarent, sed quod discreparent à consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, non permiscentes aquam. Ergo non est de necessitate Sacramenti. Ratio est. Quia sine aqua saluatur potus vsualis ex vino.

29 Obijcies contra primam conclusionem. Ex latere Christi non exiuit aqua mixta cum sanguine, sed seorsim. Ergo non debet misceri vino ad hoc significandum. Respondetur negando consequ. Quia non est necessaria in signo omnimoda similitudo.

30 Obijcitur secundò. In Eucharistia non fit commemoratio vnionis Christi cum Ecclesia, sed tantum passionis Christi. Ergo non est necessaria mixtio aquæ ad hanc vnionem significandam. Resp. neg. consequ. Vnio enim cum Christo significatur in assumptione Eucharistiæ; miscetur autem aqua ante consecrationem ad significandam vnionem futuram.

31 Obijcit. tertiò contra secundam conclusionẽ. Christus consecrauit in vino aqua mixto. Ergo talis mixtio habetur ex vi institutionis, atque adeo est necessaria ad validitatem Sacramenti. Resp. neg. consequ. Quia talis mixtio, licet sit ex institutione, non tamen est substantialis materiæ, cum adhuc sine ipsa saluetur potus vsualis; necessitas autem quoad validitatem deducitur ex facto Christi considerato secundum substantiam.

32 Obijcitur quartò ex D. Cypriano *epist.* 66. vbi videtur docere, eodem modo esse necessariam aquam, sicuti est vinum. Resp. Intelligere tantum de necessitate præcepti, & facit comparationem cum proportione, ita vt sicuti necessitate Sacramenti non sufficiat sola aqua, ita necessitate præcepti non sufficiat solum vinum.

33 Quæres. Qualis aqua debeat misceri. Respondetur. Debere esse naturalem, vt habetur ex continuata traditione Ecclesiæ.

34 Quæres secundò. Quanta debeat esse. Respondetur. Debere esse modicam, vt docet Florentinum *in decreto Eugenij*: quia fragilitas populi comparatione virtutis sanguinis Christi est longè minor: si autem multa admisceatur, si vinum superet aquam, ita vt moraliter adhuc censeatur vinum, validum erit sacramentum.

35 Quæres tertiò. Quando sit admiscenda. Respond. ante consecrationem; secus autem si sit incepta consecratio, quando ex obliuione est prætermissa.

Ratione cuius præcepti sit aqua admiscenda.

SECTIO VI.

35 Prima sententia docet, esse admiscendam tantum ex præcepto Ecclesiastico. ita Scotus *in* 4. *dist.* 11. *qu.* 7. Durand. *qu.* 1. Sotus *dist.* 9. *qu.* 1. *ar.* 6. Suarez *disp.* 45. *de sacram. sect.* 2. Vasqu. *disp.* 177. *cap.* 2. Hurtad. *disput.* 2. *de Euchar. diffic.* 11. & alij. Probant. Alexander I. *epist.* 1. *cap.* 4. dicit se huiusmodi præceptum à Patribus accepisse, non autem dicit à Christo. Vnde Eugenius IV. reprehendit Armenos, non quia transgrediantur præceptum diuinum, sed quia discrepent à consuetudine vniuersalis Ecclesiæ. Secundò. Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 7. ait, hoc esse præceptum ab Ecclesia. Tertiò. Si esset ex præcepto diuino, esset de necessitate Sacramenti.

37 Secunda sententia asserit, esse admiscendam ex præcepto diuino, ita Alensis 2. *par. qu.* 10. *memb.* 4. *art.* 1. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 12. Valentia 3. *par. disp.* 6. *qu.* 2. *punct.* 1. Ledesma *tom.* 1. *summæ Theol. moral. cap.* 4. *de Eucharist. conclus.* 18.

38 Dicendum est. *Aquam esse vino admiscendam ex præcepto diuino.* Probatur. Christus instituens hoc Sacramentum miscuit aquam, vt constat ex dictis *sectione præcedenti*, & docet etiam Cyprianus *lib.* 2. *epist.* 3. *ad Cecil.* Concilium *Carthaginense* 3. Florentinum *in decreto fidei*. Ergo adest præceptum diuinum, quia ea cadunt sub præcepto in sacramentis, quæ Christus fecit ea instituendo.

39 Dices. Christum miscuisse aquam, non vt materiam, sed in ordine ad mysticam significationem. Contra. Institutio sacramentorum quoad substantialia habet vim obligandi in ordine ad validitatem sacramenti, non alia de causa, nisi quia Christus sic fecit. Ergo factum Christi in ordine ad accidentalia obligat ad ipsa, vt talia sunt. Secundò. Quod Christus facit vt institutor, & legislator, habet vim directiuam: miscuit autem aquam, vt institutor, & legislator.

40 Ad primum respondetur. Alexandrum ita loqui, quia tale præceptum non habuit immediatè à Christo. Eugenius autem arguit Armenos, quod discrepent à cõsuetudine vniuersalis Ecclesiæ, quia noluit decernere, an hoc esset ex præcepto diuino, sicut etiam Tridentinum: Vnde patet ad secundum. Ad tertium negatur sequella. Quia Christus voluit instituere pro materia tantum potum vsualem, qui saluatur etiam sine aqua.

An aqua conuertatur immediatè in sanguinem Christi.

SECTIO VII.

41 Supponendum est. Aquam non posse naturaliter verti in vinum, cum vinum non habeat vires ad ipsam transmutandam in se ipsum. Et ratio est, quia vinũ ex natura sua vitali modo producitur intra grana vuæ per conuersionem alimenti in substantiam aliti: vinum autem non potest operari vitali modo, cum non participet rationem vitæ.

42 Suppon. secundò. Aquam non conuerti in humorem phlegma-

phlegmaticum Christi, quia omnis conuersio fit virtute verborum; verba autem non significant humorem phlegmaticum vt terminum conuersionis, neque alio modo.

43 Prima sententia asserit, conuerti prius in vinum naturali virtute ipsius vini, deinde in sanguinem. Ita præcipuè Suarez *disput.* 45. *de sacram. sect.* 4. Vasquez *disp.*178. *cap.*2. Hurtad.*disput.*2. *de Euchar. difficult.*14. Tannerus *quæst.*2. *de Euchar. dub.*6. Nugnus 3. *par. qu.* 78. *art.*8. Coquettus *opuscul. de mixt. aquæ in calicem, cap.*7. *& sequenti.* citant etiam D. Tho. 3. *par. quæst.* 74. *artic.*8. Alensem 4. *quæst.*3. *memb.* 5. *art.*2. Et alios ex veteribus, qui tamen nihil expressè dicunt. Probant. Quia figuræ Eucharistiæ adumbrant solum vinum. Secundò. Quia Patres communiter docent, solum vinum esse materiam, quod non esset verum, nisi aqua prius conuerteretur in vinum. Tertiò. Non potest conuerti in sanguinem, nisi sit materia; non est autem materia, dum permanet in sua substantia, sicut gutta olei mixta vino non verteretur in sanguinem. Quartò. Si esset materia, esset de necessitate Sacramenti. Quintò. Sequeretur quod sub accidentibus aquæ conseruaretur sanguis Christi, vnde deberet sub ipsis remanere, si species aquæ separarentur à speciebus vini post consecrationem. Sextò. Materia libera potest se sola sufficere ad sacramentum, vt patet in peccato veniali respectu sacramenti pœnitentiæ, aqua autem numquam se sola potest sufficere. Septimò. Postquam aqua est admixta vino, posset Sacerdos velle consecrare tantum ipsam, quia esset materia cum immediatè verteretur in sanguinem.

44 Secunda sentẽtia asserit immediatè conuerti in sanguinem, ita vt simul cum vino sit materia, non autem seorsim. Ita Alanus *lib.* 1. *de Euchar. cap.* 13. Pesant. 3. *par. quæst.*74. *artic.*8. *disp.* 2. Coninch *dubio vnico.* Aresius *disp. de sacr. sect.* 3. *& seq.* Scotia *lib.* 4. *de sacrific. missæ cap.* 1. Ianscalus *in concord. cap.*131. Durandus *lib.* 4. *Rationalis Diuin. offic. cap.* 30. *num.* 26. Alensis 4. *par. quæst.*10. *membr.*4. *art.*1. §. 5.

45 Dicendum est. *Aquam immediatè conuerti in sanguinem, vt commateriam, seu vt materiam secundariam, quæ sit materia ratione alterius, quod per se primò sit materia.* Desumitur ex Concilio Florent. *in decreto fidei.* Vbi explicans materiam Eucharistiæ, assignat vinum permixtum aqua, quia creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto instituisse hoc Sacramentum. Et Innocentio III. cap. *Cum Marthæ,* de celeb. *Miss.* vbi referens tres opiniones, approbat secundam, quæ asserebat, aquam immediatè conuerti in sanguinem. Probatur ex Patribus Ambrosio *lib.*4. *de sacrament. cap.* 5. *Ante verba Christi calix est vini, & aquæ plenus, vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur.* Ergo permanet aqua vsque ad consecrationem, & vertitur in sanguinem. Augustino lib. de baptismo. *Aqua mittitur in calicem, & fit sanguis consecratione verbi cælestis.* Damasceno lib.4. de fide cap. 14. *Quid tandem, inquit afferri potest, quin ex pane corpus, ex vino, & aqua sanguinem suum efficere queat.* Paschasius Abbas lib. de corpore, & sanguine Domini. *Aqua consecratur non quod permaneat, sed vertatur in sanguinem.* Et alia plura affert Aresius *citatus.*

46 Dices. Aquam dici verti in sanguinem, quia conuertitur mediatè. Contra. Auctoritates allatæ non patiũtur hanc explicationem, quia significant, quod sanguis Christi efficiatur ex duobus nempe vino, & aqua. Secundò. Quia Patres dicunt aquam conuerti in sanguinem, quod non esset verum, si prius verteretur in vinum, sicuti non potest dici, quod farina vertatur in corpus Christi, quia conuertitur mediante pane.

47 Probatur secundò. Etiamsi aqua posset naturaliter conuerti in vinum, fieri tamen potest, quod tempore consecrationis non sit conuersa, vt præsertim si statim ante consecrationem misceatur, vt iubet missale, quando sacerdos oblitus est miscere. Ergo tunc debet conuerti immediatè in sanguinem, atque adeò semper conuertetur, quia si semel conuertitur ex vi verborum, semper verba habebunt eamdem efficaciam, quia conuertitur in sanguinem totum id, quod offertur secundum institutionem Christi. Confirmatur. Verba causant, quod significant ex Tridentino *sess.*7. *can.*6. Ergo cum verba significent totum id, quod est in calice, quia nomine calicis venit totum contentum, totum quod continetur in calice secundum institutionem Christi vertitur in sanguinem.

48 Dices. Quando aqua non est conuersa in vinum, manere in propria substantia. Contra. Forma profertur supra totum contentum ex institutione Christi. Ergo debet totum conuertere in sanguinem, alioquin non essent vera. Hinc Concil. Trident. *sess.* 13. *can.* 2. definit, remanere in calice solas species.

49 Dices secundò. Nomine calicis intelligi tantum vinum, quia aqua ratione exiguitatis non potest dare denominationem. Contra. Quia licet se sola non possit denominare, potest tamen simul cum vino, cum simul cum ipso contineatur, & intret vt pars ad constituendum potum vsualem. Secundò. Potest aqua misceri in eadem quantitate cum vino, & tunc fit conuersio ex Innocentio III. *lib.*4. *de myster. Missæ cap.* 30. ergo.

Dices tertiò. Aquam prius conuerti in vinum miraculosè. Contra. Verba debent operari secundum suam significationem: sunt autem determinata secundum institutionem Christi, ad significandum totum, quod est in calice esse sanguinem Christi. Ergo possunt totum conuertere absque nouo miraculo.

50 Probatur tertiò. Nisi aqua verteretur immediatè in sanguinem, verba ex institutione Ecclesiæ proferrentur supra materiam incertam, quia incertum est, an aqua vertatur in vinum, & an tempore consecrationis sit conuersa, præsertim, quando vinum est ita debile, vt probabiliter non possit transmutare aquam, non potest autem forma proferri supra materiam incertam. Confirmatur. Ecclesia præcipit, vt misceatur aqua immediatè ante consecrationem, si ex obliuione omissa sit, non autem post consecrationem. Ergo signum est, quod misceatur, vt conuertenda in sanguinem.

51 Dices. Sufficere, si aliqua pars materiæ sit certa. Contra. Verba cadunt supra totum, quod significant, significant autem totum, quod est in calice ex institutione Christi.

52 Ad primum respond. Figuras Eucharistiæ adumbrasse vinum, quia vinum aqua mixtum censetur moraliter solum vinum. Ad secundum. Patres assignare vinũ pro materia, quia totum contentum in calice est moraliter vinum, vnde vt vidimus, quando distinctius loquuntur, assignant etiam aquam. Ad tertium. Aquam esse commateriam, quia miscetur ex institutione Christi, non sic autem gutta olei. Ad quartum negatur sequela. Quia non est materia principalis, sed tantum secundaria. Ad quintum. Etiam sub accidentibus aquæ conseruari sanguinem, quamdiu sunt permixta accidentibus vini, quando autem separarentur, desineret esse sub ipsis. Quia licet illæ species possent conseruare sub se substantiam aquæ, non sunt tamen materia debita sacramenti, quæ non est sola aqua. Corpus autem, & sanguis Christi remanet sub speciebus, quamdiu species sunt in tali statu, vt possent sub se conseruare substantiam, quæ est materia debita.

53 Instat Coquettus. Si species aquæ mixtæ speciebus vini congelarentur, non desineret esse sub ipsis sanguis. Ergo posset etiam remanere, si separarentur. Respondetur negando consequentiam. Quia dum sunt mixtæ, adhuc repræsentant potum vsualem, secus autem quando sunt separatæ.

54 Ad sextum negatur sequela. Quia non est materia primaria, sed secundaria. Peccata autem venialia sunt materia primaria, licet libera. Ad septimum. Negatur

gatur sequella. Quia materia secundaria quamuis immediatè versatur in sanguinem, non tamen se sola est consecrabilis, sed tantum simul cum primaria. Sic etiam obiectum secundarium non potest attingi vt tale, nisi simul cum primario, vt motiuo.

DE DETERMINATIONE, ET præsentia materiæ.

DISPVTATIO XCII.

Quæ quantitas requiratur, & an sit determinata.

SECTIO I.

1 Certum est, vt traditur, cum de Sacramentis in genere agitur, materiam debere esse determinatam secundum intentionem consecrantis, & hæc determinatio debet esse talis, vt possit materia sensibiliter designari; sufficit tamen si designatio sit virtualis, vt cum Sacerdos determinat consecrare omnes hostias, quas habebit præsentes, & ipso inscio aliquæ præsentes constituuntur. Quod autem spectat ad calicem debet consecrans habere intentionem consecrandi totam materiam consecrabilem, quæ est in calice, etiam guttas sparsas per ipsum, quia adhuc ipsæ integrant vnum calicem; non autem licet velle consecrare tantum materiam continuam; quia fieri potest, quod in assumptione prius assumatur aliqua ex guttulis discretis, & non consecratis, atque adeò frangatur ieiunium antequam assumatur sanguis. Difficultas autem est, an possit fieri consecratio in qualibet magna quantitate materiæ.

2 Prima sententia est affirmatiua, etiam si ratione magnitudinis non sit moraliter præsens. ita Vasquez 3. *par. disput.* 171. *cap.* 4. Probat. Maiorem connexionem habent partes, quæ sensibus non percipiuntur, cum illis, quæ percipiuntur, quam hostia cooperta linteo cum ipso linteo; hæc autem potest validè consecrari. ergò.

3 Secunda sententia. Posse validè consecrari quamlibet magnam quantitatem, si tamen habeat debitam præsentiam. ita D. Thom. 3. *par. quæst.* 64. *art.* 2. Caietanus, Nugnus, Coninch. Pesant. *ibidem.* Durandus *in* 4. *distin.* 11. *quæst.* 6. Sotus *distinc.* 9. *quæst.* 2. *art.* 1. Hurtad. *disput.* 1. *De Eucharist. difficul.* 18. & alij communiter. Probant. Materia secundum quamlibet quantitatem est consecrabilis, & verba sunt consecratiua, nec habent limitationem, nisi ex intentione consecrantis. Ergò secundo. Numerus fidelium, qui debent Eucharistiam sumere, est indeterminatus. Ergò materia non potest determinari ex fine vsus. Tertio. Possunt consecrationes secundum determinatam quantitatem iterari in infinitum plures, & plures: tunc autem manebit consecrata materia indeterminata secundum magnitudinem. Ergò tota hæc materia poterit consecrari etiam vnica consecratione, cum tota possit significari per verba, & verba non habeant maiorem vim, si plures proferantur, quam si semel proferantur.

4 Tertia sententia etiam quoad validitatem Sacramenti requirit determinatam quantitatem. ita Alensis 4. *par. quæst.* 34. *memb.* 2. D. Bonauent. *in* 4. *distinc.* 10. *art.* 2. *quæst.* 4. Maior. *distinc.* 11. *quæst.* 1. *conclus.* 1. Paludan. *ar.* 3. *conclus.* 1.

5 Dicendum est. *Quantum est ex vi validitatis Sacramenti non posse consecrari quamlibet magnam quantitatem.* Probatur. Verba non habent vim consecratiuam, nisi secundum intentionem Ecclesiæ, & Christi. Intentio autem Christi est prudens, & rationabilis, & ideò exigit, quod verba proferantur rationabiliter alioquin non proferrentur nomine Christi, non possunt autem proferri rationabiliter, nisi in ordine ad materiam rationabilem, quæ sit commensurata prudenti vsui. Ergò nisi sic proferantur, non fiet consecratio, quia non proferrentur nomine Christi.

6 Dices. Prudentem vsum verborum esse commissum fidelitati ministri. Contra. Minister est causa subordinata principali consecranti, qui est Christus, cum proferat verba nomine ipsius. Ergò verba dependent etiam ab intentione Christi, nec intentio ministri habet vim, nisi vt subordinata intentioni Christi; non est autem subordinata, nisi sit prudens.

7 Ad fundamen. primæ sententiæ negatur paritas. Quia hostia cooperta linteo est materia proportionata, & habet debitam præsentiam.

8 Ad primum secundæ sententiæ respondetur. Verba habere limitationem etiam ab intentione Christi, quia cum proferantur nomine ipsius, debent proferri secundum eiusdem intentionem, quæ cum sit prudens, limitantur tantum ad materiam prudenti modo consecrabilem. Ad secundum negatur Consequentia. Quia non requiritur præcisa determinatio, sed tantum moralis, ita vt tanta materia consecretur, quanta prudenter existimatur, quod possit consumi, & etiam fideles sunt moraliter determinati. Ad tertium. Consecrationes non posse validè in infinitum iterari, quando superest materia consecrata, quando enim perueniretur ad illam quantitatem, quæ excedet prudentem consecrationem, incipient consecrationes esse inualidæ, quia verba non proferrentur cum prudenti intentione, atque adeò nec nomine Christi.

An materia consecranda habeat tempus paruitatis.

SECTIO II.

9 Communiter docent, posse consecrari quamlibet minimam quantitatē, dummodo sit sensibilis. ita D. Tho. 3. *par. qu.* 74. *art.* 2. Caietanus, Coninch, Nugnus *ibidem.* Corneius *disput.* 2. *dub.* 2. Vasquez *disp.* 71. *cap.* 2. Suarez *disput.* 43. *de sacram. sect.* 7. & alij.

10 Dicendum est. *Materiam consecrandam non posse esse minimam, quamuis sit sensibilis; sed debere esse tantæ quantitatis, vt possit applicari per modum cibi, aut potus, alioquin non consecrabitur.* Probatur. Hoc Sacramentum est institutum à Christo sub ratione cibi, & potus. Ergo nisi materia sit tantá, vt tanquam signum sensibile sit applicabilis ad cibandum, non habet rationem materiæ, quia non est illud signum, quod est institutum à Christo. Confirmatur. Sacramentum nedum debet esse sensibile, sed etiam sensibili modo applicabile. Ergo materia, quæ non est talis, non est sufficiens. Confirmatur secundò. Si non esset applicabilis, non haberet significationem sacramentalem, quia hæc fundatur in ratione cibi; & ratio cibi non solum dicit substantiam cibatiuam; sed etiam quod possit deseruire ad cibandum; sine autem significatione sacramentali non habetur sacramentum.

11 Obijcies. Paruitas materiæ non variat essentialiter materiam. Ergo non facit, quod non possit consecrari. Respondetur. Non variare materiam quoad substantiam; variare tamen quoad rationem signi sensibilis, quia facit quod non sit illud signum sensibile, quod est institutum à Christo.

12 Obijcies secundo. Si ab hostia consecrata separetur aliqua minima particula, manet sub ipsa corpus Christi, sicuti etiam maneret forma panis, si hostia non esset consecrata. Ergò cum eadem materia, quæ sufficit ad factum esse, sufficiat etiam ad fieri, poterit minima particula consecrari. Respondetur

Si talis

Si talis minima particula ita separetur, vt tamen moraliter habeant rationem eiusdem cibi cum hostia, continere corpus Christi. Secus autem si non habeat rationem eiusdem cibi, quia tunc desinit esse illud signum sensibile, quod requiritur ad sacramentum. Et hoc modo intelligendum Concilium Tridentinum *sess.* 13. *& can.* 3. *de Eucharist.* dum definit sub qualibet parte separata manere corpus, & sanguinem Christi, intelligit enim de parte, quæ retinent rationem cibi partialis respectu totius, à quo pars separetur.

Quam præsentiam requirat materia consecranda.

SECTIO III.

13 DIco primò. *Requirere præsentiam sensibilem*. Ita communiter cum D. Tho. *in* 4. *distin.* 11. *quæst.* 2. *artic.* 1. Probatur. Verba consecrationis debent ita cadere supra materiam, vt verificentur, non possunt autem verificari ratione pronominis, *Hoc*, & *hic*, nisi materia sit presens sensibiliter, quia hæc pronomina sunt ostensiua præsentiali modo.

14 Dico secundò. *Hanc præsentiam importare talē phisicam indistantiam, quæ fundat moralem præsentiam*. Probatur. Pronomina ostensiua, *hoc*, & *hic*, significant moralem præsentiam, ergo vt possint adhiberi, debet adesse talis præsentia.

15 Dices. Potest cœcus consecrare, & tamen non habet materiam sensibiliter præsentem, cum non possit causare cognitionem ipsius. Ergo. Respondetur. Licet non possit mouere visum, posse tamen mouere alios sensus, & sic causare cognitionem sui ipsius.

16 Dices secundò. Possumus vti pronomine demōstratiuo ad aliquid demonstrandum, quod non sit præsens, vt cum quis de longè videns ciuitatem dicit, *Hæc est Ciuitas Romæ*, ergo. Respondetur. Hoc impropriè dici, nisi ciuitas sit moraliter præsens, debet enim propriè adhiberi pronomen *illud*, & dici: Illa est ciuitas Romę.

17 Dico tertiò. *Materiam debere esse in prospectu, vel per se immediatè, vel per aliud, quod sit ordinatum ad ipsum constituendam in prospectu*. Probatur. Moralis præsentia saluatur etiam per hoc, quod res ratione alterius constituatur in prospectu, ergo.

18 Ex his colligitur. Materiam, quam Sacerdos habet à tergo, non posse consecrari, vt docent communiter, quia quod est à tergo, non est in prospectu, ita vt sensibili modo possit demonstrari; sic neque materia, quæ est sub linteo, quia non est moraliter pręsens, inuoluta tamen linteo potest consecrari, quia tunc linteus se habet vt continens.

19 Colligitur secundò. Non posse certò definiri distantiam, qua non possit interuenire maior, quia cum hoc morale sit, est relinquendum iudicio prudentis viri. Non est tamen necesse, vt sonus verborum possit ad materiam peruenire; alioquin non posset consecrari etiam materia presens, quia possent verba adeò submisse proferri, vt non audiantur, vbi est materia.

DE CONNEXIONE VTRIVSque speciei.

DISPVTATIO XCIII.

An vtraque species sit de necessitate Sacramenti.

SECTIO I.

1 DIcendum est. *Non esse de necessitate Sacramenti, sed posse validè consecrari in vna tātum specie*. Ita communiter cum D. Tho. 3. *par. qu.* 78. *art.* 6. & desumitur ex cap. *Sanè* de *celebr. Missar.* Et ex Tridentino *sess.* 13. *can.* 4. vbi definit, quod statim post prolationē verborum est corpus Christi sub speciebus panis, vnde est de fide. Probatur. Christus prius consecrauit panem, quàm calicem, vt etiam fit de facto; at verba habent suum effectum statim, ac sunt prolata, alioquin non verificarentur. Ergo prius adest sacramentum sub vnica specie, atque adeo non dependet ab alia.

2 Dices. Vtramque speciem inuicem communicare in significatione sacramentali, quia constituunt vnicū conuiuium. Ergo cum hoc sacramentum sit per modum conuiuij, non potest consistere in vnica tantum specie. Respond. Non posse subsistere quoad rationem substantialem Sacramenti, & nego; quoad modum significationis adæquatum, & concedo.

3 Instabis. Consistit essentialiter in vtraque specie saltem quoadmodum significationis. Ergo non potest confici, nisi conficiatur etiam in alia. Respondetur negando consequentiam. Quia aliud est, quod non possit fieri Sacramentum quoad totalem modum significationis Sacramentalis: & aliud, quod non possit confici quoad substantiam sacramenti.

4 Dices secundò. Species panis est pars Sacramenti. Ergo sicuti in cæteris Sacramentis existente vna parte, & non alijs, non existit sacramentum; ita etiam in hoc. Respondetur negando paritatem. Quia in cęteris sacramentis non sunt partes integrales, sed essentiales: species autem panis est pars integralis, in qua tamen est tota essentia Sacramenti.

5 Dices tertiò. In extrema vnctione sunt plures formæ partiales, sicut in Eucharistiā. Et tamen non habetur effectus, nisi quousque ponatur vltima. Respondetur esse disparem rationem. Quia extrema vnctio consistit in actione, & ideo non habetur effectus, nisi actio sit completa. Sacramentum autem Eucharistiæ consistit in re permanenti, & in facto esse, & ideo ipsum habetur statim, ac habetur signum sensibile sanctificatiuum, quia tunc adest ratio refectiui spiritualis propria huius Sacramenti.

Ex quo præcepto debeat confici Eucharistia sub vtraq; specie.

SECTIO II.

6 DIcendum est. *Adesse præceptum diuinum de cōsecrando sub vtraque specie*. ita cōmuniter Suarez *disput.* 43. *de sacramen. sect.* 3. Vasquez *disput.* 223. *cap.* 3. Cum D. Tho. 3. *par. qu.* 74. *art.* 1. contra Adrianum, *in* 4. *quæstion.* 6. *de Eucharistia*, & nonnullos alios. Probatur. Factum Christi consecrandi sub vtraque specie coniungitur cum verbis præceptiuis, quando dixit Lucæ cap. 22. Hoc facite in meam commemoratio-

nem, vnde Concil. Trid. *seß.* 22. *cap.* 1. Colligit præceptum ex his verbis. Ergo. Confirmatur, Hoc Sacramentum non potest confici, nisi simul offeratur sacrificium, cum confectio sit essentialiter sacrificatio; & hoc sacrificium habetur ex præcepto diuino. Ergo etiam conficere sub vtraque specie, quia est sacrificium repræsentans sacrificium crucis cruentum, & ideo debet in ipso offerri corpus, & sanguis separatum.

7 Obijcitur. Christus. Lucæ 22. in Castello Emaus confecit sub vnica tantum specie panis. Respondetur. Hoc fecisse vt supremum Dominum, si tamen consecrauit; non autem vt nos instrueret, cum iam hoc præstiterit in vltima cœna.

8 Obijcitur secundò. Per vnicam tantum speciem fit commemoratio passionis Christi. Ergo sufficit. Resp. Non fieri commemorationem passionis Christi, prout dicit, sacrificium cruentum; debet autem fieri hæc commemoratio.

An possit Pontifex dispensare, vt in vna tantum specie conficiatur.

SECTIO III.

9 NOn est idem dispensare in lege, & declarare legem. Primum habet locum, quando certum est, legem manere in suo robore, & obligare eum, cui fit dispensatio. Secundum locum habet, quando obligatio legis est dubiam ob aliquam specialem circumstantiam, & tunc princeps declarat, quod ratione illius circumstantiæ lex non obliget.

10 Prima sententia est affirmatiua. Ita Gabriel *lect.* 53. *in Canon.* Maior *in* 4. *distinct.* 9. *qu.* 3. Palat. *distinct.* 11. *qu.* 3. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 13. Sanchez *de matrimonio*, *lib.* 8. *disp.* 6. *num.* 6. & alij. Probant Innocentius VIII. dispensauit cum Noruergijs, vt refert Volaterranus *lib.* 7. *Gergraphiæ*, *cap.* 4. Secundò. Si non potest dispensare in aliqua prouincia, vbi non esset vinum, non esset ibi verum sacrificium, atque adeo nec vera lex Christiana. Tertiò. Sacerdotes consecrantes tenentur sumere vtramque speciem ex iure diuino, & tamen qui ordinantur, non sumunt, licet consecrent. Quartò. De facto Pontifex dispensat in voto, cuius obligatio est de iure diuino. Quintò Actorum 27. Paulus consecrauit tantum panem, ergo.

11 Secunda sententia est negatiua, ita Sotus *in* 4. *dist.* 9. *qu.* 1. *art.* 1. Nugnus 3. *par. qu.* 74. *artic.* 1. Corneius *artic.* 2. *disp.* 1. *dub.* 3. Suarez *disp.* 43. *de sacram. sect.* 4. Vasquez *disp.* 223. *cap.* 3.

12 Dico primò. *Non posse Pontificem dispensare, vt conficiatur in vnica tantum specie.* Probatur. Non potest Pontifex dispensare in iure diuino, quia inferior nõ potest dispensare in lege superioris, vt decernitur ab Vrbano, & Zozimo Papa cap. *Sunt quædam*, & cap. *contra statuta* 25. *quæst.* 1. Ergo nec dispensare, vt conficiatur in vnica tantum specie.

13 Dices. Posse relaxare ex commissione superioris, & hanc commissionem fuisse datam Ecclesiæ. Contra Nullum adest fundamẽtum talis commissionis datæ; imò non potest facere, quod sacrificium non sit integrum, non esset autem integrum, si conficeretur in vnica tantum specie.

14 Dico secundò. *Probabile est, posse Pontificẽ interpretari hoc ius Diuinum, quod aliquando non obliget. Si tamen adsit sufficiens causa.* Probatur. Regimen Ecclesiæ pertinet ad Pontificem, vt caput illius. Ergo pertinet ad ipsum resoluere dubia etiam circa ius diuinum. Ergo si obligatio huius legis reddatur dubia, poterit declarare, quod non obliget.

15 Dices. Non esset bona interpretatio, quia mutaret institutionem diuinam. Contra: Quia eo ipso, quod est interpretatio, non mutat, sed declarat.

16 Dices secundò. Hoc præceptum se habere admodũ negatiui, in quo non habet locum interpretatio. Contra, Primariò est positiuum, quia præcipit aliquid faciendũ; & solum negatiuum secundario, quatenus ex præscriptione limitatur modus conficiendi. Ergo est capax declarationis.

17 Ad primum respondetur, Illam dispensationem non esse certam, vt communiter tenent, ea tamen supposita Pontifex non dispensauit, sed declarauit. Ad secundum. Nunquam in aliqua prouincia deficere omninò vinum, cum possit ibi deferri. Ad tertium. Hoc præceptũ sumendi sub vtraque specie obligare tantum principalẽ celebrãtem; non autem concelebrantes, vt sunt qui ordinantur. Ad quartum. Ius diuinum aliud esse absolutum, & in hoc non potest Pontifex dispensare, aliud autem fundatum in libertate humana, vt est obligatio voti, iuramenti, matrimonii, &c. Et in hoc potest Pontifex indirectè dispẽsare, quatenus versatur circa fundamentum humanum, in quo fundatur ius diuinum. Pontifex enim habet sibi subiectas obligationes humanas, & ideo potest ex rationabili causa illas auferre, vnde consequutiuè cessat ius diuinum, cum non sit absolutum, sed conditionatum. Ad 5. Illum panem, quem benedixit Apostolus, non fuisse Eucaristicum, sed communem ad explendam famem.

DE FORMA CONSECRATIONIS.

DISPVTATIO LXXXXIV.

Quibus verbis Christus consecrauerit.

SECTIO I.

1 SVpponendum est, Christum consecrationi præmisisse orationem, vt colligitur ex Euangelistis, in qua benedixit panem, & gratias egit Deo. Per hanc tamen orationem non consecrauit, vt communiter docent, & colligitur ex Concil. Trident. *seß.* 3. *cap.* 1.

2 Dicendum est. *Christum consecrasse proferendo illa verba, quibus vtitur Ecclesia, & quæ recensentur ab Euangelistis.* Ita communiter cum D. Tho. 3. *par. quæst.* 78. *ar.* 2. contra nonnullos, qui volunt, Christum consecrasse absque vlla prolatione verborum. Desumitur autem ex Patribus Iustino *Apolog.* 2. *pro Christianis in fin.* Tertull. *lib.* 4. *contra Marcion. cap.* 40. Eusebio Emiseno, vt refertur in cap. *Quam corpus. De consecr. dist.* 2. Chrisostomo *homil.* 60. *ad populum*. Probatur ex Trid. *seß.* 13. *cap.* 1. vbi habet. *Apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in vltima cæna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præberet, ac suum sãguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est.* Ergo cum Christus instituerit, quando protulit illa verba, consecrauit illa proferendo. Cõfir. *c.* 4. ex veritate verborum Christi colligit Cõcil. conuersionẽ panis, & vini in corpus & sanguinem Christi. Ergo cum conuersio fiat ex vi verborum, oportet, quod verba secundum institutionem sint consecratiua. Confirm. secundò. Christus instituens hoc sacramentũ iussit nos facere, quod ipse fecit. Ergo nõ conficeremus per verba, nisi per verba ipse confecisset.

2 Objicies. Christus prius benedixit panem, quã protulerit verba. Benedictio autem est consecratio. Ergo. Respondetur. Illam priorem benedictionem non fuisse consecratiuam, sed tantum præparatiuam.

3 Obijcitur secundò. Nisi Christus prius consecrasset, quam protulerit verba, non pronunciasset cum veritate, quia non significant aliquid fieri, sed iam factum esse. Respond. negando assumpt. Quia illa verba prolata sunt vt pra-

ut practica, ita vt ſignificando rem illam facerent; & quia conuerſio ſit in inſtanti, ideò ſignificatur in facto eſſe.

An ſola verba, quibus Chriſtus conſecrauit, modo ſufficiant.

SECTIO II.

4 NOn ſufficere verba, quibus Eccleſia Latina vtitur, tenent Græci Recentiores, aſſerentes, alia eſſe addenda per modum deprecationis, quibus petatur, vt panis, & vinum fiat corpus, & ſanguis Chriſti. Probant. Quia in Liturgijs S. Clementis, D. Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi ponuntur huiuſmodi verba deprecatiua, & vniuerſaliter adhibentur ab Eccleſia Græca; vnde etiam in Liturgia Latinorum ſimilia habentur. 2. Quia Patres docent conſecrationem fieri per preces, & inuocationem S. Spiritus.

5 Secunda ſententia. Fieri conſecrationem per ſola verba à Chriſto prolata. ita communiter Latini, & traditur à Suarez *diſput.* 58. *de Sacram. ſect.* 3. Vaſq. *diſp.* 147. *c.* 3. Bellarm. *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 14. Arcudio *lib.* 3. *cap.* 30. *& ſequentibus*.

6 Dico primo. *Conſecrationem non fieri per verba illa numero, quæ fuerunt à Chriſto prolata, & quibus ipſe confecit.* Eſt contra nonnullos Hæreticos Recentiores. Prob. Verba ſunt cauſa conſecrationis. Ergò non poſſunt verba, quæ Chriſtus protulit eſſe cauſa conſecrationis, quia quod non eſt, non poteſt cauſare. Confirmatur. Quando Chriſtus protulit illa verba direxit ad materiam præſentem, quam habebat præ manibus, nec poterant dirigi ad aliam materiam, quia alia materia non poterat demonſtrari pro nomine *hoc*, aut *hic*. Ergò non ſufficiunt pro conſecratione, quæ de facto fit, alioquin tunc fuiſſent falſa.

7 Dices. Verba eſſe cauſam moralem, & ideò poſſe cauſare, etiam ſi non exiſtat. Contra. Cauſatio requirit exiſtentiam cauſæ quocunque modo cauſet. ergò etiam ſi verba ſint cauſa moralis, debent actu exiſtere.

8 Obijcies. Pronomen *hoc* aliud demonſtrat in ore Sacerdotis; & aliud in ore Chriſti. Ergò Sacerdos non conſecrat verbis prolatis à ſe. Reſpond. Sacerdotem proferre verba in perſona Chriſti, & ideò eodem modo ſignificant in ore ipſius, ac ſignificauerunt in ore Chriſti, quod videlicet id, quod eſt præſens, ſit corpus Chriſti.

9 Obijcies ſecundo. Verba Chriſti applicantur à precibus Sacerdotis ad conſecrandum. Ergò. Reſpondetur. Non poſſe applicari; tum quia non exiſtunt; tum quia ratione ſuæ veritatis. ita ſunt determinatæ ad materiam, quæ erat præſens, vti non poſſit alteri cum veritate applicari.

10 Dico ſecundo. *Sola verba, quibus Chriſtus conſecrauit, etiam nunc ſufficiunt abſque alijs precibus, atque adeo fit conſecratio quando proferuntur.* Eſt de fide ex Concilio Florentino *in Decreto Eugenij*, & ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. & traditur communiter à Patribus, quorum plures refert Arcudius *citatus*. Probatur. Poſtquam Chriſtus confecit verbis illis, quæ protulit, ſubdidit, *Hoc facite, &c.* præfigens modum conſecrandi. Ergò voluit conſecrationem fieri illis verbis, quibus ipſe conſecrauit. Confirmatur. Niſi per verba Chriſti fieret conſecratio, ſed per ipſa, & preces ſubſequentes, ita vt preces complerent efficaciam, ſequeretur, quod verba Chriſti prolata à Sacerdote in nomine Chriſti, non proferrentur cum veritate, quia tunc quando verba profert, inde colligitur, eſſe corpus Chriſti, & non eſſet corpus Chriſti. ergò &c.

11 Dices. Chriſtum non dixiſſe. *Hoc dicite*, ſed *hoc facite*. Contra. Per illa verba præcepit, vt conſecrarent, quemadmodum ipſe conſecrauit, ita vt facerent, quicquid ipſe fecit. Ergò etiam præcepit, vt proferrent verba tanquam conſecratiua.

12 Ad primum reſpondetur. Ipſos Græcos in Concilio Florentino interrogatos ab Eugenio IV. reſpondiſſe, ſe nihil dubitare, quin verbis Chriſti fieret conſecratio; addere tamen illas preces ad implorandum nobis vtilitatem Sacramenti. Vnde ſenſus eſt, quod virtute Spiritus Sancti fiat nobis panis ille, & calix corpus, & ſanguis Chriſti, hoc eſt non vt ſit ſimpliciter corpus, & ſanguis Chriſti, ſed vt ſit corpus, & ſanguis Chriſti, hoc eſt in noſtram vtilitatem, & eundem ſenſum habent ſimilia verba, quæ ponuntur in Liturgijs Latinorum. Ad ſecundum Patres dicere, fieri conſecrationem per inuocationem Spiritus Sancti, intelligendo nomine inuocationis ipſa verba Chriſti, quæ ideò dicuntur inuocatio, quia erant terminus inuocationis, quam præmittebant ad inuocandum Spiritum Sanctum, vt patet in Liturgijs Chryſoſtomi, Baſilij, & aliorum.

An verba conſecrationis dicantur tantum recitatiuè.

SECTIO III.

13 ILlud dicitur recitatiuè tantum, quod tantum profertur, vt ab alio dictum; illud verò dicitur etiam ſignificatiuè, per quod intendimus aliquid affirmare, vel negare.

14 Prima ſententia vult proferri tantum recitatiuè. ita Durand. *in* 4. *diſt.* 8. *qu.* 2. *ad* 1. Maior. *ad* 2. Gabriel. *lect.* 48. *in canon.* Ocham. *quodlib.* 2. *qu.* 1. & alij. Probant. Ex modo, quo Sacerdos loquitur, conſtat eum referre, quod Chriſtus loquutus ſit; nec poteſt ſignificatiuè dicere, *Hoc eſt corpus meum.* Ergò. 2. Si dicerentur ſignificatiuè, forma calicis eſſet falſa, quia in ipſa dicitur, quod ſanguis effundetur, quod eſt falſum, cum ſit iam effuſus.

15 Secunda ſententia aſſerit, proferri ſimul recitatiuè, & ſignificatiuè. ita communiter cum D. Tho. 3. *p. qu.* 78. *ar.* 1. & Scoto *in* 4. *diſt.* 11. *qu.* 2.

16 Dicendum eſt. *Verba conſecrationis proferri a Sacerdote etiam ſignificatiuè.* Deſumitur ex Chryſoſtomo *homil.* 83. *in Matth.* & *homil.* 60. *ad populum*, Ambroſio *lib.* 8 *de Sacram. cap.* 4. Auguſtino *in pſalm.* 3. Emiſſeno *homil.* 5. *in paſcha.* Probatur. Ex Concil. Florent. *in Decreto Eugenij*. Sacerdos profert verba in perſona Chriſti. Ergò profert ſignificatiuè, quia in perſona Chriſti habent veram ſignificationem: nam ſignificant, quod ſignificabant, quando Chriſtus protulit. Confirmatur ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. Corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus ex vi verborum. Ergò verba habent efficaciam Sacramentalem terminatam formaliter ad corpus, non haberent autem ſi proferrentur tantum recitatiuè, quia efficacia Sacramentalis conſiſtit in ſignificatione.

17 Ad primum reſpondetur. Ex modo loquendi conſtare, quod proferat verba in perſona Chriſti, atque adeò quod ſignificatiuè loquatur, quia ea dirigit ad materiam, ſupra quam Chriſtus inſtituit proferenda eo modo, quo ipſe protulit. Ad ſecundum. Illa verba. *Qui pro vobis effundetur*, non dici à Sacerdote ſignificatiuè, ſed tantum recitatiuè ſecundum ſignificationem materialem, ſicuti etiam ſe habent verba antecedentia, *Accipite, & bibite*. Dicuntur tamen ſignificatiuè, ſecundum ſignificationem formaliter, quæ in eo conſiſtit, quod determinet ſanguinem Chriſti, vt infrà explicabimus.

An,

An, & quomodo verba consecrationis sint vera.

SECTIO IV.

18 Ratio dubitandi est. Quia quando proferuntur nondum est facta consecratio, atque adeò illud, quod ostenditur per pronomina *hoc*, & *hic*, non est corpus, & sanguis Christi, nam ratione particulæ est enuntiatur, quod de præsenti sit. Omissis varijs responsionibus.

19 Dicendum est. *Verba esse vera secundum primariam, & vsitatam significationem.* Probatur. Veritas propositionis fundatur in significatione, & significatio sicut adæquat totam propositionem, ita etiam consurgit ex omnibus vocibus propositionis. Ergò non habetur veritas, nisi quando vltimò completur significatio, & significatio tunc vltimò completur, quando profertur vltima syllaba determinatiua propositionis. Confirmatur. Propositio est quoddam totum constans ex partibus significatiuis. Ergò non debet attendi veritas ipsius, nisi quando existit per modum totius.

20 Dices. Quando vltimò completur propositio panis fit corpus Christi. Ergò adest tantum conuersio in fieri; propositio autem ratione verbi, *est*, enunciat factum esse. Respondetur. In vltimo instanti adesse conuersionem, quæ, quia instantanea est, potest enumerari in facto esse, quia in instantaneis non distinguuntur fieri, & factum esse.

21 Dices secundò. Dum Sacerdos profert verba, potest Deus impedire, ne in illo vltimo instanti fiat conuersio, sed paulo post; tunc autem verba non essent vera. Respondetur. Non posse impedire, quia Deus, & Christus non possunt mentiri. Mentiretur autem, si impediret, quia ex institutione ipsorum proferuntur in persona eiusdem Christi, & significant absolutè de præsenti.

22 Ad rationem dubitandi respondetur. Vt propositio significans de præsenti sit vera, sufficit si obiectum sit ipsi conforme, quando vltimò completur propositio, vt constat ex dictis.

An verba consecrationis ratione suæ veritatis conficiant Sacramenta.

SECTIO V.

23 Ratio dubitandi est. Quia si efficiunt ratione suæ veritatis, deberent prius natura esse vera, quam sit corpus Christi sub speciebus, quia causa est prior suo effectu; hoc autem implicat, quia non sunt conformia obiecto, quamdiu corpus Christi non est sub speciebus.

24 Dico primò. *Verba prius natura significare, atque adeo esse vera, quam fiat conuersio.* Probatur ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 3. vbi habetur, quod in hoc Sacramento quædam sunt ex vi verborum, & quædam per concomitantiam. Esse autem ex vi verborum est esse ex vi significationis.

25 Dico secundò. *Causare conuersionem ex vi suæ veritatis practicæ.* ita D. Thomas 3. *par. qu.* 78. *ar.* 5. *in corpore.* Probatur. Veritas practica est causa sui obiecti, atque adeò prior ipso. Ergò cùm veritas verborum consecrationis sit prior natura conuersione, potest ipsam efficere. Confirmatur. Causant conuersionem ratione suæ significationis efficiendo, quod significant. Ergò cum efficiant, quod significant, adest conformitas inter significationem, & rem significatam, atque adeò significatio est vera.

26 Dices cum Vasquez. Verba esse practica ratione significationis; non autem ratione veritatis, quia hæc consistit in conformitate ad rem significatam. Contra. Veritas practica vt talis non requirit aliam conformitatem cum obiecto, nisi quam causat, cum requirat conformitatem proportionatam suæ naturæ. Ergò cum sit causa obiecti, atque adeò communicatiua veritatis obiectiuæ, non requirit aliam conformitatem, nisi quam causat, vt patet etiam in veritate ideali. Confirmatur. Significatio, cum sit practica conformat sibi obiectum vt mensura illius. Ergo causat ratione veritatis practicæ, quia veritas practica est illa mensura, cui obiectum conformatur.

27 Ad rationem dubitandi. Respondetur. Propositionem practicam esse veram, non per conformitatem, quam accipiat ab obiecto, sed per conformitatem, quam in ipso causat, & quia est conformis causæ, & effectui, ideò veritas, vt se tenet ex parte propositionis est prior natura obiecto, vt verè se tenet ex parte obiecti, est posterior.

Quid demonstrent pronomina hoc, *&* hic.

SECTIO VI.

28 Haeretici, qui negant præsentiam realem corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, putant per hæc pronomina significari substantiam panis, & vini. Catholici autem varias afferunt explicationes, quibus omissis.

29 Dicendum est. *Pronomina hæc stare adiectiuè, nec aliquid demonstrare, nisi in fine prolationis verborum; tunc autem demonstrare corpus, & sanguinem secundum præsentiam Sacramentalem sub speciebus: initio autem propositionis habere suam significationem suspensam, atque adeò etiam demonstrationem.* ita Claudius Sainctes. *Repet.* 7. *de Eucharistia cap.* 7. Vasquez *disput.* 201. *cap.* 4. Hurtad. *disput.* 3. *difficul.* 10. Probatur. Forma consecrationis est propositio practica, de cuius ratione est, significare, quod causat: vnde cum causatio habeatur posita tantum completa significatione, & completa significatio positis tantum omnibus vocibus propositionis, priores voces non habent determinatam significationem, sed suspensam vsque in finem propositionis, atque adeò nec etiam demonstrationem.

30 Obijcies Concilium Trident. *sess.* 13. *cap.* 4. explicat pronomen substantiuè, dum inquit. *Quoniam autem Christus corpus suum illud, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit.* Respondetur. Concilium retulisse sententiam Christi, non autem verba, atque adeò vsum pro nomine in alio sensu, ac vsus est Christus.

31 Instabis. Tridentinum habet, quod Christus dixit id, quod continetur sub speciebus, esse corpus suum. Ergò pronomen demonstrat contentum sub accidentibus. Respondetur pronomen demonstrare, quid est, quod continetur sub accidentibus; quia tamen significatio ipsius non est absoluta, sed dependens à coniunctione cum significatione prædicati, nam significat vt pars propositionis, ideò non demonstrat, nisi quod continetur sub speciebus completa propositione.

32 Obijcies secundò. Sequeretur, Propositionem istam *Hoc est corpus meum*, esse identicam. Si pronomen hoc demonstraret corpus; nam sensus esset, *Corpus meum, est corpus meum.* Respondetur negando sequellam. Quia pronomen, quod stat pro subiecto non supponit pro corpore determinato, vt stat ex parte subiecti, sed tantum vt est in prædicato, & ideò ex parte subiecti stat tantum, vt signum demonstrationis suspensum adiectiuo modo se habens.

33 Obijcitur tertiò. Si sumeretur adiectiuè non demonstraret necessario substantiam, quia posset etiam demonstrari accidens, atque adeò non sequeretur esse sub speciebus corpus Christi, cum sit ex eo, quod demonstratur substantia. Respondetur. Ex vi pronominis præcisè non demonstrari substantiam, sed ex eo, quod coniungitur cum particula corpus.

34 Quæ-

34 Quæres. An si quis vteretur pronomine substantiuè conficeret. Respondetur. Affirmatiuè cum Vasq. & Hurtad. *citatis*, etiam in forma calicis, dicendo. *Hoc est calix*, nam adhuc maneret eadem significatio substantialis, & adhuc demonstraretur, quod est sub speciebus in fine prolationis verborum.

DE FORMA CONSECRATIONIS panis.

DISPVTATIO XCV.

Quæ verba sint essentialia consecrationis panis.

SECTIO I.

1 Dico primo. *Hæc quatuor verba*. Hoc est corpus meum, *esse essentialia*. ita communiter cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 78. *art.* 1. & est de fide ex communi sensu Ecclesiæ, & traditionis, & ex Concilio Florent. *in instructione Armenorum*, & traditur etiam communiter à Patribus. Probatur 1. Ad Corinth. 11. ponuntur hæc verba, vt verba Christi, ordinata ab ipso ad conficiendum hoc Sacramentum, & deinde subditur Christum dixisse, *Hoc facite, &c.* Ergò. Confirmatur. Hæc verba sufficienter significant corpus Christi sub speciebus, & si aliquid deest non significat. Ergò sunt sufficientia, & omnia essentialia.

2 Dico secundò. *Particulam*, enim, *non esse essentialem*. ita communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 78. *art.* 2. & desumitur ex cap. *Cum Marthæ*, De *celebrat. missar.* Probatur Euangelistæ, & Apostolus 1. Ad Corinth. 11. recensentes verba consecrationis, illam non ponunt; ponerent autem, si esset essentialis: alioquin non tradidissent veram formam consecrandi.

3 Dico tertio. *Particulam*, enim, *poni ex præcepto Ecclesiæ, ita vt grauiter peccaret, qui eam omitteret*. ita communiter. Probatur. Hæc particula ponitur ex præcepto Ecclesiæ, vt patet ex præscriptione Liturgiarum, & multum variat sensum orationis. Ergò si omittatur, fit contra præceptum Ecclesiæ in aliquo graui pertinente ad formam consecrationis.

4 Dices. In forma absolutionis, *Ego te absoluo*, potest omitti ly ego, quod tamen est magis essentiale, quam particula, *enim*. Ergò. Respondetur. Esse aliam rationem de forma absolutionis, quia circa ipsam non adest tam stricta præscriptio Ecclesiæ; imò vsus obtinet, quod particula, *ego*, plerumque omittatur.

5 Dices secundo. Hæc particula, *enim*, omittitur in quibusdam Liturgijs Græcorum. Ergò non est ex præcepto Ecclesiæ. Respondetur. Non esse ex præcepto Ecclesiæ apud Græcos; esse tamen apud Latinos.

6 Dices tertio. Particula, *enim*, ponitur à D. Matthæo in consecratione calicis, & credibile est, quod Christus illam protulerit, etiam dum consecrauit panem. Ergò est essentialis. Respondetur neg. Consequent. nam etiamsi posita fuerit à Christo, non tamen fit, quod sit essentialis, quia non confert ad significandam præsentiam corporis Christi sub speciebus, sed tantum ad continuandam orationem.

7 Dico quarto. *Verba illa, quæ addunt Græci post corpus meum, nempè, quod pro vobis tradetur, non esse de essentia formæ*. Est de fide ex vsu Ecclesiæ Latinæ: quam de fide est, habere verum Sacramentum Eucharistiæ ex cap. *Ad abolendam*. De *Hæreticis*. Probatur Matthæus, & Marcus non referunt huiusmodi verba, sed tantum illa, *Hoc est corpus meum*, retulissent autem, si fuissent de essentia, quia scripserunt Euangelium ad instruendam Ecclesiam. Ratio autem est. Quia non sunt necessaria ad saluandam significationem, qua significetur præsentia corporis Christi sub speciebus.

8 Dico quinto. *Verba, quæ antecedunt, Hoc est corpus meum, non esse de essentia*. Probatur. Christus, dum consecrauit, non protulit omnia ista verba; & licet dixerit *Accipite, & comedite*, non tamen protulit vt verba consecratiua, vnde Lucas, ea omittit. Ergò. Confirmatur. Verba ista, quę antecedunt, non significant effectum verborum, quia effectus verborum est præsentia Sacramentalis corporis Christi sub speciebus, quæ non significatur per dicta verba. Sola autem illa verba sunt essentialia, quæ important hanc significationem.

9 Obijcies ex Ambrosio *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 4. vbi docet, verbis Christi fieri consecrationem; & deinde docens, quænam sint verba Christi, ait, illa esse verba Christi, *Accipite, &c.* Respondetur D. Ambrosium duo docere, & quod consecratio fiat verbis Christi; & postea quænam sint verba Christi: non tamen vult, quod omnia verba Christi sint consecratiua.

10 Quæres. An si pronomen *hoc* mutaretur in pronomen *hic*, conficeretur. Respondetur affirmatiuè. Quia non mutatur sensus quo ad significationem substantialem, potest enim pronomen *hic*, sumi substantiuè, vel etiam adiectiuè subintelligendo cibus; vnde etiam validè posset dici. *Hoc est corpus meum*, subintelligendo hæc res, qui tamen sic mutaret formam, grauiter peccaret.

An aliqua alia verba sint alio pacto necessaria.

SECTIO II.

11 Prima sententia est negatiua. ita Durandus. *in* 4. *dist.* 8. *qu.* 2. Richard. *ar.* 3. *quæst.* 1. Caietanus 3. *par. qu.* 78. *ar.* 1. Nugnus *difficul.* Comeius *ar.* 2. Vasq. *disput.* 198. *cap.* 2. Suarez *disput.* 69. *sect.* 1. Hurtad. *disputat.* 3. *de Eucharist. difficult.* 4. Probant. Quia, Patres dicunt, consecrationem fieri solis verbis Christi.

12 Secunda sententia asserit, esse necessaria verba illa. *Qui pridie quam pateretur, &c.* ita Scotus *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. Angelus *in sum. verbo*. Eucharistia, *nu.* 24.

13 Dico primo. *Prædicta verba non requiri, vt effectiua consecrationis, neque vt verba, quæ consecratiua sunt, absolutè proferantur in persona Christi*. Probatur. Non sunt significatiua consecrationis; & cum verba significent secundum intentionem proferentis, determinantur ab ipso, vt significent in persona Christi. ergò.

14 Dico secundo. *Illa verba aut similia esse necessaria, vt verba illa consecratiua*. Hoc est corpus meum *secundum esse sensibile sient in persona Christi, vnde ab intentione determinantur, vt secundum significationem sient in persona Christi; per antecedentia autem verba, vt etiam sensibili modo sint in persona Christi*. Probatur. Verba antecedentia faciunt, quod Sacerdos sensibiliter induat in loquendo personam Christi. Ergò determinant sensibiliter verba consecrationis, vt proferantur in persona Christi.

15 Dices. Ex alijs circumstantijs temporis loci, &c: colligi sensibiliter, quod loquatur in persona Christi. Contra. Hæ circumstantiæ non determinant per se, sed tantum per accidens; quia non sunt in genere loquutionis. Verba autem debent esse per se determinata in genere loquutionis, vt sient in persona Christi.

16 Dico tertio. *Ad conficiendum hoc Sacramentum non sufficere verba consecratiua, sed requiri etiam verba, quibus in esse sensibili determinentur, vt sient in persona Christi, tanquam rationem applicantem ad consecran*

crandum verba Christi. Probatur. Verba Christi prolata à Sacerdote sunt indifferentia ad consecrandum, & non consecrandũ. Ergò requiruntur aliqua præcedentia verba, quibus determinentur ad significãdum in persona Christi, cũ tamẽ sint cõsecratiua, vt prolata in persona ipsius.

17 Dices. Determinari per intentionem in genere loquutionis, quia est determinatiua loquutionis. Contra. Intentio determinat loquutionem tantum mentaliter, non autem secundum sensibilem significationem; verba autem consecratiua, quia sunt Sacramentalia, debent esse determinata Sacramentali modo, atque adeò sensibiliter.

18 Obijcies. In verbis aliorum Sacramentorum, non requiritur ista determinatio. Ergò. Respondetur. Non requiri, quia non proferuntur in persona Christi. Instabis. Angelus loquebatur in persona Christi. *Ego sum Deus. Ego sum, qui sum*. Et tamen non præcedebant alia verba determinatiua loquutionis. Ergò. Respondetur. Illa verba fuisse determinata ex se ipsis, ita vt non possent non proferri in persona Dei, verba autem consecratiua sunt indeterminata.

19 Obijcies secundo. Sacerdos non consecraret panem, quem habet præsentem, quia illa verba, *Qui pridie, &c.* referuntur ad panem, quem Christus habebat in manibus: vnde, etiam verba consecratiua referrentur ad eundem panem. Respondetur negando sequellam. Quia licet verba antecedentia referantur ad panem, quem Christus habebat præsentem, non tamen facit, quod referatur ly *Hoc est corpus meum*. nam ratione demonstrationis non potest referri, nisi ad panem præsentem.

20 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur. Patres loqui de verbis consecratiuis, non autem de determinatiuis.

DE FORMA CONSECRATIONIS calicis.

DISPVTATIO XCVI.

An sola verba illa. Hic est calix sanguinis mei *sint essentialia*.

SECTIO I.

1 Certum est de fide ex traditione, & communi consensu Ecclesiæ verba ista, *Hic est calix sanguinis mei*, esse essentialia cum omnia sint necessaria ad significandum sanguinem Christi sub speciebus. Vnde difficultas est de verbis subsequentibus.

2 Prima sententia asserit, hæc sola esse de essentia, & sufficere ad consecrationem. Ita Scotus *in 4. distinc.* 8. *qu.*2. Durand. *ibidem*. Maior. *quæst. vnica*, Marsil. *qu.*6. *ar.*1. Caietanus 3. *par. qu.*78. *art.*3. Pesantius *art.* 1. *disp.*1. Coninch. *dub.* 2. Vasquez *disput.* 198. *cap.*3. Suar. *disp.*6. *de Sacramen. sect.* 1. Hurtad. *disput.* 3. *de Euchar. diffic.*6. & alij. Probant. Patres assignant tantum ista verba, quando assignant verba consecratiua. Ergò 2. Hæc verba sufficienter significant conuersionem vini in sanguinem. Ergò sola sunt essentialia, cum illa sint tantum essentialia, quæ significant conuersionem. 3. Per illa verba sola fit consecratio, quæ proferuntur in persona Christi ex Concilio Florent. *in Decreto Fidei*. Hæc autem sola proferuntur.

2 Secunda sententia asserit, non sufficere, sed requiri etiam verba subsequentia. ita Capreolus *in* 4. *dist.*8. *q.*1. *ar.*1. Richard. *ar.*3. *quæst.*2. Paludan. *quæst.*3. Corneius 3. *par. qu.*78. *ar.*3. *dub.*1. & communiter Thomistæ.

3 Dicendum est. *Hæc verba*: Hic est calix sanguinis mei, *licet sufficienter significent conuersionem vini in sanguinem Christi, non tamen sufficere pro forma consecrationis, sed requiri alia verba, quibus determinentur ad significandum sanguinem Christi, prout est in hoc Sacramento*. Prima pars patet. Quia illa verba dicunt proportionaliter illam significationem, quam important verba consecrationis panis. Probatur secunda pars. Ideò non essent de essentia alia verba subsequentia, quia non traduntur omnia ab Euangelistis, qui debuerunt tradere omnia verba necessaria, cum instruxerint pro conficiendo hoc Sacramento, sed omnes Euangelistæ, & etiam Apostolus 1. Ad Corinth. 11. præter illa verba ponunt etiam alia, in quibus implicitè continentur omnia, quæ ponuntur ab Ecclesiâ. ergò.

4 Dices. Hinc sequi, quod non omnia sint de essentia, quia si omnia essent de essentia, deberent poni explicitè. Contra. Ex hoc sequitur tantum, quod sint necessaria aliqua verba, quibus præcedentia determinentur: nam omnes Euangelistæ aliqua huiusmodi ponunt.

5 Dices secundo. Cum alius alia ponat, sequi, quod neque hæc, neque illa sint necessaria, atque adeò nulla. Contra. Non licet arguere à disiunctiuo ad copulatum, quando in copulato adest aliqua specialis ratio; in casu autem nostro adest specialis ratio in copulato; nam ex ablatione ipsius aufertur determinatio præcedentium verborum, quæ non aufertur ablatis his, vel illis verbis.

6 Probatur secundo. Illa verba sunt necessaria ad consecrationem, quæ sunt necessaria ad fundandam debitam significationem, & illa est debita, & necessaria significatio, quæ necessaria est, vt adæquet significatum, quod ponitur ex vi verborum, sed sub speciebus vini non ponitur quomodocunque sanguis Christi, sed vt ordinatus ad redemptionem per modum sacrificij repræsentantis cruentum sacrificium. Ergò debent verba vt tale ipsum significare.

7 Dices. Neque corpus quomodocunque ponitur sub speciebus, sed vt oblatum pro redemptione, & tamen in forma consecrationis non est opus, quod hoc exprimatur. Respondetur. Corpus Christi non ordinari ad redemptionem, nisi mediante morte, atque adeò effusione sanguinis, & ideo sufficit, quod ista determinatio significetur in repræsentatione separationis sanguinis à corpore, cum ex hoc sequatur mors; & ideò ex traditione Ecclesiæ iuxta institutionem Christi talis determinatio ponitur tantum in consecratione calicis.

8 Dices secundò. Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.*4. habet. Ex eo, quod Christus dixit, esse sanguinem suum, quod continetur sub specie vini, debet verè sub ipsis esse sanguis Christi. Ergò sanguis Christi est sub speciebus, ex vi illorum tantum verborum, quibus dicitur, quod est præsens esse sanguinem Christi. Respondetur. Tridentinum inferre præsentiam sanguinis Christi ex veritate verborum, & ideò non ponit verba Christi necessaria, sed tantum substantialem significationem.

9 Ad primum respondetur. Patres non intendere præscribere formam consecrandi, sed tantum ostendere, quod verba habeant vim cõuertendi vinum in sanguinem Christi, & ideò posuisse tantum verba, quæ seruant substantiam significationis. Ad secundum. Illa verba non significare conuersionem cum illa determinatione, quam habet sanguis Christi sub speciebus: & ideò sunt necessaria alia, quæ ipsam importent. Ad tertium. Non solum illa verba, sed etiam subsequentia proferri in persona Christi. Dicitur autem, *effundetur*, non autem effusus est, quia debet significari sanguis, prout fuit à Christo ordinatus ad salutem.

10 Quæres. An sit valida consecratio, si quis diceret, *Hic est sanguis meus*. Respon. communiter esse validam. vnde etiã neq; Marcus, neq; Mattheus ponũt verbũ *calix*. similiter etiã esset valida, si quis diceret, vt est apud Lucam *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*.

Quanam

Quænam verba sint essentialia huic formæ.

SECTIO II.

11 AVctores posterioris sententiæ *sectione præc.* ablati docent, omnia esse essentialia.

Dico primo. *Non esse necessaria explicitè omnia verba, quibus vtitur Ecclesia latina ad validitatem Sacramenti.* Probatur. Sequeretur si essent necessaria, quod Euangelistæ non tradidissent formam sufficientem.

12 Dices. Euangelistas non intendisse tradere veras formas, sed tantum narrare historiam. Contra. Scripserunt Euangelia pro instructione Ecclesiæ. Ergò debuerunt tradere veras formas. Confirmatur. Absque eo, quod ponantur explicitè omnia ista verba, habetur sufficiens determinatio necessaria ex parte prædicati; imò aliqua verba continentur implicitè in cæteris. Ergò.

13 Dico secundò. *Omnia verba esse necessaria, vel implicitè, vel explicitè, ita vt quoties explicitè ponuntur, concurrant, vt essentialia, sicut quando ponitur particula. Ego in forma baptismi concurrit vt essentialis.* Probatur. Eo ipso, quod concurrunt aliqua explicitè concurrunt etiam, quæ implicitè se habent, nam concurrunt secundum suam significationem, secundum quam important implicitè etiam alia verba. Ergo quando ponuntur explicitè, concurrunt vt essentialia, quia concurrunt vt requisita ex vi significationis formæ, & vt communicantia in eadem significatione substantiali cum cæteris.

14 Dices Concilium Florentinum in forma consecrationis vini ponit omnia verba, quibus vtitur Ecclesia Latina, & præcipit Armenis, vt ijs omnibus vtantur. Respondetur. Id fecisse, quia voluit, quod omnia verba necessaria explicitè ponerentur.

15 Ex his colligitur. Posse validè consecrari, si omittantur illa verba, quæ in alijs continentur, sic ly *pro vobis* continetur in particula pro multis, ly *Effundetur* continetur in particula *noui testamenti*, qui tamen omitteret grauiter peccaret.

16 Quæres. Quid significet ly *noui, & æterni testamenti.* Respondetur. Significare, quod per sanguinem Christi sit confirmata lex Euangelica, & promissio hæreditatis æternæ, iuxta illud. Ad Hebræos 9. *Ideò noui testamenti mediator est, vbi enim testamentum est mors necesse est intercedat testatoris.*

17 Quæres secundò. Quid significet ly *mysterium fidei.* Respondetur. Sanguinem Christi dici mysterium fidei, quatenus repræsentat passionem Christi, in qua continetur mysterium nostræ fidei, quia non potest credi, nisi simul omnia alia mysteria credamus.

18 Quæres tertiò. Quid significet ly, *Pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Respondetur. Significare efficaciam passionis Christi, quæ non ad omnes, pro quibus mortuus est, sed tantum ad multos extenditur.

DE PRÆSENTIA CORPORIS, & Sanguinis Christi.

DISPVTATIO XCVII.

An Christus sit realiter præsens sub speciebus.

SECTIO I.

1 DIcendum est. *Corpus Christi esse verè, & substantialiter præsens in Eucharistia sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini.* ita communiter Catholici contra Hæreticos, præsertim Caluinistas. Et est de fide definitum in Concilio Alexandrino *epist. ad Nestorium approbata in Concilio Ephesino to. 1. cap.* 14. Et in Concilio Romano *sub Nicolao II.* & in Lateranensi *sub Innocentio III.* & in Viennensi *sub Clemente V.* & in Tridentino *sess.* 13. *can.* 1. & desumitur ex Patribus, Ignatio *epist. ad Roman.* Dionysio *de Ecclesiastica Hierarchia cap.* 3. *par.* 3. Clemente Romano *libr.* 8. *Constitutionum cap.* 24. Iustino Martyre *Apologio* 2. *ad Antonium Imperatorem in fine* Irenæo *lib.* 4. *contra Hæreses cap.* 34. Cypriano *serm.* 5. *de Laicis.* Athanasio *lib. de imagine Saluatoris, cap. vltimo, & oratione de fide.* Hilario *lib.* 8. *de Trinit.* Ambrosio *lib.* 4. *de Sacram. c.* 4. Gregorio Nazianzeno *orat.* 2. *de paschate.* Chrysostomo *hom.* 51. *in Matthæum,* & *homil.* 83. & *hom. ad Neophitos* Augustino *lib.* 2. *contra Aduersarios legis,* & *serm.* 2. *de verbis Apostoli.* Cyrillo Alexandrino *lib.* 10. *in Ioan. cap.* 13. & *epist. ad Nestorium.*

2 Probatur. Ioannis 8. *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Item. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Hæc autem non possunt verificari, nisi Christus sit realiter præsens sub speciebus panis, & vini, vt explicant communiter Patres (Ciprian. *sermone de cœna Domini.* Hilarius *lib* 8. *de Trinitate.* Chrysostomus *homil.* 45. *in Ioann.* Ambrosius *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 5. Augustinus *libr.* 1. *de peccatorum meritis capit.* 24. Hieron. *epistola* 150. *quæst.* 2. Leo 1. *sermon.* 6. *de ieiunio septimi mensis.* Synodus *action.* 6. Concilium Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. Et in hoc etiam sensu verba Christi accepta sunt à Iudæis, qui proinde scandalizati sunt, & multi ex discipulis abierunt: nec Christus retractauit, quod dixerat, sed potius confirmauit.

3 Confirmatur. Christus instituens hoc sacramentum, & tradens nobis formam conficiendi; dixit Luc. 22. *Hoc est corpus meum,* & porrigens calicem Matthæi 26. *Hic est sanguis meus noui testamenti.* Ergo cum Christus nõ possit mentiri, Et verba ista nunc in consecratione proferantur in persona Christi, oportet vt sub speciebus panis sit corpus, & sub speciebus vini sit sanguis Christi, vt arguit Concilium Trid. *sess.* 13. *cap.* 4.

4 Respondent Hæretici. Ista verba non esse propriè accipienda, sed metaphoricè, & repræsentatiuè. Contra. Patres communiter intelligunt in sensu proprio. ita Ambros. *lib.* 4. *de Sacramen. cap.* 5. Augustinus *concione* 1. *in psal.* 33. Irenæus *lib.* 5. *contra hæreses cap.* 2. Imò etiam Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 11. 2. Verba Scripturæ sunt propriè accipienda, quando non sequitur aliquod absurdum iuxta regulam D. August. *lib.* 3. *de doctrina Christiana, cap.* 10. 3. Institutio Eucharistiæ fuit institutio Sacramenti. Ergò fuit facta per verba propria, quia erat postea exercenda iuxtà verba instituentis.

5 Obij-

5 Obijcitur primò. Ad Corinth. 11. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*. Calix autem accipitur tropicè, nempè contentum pro re contenta. Ergò etiam cætera verba. Respondetur neg. Conseq. Quia vsus obtinuit, vt nomine calicis significetur contentum, & proinde tanquam vulgaris significatio est clara.

6 Obijcitur secundo. Ex D. Augustino. *lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Facinus, vel flagitium videtur iubere. Figura ergò est, præcipiens passionibus Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata est*. Respondetur. Loqui de communicatione in passionibus Christi, quæ fit in Eucharistia, vt habetur 1. Ad Corinth. cap. 12. Vnde vult, quod Christus dixerit, corpus suum esse manducandum, non cruentè per occisionem, sed incruentè, & sacramentaliter, quomodo loquitur etiam D. Bernardus. *sermon. 3. in psalm. Qui habitat*.

7 Obijcitur tertiò. Ex eodem Augustino *lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 20. & libr. 3. cap. 4. & libr. 1. contra Iulianum cap. 4. & epistol. 106.* vbi vult illa verba, *Nisi manducaueritis, &c.* intelligi etiam de paruulis, quibus cum non sit necessarium Sacramentum Eucharistiæ, non possunt accipi de reali manducatione. Respondetur D. Augustinum arguere contra Hæreticos, qui volebant, posse aliquos saluari sine baptismo mediante Eucharistia. Ita autem arguit. Non potest quis habere vitam, nisi manducet carnem filij hominis. Ergò cum non possit manducare, nisi per baptismum illi aperiatur ianua Ecclesiæ, non potest saluari, & habere vitam sine baptismo. Loco autem allegato contra Iulianum solum habet, quod Christus sit Saluator omnium, & nisi ab illo redimantur peribunt, quia sine carne eius, & sanguine hoc est sine incarnatione, & passione non possunt vitam habere; Nihil autem habet de Eucharistia.

8 Obijcitur quartò. Ex D. Hieronymo *in magnis Commentarijs in epistolam 1. ad Ephesios*, in illud *In quo habemus redemptionem*, vbi ait, *Dupliciter verò sanguis Christi, & caro intelligitur, vel spiritualis illa, atque Diuina, de qua ipse dixit, caro mea verè est cibus, &c. vel caro, & sanguis Christi, quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea*. Ergò corpus Christi, & sanguis non sunt realiter in Eucharistia, sed spiritualiter, & significatiuè. Respond. neg. Consequent. Quia per carnem Christi spiritualem intelligit corpus Christi secundum modum existendi sacramentalem, in quo habet rationem cibi spiritualis. Vnde subdit dici spiritualem, quia habet annexum verbum viuificans, & quia secundum se spirituali modo manducatur, & tantum corporaliter, & sensibiliter ratione specierum, & eodem modo intelligendi sunt alij Patres, præsertim Clemens Alexandrinus *libr. 2. Pedagogiæ, cap. 2.*

9 Obijcitur quintò. Ex Epistol. 1. Ad Corinth. *cap. 10.* Patres veteris testamenti manducauerunt nobiscum eandem escam spiritualem, nempè manna. ergò cum hæc fuerit tantum figura corporis Christi, nos quoque solum in figura manducamus corpus Christi. Respondetur manducasse eandem escam non realiter, sed secundum significationem, quia manna significabat corpus Christi.

10 Obijcitur sexto. Cum Christus dixisset. *Caro mea, verè est cibus*, & Iudæi scandalizati fuissent, subdidit. *Spiritus est, qui viuificat. Caro autem non prodest quidquam; verba, quæ ego loquutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*. Ergò loquitur de cibo spirituali, & in figura. Respond. neg. Conseq. Quia id dicit, vt ostenderet verba sua esse accipienda iuxta dictamen Spiritus, vt tolleret falsam imaginationem, carnem Christi esse manducandam sicut alias carnes ad nutriendum corpus, non autem sacramentaliter pro nutritione animæ.

An implicet corpus Christi esse simul in cælo, & in Eucharistia.

SECTIO II.

11 Dicendum est. *Idem corpus posse esse simul in pluribus locis, & ideò ex hoc capite non repugnare præsentiam corporis Christi in Eucharistia*. ita communiter Patres contra Hæreticos. Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdotio initio*. Basilius *in Liturg.* Gregorius Nissænus *orat. de Paschate*, & alij. Et tradunt communiter Scholastici cum D. Thom. *3. par. qu. 75. ar. 1.* Probatur. Christus post ascensionem nunquam abfuit à cælo, psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, hoc est vsque ad finem mundi, vt explicatur 1. Ad Corinth. *cap. 15.* & tamen est visus in terra, nam apparuit Paulo Apostolo 1. Ad Corinth. *cap. 15.* vbi cum dixisset Apostolus, Christum apparuisse Apostolis, subdit. *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est, & mihi*. Loquitur autem de apparitione reali, & non phantastica; vt obseruat Chrysostomus *homil. 83. in epist. 1. ad Corinth.* quia vtitur ad probandam resurrectionem, non probaret autem, si loqueretur de apparitione phantastica; non probat ex reali resurrectione Christi. Et de tali apparitione fit etiam mentio Actor. 22. & 23. Ergo cum de facto Christus simul fuerit in cœlo, & in terra, dicendum est, hoc non implicare. Confirmatur. Causa potest in quocunque loco, vbi est, producere suum effectum, quem continet, & si sit libera, potest producere in extremis, non producendo in medio. Deus autem est vbique, & totus in qualibet parte, cui correspondet secundum suam virtutem, atque adeò virtus ipsius, vt continet hunc numero effectum. Ergo cum possit producere hunc numero effectum in hac parte loci, poterit etiam hunc ipsum numero producere in alio simul, nam potest, vbi est.

12 Dices. Sequeretur, quod idē diuideretur à se ipso. Respond. negand. sequell. Quia ex eo, quod idem producatur in diuersis locis, sequitur tantum, quod idem pluries producatur, quod non est diuidi à se ipso, sed replicari.

13 Dicendum secundò. *Non implicare, quod corpus existat sine sua extensione quantitatiua. Vnde nec ex hoc capite repugnat præsentia corporis Christi in Eucharistia*. Probatur. Substantia corporis, & veritas ipsius est prior extensione locali, vt patet in rarefactione, condensatione, figura, in quibus fit mutatio extensionis, nō variata substantia. Omne autē prius potest esse sine posteriori.

14 Dices. Posse esse sine hac vel illa extensione, non autem sine omni, quia non potest esse sine suis partibus entitatiuis. Contra. Extensio localis non dicit præcisè partes, sed insuper quod vna sit extra aliam in ordine ad locum, cui commensurantur: possunt autem partes ita inter se communicare in ordine ad locum, vt vna non sit extra aliam.

15 Obijcitur. Corpus circumscribitur à loco. Ergò potest esse tantum in vno loco. Respondetur. Circumscribi positiuè, non autem cum negatione essendi alibi, & ideò potest supernaturaliter esse in alio loco.

16 Obijcitur 2. Si posset esse in pluribus locis, posset etiam esse in alijs, & alijs in infinitum. Ergò haberet vbiquitatem. Respon. neg. Conseq. Quia vbiquitas dicit esse præsens omnibus locis ex vi proprij esse, & per essentiam, non autem per replicationem eiusdem esse.

17 Obijcitur 3. Vel Christus habet suas dimensiones quantitatiuas, & tunc non potest esse sub parua specie panis, vel non habet; & tunc non est in Eucharistia veritas corporis Christi. Respondetur. Habere dimensiones quantitatiuas in ordine ad se; non autem in ordine ad locum. Primo modo dicunt, quod in corpore

pore sint partes ordinatæ ad inuicem in ordine ad constitutionem corporis, & hoc sufficit ad saluandam veritatem corporis Christi. Secundo modo dicunt, quod partes sint localiter extensæ, hinc in corpore Christi vna pars non distat ab alia localiter, sed solum distantia ordinis, quæ est extensio radicalis. Ex uoc autem fit, quod corpus Christi non possit dici maius, aut minus respectu quanti extensi, quia maius & minus dicitur secundum quantitatem extensam.

18 Obijcitur quartò. Idem corpus non potest esse simul in diuersis temporibus. Ergo nec in diuersis locis. Respondetur. Quicquid sit de anteced. Nam fortè supposita præsentia verum in æternitate, idem potest esse simul in diuersis temporibus, negatur Conseq. Quia est diuersa ratio; nam partes temporis non existunt simul, partes autem loci simul existunt.

19 Obijcitur quintò. Matthæi vltimo. *Iesum, qui crucifixus est quæritis? Non est hic, surrexit enim.* Hæc autem illatio non valeret, si idem corpus posset esse in diuersis locis. Respondetur negando minorem. Nam ex resurrectione, atque adeò ex egressu sepulchri infertur, quod non esset in ipso, sicuti putabant mulieres.

20 Obijcitur sextò. Ex D. August. Epistol. 57. *Spatia locorum tolle à corporibus, & nusquam erunt; & quia nusquam erunt, neque erunt.* Ergo implicat corpus posse existere alicubi sine dimensionibus localibus. Respondetur negand. Consequen. Quia D. August. loquitur de corporibus quoad aptitudinem essendi in loco, quæ non potest ab ipsis separari; comparat enim Deum cum corporibus, & vult, quod Deus non contineatur loco, atque adeo ab ipso non dependeat, sed sit sibi ipsi præsens. Corpora verò contineri loco saltim aptitudine, atque adeò ab ipso dependere. Vnde si locus esset impossibilis, essent etiam impossibilia corpora.

21 Obijcitur septimò. Numerus quaternarius non potest separari à suo modo quaternario, ita vt existat per modum vnitatis. Ergo nec quantitas à suo modo quantitatiuo, ita vt existat indiuisibiliter. Respondetur negando Consequentiam. Quia modus quaternarij est intrinsecum constitutiuum numeri quaternarij, modus autem extensionis non est intrinsecum constitutiuum quantitatis.

An corpus Christi sit permanenter in Eucharistia.

SECTIO III.

22 Dicendum est. *Christum esse permanenter præsentem in hoc Sacramento.* Ita communiter Catholici contra Hæreticos præsertim Lutheranos, qui volunt, quod tantum sit præsens, quando sumitur Eucharistia, non quidem præsentia reali, sed præsentia fundata in fide sumentis. Desumitur autem in Concilio Tridentino *sess.* 13. *cap.* 3. & *Canon.* 4. & 6. & desumitur etiam ex continua praxi Ecclesiæ seruandi, & adorandi Eucharistiam, vt habetur in Concilio Niceno *cap.* 12. & 13. & Concilio Lateranensi *sub Innocentio Tertio, cap.* 19. & 20. Clemente Papa *libr.* 8. *Constit. Apostolic. cap.* 20.

23 Probatur. Christus absolutè dixit de præsenti, *Hoc est corpus meum:* non autem de futuro *erit*, nec apposuit conditionem, si sumatur. Ergò cum ex his verbis colligatur præsentia corporis Christi, debet colligi præsentia permanens. Alioquin verba Christi non essent vera, cum de præsenti enuntient esse Corpus Christi, & ita arguit Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 3. Confirmatur. Postquam Sacerdos protulit verba consecrationis ante vsum Eucharistiæ ipsam ostendunt populo adorandam iuxta antiquam praxim Ecclesiæ, vt desumitur ex Liturgijs Iacobi Apost. Basilij, Chrysost. & aliorum, & ex D. Dionysio *de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 3. *par.* 2. Ergo Christus est præsens statim post consecrationem.

24 Obijciunt Hæretici. Hoc Sacramentum est institutum propter vsum. Ergo Christus est præsens tantum, quando adest vsus. Respondetur negando Consequent. Quia licet sit propter vsum, non tamen consistit in vsu; sed est quid permanens, & ordinatum ad vsum, sicut ordinantur cætera permanentia.

An sit articulus fidei, Christum esse realiter præsentem in Eucharistia.

SECTIO IV.

25 Differt articulus fidei à propositione simplici de fide, quod supra ipsam addit specialem difficultatem in ratione credibilis, & quod omnibus proponatur explicitè ad credendum.

26 Prima sententia est affirmatiua. Ita Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 16. *ar.* 1. *dub.* 2. Alanus *de Eucharistia cap.* 20. & alij Recentiores, qui citant Durandum, Gabrielem, & alios veteres, qui tamen nomine articuli fidei intelligunt propositionem simplicem de fide. Probant. illa veritas est articulus fidei, quæ arctat nos ad credendũ fide Diuina, vt habet D. Thom. *in* 3. *distin.* 25. *quæst.* 1. *ar.* 1. *quæstiuncula* 1. Et in hac vita ducit nos ad vitam beatam, & qua fruimur in beatitudine, vt habet 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 8. Talis autem est præsentia corporis Christi in Eucharistia. Ergo.

27 Secunda sententia est negatiua. ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 6. *ad* 1. Nugnus 3. *par. quæst.* 75. *difficul.* 2. Coroneus *disputat.* 1. *dub.* 2. Vasquez *dist.* 179. *cap.* 2. *numer.* 26. & alij.

28 Dicendum est. *Non esse specialem articulum fidei à cæteris distinctum, sed reduci ad alios.* Probatur. Articulus fidei debet esse vt primum principium in scientijs, ita vt propter ipsum aliæ veritates reuelatæ credantur, & ipsæ non credantur propter aliam veritatem reuelatam, quod debet intelligi non de motiuo credendi, sed de veritate credita, quæ materiali modo sit ratio cognoscendi. Sed talis non est præsentia corporis Christi in Eucharistia, siquidem aliæ veritates reuelatæ, vt quod verbum sit incarnatum, quod Christus instituerit Sacramenta, faciunt, vt credatur. ergo.

29 Dices. Habet speciale miraculum, nempè quod corpus Christi sit in cælo, & sub speciebus panis, & non quantitatiuo modo, atque adeò habet specialem difficultatem in ratione credibilitatis. Ergo. Respondetur negando Consequentiam. Quia difficultas credibilitatis non consistit in ratione miraculi, quando constituit specialem articulum, sed consistit in eo, quod debeat ex speciali motiuo captiuari intellectus.

30 Ad fundamentum in oppositum negatur vtraque pars assumpti. Nam quælibet propositio reuelata coarctat nos ad credendum fide Diuina: neque sufficit, quod conducat ad vitam beatam. Vnde D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 6. *ad* 3. melius explicauit articulum fidei. Neque id solum, quo fruimur in vita beata est articulus fidei, nam plures articuli fidei non sunt obiectum fruitionis.

31 Quæres. Ad quem articulum reducatur. Respondetur reduci ad articulum fidei, quod Christus sit Redemptor noster, Iustificator, & Glorificator, quia ex hoc fit, quod vt caput influat influxus gratiæ, quibus perducimur ad vitam æternam, & ideò omnes propositiones de fide continentes aliquem ex his influxibus reducuntur ad hunc Articulum.

DE SVBSTANTIA PANIS, ET vini Eucharistici.

DISPVTATIO XCVIII.

An in Eucharistia maneat substantia panis, & vini.

SECTIO I.

1 DIcendum est. *Non manere substantiam panis, & vini*. Ita communiter Catholici cum D.Thom. 3.*par. quæst.*75. *ar.*2. contra Hæreticos, & est de fide definitum in Concilio Rom. *sub Gregorio VII.* in Lateranen. *sub Innocentio Tertio cap.* 1. Constantiensi *sess.*8. & Tridentino *sess.*13. *cap.*4. & *canon.*2. & desumitur ex Patribus Ambrosio *lib. de initiandis cap.*9. Cyrill. Hierosolym. *cathechesi* 3. Chrysost. *homil.* 83. *in Matth.* & alijs. Probatur. Si maneret substantia panis, falsa essent verba Christi, *Hoc est corpus meum*. Quia illud, quod esset sub speciebus panis, esset substantia panis. Ergo sequella probatur. Intima præsentia corporis Christi non sufficeret ad verificandam propositionem; Nam talis præsentia non facit, quod id, quod demonstratur, sit corpus Christi, sicut non potest demonstrato corpore dici, hoc est anima. Ergo, & ita arguit Concil. Trident. *sess.*13. *cap.*4.

2 Dices. Sufficere aliquam singularem vnionem in spiritualibus, vt aliquid de altero affirmetur. Contra. Si sufficeret singularis vnio, posset in Diuinis dici, quod Pater sit Filius, quia singulari modo sunt vnum in natura. 2. Affirmatio vnius de altero in recto fundatur in identitate. ergo non sufficit vnio.

3 Obijcies. Cum demonstrentur accidentia, sequeretur, quod ipsa quoque essent corpus Christi. Ergo. Respondetur negando sequellam. Quia pronomen *hoc*, demonstrat aliquid subsistens. Accidentia autem non demonstrantur, vt subsistentia, sed vt manifestatiua illius, quod subsistit.

4 Obijcitur secundo. Ad veritatem verborum. *Hoc est corpus meum*, sufficit, quod Christus sit verè præsens, nec est necesse, quod absit substantia panis. Ergo Respondetur negando antecedens. Quia ad veritatem verborum requiritur, vt id, quod demonstratur sub accidentibus, sit corpus Christi. Si autem sub accidentibus esset substantia panis, de ipsa quoque diceretur, quod esset corpus Christi.

5 Obijcitur tertio. Eucharistia dicitur panis. Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*. Ergo manet substantia panis. Respondetur. Dici panem, quia fit ex pane. nam in Scriptura, quod fit ex aliquo denominato ab ipso. Sic Exod. 7. Serpens dicitur Virga, quia Virga Aaron versa est in ipsum. Genes. 2. Eua dicitur os, quia facta est ex ossibus Adam; Tum quia corpus Christi nobis exhibetur sub specie panis, vt notat Damasc. *libr.* 4. *de fide cap.* 14. Tum quia est panis spiritualis. Vnde Christus Ioan. 6. explicans, quinam sit iste panis ait, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*.

6 Ex dictis colligitur. Non manere aliquid de substantia panis, siue sit subsistentia, siue existentia; nam Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap* 4. definit, Totam substantiam panis conuerti in corpus Christi, & *canon.*2. Remanere tantum species panis, & vini, nempe accidentia, & ideo quicquid ab accidentibus contradistinguitur desinere.

An possit remanere substantia panis, & vini.

SECTIO II.

7 CErtum est. Corpus Christi non posse esse sub speciebus panis ex vi verborum consecrationis manente substantia panis, quia vt notat D. Thom. 3. *par. quæst.*75. *ar.*2. & docet Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 4. Quia verba consecrationis habent vim conuertendi substantiam panis in corpus Christi. Vnde solum difficultas est, an possit esse sub speciebus panis simul cum substantia ipsius, ita tamen vt remaneat etiam in cælo.

8 Prima sententia est negatiua. Ita D.Thom. *in* 4. *distin.* 11. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. Capreolus *ibidem qu.* 1. *ar.* 3. Paludan. *qu.* 2. D. Bonauen. *qu.* 3. *ar.* 1. Ferrar. 4. *contra Gentes*, *cap.*63. & alij Recentiores Thomistæ. Probant. Christus non potest incipere esse sub speciebus per creationem, cum iam existat, & creatio sit non existentis; nec per motum localem, quia desineret esse in cælo. Ergo solum potest esse per conuersionem substantiæ panis.

9 Secunda sententia est affirmatiua. ita Caietanus 3. *p. qu.* 75. *ar.* 2. Scotus *in* 4. *distin.* 9. *qu.* 1. *ar.* 2. Scotus *qu.* 2. §. *Quantum ad istud*. Durand. *qu.* 1. Richard. *art.* 1. *qu.* 1. Monceus *disp.* 1. *Theologica cap.* 6.

10 Dicendum est. *Posse corpus Christi, etiamsi maneat in cælo, incipere esse sub speciebus panis manente substantia panis*. Probatur. De facto corpus Christi ponitur sub speciebus per mutationem ipsi intrinsecam, quia est terminus ad quem conuersionis. Ergo poterit etiam poni absque conuersione per illam actionem, qua potest de nouo incipere esse, vbi non est; Quia in tantum talis actio modo est conuersio, quia facit desinere terminum à quo, nempe substantiam panis.

11 Dices. Hanc mutationem esse intrinsecè conuersionem, & ideò non posse habere locum, nisi substantia panis conuertatur in corpus Christi. Contra. Talis mutatio non est conuersio ex vi termini ad quem, sed ex vi termini à quo. Ergo non est intrinsecè conuersio ex vi specificationis, quam habet à termino ad quem, sed ratione connotationis termini à quo. 2. Corpus Christi ponitur sub speciebus per actionem replicatiuam. Ergo potest poni etiam sine conuersione manente substantia panis; Quia vis replicatiua in Deo non indiget pane, vt conuertatur, cum in eo consistat, quod Deus in sua virtute contineat totaliter esse corpus. Confirmatur. Anima Christi incipit esse in Eucharistia, & non per conuersionem, quia panis non conuertitur in ipsam. Ergo eadem mutatione, qua incipit esse anima, potest etiam incipere esse corpus absque conuersione.

12 Dices. Animam Christi incipere esse in Eucharistia concomitanter ex eo, quod est connexa cum corpore. Contra. Actio, quæ est concomitans, potest etiam fieri per se primò si sit ad terminum per se primo producibilem. Ergo cum sit possibilis actio ponens id, quod est in vno loco sub speciebus panis in alio loco, quæ non sit conuersio, poterit etiam dari talis actio, licet non sit concomitans.

13 Ad fundamentum in oppositum, Respondetur. Christum in tali casu incipere esse sub speciebus panis per actionem replicatiuam, quæ secundum substantiam esset creatio, non absolutè, sed secundum quid, nempè secundum esse replicatum. Sola autem creatio absolutè supponit terminum non existere absolutè. Creatio verò secundum quid supponit non existere secundum quid, seu secundum esse replicatum.

An substantia panis desinat ex natura rei.

SECTIO III.

14 PRima sententia negat desinere ex natura rei. Ita Durand. *in 4. distinc. 11. quaest. 1. num. 11.* Scotus *quaest. 3.* Palatius *disput. 2.* Ledesma *1. par. 4. qu. 16. dub. 3. in fine.* Suar. *disput. 50. de Sacram. sect. 6.* Vasquez *3. par. disput. 181. cap. 9* Qui volunt, desinere solum ex eo, quod desitio est connexa moraliter cum praesentia corporis Christi ratione veritatis verborum. Probant. Non repugnat generatio vnius sine corruptione alterius, quia posset Deus simul cum forma genita conseruare prae existentem. Ergò etiam potest dari conuersio, in qua maneat vterque terminus.

15 Secunda sententia asserit desinere ex natura rei. ita D. Thom. *3. par. quaest. 75. ar. 2.* quatenus docet, Corpus Christi non posse esse speciebus panis, sine motu locali, nisi panis conuertatur in ipsum. Caietan: *ibidem.* Corneius *disputat. vnica. dub. 9.* Ferrariens. 4. *contra gentes cap. 63.* Capreol. *in 4. distin. 11. quaest. vnica, art. 3. ad Argumenta contra 3. conclusion.* Paludan. *quaest. 2. ar. 1.* & alij.

16 Dicendum est. *Substantiam panis desinere ex natura rei ex vi illius mutationis, qua corpus Christi fit praesens.* Probatur. Verba consecrationis significant conuersionem panis, atque adeò desitionem ipsius; vnde Concil. Trident. *sess. 13. cap. 4.* colligit, Totam substantiam panis ex vi verborum conuerti in corpus Christi, & ita desinere, vt solum remaneant species accidentales. Ergò panis desinit ex natura rei illius actionis, qua ponitur corpus Christi sub speciebus, quia actio est talis, qualis significatur per verba.

17 Dices. Sufficere ad rationem conuersionis, si ex pacto Dei terminus à quo desinat ad positionem termini ad quem. Contra. Conuersio est physicè, & intrinsecè talis, & ad sui conceptum requirit desitionem termini à quo. Ergò terminus à quo debet desinere ex natura rei physicae conuersionis, non autem ex pacto extrinseco.

18 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Quicquid sit de antecedente, negando Consequent. Quia depositio substantiae panis non sequitur ex natura rei ex praesentia corporis Christi, sed ex natura conuersionis, quae corpus Christi fit praesens.

An substantia panis, & vini annihiletur.

SECTIO IV.

19 PRima sententia est affirmatiua. Ita Scotus *quodlib. 10. art. 3. & in 4. distin. 11. qu. 4. §. Ad quaestionem,* Ocham. *quaes. 6. dub. 7.* Gabriel. *quaes. 1. ar. 3. dub. 6.* Maior. *quaest. 1. §. contra 3. conclus.* Probant. Panis, & vinum ita desinunt, vt nihil substantiae ipsorum maneat. Ergo desitio terminatur ad nihilum. Ergò est annihilatio. Confirmatur. Productio substantiae sub accidentibus praexistentibus est creatio. Ergò desitio sub accidentibus erit annihilatio.

20 Secunda sententia est negatiua. Ita D. Thom. *3. par. quaest. 75. ar. 3.* Caietan. *ibidem.* Alensis *4. par. quaest. 10. memb. 5. art. 3. §. 3.* Richard. *in 4. distinc. 11. art. 1. quaest. 2.* Aureolus *quaest. 3.* Paludanus *quaest. 3. artic. 2.* Vasquez *3. par. disputat. 183. cap. 2. & 3.* & communiter.

21 Dicendum est. *Substantiam panis, & vini non annihilari, ita vt si annihilaretur, tolleretur conuersio, atque adeò induceretur error,* vt notat D. Thom. *citatus.* Probatur. Eo modo desinit substantia panis, quo per verba significatur desinere, quia tota mutatio fit ex vi verborum. Verba autem non significant annihilationem, quia significant, desinere substantiam panis ex vi conuersionis, atque adeo ex vi termini positiui. Quod autem desinit ex vi termini ad quem positiui, non annihilatur, cum annihilatio tendat per se primo ad non esse. In conuersione autem non esse termini à quo non est primo intentum, cum per se primò intendatur terminus ad quem.

22 Ad fundamentum in oppositum negatur Consequ. Quia talis desitio non est per se primò intenta, sed se habet consequutiuè; & ideo mutatio non terminatur ad nihilum. Instabis. Si substantia panis non esset annihilata, non posset reproduci per creationem. Ergò. Respondetur negando sequellam. Quia potest reproduci absque eo, quod Corpus Christi conuertatur in ipsum, atque adeò ex nihilo sui. Quando enim potest aliquid produci pluribus modis, non est necesse, quod eo modo reproducatur, quo desinit esse. Ad Confirmationem distinguitur Consequens. Desitio substantiae panis sub accidentibus erit annihilatio, si sit pura desitio; non autem de facto, quia non est pura desitio, sed conuersio tendens ad terminum positiuum.

An substantia panis, & vini desinat per aliam actionem ab ea, qua ponitur corpus, & sanguis Christi sub speciebus.

SECTIO V.

23 PRima sententia asserit, desinere ex vi actionis positiuae, qua accidentia separantur à subiecto, quia cum forma substantialis dependeat à suis dispositionibus, ipsis ablatis desinit forma, & consequutiuè etiam materia, cum non possit esse sine forma. ita Suarez *disput. 50. de Sacram. sect. 6.* Recan. *3. par. tract. 2. cap. 18. quaes. 5.* & alij Recentiores. Probant. Corpus Christi, & substantia panis non habent intrinsecam repugnantiam. Ergo actio effectiua vnius non est destructiua alterius. Ergo solum actio separatiua accidentium potest expelli. 2. In generatione substantiali alia est actio, per quam forma introducitur, quae est generatio, & alia per quam praecedens expellitur, quae est corruptio. Ergo etiam alia est actio, qua desinit substantia panis, & alia, qua ponitur corpus Christi, cum etiam hic interueniant quattuor termini esse panis, & non esse ipsius; & non esse corporis Christi, & esse ipsius.

24 Secunda sententia asserit, substantiam panis non desinere per actionem positiuam, sed ex pacto Dei, qui decreuit non conseruare adueniente corpore Christi. ita Scotus *in 4. distin. 11. quaest. 4.* Maior. *quaest. 1.* Gabriel. *quaest vnica.* Ochm. *quaest. 6. dub. 7.* & communiter Scotistae.

25 Tertia sententia asserit, desinere ex vi actionis, quia corpus Christi ponitur sub speciebus. ita D. Thom. *3. par. quaest. 75. ar. 2. & 3.* dum docet, non desinere, nisi per conuersionem in corpus Christi, Caietan. *ar. 4.* Corneius *art. 3. disputat. vnica, dub. 2.* Sotus *in 4. distinc. 9. quaes. 2. artic. 3.* Ledesma *1. p. ar. 4. quaest. 16. ar. 4.*

26 Dicendum est. *Substantiam panis desinere ex vi actionis, qua ponitur corpus Christi sub speciebus.* Probatur. Substantia panis conuertitur in corpus Christi, vt definit Concilium Tridentinum *session. 13. can. 2.* Ergo debet desinere ex vi actionis, qua corpus Christi ponitur sub speciebus; quia terminus à quo debet ex genere suo recedere ex vi termini ad quem, atque adeo ex vi actionis, qua ponitur terminus ad quem. Panis autem in hac conuersione est terminus à quo. Confirmatur. Ideo non desineret ex vi actionis, qua ponitur corpus Christi, quia non habet formalem oppositionem cum ipsa, sed habet secundum

esse formale, seu vt est id, quod conuertitur; vt cum eo, in quod conuertitur, quia terminus à quo, & ad quem in quacunque mutatione inuicem opponuntur. Ergò.

27 Dices. Sufficere, quod substantia panis desinat ratione veritatis verborum, nec referre, quod desinat eadem actione, qua ponitur corpus Christi, aut diuersa. Contra. Ex vi verborum debet aduenire corpus Christi, & desinere substantia panis mediante conuersione. Ergò debet vtrumque fieri eadem actione, quia verba ad sui veritatem requirunt conuersionem, & conuersio est intrinsecè aduentus vnius termini, & recessus alterius.

28 Ad primum distinguitur antecedens. Substantia panis, & corpus Christi non habent intrinsecam repugnantiam ex natura sua, habent tamen, prout substant conuersioni tanquam termini ipsius. Ad secundum negatur Consequentia. Ad probationem negatur assumptum. Quia, cum conuersio sit commutatio vnius in aliud, intrinsecè imbibit desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem, & ideò sunt tantum duo termini. Secus autem in generatione, & corruptione, quia corruptio per accidens se habet, & ideò est mutatio distincta à generatione.

DE NATVRA CONVERSIONIS.

DISPVTATIO XCIX.

An conuersio requirat vt terminus à quo desinat, & terminus ad quem incipiat.

SECTIO I.

1 SVpponendum est contra Vasquez 3. *par. disput.* 181. *cap.* 11. & 12. Conuersionem esse veram actionem, vt docent communiter; nam dicit, quod aliquid fiat ex alio de nouo, ita vt terminus ad quem incipiat secundum quod est terminus: vnde etiam in Eucharistia, cum panis conuertatur in corpus Christi, debet aliquid adesse, quod vt quo faciat conuerti; hoc autem erit actio.

2 Supponendum secundò. Terminum à quo conuersionis debere esse positiuum, vt contra Coninch. *de Sacram. qu.*75. *ar.*4. *dub.* 4. docent communiter, nam quod conuertitur in aliud, debet habere aliquod esse secundum quod conuertatur, quia conuerti est hoc fieri hoc: quod autem est nihil, non potest fieri aliquid.

3 Prima sententia asserit, sufficere, si terminus à quo desinat, nec esse necesse, quod terminus ad quem incipiat. ita Scotus *in* 4. *distin.*10. *qu.*1. *ar.*2. & communiter Scotistæ.

4 Communis tamen sententia docet, terminum à quo debere desinere, & terminum ad quem aliquo modo incipere. ita D. Thom. 3. *par. quæst.*75. *ar.*4. Coninch. *ibid. dub.*4. Corneius *disput.*1. *dub.*1. Suarez *disput.* 50. *de Sacram. sect.* 2. §. *secunda conditio.* & alij.

5 Dico primo. *De ratione conuersionis est, vt terminus à quo desinat secundum id, secundum quod conuertitur.* ita D. August. *lib.*18. *de Ciuit. Dei. cap.*18. Probatur. Non potest concipi rem aliquam in aliam conuerti, si permaneat in se ipsa, quia quamdiu manet, non fit alia. Ergò. Confirmatur. Quod conuertitur est terminus à quo; de ratione autem termini à quo est, vt desinat adueniente termino ad quem.

6 Dico secundò. *Etiam terminus ad quem debet incipere secundum illam rationem, secundum quam est terminus conuersionis.* Probatur. Non potest fieri conuersio, nisi interueniat causa conuertens. Ergò nisi positiuè influat per suam virtutem conuersiuam. Ergò cum influxus sit circa terminum ad quem, debet terminus ex vi influxus aliquo modo incipere, cum ex genere suo influxus positiuus ponat in esse aliquid positiuum; & ideò terminus ad quem, debet semper de nouo incipere.

7 Obijcies. Vt actio sit conuersiua, sufficit, si desitio terminetur ex intentione agentis potius in hanc rem, quam in illam. Ergò non requiritur inceptio termini ad quem. Respondetur negando antecedens. Quia non sufficit directio intentionis; sed requiritur etiam actio, qua intentio mandetur exequutioni; ex vi autem huius actionis incipit terminus ad quem.

An debeat esse connexio inter terminos conuersionis.

SECTIO II.

8 SVpponendum est. Requiri aliquam connexionem inter terminos conuersionis, vt docent communiter; nam vnum transire in aliud, dicit habitudinem ad ipsum, quæ sine connexione terminorum intelligi non potest. Solum difficultas est, an hæc connexio debeat esse physica, an verò sufficiat moralis ex dispositione conuertentis.

9 Prima sententia negat, requiri connexionem physicam. ita Maior. *in* 4. *distin.*15. *quæst.*1. Capreolus *distin.* 11. *quæst.*1. *art.*3. Suarez *disput.* 50. *de Sacramen. sect.*8. Coninch. *qu.*75. *ar.*4. *dub.*4. Probant. Respectus actionis ad terminum à quo non est illi essentialis, cum eiusdem rationis sit calefactio, siue in subiecto præcedat frigiditas, siue non. Ergo diuersus terminus à quo non facit, quod sit diuersa actio. 2. In conuersione Eucharistica. Ideò termini sunt connexi, quia id exigit significatio verborum. Ergo tota connexio est ex lege Dei non ex natura rei.

10 Secunda sententia asserit, requiri connexionem physicam. ita D. Thom. 3. *par. quæst.*75. *art.* 3. Corneius *disput. vnica dubio vltimo*, Aureolus *in* 4. *distinct.* 11. *quæst.* 1. *art.*1. & 2. Vasquez 3. *par. disput.*183. *cap.*2. & alij.

11 Dicendum est. *Terminos conuersionis necessariò connecti inter se physicè, & ex natura rei.* Probatur. Conuersio essentialiter facit, vnum transire in aliud. Ergo per se respicit vtrumque terminum eo modo, quo concurrit ad conuersionem. Ergo ponit physicam connexionem. Consequentia prima probatur. Ille ordo est essentialis, sine quo res non potest concipi. Conuersio autem eo ipso, quod facit vnum transire in aliud, non potest concipi sine ordine ad vtrumque terminum. Consequentia probatur. Illa physicè connectuntur, quæ connectuntur ex vi actionis physicæ; isti autem termini connectuntur ex vi actionis conuersiuæ. Confirmatur. Ex vi actionis conuersiuæ vnum fit ex alio, ita vt fit per se terminus à quo, & ad quem talis actionis. Ergo, hi termini connectuntur inter se ex vi talis actionis.

12 Ad primum respondetur. Respectum ad terminum à quo esse essentialem actioni, quando actio per se requirit talem terminum, vt fit in conuersione. Non autem quando per se non requirit, vt in calefactione. Ad secundum negatur Consequentia. Nam stante exigentia verborum debet interuenire actio physica, qua substantia panis conuertatur in corpus Christi, atque adeo actio physica, per quam termini conuectantur.

An

An in conuersione debeat dari aliquid commune vtrique termino.

SECTIO III.

13 Dicendum est. *Ad conuersionem requiri, vt remaneat aliquid commune, in quo vterque terminus communicet*. ita Aureol. *in 4. distinc. 11. qu. 1. ar. 2.* Vasquez *3. par. disput. 184. cap. 2.* & alij, & desumitur etiam ex D. Thom. *3. par. quæst. 75. ar. 5. disp. 1. dub. 1.* Probatur. Conuersio est essentialiter vnius in aliud. Ergò quod conuertitur debet secundum aliquid sui manere in isto, in quod conuertitur, alioquin non transiret in ipsum, nisi secundum aliquid sui transiret in ipsum. Confirmatur. De ratione conuersionis est, vt terminus à quo incompossibiliter se habeat cum termino ad quem; hoc autem saluari non potest, nisi in ordine ad aliquid commune vtrique termino, quod de termino à quo ponatur in termino ad quem; nam actio conuersiua non potest ponere hanc repugnantiam, nisi aliquid transferat de termino à quo, ad terminum ad quem, quia repugnantia non potest exerceri, nisi circa aliquod tertium, respectu cuius incompossibiliter se habeant, etiamsi aliàs termini haberent inter se oppositionem.

14 Ex dictis colligitur. Conuersionem esse vnicam tantum mutationem contra Suar. *disp. 50. de Sacram. sect. 6.* quia de ratione conuersionis est, quod terminus à quo desinat ex vi termini ad quem, cum debeat in ipsum commutari. Vnde cum actio, quæ ponit terminum ad quem faciat desinere terminum à quo, erit vnica actio, atque adeò vnica mutatio.

An in conuersione substantiali mutatio debeat esse substantialis.

SECTIO IV.

15 Prima sententia asserit non requiri mutationem substantialem ex parte termini ad quem, nec ex parte termini à quo, sed sufficere, quod vna substantia substituatur loco alterius. ita Scotus *in 4. distin. 11. qu. 3. ar. 2. §. Quantum ergo ad istum articulum.* Ferrariens. *4. contra gentes cap. 63.* & qui ponunt corpus Christi poni in Eucharistia per actionem adductiuam. Probant. In Eucharistia fit vera conuersio substantialis, vt docet Cõcilium Triden. *sess. 13. cap. 4.* per illa verba, *Hoc est corpus meum.* Ad veritatem autem verborum sufficit, quod sub speciebus panis sit Corpus Christi, & non sit ibi substantia panis, quod fieri potest sine mutatione substantiali.

16 Secunda sententia asserit, mutationem debere esse substantialem ex parte vtriusque termini. ita Suarez *disp. 50. de Sacram. sect. 2.* & ij, qui volunt corpus Christi esse præsens in Eucharistia per actionem productiuam, & desumitur ex D. Tho. *3. par. qu. 75. ar. 2. & seqq.*

17 Dico primo. *Non potest saluari conuersio substantialis absque mutatione substantiali in termino ad quem.* Probatur. Sine mutatione substãtiali in termino ad quem terminus formalis conuersionis non esset quid substantiale. Ergò neque conuersio, quia actio, aut quasi actio est talis, qualis est terminus, & in tantum est substantialis, in quantum est ratio ponendi aliquid substantiale.

18 Respondet Scotus. Terminum esse substantiam, quia vna substantia succedit alteri. Contra. Conuersio non solum dicit, quod vnum succedat alteri, sed etiam, quod fiat ex ipso. Ergò nisi fiat secundum aliquid substantiale, terminus formalis non erit substantialis. Confirmatur. Conuersio substantialis est actio de nouo substantialis. Ergò debet fieri aliquid de nouo substantiale. Confirmatur secundò. Sequeretur, quod motus localis esset actio substantialis, quia terminaretur ad corpus, quod mouetur, & succedit in loco alterius corporis.

19 Respondetur secundo. Sufficere, si substantia de nouo substet accidentibus, quod est quid substantiale, cum dicat exercitium substantiale substantiæ. Contra. Exercere munus substantiæ non dicit aliquid substantiale superadditum substantiæ. Ergò per hoc substantia non incipit secundum aliquid substantiale; in conuersione autem substantiali debet terminus, ad quem fieri de nouo secundum aliquid substantiale.

20 Dico secundo. *Conuersio, vt sit substantialis, requirit mutationem substantialem etiam in termino, à quo.* Probatur. Vt conuersio sit substantialis, debet substantiali modo exerceri. Ergò non faciat terminum, à quo transire in terminum ad quem, debet facere transire substantiali modo, quod non potest fieri, nisi mutetur substantialiter. Confirmatur. Facta conuersione debet posse enunciari, quod id, quod est sub accidentibus, sit terminus ad quem. Ergò debet terminus à quo desinere substantialiter. Consequentia probatur. Ex eo, quod per conuersionem ponitur corpus Christi sub speciebus panis, & verba *Hoc est corpus meum.* Sunt vera, Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 4.* infert, desijsse substantiam panis. ergò.

21 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur minor. Nam Concilium ex veritate verborum colligit, conuersionem substantiæ panis in corpus Christi, atque adeo etiam desitionem ipsius, quia cum conuersio sit secundum esse, non potest, quod conuertitur, permanere in esse, cum sit terminus à quo, qui debet desinere.

An terminus ad quem in conuersione debeat succedere in præsentia termino à quo.

SECTIO V.

22 Prima sententia est negatiua. Ita Scotus *in 4. distinc. 10. quæst. 1. §. Contra suppono.* Durand. *distin. 11. quæst. 2. num. 14.* Corneius *3. par. quæst. 75. ar. 4. disput. 1. dub. 1. §. secunda difficultas.* Probant. Conuerti in aliud est accedere ad ipsum. Ergò potius, quod conuertitur, debet fieri præsens, vbi est id, in quod conuertitur. Vnde alimentum debet trahi, vbi est alitum, vt in ipsum conuertatur.

23 Secunda sententia asserit id, in quod fit conuersio, debere succedere in præsentia termino à quo, ita vt incipiat esse in eodem loco, vbi est terminus ad quem. ita Richard. *in 4. distinct. 11. art. 1. quæst. 12. ad 2.* Maior. *quæst. 1.* Gabriel. *quæst. 11. art. 2.* Palat. *disput. 1. concl. 2.* Ferrarien. *4. contra gentes, cap. 63.* Suarez *disp. 50. de Sacramen. sect. 9.*

24 Dicendum est. *De ratione conuersionis esse, quod terminus ad quem succedat in præsentia termino à quo.* Probatur. Terminus à quo debet in eodem instanti desinere, in quo ponitur terminus ad quem, quia debet desinere ex vi eiusdem actionis, & ob incompossibilitatem cum termino ad quem. Ergò terminus ad quem debet succedere in præsentia termino à quo. Consequentia probatur. Si non succederet, deberet prius desinere terminus à quo, & ad id quod remanet transferri in alium locum, quod non potest fieri in eodem instanti, cum debeat transferri per motum localem; vnde inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem, intercederet tempus. Ergò.

25 Dices. Posse transferri per replicationem in instanti. Contra. Si transferretur per replicationem, terminus ad quem poneretur subbesse replicato ipsius, non autem subbesse vt præexistebat. Ergò id, quod præexistebat replicationi non conuerteretur, quia non desineret ex vi termini ad quem: nam terminus ad quem positus sub esse replicato non est incompossibilis cum termino à quo existente subesse eodem præexistente replicationi in alio loco.

26 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Conuerti in aliud esse accedere ad ipsum, non secundum præsentiam localem, sed secundum esse. Alimentum autem debet trahi ad alitum, quia debet vniri partibus præexistentibus. Vnde talis accessus non est ex vi conuersionis, sed ex vi vnionis.

An in conuersione terminus ad quem debeat de nouo incipere.

SECTIO VI.

27 Dicendum est. *Conuersionem non requirere, vt terminus ad quem de nouo producatur.* ita communiter Catholici contra Hæreticos, & est de fide ex mysterio Eucharistiæ. Probatur. Conuersio saluatur per id, quod terminus ad quem fiat ex termino à quo. Ergò non est necesse, quod de nouo incipiat. Consequen. probatur. Quod existit, potest acquirere esse replicatum in alio loco, vt constat ex dictis supra *disput. 2. num. 11. &* 12. Ergò potest fieri ex termino à quo secundum esse replicatum, quia conuersio potest esse solum ad esse replicatum, & non absolutè ad esse.

28 Objiciunt Hæretici. Talis conuersio est contra omnia exempla conuersionum. Ergò non est admittenda. Respondetur neg. Conseq. Quia in ijs, quæ fiunt miraculosè, & de potentia absoluta, vt est talis conuersio, non sunt quærenda exempla.

An sit possibilis conuersio substantialis totalis.

SECTIO VII.

29 Dicendum est. *Esse possibilem conuersionem totalem substantialem, ita vt tam forma, quam materia conuertatur in terminum ad quem.* ita communiter Catholici contra Hæreticos, qui volunt semper debere remanere materiam, & etiam contra Durand. *in 4. distin. 11. quæst. 3.* Probatur. Possibilitas conuersionis fundatur in eo, quod agens habeat in sua potestate vtrumque terminum quoad esse, & non esse: nam tunc potest facere, quod vnus fiat ex alio. Ergo cum Deus habeat in potestate substantiui totales secundum materiam, & formam quo ad esse, & non esse, potest facere, quod vnâ secundum esse totale fiat ex alia.

30 Dices. Licet termini sint in potestate Dei totaliter, non tamen talis modus conuersionis, quia implicat. Contra. Non implicat terminos fieri totaliter à Deo, & totaliter desinere. Ergò nec etiam totaliter conuerti, quia quod potest simpliciter fieri, potest etiam fieri ex alio eiusdem generis; Quia quod terminus à quo totaliter desinat secundum esse substantiale, non destruit naturam conuersionis, cum possit remanere secundum accidentia.

31 Objicitur. Quod conuertitur, non annihilatur; implicat autem substantiam secundum se totam desinere, & non annihilari. Respondetur negando minorem. Quia potest desinere, vt terminus à quo actionis positiuæ, & tunc ratione modi desitionis non est annihilatio. Cum autem dicitur, quod omnis desitio substantialis, aut est corruptio, aut annihilatio, intelligitur de pura desitione, quæ non est ex via actionis positiuæ.

DE TRANSVBSTANTIATIONE panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi.

DISPVTATIO C.

An panis, & vinum transubstantietur in corpus Christi.

SECTIO I.

1 Dicendum est. *Panem transubstantiari in corpus Christi, & vinum in sanguinem.* ita communiter Catholici cum D. Thom. 3. *p. qu.* 75. *ar.* 4. contra Hæreticos præsertim Lutheranos, & tradunt communiter Patres præsertim Tertull. *contra Marcionem, cap.* 40. Ambros. *de initiandis. cap.* 9. Cyprian. *serm. de cæna Domini.* Greg. Nissenus *orat. catechetica, cap.* 37. Chrysost. *hom.* 83. *in Matthæum.* Cyrillus Alexand. *epist. ad Calosirium.* Damascen. *lib.* 4. *de fide cap.* 14. Anselmus *libr. de Corpore Domini.* Et est de fide definitum in Concil. Romano *sub Nicolao II.* vbi Berengarius se retractauit in Concilio Constant. *sess.* 8. in Lateran. *sub Innocentio III. cap.* 1. in Florent. *in Decreto fidei, §. Tertium est.* in Trid. *sess.* 13. *cap.* 4. & *Canon.* 2. Probatur Matthei 26. Christus accipiens panem, & benedicens dixit. *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum:* Christus autem non potuit mentiri, cum esset impeccabilis. Ergò illud, quod dabat Discipulis, erat verum corpus ipsius. Ergò cum antea esset panis, oportet, vt substantia panis sit transubstantiata, hoc est conuersa in corpus Christi. Confirmatur. Cum dicitur. *Hoc est corpus meum.* Demonstratur illud, quod est sensibile per accidentia panis. Ergò si ibi esset substantia panis, de ipsa diceretur, quod esset corpus Christi, & verba essent falsa; nec sufficit, quod accidentia continerent etiam corpus Christi, nam etiam corpus continet animam, & tamen eo demonstrato, non potest dici, quod sit anima.

2 Respondent Hæretici. Propositionem, *Hoc est corpus meum*, posse verificari alio modo; nam potest esse vera per illam mutationem, quam panis communis fit Eucharisticus, vt ait Irenæus. Vnde etiam valet, *Homo est Deus*, loquendo de Christo, & tamen homo, & Deus non identificantur in Christo. Contra. Non potest propositio esse vera, nisi sit in obiecto, quod ipsa significat, & quando enuntiat, aliquid esse aliud, non solum secundum Aristotelem, sed etiam secundum communem sensum, & rationem, debet prædicatum identificari cum subiecto, cum sola vnio non sufficiat, vt vnum dicatur esse aliud, sic non dicitur, Anima est corpus, licet sint vnita. Quando autem dicitur homo est Deus ly *Homo*, supponit pro supposito, sicut etiam ly Deus, non autem pro natura. Homo autem, & Deus in Christo, sunt idem suppositum, & ideò adest identitas inter prædicatum, & subiectum.

3 Objiciunt Hæretici. Ex Epistola 1. *Ad Corinth. cap.* 11. Eucharistia dicitur panis. *Panis, quem frangimus*, & debet intelligi de triticeo, sicut intelligitur, quando antea dixit, *Accepit panem*, nam non rectè dicitur, quod in eodem cap. panis accipiatur modo propriè, modo metaphoricè. Respondetur negando antecedens. Ad probationem. Rectè, & ex necessitate dici, quod panis prius accipiatur propriè, & posteà metaphoricè, quia Apostolus refert factum Christi, & conuersionem, qua panem visualem conuertit in proprium corpus.

4 Objicitur 2. Cum Christus de se ipso dixit Ioan. 6. Ego

Ego sum panis, non se transmutauit in panem. Ergo neque cum dixit de pane Matthæi 26. *Hoc est corpus meũ.* transmutauit panem in corpus suum. Respondetur negãdo consequentiam. Quia de se ipso non dixit absolutè: *Ego sum panis*, sed *Panis viuus*. *Panis vitæ*, quæ verba addita significant panem accipi metaphoricè; & ideò non fuit necessaria transubstantiatio ad verificandã propositionem. Cum autem dixit, *Hoc est corpus meum*, sumpsit propriè ly corpus, vt constat ex contextu, & ex alijs locis, & ex communi, & perpetuo sensu Sanctorum Patrum, & totius Ecclesię.

5 Objiciunt tertiò. Patres probant, Christum fuisse verum hominem, quia manducabat, bibebat, dormiebat, fatigabatur, &c. Ergo etiam Eucharistia erit verus panis, quia, cum sensus falli non possit, iudicandum est secundum ipsum. Respondetur negando consequentiam. Nam non est eadem ratio. Patres enim disputant contra hæreticos negantes veritatem corporis Christi, quam conuincunt ex organizatione, functionibus animalibus, quę non possunt exerceri sine suo principio. Hoc autem non valet in Eucharistia, quia sensus percipit tantum accidentia, non autem substantiam, quæ non est de se sensibilis. Sensus autem non potest falli circa sensibile per accidens.

6 Instabis. Si non adesset substantia panis, esset falsitas in accidentibus, quia sunt signa naturalia substantiæ; in sacramento autem veritatis non debet esse falsitas, ergo. Respondetur negando sequelam. Quia licet accidentia significent naturaliter præsentiam substantiæ, possunt tamen supernaturaliter eleuari ad aliquid aliud significãdum. Vnde non cõtingit error, quia fides ipsum corrigit.

7 Objiciunt quartò. Sequeretur. Ex pane fieri corpus Christi, tum quia generaretur, cum sola generatio sit ad substantiam. Respondetur concedendo sequelam. Nam sic loquuntur Ambrosius *lib. 4 de Sacramentis cap. 4.* & alij Patres. Ad probationem negatur assumptum. Quia substantia potest fieri etiã per creationẽ, & conuersionẽ.

8 Objiciunt quinto. Sequeretur, quod Deus, & homo fieret à Sacerdote. Ergo. Respondetur negando sequelã. Quia actio transubstantiatiua non terminat per se primo ad suppositum, nec ad naturam, vt subsistentem in supposito, sed ad solum corpus: Vnde fit corpus Christi à Sacerdote, puta ministro, & instrumento Dei, vt loquitur D. Hieronym. *Epistol. ad Heliodorum*, & *Epistola ad Evagrium*.

9 Objiciunt sextò. Valet hic sillogismus. Hoc corpus, demonstrando corpus Christi, crucifixum non est factũ ex pane. Hoc corpus, demonstrando corpus Christi in Eucharistia, est factum ex pane. Ergo hoc corpus non est illud. Respondetur negando quod valeat syllogismus, quia medius terminus ly *factum ex pane*, non adæquat extrema. Nam corpus Christi stante replicatione æquiualet pluribus; vnde potest recipere prædicata contradictoria, & ideò corpus Christi crucifixum solum vt existens naturali modo non est factum ex pane, & solum vt existens sacramentali modo est factum ex pane. Positis autem his reduplicationibus syllogismus non concludit.

An transubstantiatio sit actio adductiua, an productiua.

SECTIO II.

10 Prima sententia asserit esse actionem adductiuã, non verò productiuam. Ita Scotus *in 4. quæst. 1. distin. 10.* & *distin. 11. quæst. 3. & 4.* & *quodl. 10.* Lichetus *distin. 11. quæst. 4. art. 2.* Mayorius *quæst. 19.* Maior *quæst. 1.* Ocham *quæst. 6.* Paludan. *quæst. 4.* D. Bonauent. *distin. 10. art. 2. quæst. 1.* Alensis *par. 4. qu. 34. memb. 3. art. 1. & 2.* & communiter Scotistæ. Probant. In transubstantiatione nihil fit de nouo in corpore Christi, nisi sola præsentia, cum secundum se totum præexistat. Ergo fit præsens per actionem adiectiuam, quæ sufficit pro verificatione verborum. Secundo. Si interueniret ficeret ad producendum corpus Christi, si non esset productum. Ergo esset independens à priori productione, quod est falsum, quia corpus Christi est in Eucharistia dependenter à se ipso, prius est extra Eucharistiam. Tertiò. Si esset actio productiua, idem esset principium sui ipsius. Christus autem saltem in cælo fuit principium effectiuum transubstantiationis, & non potuit producere se ipsum, ergo. Quartò. Non potest actio productiua esse conseruatio antiqui esse, nam esset superflua; nec noua productio, quia res existens in duobus locis non habet duo esse substantialia, ergo.

11 Secunda sententia asserit, esse actionem productiuã. Ita D. Tho. 3. *par. quæst. 75. ar. 4.* Caiet. *ibidem.* Pesantius *disput. 1.* Nugnus *diffic. 1.* Corneius *disp. 2. dub. 1.* Coninch *dub. 5.* Vasquez *disput. 181. cap. 2.* Sotus *in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 2. ad 2.* Palatius *dist. 11. disp. 1.* Aureol. *qu. 4. art. 1.* Suarez *disp. 50. de Eucharistia, sect. 4.*

12 Dicendum est. *Transubstantiationem, qua corpus Christi ponitur in Eucharistia, esse actionem substantialem productiuam.* Desumitur ex Patribus, quatenus dicunt, panem mutari in corpus Christi. Corpus Christi fieri ex pane, quæ important actionem productiuam. ita Cyprian. serm. de cæna Domini, Ambros. lib. 3 de Sacramentis cap. 4. Damascen. lib. 4. de fide, cap. 14. Hieronym. epistola 1. ad Heliodorum. Et quatenus vtuntur exemplis conuersionum substantialium, in quibus producitur terminus ad quem, vt Ambrosius citatus. Cyrill. Hierosolym. cathech. 4. Cyprian. epistola 63. Irenæus lib. 4. cap. 34. Damascenus citatus. Nyssenus oratione catech. cap. 37.

13 Probatur. Substantia panis conuertitur in corpus Christi, vt definit Concilium Tridentinum sess. 13. c. 4. & canon. 21. Et Christus fit præsens in Eucharistia ex vi huius conuersionis, quia fit præsens ex vi verborum, quæ important conuersionem, vt habet idem Concilium. Ergo per actionem substantialem productiuam, non autem adductiuam. Consequentia probatur. De ratione conuersionis est, vt terminus ad quem incipiat esse secundum id, quo formaliter terminat conuersionem; cum autem substantia panis conuertatur in substantia corporis Christi, ipsa substantia est terminus formalis. Ergo ipsa debet incipere, atque adeo per actionem substantialem productiuam, quia actio adductiua est accidentalis. Confirmatur. Si esset actio adductiua, præsentia esset terminus formalis. Siquidem adductio respicit tantum per se præsentiam, & substantia corporis Christi se haberet tantum materialiter. Ergo conuersio non esset in corpus Christi, licet anima sit simul cum corpore.

14 Dices. Esse conuersionem substantialem, quia substantia panis desinit cum ordine ad substantiam corporis Christi, quæ succedit sub ijsdem accidentibus. Cõtra. Conuersio est talis, qualis est terminus, qui fit. Ergo non potest esse substantialis, nisi terminus, qui fit, sit substantialis, quia substantia debet participare conditiones termini ad quem formalis conuersionis. Confirmatur. Ex vi actionis adductiuę nõ desinit formaliter substantia panis, quia posset fieri præsens corpus Christi manente substantia panis. Ergo non est conuersio, quia in conuersione terminus à quo desinit ex eo, quod terminus ad quem pati ex ipso. Confirmatur secundò. Per actionem adductiuam acquiritur de nouo sola præsentia. Ergo non acquiritur aliquid, quod non acquiratur in motu locali. Ergo erit actio accidentalis.

15 Dices secundò. Terminum ad quem esse substantiã. quia non est sola prętentia in abstracto, sed corpus Christi sub speciebus. Contra. Vel corpus Christi fit per talem actionem secundum esse substantiale; vel non; Si primum; ergo actio non est adductiua. Si secundum; ergo sola præsentia est terminus formalis.

16 Dices tertiò. Vt conuersio sit substantialis sufficere, quod terminus includat substantiam, etiam solum materia-

materialiter. Contra. Sequeretur, omnem actionem accidentalem esse substantialem, quia semper terminatur ad concretum accidentale, quod pro materiali dicit substantiam.

17 Dices 4. sufficere, quod terminus à quo sit substātialis Contra. Conuersio Eucharistica est transubstantiatio, seu conuersio vnius substantiæ in aliam ex Concilio Triden. *sess.13. cap.4.* & *can.* 2. ergo non sufficit, quód terminus à quo sit substantia, sed etiam terminus ad quem debet esse substantia, confirmatur, sequeretur, quod conuersio Eucharistica neque esset substantialis ex parte termini à quo, quia terminus a quo est ille, qui formaliter pugnat cum termino ad quem, & ex vi illius desinit. Ergo: sequella probatur. Si conuersio Eucharistica est tantum adductiua, terminus ad quem erit sola præsentia. Ergo pugnabit tantum cum præsentia panis, & substantia panis desinet tantum per accidens, conuersio autem non est talis per id, quod conuenit per accidens.

18 Ad 1. negatur antecedens. Nam fit corpus Christi secundum esse substantiale replicatum, secundum quod non præexistebat. Ad 2. Distinguitur maior. Hæc actio deberet esse sufficiens ad producendum Corpus Christi, si alibi non existeret, si consideretur secundum suam substantiam; secus autem, si consideretur secundum modum, quo fit; nam fit in virtute verborum, quæ nomine Christi proferuntur: & ideò ex hoc capite supponitur Christus existens. Ad 3. Idem esset principium sui ipsius, non secundum esse simpliciter; sed secundum esse replicatum; ex quo nulla sequitur contradictio, nec idem est prius, & posterius se ipso. Quia esse simpliciter est prius tempore esse replicato. Ad 4. negatur secunda pars antecedentis. Nam sicut res existens in duobus locis habet idem esse replicatum, ita etiam opus est actione conseruatiua, & actione replicatiua quæ sit productio eiusdem rei secundum esse replicatum.

19 Ex dictis colligitur. Terminum transubstantiationis non esse vnionem effectiuam corporis Christi cum accidentibus, qua per influxum conseruatiuum vniatur cum ipsis, quia si ista vnio sumatur pro actione conseruatiua, non potest esse terminus, nam ad actionem non datur actio; & quia talis actio conseruatiua est accidentalis. Si verò sumatur pro eo, quo corpus Christi concurrit effectiuè ad conseruandas species, neque potest esse terminus transubstantiationis; nam aut hoc esset potentia obedientialis, quæ conueniret ante transubstantiationem; aut aliqua eleuatio, quæ extrinsecus adueniret Deo eleuante.

20 Colligitur 2. formalem terminum transubstantiationis non esse vnionem corporis Christi cum speciebus in ratione contenti substantialis, quia hæc vnio est accidentalis, & fieret conuersio in ipsam; non autem in aliquid substantiale.

21 Colligitur 3. contra Paludanum *in* 4.*dist.*11.*quæst.* 3.*art.*2.*ad* 2. Sotum *dist.*9. *quæst.*2.*art.*4.§.*igitur. conuersio*. Terminum transubstantiationis non esse modum substantialem, vel quo corpus Christi separet accidentia à subiecto, aut quo corpus Christi sit sub speciebus supplendo vicem substantiæ panis; nam sequeretur. Quod substantia panis conuerteretur in hunc modum, non autem in corpus Christi. Conuertitur autem in corpus Christi, vt definit Concil. Florent. *in decreto fidei*; & Tridentin. *sess.*13. *capit.*4. & *can.*2. Deinde iste modus non esset substantialis, quia cum substantia subsit accidentibus actu, non dicit, nisi quod ipsa recipiat, quod non est quid substantiale; vnde quando aqua fit calida, non acquirit modum substantialem ratione cuius subsit calori.

22 Colligitur 4. Terminum transubstantiationis esse ipsam substantiam corporis, & sanguinis Christi, siquidem transubstantiatio est transitus vnius substantiæ in aliam; substantia autem panis, & vini transit, & conuertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi vt definitur in Concil. Lateran. *relato in* cap. *Firmiter*. *De summa Trinit.* & in Florent. & Tridenti. *citatis*. Non est tamen terminus transubstantiationis, prout succedit substantiæ panis, vt vult Vasquez 3.*par. disput.*181.*cap.*11. & 12. quia per hoc non saluaretur, quod corpus Christi fieret ex pane, quia talis successio importaret solum meram successionem, neque participaret substantia corporis Christi conditiones termini ad quem, qui de nouo debet fieri, neque verificarentur verba, nam cum dicitur. *Hoc est corpus meum*, non significatur aliquod munus, sed aliquid subsistens: vnde cum conuersio fiat secundum significationem verborum, debet ex vi ipsius haberi aliquid subsistens pro termino ad quem.

An substantia corporis Christi, vt id in quod panis conuertitur, sit terminus transubstantiationis.

SECTIO III.

23 Difficultas procedit. An substantia Corporis Christi ita sit terminus transubstantiationis, vt illam terminet absque actione productiua. Prima sententia est affirmatiua. ita Henricus *quodlib. 9. quæst.9.* Tartaret. *in* 4.*dist.*10.*art.*1. Angles *par.*1.*quæst.*5.*de Eucharistia*. Scotus. *Quodlib.* 10. *art.*2. *circa fidem*. Corneius 3.*par.quæst.*75.*art.*4.*disp.*2.*dub.*8. & nonnulli recentiores Thomistæ. Probant. Terminus conuersionis substantialis est illud substantiale, quod fit per conuersionem; fit autem non substantia Corporis Christi secundum se, sed quod sit id, in quod substantia panis est conuersa ergo.

24 Secunda sententia est negatiua. Ita Suarez *disp.* 50. *de Sacram.sect.*5. Vasquez 3.*par. disp.*181. *cap.*3. Nugnus *quæst.*75. *difficul.*1. *conclus.*6. Hurtadus, *disput* 4. *de Eucharistia difficul.*8. & alij.

25 Dicendum est. *Terminum transubstantiationis non saluari per id præcisè, quod Corpus Christi sit id, in quod conuertitur panis absque actione productiua.* Probatur. Conuersio est quædam efficientia proueniens a conuertente in genere efficientis, atque adeo importat specialem influxum. Ergo eius terminus debet importare aliquid de nouo in facto esse. Ergo non potest esse substantia Corporis Christi, vt præcisè terminans, quia tūc terminus esset sola denominatio extrinseca. Confirmatur. In hac conuersione Corpus Christi fit ex pane per actionem substantialem; non potest autem fieri ex aliquo substantialiter, nisi fiat simpliciter. Quod autem fit simpliciter, incipit esse secundum id, secundum quod fit. Confirmatur. 2. In tantum actio terminatur ad aliquid, in quantum est id, quo ipsum fit, & in quantum dicit influxum, per quem terminus ponatur in esse; quia aut est identificata cum termino, aut saltem modus ipsius. Ergo non potest actio terminari ad substantiam vt ad verum terminum, nisi sit id, quo substantia fiat.

26 Ad fundamentum in oppositum negatur minor. Quia non potest aliquid fieri secundum esse termini, nisi recipiat aliquod esse, in quo fundetur ratio termini.

An terminus transubstantiationis sit Corpus Christi, vt de nouo conseruatum.

SECTIO IV.

27 Prima sententia est affirmatiua. Ita Suarez disp. 50. *de Sacram. sect.*5. §. *Quintus ergo modus*; & alij probant. Actio, qua Corpus Christi conseruatur in Cælo, non est sufficiens ad conseruandum in Eucharistia. Tum quia requiritur maior influxus; tum quia ibi existit supernaturali modo. Ergo requiritur noua actio. Ergo actio, quæ sit conseruatio, cum Corpus Christi non producatur de nouo.

28 Se-

28 Secunda sententia est negatiua. ita Vasquez 3.*par. disput.*181.*cap.6.* Nugnus *quæst.*75.*art.*4.*diff.*1.§.*Tertius modus*, Corneius.*disput.*2.*dub.6.* Mouieus *disput.* 11.*Theologica.cap.*10. Hurtadus *disput.*4. *de Eucharis. difficult.*7.& alij.

29 Dicendum est. *Transubstantiationem non posse saluari per actionem conseruatiuam, etiam diuersam ab ea, qua Corpus Christi conseruatur in Cælo.* Probatur. Omnis conseruatio supponit productionem sibi correspondentem, quia distinguitur a productione per hoc, quod cõtinuet esse iã communicatũ. Ergo si ista actio est diuersa ab ea, qua conseruatur in Cælo, debet etiam supponere diuersam productionem. Confirmatur. Actio diuersa importat diuersum influxum, qui est terminus in fieri, seu vt fluens ab agente. Ergo si de nouo ponitur noua actio debet etiam poni nouum esse termini fluentis de nouo ab Agente, atque adeo noua productio.

30 Respondet Suarez. Hanc actionem se habere per modum conseruationis, quia terminatur ad esse præ existens Corporis Christi. Contra. Actio ex intrinseco suo facit terminum in actu. Ergo si est noua actio, etiam terminus erit de nouo in actu. Confirmatur. Ista actio facit, quod Corpus Christi vt terminus conuersionis fiat ex pane. Ergo facit aliquid de nouo, quia ante non erat factum ex pane.

31 Ad fundamentum in oppositum negatur vltima cõsequentia. Quia per hanc actionem non ponitur Corpus Christi sub speciebus panis vt præexistens, sed vt factum de nouo per conuersionem ex pane.

An terminus transubstantiationis sit Corpus Christi vt producibile.

SECTIO V.

32 PRima sententia est affirmatiua; vult enim, quod transubstantiatio sit actio, quantum est de se productiua Corporis Christi, si non existeret, & proinde respiciat Corpus Christi vt producibile. Ita Gabriel *in* 4.*distin.*11.*quæst.*1.*art.*3.*dub.*2. Sotus *in* 4. *distinct.9. quæst.* 2. *art.* 4. *in solutione argumentorum.* §. *Aliter tamen*, & alij. Probant. Transubstantiatio est vera actio realis. Ergo debet habere vim producendi Corpus Christi. Ergo cum reperiat productum, non producit, neque erit otiosa talis vis, quia facit, quod illa actio sit ex natura sua conuersiua.

33 Secunda sententia est negatiua. Ita Suarez *disp.* 50. *de Sacram.sect.*5.§.*Quartus modus.* Valentia 3.*par. disput.6.quæst.*3. *punct.*3. §.*Tertio sequitur.* Vasquez *disput.*181.*cap.*4. Corneius *quæst.*75.*art.*4.*disp.*2. *dub.*7. Hurtad.*disp.*4.*de Eucharis.difficul.*7.& alij.

34 Dicendum est. *Transubstantiationem non respicere Corpus Christi vt producibile, ita vt produceret si non esset productum.* Probatur. Transubstantiatio est actio absoluta, non autem conditionata. Ergo si est productiua debet de facto producere. Consequentia probatur. Tum quia actio est essentialiter id, quo agens agit, ita vt consistat in exercitio producendi, cum sit ipsa productio. Tum quia conuersio attingit actu suum terminum, & ideò si est productiua, debet attingere producendo. Tum quia actio est id, quo terminus fluit ab agente, & fit in actu.

35 Dices. Actionem productiuam esse actualem influxum; non autem actionem concessiuam, & ideo hæc potest dari sine actuali termino. Contra. Actio ex genere suo est actualis influxus, quo terminus fluit ab agente. Ergo. Confirmatur. Ex eo, quod conuersio est productiua respicit terminum conuersionis vt producibilem. Ergo cum sit actualis conuersio, & in actu exercito, debet se exercere vt productiua, præsertim quia ratio producendi non conuenit actioni per modum actus primi, sed per modum actus secundi, & in esse exercito.

36 Dices 2. Hanc actionem esse actionem consecratiuam, quæ consistit in prolatione verborum, quæ producerent Corpus Christi, si non reperiret. Contra, vel verba actu operantur, vel non: si primum; ergo producunt, & actio, quam causant, est productio exercita. Si secundum; ergo nulla fit conuersio panis in Corpus Christi, quia fit virtute verborum, vt declarat Concilium Trid. *sess.*13.*cap.*4. Confirmatur. Si nõ existeret Corpus Christi, vel verba ipsum producerent per actionem, quam nunc habet, vel per aliam. Si primum; ergo etiam de facto producunt, quia actio est actualis productio; si secundum; ergo si tunc esset necessario alia actio ad transubstantiationem, de facto non fit transubstantiatio, quia non datur talis actio. Si verò nõ est necessaria alia actio, neque in illo casu verba haberent vim pro tali actione, quia habent tantum vim ad transubstantiationem. Deinde verba, seu consecratio non est ipsa transubstantiatio, sed causa ipsius; nos autem loquimur de ipsa transubstantiatione.

37 Ad Fundamentum in oppositum negatur vltima consequentia. Quia licet Corpus Christi præexistat secundum se absolute, non existit tamen secundum esse replicatum.

An terminus transubstantiationis sit Corpus Christi vt productum.

SECTIO VI.

38 NOn loquimur de esse producto simpliciter, quia certum est, hoc pacto non produci, cum præexistat, sed secundum esse replicatum quod licet sit idem esse, habet tamen aliquid de nouo, nempe replicationem, per quam fit, vt pluries existat.

39 Prima sententia est negatiua. Ita Vasquez 1.*par. disput.*181.*cap.7.& sequentibus.* Valentia *disput.6.quæst.* 3.*punct.*3.§.*Quarto sequitur.* Corneius *quæst.*75.*art.*4. *disput.*2.*dub.*5. Ochagauia *tract.* 1. *de Eucharis. quæst.* 14 Hurtad. *disput.*4.*de Eucharis.diff.*7. & alij. Probant. Corpus Christi secundum suam substantiam non opponitur cum substantia panis. Ergo nec eius productio. Sola autem illa productio pertinet ad trãsubstantiationem, ex vi cuius desinit substantia panis. 2. Ex vi verborum Corpus Christi neque producitur, neque conseruatur, sed præsupponitur existens, quia verba solum habent vim ipsum ponendi præsupposita eius existentia. Ergo non interuenit productio. Quia transubstantiatio in eo solum consistit, quod est necessarium ad veritatem verborum, cum nec sola veritate ipsorum colligatur, vt definit *Concil. Trid. sess.* 13. *cap.*4. 3. Corpus Christi in Eucharistia non dicit aliquid, quod non dicat in cælo. Ergo non requirit alium influxum productiuum. 4. Ista actio terminaretur ad Corpus Christi vnum, atque adeò etiam ad animam; conuersio autem per se primò terminatur tantum ad Corpus Christi, quia terminatur tantum ad id, quod ex vi verborum ponitur sub speciebus.

40 Secunda sententia est affirmatiua: Ita Pesantius 3. *par.quæst.*75.*art.*4. Coninch *dub.* 1. Nugnus *difficul.*1. *concl.vltima.* & alij Thomistæ.

41 Notandum 1. Quemlibet effectum secundum suum esse singulare, licet in se sit quid finitum, contineri in potentia Dei infinito modo, quia omne quod continetur, per modum continentis continetur. Ex quo fit, quod in ordine ad essendum habeat quandam infinitatem syncategorematicam, quia potest fieri in actu commensuratiuè ad virtutem suæ causæ. Quia tamen per actualitatem limitatur, ideò non potest in se ipso habere infinitatem. Quacunque tamen actualitate accepta potest aliam, & aliam accipere.

42 Notandum 2. Ex hoc sequi, quod postquam Deus produxit hoc indiuiduum in hoc loco, possit etiam illud idem producere in alio loco; quia ibi habet illam eandem virtu-

virtutem, qua ipsum continet, & cum contineat infinito modo, potest de nouo producere, non obstante, quod alibi produxerit. Siquidem cum contineatur in potentia Dei infinito modo, potest accipere illam infinitatem, cuius creatura est capax, nempe syncategorematicam; & proinde singula indiuidua ita fiunt in actu, vt adhuc secundum idem esse possit pluries, & pluries fieri in actu, nam actus semel existendi non adæquat potentiam Dei, quæ, vt etiam continet tale indiuiduum, infinito modo se habet.

43 Notandum 3. Replicationem in eo consistere, non quod plurificetur esse, quod communicatur; sed quod idem esse pluries egrediatur de sua infinitate potentiali; quod in ipso esse nihil aliud dicit, nisi illam actualitatem, quæ correspondet infinitati, quam indiuiduum habet vt contentum in Diuina potentia. Hæc enim infinitas non potest reduci ad actum, nisi per repetitas productiones eiusdem esse.

44 Notandum 4. Indiuiduum pluries replicatum æquiualere pluribus, quia cum idem esse sit pluries communicatum, potest etiam pluries præstare, ac pati, quod semel posset, si non esset replicatum, non secus, ac si haberet multiplex esse. Sicut enim potest desinere secundum esse hic replicatum, & incipere, etiamsi non incipiat, aut desinat alibi, ita etiam quò ad agere, & pati.

45 Dico 1. *Transubstantiatio est actio productiua per replicationem substantiæ Corporis Christi: vnde terminus formalis est Corpus Christi, vt replicatum.* Desumitur ex Patribus quatenus docent, Corpus Christi fieri ex pane, quos in superioribus attulimus. Probatur. In Transubstantiatione fit conuersio totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, vt definit Concilium Trid. *sess.* 13. *capit.* 4. ita vt substantia Corporis Christi sit terminus ad quem. Ergo debet esse actio productiua substantiæ Corporis Christi, quia substantia non potest participare rationem termini ad quem, nisi producatur secundum esse replicatum, nam de ratione termini ad quem est, quod fiat per actionem, quam terminat. Confirmatur. Ista actio debet aliquid facere, cum sit ratio, qua agens operatur. Vel ergo facit substantiam Corporis Christi, vel non. Si primum: Ergo Corpus Christi acquirit esse de nouo secundum suum esse substantiale. Si secundum: ergo substantia Corporis Christi non est terminus conuersionis.

46 Dices. Esse actionem conuersiuam, non autem factiuam, & ideo non tribuere esse de nouo Corpori Christi. Contra. Actio conuersiua est ratio, per quam Corpus Christi est terminus transubstantiationis, & est in genere efficientis. Ergo debet dicere influxum factiuum, quia efficiens vt tale communicat esse effectui. Confirmatur. Omnis terminus actionis debet fieri secũdum quod terminat, quia actio est actualis influxus agentis in effectum. Corpus autem Christi secundum esse substantiale terminat actionem.

47 Dico 2. *Hæc actio est eadem secundum substantiam cum actione, qua primò fuit productum Corpus Christi, sed replicata.* Dixi secundum substantiam, quia, si consideretur vt conuersio, cum dicat ordinem ad terminum a quo positiuum, est diuersa secundum modum. Probatur. Actio dicit influxum agentis in terminum. Ergo cum sit idem terminus replicatus, erit etiam eadem actio replicata, cum actio debeat proportionari termino.

48 Ad 1. Distinguitur antecedens. Corpus Christi secundum se præcisè non opponitur cum substantia panis; opponitur tamen, vt habet esse tali modo replicatum, nam tunc dicit esse factum per conuersionem, atque adeò cum desitione substantiæ panis. Ad 2. Distinguitur antecedens. Ex vi verborum Corpus Christi non producitur secundum esse absolutè; producitur tamen secundum esse replicatum, quod supponit esse existens absolutè. Et hæc productio replicatiua est necessaria ad veritatem verborum, quia significant, quod ex substantia panis fiat Corpus Christi, atque adeo productione. Ad 3. negatur antecedens, quia in Eucharistia habet esse replicatum, quod non potest haberi, nisi per actionem communicatiuam eiusdem esse. Ad 4. Conuersionem, vt conuersio est, terminari tantum ad Corpus Christi. Quia tamen debent etiam cætera, quæ sunt vnita corpori, poni sub speciebus, ideò debet interuenire vltra actionem conuersiuam, qua replicatur Corpus Christi, etiam actio replicatiua animæ, quæ secundum substantiam erit creatio. Quando enim in aliquo effectu sunt plures entitates, interueniũt plures actiones distinctæ, cum actio aut identificetur cũ termino, aut sit modus illius. Hinc in casu nostro interueniunt plures actiones, quæ sunt diuersæ, nam in ordine ad Corpus Christi solum actio est conuersio.

An transubstantiatio terminetur ad præsentiam Sacramentalem.

SECTIO VII.

49 Prima sententia asserit, transubstãtiationem nullo modo nec primario, nec secundario terminari ad præsentiam Sacramentalem: ita Scotus *in* 4. *distin.* 11. *quæst.* 3. Durandus *ibidem*. Capreol. *quæst.* 1. *ar.* 3. *ad* 1. *Scoti.* Vasq. 3. *par. disp.* 182. *num.* 33. Hurtad. *disp.* 4. *de Euchar. difficul.* 9. Probant. Si præsentia esset terminus transubstantiationis, variata præsentia variaretur transubstantiatio, quod est falsum. 2. Alia accidentia non producuntur eadem actione, qua producitur substantia. Ergo. 3. Potest haberi præsentia sine transubstantiatione, vt si Deus prius annihilaret substantiam panis, & postea sub accidentibus poneret Corpus Christi. Ergo. 4. Supposita transubstantiatione est nouum miraculum, quod Christus sit tali modo præsens speciebus. Ergo requirit specialem actionem.

50 Secunda sententia asserit, esse terminum secundarium, ita Caietan. 3. *par. quæst.* 75. *art.* 1. & 2. Corneius *disput.* 2. *dub. vltimo.* & desumitur ex D. Thom. eadem *quæstione. art.* 2.

51 Dicendum est. *Præsentiam Sacramentalem haberi ex vi transubstantiationis tanquam terminum secundarium.* Probatur. Ista præsentia habetur ex eo, quòd ista conuersio fit per verba demonstratiua ad sensum, dum dicitur, *Hoc est corpus meum*, nam verba non possent esse vera, nisi sub sensibili, quod demonstratur, esset Corpus Christi. Ergo cum verba causent totum id, quod est necessarium pro ipsorum veritate, debent causare etiam hanc præsentiam. Ergo habetur vt terminus secundarius ex vi conuersionis, cum conuersio faciat, quòd terminus ad quem possit sensibiliter demonstrari.

52 Ad 1. negatur sequella. Quia talis præsentia non producitur per se, sed resultat ex termino producto. Ad 2. Quicquid sit de antecedenti negatur consequentia. Quia conuersio illam exigit in actu exercito, nam appropriat accidentia termini à quo termino ad quem; in hac autem appropriatione imbibitur præsentia. Ad 3. negatur consequentia. Quia licet sine transubstantiatione possit haberi talis præsentia, de facto tamen est terminus illius, quia resultat ex termino primario. Sic non valet; Corpus Christi potest esse sub speciebus sine transubstantiatione. Ergo de facto non est per transubstantiationem. Ad 4. Esse nouum miraculum, sed consequens necessario ad primum; quia, cum panis non possit conuerti in Corpus Christi, nisi accidentia panis ipsi appropprientur; & cum non possint appropriari, nisi Corpus Christi acquirat alium modum essendi, venit in consequentiam talis præsentia, & eo ipso quod creditur talis mutatio, creditur etiam præsentia.

(?)

An corpus Christi vt terminus transubstantiationis mutetur.

SECTIO VIII.

53 PRima sententia est negatiua. Ita Capreolus *in 4. distinct. 11. quæst. 1. art. 2. conclus. 3.* Richardo *ar. 1. quæs. 5. & 6.* D. Bonau. *distin. 10. ar. 1. quæst. 1. ad 2.* Sotus *dist. 9. quæst. 2. ar. 4.* Alens. *4. par. quæs. 34. memb. 3.* solet etiam citari D. Thom. *3. par. quæst. 75. art. 4. ad 1. & quæst. 76. artic. 6.* Sed loquitur tantum de Corpore Christi vt est in Cælo, vbi non subdit aliquam mutationem. Probant. Corpus Christi est in statu glorioso, & impassibili, atque adeò immutabili. Ergo non potest subire aliquam mutationem.

54 Secunda sententia asserit, mutari localiter positiue, quando incipit esse sub speciebus, & priuatiue, quando desinit esse, ita Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 1. §. Quantum ad istud.* Paludan. *quæst. 3. num. 14.* Gabriel. *art. 3. Conclus. 8.* Ochamus *quæst. 6.* Vasq. *3. par. disp. 182. nu. 33.* & alij.

55 Tertia sententia asserit, mutari substantialiter, non simpliciter, sed secundum quid ita Suarez *disput. 50. de Sacram. sect. 5.* Nugnus *3. par. quæst. 76. art. 6. diffic. 3.* Coninch *quæst. 75. ar. 4. dub. 5.*

56 Dicendum est. *Corpus Christi mutari impropriè, quatenus transit de non esse ad esse replicatum, quæ est mutatio substantialis secundum esse replicatum.* Probatur. Corpus Christi est terminus transubstantiationis, secundum suum esse substantiale, vt definit Concil. Trid. *sess. 13. cap. 4.* vnde acquirit de nouo esse replicatum sub speciebus, atque adeo nouam dependentiam à Deo, ergo mutatur de nõ esse replicato ad esse replicatum, & econtra, quando desinit.

57 Dices sufficere mutationem in substantia panis, & speciebus, quatenus continent de nouo Corpus Christi. Contra. Mutatio circa substantiam panis est negatiua, Ergo non potest fundare aliquid positiuum. Species autem ita continent Corpus Christi, vt ibi sit realiter substantia ipsius. Ergo mutatio non solum est circa species, sed etiam circa Corpus Christi, ita vt ponat ipsum sub speciebus.

Ad Fundamentum primæ sententiæ. Respondetur. Corpus Christi esse impassibile, & immutabile, prout est in Cælo, posse tamen mutari secundum esse replicatum.

DE PRÆSENTIA CORPORIS Christi in Eucharistia.

DISPVTATIO CI.

Qui sit præsentia localis Corporis Christi in Eucharistia.

SECTIO I.

1 CVm Corpus Christi sit sub speciebus panis, fit, quod habeat duplicẽ præsentiã; alterã ad species, & alterã ad locũ, in quo sunt species; cum. n. species possint mutare locum, mutat etiã Corpus Christi immutata præsentia ad ipsas species: vnde distinguuntur inter se hæ præsentiæ. Cum autem contentum non sit in loco per se primo, sed ratione continentis, ita etiam Corpus Christi est præsens loco ratione specierum. Quia tamen dicit ordinem ad locum, sicut etiam dicit substantiam, quæ est sub quantitate extensa, ita etiam dicit Corpus Christi, & ideo in se ipsa fundat hanc præsentiam. Quæ licet non sit passiua continentia localis est tamen quædam definitio, qua definitur ad illud tantum spatium.

2 Prima sententia asserit, esse modum superadditum Corpori Christi, & omnibus accidentibus ex natura rei distinctum de prædicamento vbi. Ita Suarez *disp. 47. de Sacram. sect. 1.* Nugnus *3. par. quæst. 75. art. 5. diffic. 15.* Corneius *art. 1. disput. 2. dub. 1.* Vasquez *disp. 190. c. 3.* Hurtad. *disput. 5. de Eucharist. diffic. 14.* & alij. Probant, Hæc præsentia acquiritur per nouam actionem realem, & deperditur remanentibus omnibus accidentibus Corporis Christi. Ergo est saltem modus superadditus.

3 Secunda sententia docet, non esse quid superadditum, sed tantum Corpus Christi applicatum tali spatio, ita Diuus Bonau. *in 2. dist. 2. par. 2. ar. 2. quæst. 1.* Scotus *quæst. 6. §. Ad propositum.* Ariminensis *quæst. 2. art. 2.* Gabriel *ibidem. Conclus. 4.* Marsil. *quæst. 2. art. 1.* & desumitur ex D. Thom. *1. par. quæst. 100. art. 3.* vbi docet, mobile non esse in potentia ad aliquid intrinsecum, sed tantum ad locum extrinsecum.

4 Notandum est. Res posse dupliciter considerari. Primo in se ipsis, vt sunt in suo esse physico. Secundo vt sunt in esse notionali. Primo modo dicunt illud esse, in quo præcise subsistunt à parte rei, quod est singulare, & determinatum. Secundo modo dicunt proprium esse, quatenus ab intellectu reducitur ad certam mensuram, in qua notificatiuo modo definiuntur in ordine ad cognitionem, vt nimirum possit intellectus determinata cognitione illas apprehendere.

5 Dico 1. *Hæc præsentia in suo esse physico, vt est à parte rei, non est quid superadditum corpori Christi; sed est illa complexio, qua corpus Christi, & spatium se inuicem complectuntur, ratione cuius communicant in ijsdem habitudinibus localibus, in ordine ad illos terminos, quibus definitur certus locus.* Probatur. Corpus Christi ex vi suæ entitatis habet totum id, quod in ordine ad præsentiam præstaret quilibet modus. Ergo talis modus non est necessarius. Antecedens probatur. Ideo talis modus daret esse præsens, quia copularet locatum cum loco. Sed corpus Christi potest per se ipsum copulari. Ergo. Minor probatur. Copulatio localis nihil aliud dicit, nisi quod locus contineat locatum, aut ipsum definiat, & quod locatum sit aptum contineri, aut definiri; hoc autem habet ex se ipso, quia si est quantum, habet vim repletiuam loci, & potest circumscribi. Si verò non est quantum, habet limitationem propriæ entitatis, & potest definiri. Confirmatur. Quod seipso est tale formaliter, non indiget superaddito, quo fiat tale. Locatum autem se ipso definitur aut circumscribitur loco, quia se ipso est definibile, &c. Ergo.

6 Dices. Requiri modum, vt definiatur potius hoc, quam illo loco. Contra. Eo ipso, quod applicatur huic loco, & communicat in eadem habitudine locali, definitur à tali loco, ergo non indiget modo superaddito.

7 Dico 2. *Hæc præsentia secundum esse definitiuè notificatum est aliqua formalitas superaddita extremis, quæ in ipsis subsistit.* Probatur. Quando concipimus rem præsentem, concipimus aliquam rationem, quam antea non concipiebamus; nempe communicationem loci & locati in ijsdem habitudinibus localibus. Ergo concipimus aliquid formale de nouo in esse notionali.

8 Ad fundamentum primæ sententiæ negatur consequentia. Quia hæc præsentia non producitur per se, sed cum sit implicite in extremis fit, in actu explicito, posita conditione applicationis locati ad locum; & similiter amittitur ablata hac conditione.

Quid

Quid sit præsentia corporis Christi ad species.

SECTIO II.

9 PRima sententia asserit, esse respectum, extrinsecus aduenientem, seu relationem ordinis: ita Scotus *in 4. distinc. 10. quæst. 1. art. 1. & distinc. 12. quæst. 1.* Durand. *ibidem.* Caietanus 3. *par. quæst. 79. art. 6.*

10 Secunda sententia asserit, esse modum realem, qui reducitur ad prædicamentum vbi: ita Suarez *disp. 47. de Sacram. sect. 2. concl. 5.* Corneius 3. *par. quæst. 75. art. 1. disput. 2. dub. 1.* Pesant. *quæs. 76. art. 3. disp. 4.* Hurtad. *disput. 5. de Eucharistia. diffic. 14.* Et ferè communiter recentiores. Probant. Modus præsentiæ localis, qui maneret in substantia panis destructis accidentibus, pertineret ad prædicamentum vbi. Ergo cum corpus Christi succedat in locum substantiæ panis, acquirit modum proportionalem. 2. Ex vi huiusmodi corpus Christi habet indistantiam respectu specierum. Ergo reducitur ad prædicamentum vbi.

11 Dico 1. *Hæc præsentia consistit in quadam copulatione, qua corpori Christi ita approprianiur species, vt communicet cum ipsis in ratione signati cum signo sensibili.* Desumitur ex D. Augus. *lib. 5. de Trinit. capit. 10.* Probatur. Hæc præsentia habetur ex vi transubstantiationis, quæ conuertens panem in corpus Christi, facit ipsum præsens sub accidentibus panis. Ergo consistit in eo, quod ponitur ex vi transubstantiationis; ponitur autem dicta appropriatio. Ergo. Confirmatur. Verba consecrationis significant, & ostendunt sensibiliter corpus Christi. Ergo cum efficiant, quod significant, ponunt talem copulationem, qua corpus Christi ex vi specierum sit sensibiliter demonstrabile. Confirmatur 2. Ex vi talis præsentiæ corpus Christi acquirit esse Sacramentale, atque adeò talis præsentia est Sacramentalis. Ergo acquirit copulationem cum signo sensibili; ex vi autem huius copulationis acquirit esse præsens.

12 Dico 2. *Hæc præsentia reducitur ad prædicamentum qualitatis, non quia sit qualitas, sed quia imbibitur in qualificatione, qua qualificatur corpus Christi ex eo, quod existit sub speciebus.* Probatur. Præsentia, quæ non est ad locum, sed ad aliquid aliud, reducitur ad prædicamentum, in quo est terminus præsentiæ; vnde præsentia formæ ad materiam reducitur ad prædicamentum substantiæ; præsentia autem corporis Christi ad species est tanquam ad qualitatem, quia vt signum Sacramentale qualificant corpus Christi constituendo in esse sacramentali. Ergo.

13 Dices. Qualitas informat; species autem non informant corpus Christi. Ergo. Respondetur. Non informare physicè; informare tamen artificialiter eo pacto proportionaliter, quo vna substantia applicatur alteri ad ipsam qualificandam, vt cum aliquid deauratur. Applicantur enim species ad tribuendum corpori Christi esse Sacramentale.

14 Ad 1. negatur consequentia. Quia substantia panis est præsens accidentibus ratione informationis, & ideo talis præsentia non reducitur ad vbi, sed potius ad qualitatem. Ad 2. Distinguitur antecedens. Fundat indistantiam ad species, non formaliter, & immediatè: sed tantum exigitiuè, quia ex eo, quod corpus Christi vt significabile copulatur cum speciebus, vt cum signo, consurgit exigentia eiusdem loci, atque adeò indistantia.

An præsentia ad species dicat aliquam vnionem.

SECTIO III.

15 PRima sententia est negatiua. Ita Scotus *in 4. dis. 11. quæst. 1. & 2.* Gabriel *quæst. 3.* Maior. *quæs. 4.* Argentinas *dist. 10. quæst. 2. ar. vltimo* Aliacens. *quæst. 5. art. 2.* Coninch *de Sacram. quæst. 75. art. 4. dub. 2.* Qui volunt, adesse tantum vnionem moralem ex pacto Dei, qui decreuit, quod Corpus Christi moueatur ad motionem specierum.

16 Secunda sententia asserit, dicere vnionem mutuam effectiuam, per quam corpus Christi conseruat efficienter species, & species conseruant præsentiam corporis Christi. Ita Suarez *disp. 47. de Sacram. sect. 3. conclus. 2.* Pesantius 3. *par. quæst. 76. ar. 6. disp. 1.* & alij.

17 Tertia sententia asserit, importare vnionem formalem accidentalem. Qualis autem sit, non explicat. Ita Vasq. 3. *par. disp. 190. cap. 3.* Corneius *quæst. 75. art. 1. disput. 2. dub. vlt.* Hurtad. *disp. 5. de Eucharist. difficul. 16.* & alij.

18 Quarta sententia asserit, includere vnionem, quæ sit ineffabilis, & incomprehensibilis. ita D. Thom. 3. *par. quæst. 76. art. 3.* Caietan. *quæst. 75. art. 1.* Capreol *in 4. dist. 10. quæst. 3. art. 3. ad primum Scoti contra secundam Conclus.* Palud. *quæst. 3.* Sotus *quæst. 1. art. 6.* Ledesma 1. *par. 4. quæst. 16. ar. 1. dub. 4. & ar. 4. dub. 5.* & alij.

19 Dico 1. *Esse necessariam aliquam vnionem inter corpus Christi, & species, quæ includatur in ipsa præsentia.* Desumitur ex D. Damasceno *lib. 4. de fide, capit. 14.* vbi docet, Deum coniunxisse Diuinitatem suam pani, & vino: & hæc fecisse corpus, & sanguinem suum. Probatur. Quædam conueniunt corpori Christi, quæ non possunt saluari cum sola indistantia locali absque vnione, vt moueri motum specierum, circumferri, & leuari, manducari. Ergo.

20 Dices. Saluari cum indistantiam ex pacto Dei. Contra. Pactum Dei ponit tantum extrinsecam ordinationem, non autem facit, quod corpus Christi communicet in passionibus cum speciebus panis: ita vt passiones specierum redundent in ipsum, quia non possunt aliqua communicare in passionibus, nisi aliquo modo communicent in esse per aliquam vnionem. Ergo.

21 Dico 2. *Præsentiam corporis Christi ad species dicere vnionem physicam, atque adeò sufficere, vt corpus Christi moueatur ad motum specierum, mãducetur &c.* Probatur. Hæc vnio fit per actionem physicam, nempe per conuersionem panis in corpus Christi: nam accidentia ex vi conuersionis approprientur corpori Christi, & transeunt ad ipsum continendum. Vnio autẽ ex vi actionis physicæ est physica.

22 Dico 3. *Hanc vnionem esse diuersam ab omni alia, imitari tamen quò ad aliquid vnionem accidentis cum subiecto.* Probatur. Accidens ita vnitur cum subiecto, vt ipsum contineat sub se ipsi inhærendo, & faciat sensibile: accidentia autem Eucharistica præcisa inhærentia continent corpus Christi, & faciunt sensibile. Ergo.

23 Dico 4. *Præter vnionem physicam dari etiam vnionem Sacramentalem fundatam in physica, quam vniuntur extrema in ratione signi, & significati.* Probatur. Species Sacramentales non sunt signa separata à re significata, nam verba significant, quod sint signum coniunctum, quia dicitur, *Hoc est corpus meum*, vnde significatur corpus Christi esse intimè præsens. Ergo ex vi signi dicunt vnionem, quia signũ non potest esse coniunctum, nisi vniatur cum re significata.

24 Obijcitur. In alijs Sacramentis non interuenit vnio physica. Ergo neque in hoc. Respondetur negando consequent. Quia alia Sacramenta sunt tantum signum gratiæ, quam causant: non autem continent aliquid, quod significet: nec in ipsis interuenit conuersio, qua vnum conuertatur in aliud.

25 Obijcitur 2. Esse Sacramentale non dicit, quid physicum supra res quibus constat Sacramentum. Ergo nec etiam vnio Sacramentalis. Respondetur distinguendo consequens. Vnio Sacramentalis non dicit aliquid physicum formaliter. Dicit tamen præsuppositiuè, quia in hoc Sacramento, præsupponit vnionem physicam, vt fundamentum, cum sit vnio in ratione signi coniuncti.

An

An præsentia Corporis Christi sit supernaturalis.

SECTIO IV.

26 PRima sententia asserit, esse supernaturalem quò ad modum, non autem quò ad substantiam: ita Scotus *in 4. distinct. 10. quæst. 8.* Vasq. 3. *par. disput. 191. cap. 2.* & communiter Scotistæ. Probant. Hæc præsentia non est supernaturalis respectu substantiæ spiritualis. Ergo nec secundum se, sed resultat ablata extensione à corpore.

27 Secunda sententia asserit, esse supernaturalem quò ad substantiam. ita Caietan. 3. *par. quæst. 75. art. 6.* Valentia *disput. 6. quæst. 3. punct. 3.* Suar. *disput. 53. de Sacram. sect. 5.*

28 Dicendum est. *Præsentiam corporis Christi tàm ad locum, quàm ad species secundum suum esse formale, seu notionale, quod habet in definitiua mensura nostri intellectus esse supernaturalem quoad substantiam.* Probatur. Quod est supra exigentiam subiecti, & non potest fieri per quascunque causas creatas, est supernaturale quoad substantiam. Sed talis præsentia est supra exigentiam corporis Christi, & non potest fieri per aliquas causas creatas, siquidem fit ex vi transubstantiationis, quæ est possibilis soli Deo agenti supernaturali modo. Ergo. Confirmatur. Contineri sub alienis accidentibus, ita vt, quod est sensibile, & quantitatiuo modo existens, contineatur sub ipsis insensibiliter & indiuisibili modo, est supra exigentiam totius naturæ, quia exigentia substantiæ coarctatur ad propria accidentia. Hæc autem præsentia dicit talem continentiam. Ergo.

29 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptū. Quia talis præsentia non est eiusdem rationis cum præsentia substantiæ spiritualis. Quia non supponit subiectum indiuisibile, ex quo consurgat, sed facit quod subiectum diuisibile existat indiuisibili modo, ita vt dicat per se ordinem ad subiectum diuisibile retinens suam intrinsecam diuisibilitatem.

An hæc præsentia sit indiuisibilis.

SECTIO V.

30 PRima sententia asserit, esse diuisibilem ex parte subiecti, indiuisibilem autem ex parte spatij: ita Suar. *disput. 48. de Sacram. sect. 1.* Becanus 3. *par. trac. 2. cap. 17. q. 13. §. secundo corpus.*

31 Secunda sententia asserit, esse indiuisibilem ex parte spatij, diuisibilem verò ex parte subiecti: ita Corneius 3. *par. quæst. 75. art. 1. disput. 2. dub. 1. §. Quæres quarto:* & alij.

32 Dico 1. *Hæc præsentia habet diuisibilitatem quasi intensiuam, non verò extensiuam, tum in ordine ad subiectum, tum in ordine ad spatium.* Probatur. Dicit ordinem ad subiectum, quod habet partes inuicem separabiles. Ergo etiam præsentia habet partes ratione subiecti, quia si desinat vna pars subiecti, desinet etiam pars præsentiæ. Rursus omnes partes subiecti sunt simul sine extensione locali, & in ordine ad eamdem partem spatij. Ergo diuisibilitas non est secundum extensionem, cum non sit in ordine ad partes extensas.

33 Dico 2. *Ratione spatij est diuisibilis, non ratione diuisibilitatis subiecti, sed ratione virtualis replicationis, quæ potest fieri formalis.* Probatur. Hæc præsentia est commensurata naturæ specierum. Ergo. Diuiditur ad diuisionem specierum, & consequenter etiam in ordine ad locum, & tamen non diuiditur corpus Christi, cum totum remaneat sub qualibet parte. Ergo non est in ordine ad diuisibilitatem subiecti, sed ad virtualem replicationem ipsius.

34 Dices. In tali casu amitti præsentiam præcedentem indiuisibilem, & aliam de nouo produci. Contra. Corpus Christi non amittit præsentiam ad species, alioqui amplius illam non exigeret. Ergo cum diuisio non faciat præsentiam amitti, non desinet prior præsentia.

35 Dico 3. *Licet hæc præsentia habeat has diuisibilitates, facit tamen præses indiuisibili modo, quia istæ diuisibilitates non opponuntur cum modo essendi indiuisibili.* Probatur. Præsentia dicit intrinsecum ordinem ad subiectum, cui debet proportionari. Ergo cum ex vi transubstantiationis corpus Christi replicetur totum virtuali replicatione sub singulis partibus specierum, debet præsentia, quæ ex ipso resultat, constituere præsens indiuisibili modo.

An præsentia Sacramentalis dependeat à naturali.

SECTIO VI.

36 PRima sententia est negatiua. Ita Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 4.* Maior *quæst. 7.* Sot. *quæst. 1. art. 2.* Gabriel *lect. 47. in Canon. missæ.* & alij.

37 Secunda sententia asserit, non dependere ex natura rei, sed solum ex institutione. ita Suarez *disput. 48. de Sacram. sect. 2.* Vasquez 3. *par. disput. 192. capit. 1.* Nugnus *quæst. 76. art. 2. difficult. 3.* Corneius *q. 75. art. 1. disp. 2. dub. 1.* & alij.

38 Dico 1. *Præsentia Sacramentalis non exigit essentialiter præsentiam naturalem.* Probatur. Naturalis non dependet à Sacramentali. Ergo nec Sacramentalis à naturali, nam militat eadem ratio cum non possit assignari aliqua ratio, vnde proueniat dependentia.

39 Dices. Præsentiam Sacramentalem habere pro subiecto corpus Christi replicatum, quod necessario supponit idem corpus, vt habens esse absolutum. Contra. Per accidens est, quod hæc præsentia sit in corpore replicato, nam posset esse etiam in corpore, quando primo producitur.

40 Dico 2. *Præsentia Sacramentalis ex vi institutionis dependet à naturali in genere efficientis moralis in fieri, non autem in facto esse.* Probatur. Christus concurrit ad consecrationem, vt principalis consecrans: ita vt verba proferantur in persona ipsius. Ergo ex vi institutionis præsentia Sacramentalis dependet à naturali. Consequen. probatur. Verba non possunt proferri in persona Christi, nisi Christus sit in statu, in quo possit proferre, alias falso proferentur. Ergo supponunt Christum existentem de facto in sua præsentia naturali, quia de præsenti significant in persona Christi.

41 Obijcitur corpus Christi ponitur in Sacramento, quale est extra ipsum viuum, vel mortuum: passibile, vel impassibile. Ergo præsentia Sacramentalis dependet per se à naturali. Respondetur. Poni ex vi veritatis verborū, non autem ex vi præsentiæ Sacramentalis, & ideò dependentia non est ratione præsentiæ Sacramentalis, sed ratione institutionis.

42 Obijcitur 2. Si corpus Christi examinaretur extra Sacramentum examinaretur etiam in Sacramento, cum ibi sit tantum per concomitantiam ratione vnionis cum corpore. Ergo. Respondetur negando sequellam. Sicut enim posset replicari corpus non replicata anima, cum sint entitates distinctæ; ita etiam corpus in vno loco vnitum animæ, licet in altrò non sit vnitum. Ad Probationem. Adhuc anima esset in Sacramento per concomitantiam, quia retineret vnionem cum corpore, prout est replicatum in Sacramento.

An hæc præsentia sit definitiua.

SECTIO VII.

43 Conueniunt omnes. Corpus Christi ita esse sub vna hostia, vt possit etiam esse sub alijs, quod de fide est. Vnde ista præsentia non fundat negationem aptitudinis essendi alibi Sacramentaliter. Rursus. Corpus Christi contineri finito modo intra terminos loci, qui correspondet speciebus, vnde solum difficultas est, an definitio localis conueniat propriè huic præsentiæ.

44 Prima sententia est negatiua: Ita D. Thom. 3. *par. quæst.76.art.5.ad* 1. Alensis 4.*par.q.40.memb.3. art.6.* §.1. Scotus *in 4.distinct.* 10.*qu.*1. Suarez. *disp.48. de Sacram.sect.*4.& communiter Thomistæ.

45 Secunda sententia asserit, esse definitiuum: Ita Gabriel *in 4.distinct.* 10.*quæst. vnica ar.2.conclus.*7. Palud. *quæst.*3.*ar.*2.& alij.

46 Dicendum est. *Corpus Christi esse definitiuè in loco, ita vt propria ratio definitionis saluetur in tali præsentia.* Probatur. Ideo Angelus est definitiuè in loco, quia ita est in ipso, vt quantum est ex se non possit esse alibi; sed neque corpus Christi, quantum est de se, potest esse alibi, sed necessaria est noua replicatio. Ergo. Confirmatur. Angelus, si replicetur, aut si panis conuertatur in ipsum, vt posse fieri communiter docent, potest esse alibi, & tamen est in loco definitiuè. Ergo.

47 Dices. Esse disparem rationem. Quia Angelum posse replicari est supra naturam ipsius: vnde cum non habeat connaturalẽ aptitudinem, ideò definitur loco. Corpus autem Christi semel replicatum habet connaturalem aptitudinem essendi alibi. Contra. Corpus Christi replicatum non potest esse alibi, nisi per aliam replicationem. Ergo non habet connaturalem aptitudinem essendi alibi, quia replicatio est supra naturam illius, quod replicatur, cum fundetur in sola potentia Dei. Confirmatur. Ista aptitudo non potest fundari in substantia corporis Christi replicata, cum sit eadem numero, & ante replicationem non dicat hanc aptitudinem; nec in ipsa præsentia, quia est coarctata ad certos terminos. Ergo.

48 Dices 2. Præsentiam Sacramentalem posse esse maiorem adæquata, non autem naturalem. Contra. Ideo præsentia naturalis non dicit aptitudinem essendi alibi, quia est adæquata subiecto, in quo reperitur. Sed etiam Sacramentalis est adæquata subiecto, prout habet esse Sacramentale: ita vt non possit esse maior in ordine ad ipsum, quia non potest excedere præsentiam specierum Sacramentalium. Ergo.

49 Obijcies. Esse definitiuè in loco, dicit negationem aptitudinis ad essendum alibi, quæ sit connaturalis. Præsentia autem Sacramentalis non dicit hanc negationem, Quia hæc præsentia non habet terminum, neque ex vi suæ formalis rationis, quia semper potest crescere; nec ratione subiecti, quia subiectum potest semper replicari in maiori loco. Ergo. Respondetur negando minorem. Quia etiam præsentia Sacramentalis, quantum est ex sua ratione, habet terminum, cum claudatur intra certos limites locales, nec potest crescere, nisi ponatur noua præsentia, & quod subiectum possit in alio loco replicari, non est quid connaturale, sed tantum dicit non repugnantiam. Vnde eodem modo, si replicetur subiectum secundum præsentiam naturalem, poterit hæc præsentia crescere, sicuti crescit Sacramentalis.

DE EO, QVOD EST IN EVcharistia.

DISPVTATIO CII.

An sub qualibet specie sit totus Christus.

SECTIO I.

1 Dicendum est. Totum Christum integrum esse sub qualibet specie. Ita communiter, cum D. Thom. 3.*par.quæst.76.art.*1. & 2. Et desumitur ex Patribus Hilario *lib.8.de Trinit.* Gregor. Nazian. *epist.*1. *ad Cledonium.* Cyrillo *Alexandri.li.4.in Ioan. cap.*15. Ambros. *de iniciandis cap.*9. Cyprian. *lib.4.epist.6.* August. *in Psalmum* 33. & alijs. Et est de fide definitum in Concil. Constantien. *sess.*13. Florent. *in Decreto Fidei.* Trident. *sess.13.cap.3.*& *sess.21.cap.3.* & *can.3.* Probatur Ioan.6. *Qui manducat me, viuet propter me.* Rursus *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Non possent autem nomina suppositalia dici de Eucharistia, nisi sub ipsa esset suppositum Christi. Nam si ibi esset tantum corpus, non posset Christus dicere, *Ego sum panis*, sed solum, *Corpus meum est panis.* Neque manducaretur Christus. Ergo. Confirmatur. Quando Christus ponitur sub Eucharistia, anima non separatur à corpore, ita vt possit dici, quod Christus moriatur. Nam ad Rom.6. habetur. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.* Neque fit dissolutio vnionis hypostaticæ. Ergo ponitur ibi totus Christus.

2 Obijcit Caluinus. Christus ostendens panem, dixit, esse corpus solum, & ostendens calicem, dixit esse sanguinem, ergo cum distinxerit corpus à sanguine, vbi est corpus, non est sanguis. Respondetur, Distinxisse corpus à sanguine secundum signa Sacramentalia; non autem secundum esse, quia videlicet instituit refectionem spiritualem, in qua se ipsum exhiberet, & ideò se exhibuit sub signo cibi, & potus, vt conuiuium esset integrum. Instabis. Corpus Christi est tantum sub speciebus panis ex vi conuersionis. Ergo cum panis conuertatur tantum in corpus, & non in sanguinem, erit tantum corpus sub speciebus. Respondetur distinguendo consequens. Solum corpus erit sub speciebus panis per se ex vi conuersionis formaliter. Concomitanter vero erit etiam sanguis, anima, &c. ratione vnionis cum corpore.

3 Obijcit 2. Ioan.6. Christus dixit, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ergo sola caro est sub specie panis, & solus sanguis sub speciebus vini. Respondetur. Negando consequent. Quia nomine carnis intelligit corpus ponendo partem pro toto, vt constat, ex verbis consecrationis: vnde etiam Ioan. 1. dicitur *Verbum Caro factum est.*

An corpus Christi sub Eucharistia habeat omnia sua accidentia.

SECTIO II.

4 Difficultas procedit de quantitate, ex eo, quod Christus sub Eucharistia caret extensione. 1. Sententia asserit, adesse quantitatẽ, sed absq; suo effectu formali, quia cum quatitas non distinguatur à se quãta, vt faciat quantum, requirit extensionem. ita Maior *in 4. dist.10.q.*2. Gabr. *q. vnica art.*2. Ocham *q.*4. & alij nominales. item Durand. *in 4.distinc.* 10. *quæst.*2. qui negat, quantitatem esse in corpore Christi, etiamsi distinguatur

tur à re quanta. Probant. Extenſio eſt de eſſentia quantitatis, aut ſaltem de conceptu rei quantæ. Ergo vbi non eſt extenſio, neque eſt quantitas, aut ſaltem eius effectus formalis.

5 Secunda ſententia aſſerit, quantitatem cum ſuo effectu formali eſſe in corpore Chriſti, ita D.Tho. 3.*par. q.* 76.*art.*4. Caietan. Coninch, Nugnus, *ibidem*, Corneius *diſp.*1.*dub.*1. Vaſq.*diſp.*187.*cap.*2. Alenſis *par.*4. *q.*10. *memb.*7.*art.*3.§.4. D.Bonau.*in* 4.*diſt.*10.*art.*1.*quæſt.*2. Richard.*ibidem*, Palud. *quæſt.*2. Scotus, *quæſt.*1. §. *De ſecundo*. Aureolus *quæſt.*3.*art.*1. Sotus *quæſt.*2.*art.*4.& communiter.

6 Dico 1. *Omnis realis entitas, quam Chriſtus habet in cælo, & eſt abſoluta à loco, ineſt etiam ipſi in Euchariſtia*. Probatur. Concil. Trid. *ſeſſ.*13.*cap.*3. & *can.*1. definit in Euchariſtia eſſe etiam animam, & ſanguinem ſimul cum corpore ratione naturalis connexionis, & Diuinitatem ratione vnionis hypoſtaticæ. Ergo connexio naturalis entitatum cum corpore Chriſti eſt ſufficiens fundamentum inferendi exiſtentiam in Euchariſtia rei connexæ. Sed omnis entitas, ſiue ſit quantitas, ſiue aliud accidens, eſt connexum cum corpore Chriſti. Ergo.

7 Dices. Eſſe diſparem rationem, quia quantitas coexigit locum, cui coextendat rem quantam. Contra. Poteſt Deus, quod producit in vno loco, producere etiam in alio, cum ibidem habeat eandem virtutem. Ergo poteſt partes quantitatis, quas producit in diuerſis locis, producere etiam in eadem parte ſpatij, & ponere in actu quantitatem ſine extenſione. Confirmatur. Nulla extenſio determinata eſt de eſſentia quantitatis, cum poſſit eſſe ſine hac, & ſine illa. Ergo nulla extenſio cum permaneat eadem quantitas variata extenſione.

8 Dico 2. *Quantitas in corpore Chriſti ſub Euchariſtia non habet modum eſſendi quantitatiuum in actu ſed tantum in potentia, atque adeò non tribuit ſuum effectum formalem eſſendi quantitatiuo modo*: ſequitur ex dictis in Phyſic. Vbi oſtendimus, quantitatem non diſtingui à re quanta, & cõpleri in ſuo modo eſſendi per extenſionem. Probatur. Extenſio eſt aliquid in ratione quantitatis: vnde fundat aliquas paſſiones proprias ipſius, vt commenſurabilitatem, proportionem, æqualitatem, &c. Ergo dicit modum eſſendi quantitatiuum tanquam proprium quantitatis. Ergo cum in corpore Chriſti non ſit extenſio, neque etiam erit modus eſſendi quantitatiuus.

9 Ad fundamentum in oppoſitum reſpondetur. Extenſionem formalem eſſe de eſſentia quantitatis, vt dicit modum eſſendi quantitatiuum. Solum autẽ extenſionem virtualem eſſe de eſſentia quantitatis, vt dicit ſuam præciſam entitatem. Hæc autem extenſio virtualis ſolum dicit, quod quantitas poſſit extendi in ordine ad locum, extenſio autem formalis eſt modus ſuperadditus. Inſtabis. Ita ſe habet extenſio in ordine ad locum reſpectu quantitatis, ſicut actualis diſcretio reſpectu numeri. Ergo. Sicut numerus non poteſt eſſe ſine actuali diſcretione ſecundum plures vnitates. ita nec quantitas ſine actuali extenſione. Reſpondetur. Extenſionem actualem ſe habere reſpectu quantitatis ſicut ſe habet diſcretio reſpectu numeri, ſi quantitas conſideretur ſecundum modum eſſendi quantitatiuum: ſicuti autem vnitates numericæ poſſunt amittere diſcretionem per continuationem vnitatum, ita etiam quantitas extenſionem actualem. Inſtabis 2. Figura non poteſt ſeparari à quantitate, quia non poteſt dari quantitas finita ſine termino. Ergo. Nec extenſio actualis, ſine qua non poteſt intelligi figura. Reſpondetur. Figuram ſecundum eſſe radicale non poſſe ſeparari à quãtitate. Poſſe tamen ſeparari ſecundum eſſe formale. Quia ſecundum hoc conſequitur ad modum eſſendi quantitatiuum. Hinc figura organica eſt in corpore Chriſti in ordine ad ſe, non in ordine ad locum, quatenus dicit exigentiam certorum terminorum in ordine ad locum.

10 Obijcies. Subſtantia ſpiritualis non poteſt exiſtere diuiſibiliter. Ergo nec quantitas indiuiſibiliter. Reſpondetur negando conſequent. Quia modus eſſendi diuiſibiliter ſupponit eſſentialiter partes, vt fundamentum, quæ non ſunt in ſubſtantia ſpirituali. At modus eſſendi indiuiſibiliter, non ſupponit carentiam partium, ſed tantum carentiam actualis extenſionis.

DE MODO QVO CHRISTVS ponitur ſub Euchariſtia.

DISPVTATIO CIII.

Quænam ſint in Euchariſtia ex vi verborum, & quæ per concomitantiam.

SECTIO I.

1 Concilium Trident. *ſeſſ.*13.*cap.*3. docet, corpus Chriſti poni ſub ſpeciebus panis ex vi verborum. Cætera autem per concomitantiam; & ſanguinem poni ex vi verborum ſub ſpeciebus vini & cætera per cõcomitantiam, quod etiam antea communiter tradiderunt doctores cum D.Thom. 3.*par. quæſt.*76.*art.*1. Et ratio eſt. Quia ex vi verborum ponitur ſub ſpeciebus id, quod ipſa ſignificant. Verba autem conſecratiua panis ſignificant ſolum corpus, & conſecratiua vini ſolum ſanguinem.

2 Ex his colligitur ſub ſpeciebus panis eſſe omnes illas partes ex vi verborum, quæ pertinent ad integritatem ſubſtantialem, vt carnem, oſſa, neruos, vngues, dentes, pilos, capillos, &c. Quia omnes hæ partes pertinent ad integritatem ſubſtantialem corporis Chriſti, & de facto in ipſo reperiuntur. Et proinde ſignificantur. Econtra verò ſanguinem, atque adeò etiam alios humores, vt phlegma, bilem &c. eſſe tantum ſub ſpeciebus panis per concomitantiam, vt definiunt Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.*13.& Trident. *ſeſſ.*13.*capit.*3. Quia licet ſanguis ſit pars integralis humanæ naturæ, non eſt tamen pars corporis, quia eſt in ipſo tanquam in vaſe. Et licet non vniatur cum corpore adeſt tamen coexigentia mutua, in qua fundatur concomitantia. Similiter Animam eſſe ſub ſpeciebus panis non ex vi verborum, ſed per concomitantiam, ratione vnionis cum corpore.

3 Colligitur 2. Totum ſanguinem Chriſti eſſe ex vi verborum ſub ſpeciebus vini, vt contra nonnullos recentiores. Notant Suarez *diſput.*55.*de Sacram.ſect.*3. Corneius 3.*par.quæſt.*76.*art.*2.*diſput.*1. *dub.*2. Quia Concilium Trident. ſine limitatione docet, ſanguinem Chriſti poni ſub ipſis ex vi verborum, & quia verba conſecrationis ſignificant ſanguinem Chriſti; atque adeò totum illum ſanguinem qui eſt Chriſti. Nec obſtat, quod addatur, *Qui effundetur*, quia non additur, vt diſtrahatur pronomen, *Meum*, ſed vt ſignificetur finis, ad quem ſanguis Chriſti ordinabatur. Humores autem qui ſunt admixti ſanguini, vt phlegma ponuntur tantum per concomitantiam, quia non ſunt ſanguis, & proinde non ſignificantur per verba: vnde fuerunt effuſi in paſſione tantum per accidens, & proinde etiam ſolum per accidens fuerunt pretium redemptionis.

4 Colligitur 3. Corpus, animam, & cætera, quæ contra diſtinguuntur à ſanguine eſſe tantum per concomitantiam, vt docet Concilium Tridentinum. Quia videlicet non ſignificantur per verba conſecrationis, quæ coarctantur ad ſignificandum ſolum ſanguinem.

5 Colligitur 4. Suppoſito, quod in triduo mortis potuiſſet fieri conſecratio, ſanguis qui erat diuiſus, futurum per modum vnius continui ſub ſpeciebus vini, vt contra Vaſquez 3.*par.diſp.*185. *c.*3. & Hurtad. *diſp.*5.*de Euchariſt.*

charist. diffic. 5. Notat Suarez *disp.* 55. *de Sacram. sect.* 3. Quia sub speciebus vini poneretur in eodem loco, atque adeo continuaretur non secus, ac si existeret quātitatiuo modo: nam modus essendi indiuisibilis non impedit continuationem, cum non ponat incommunicabilitatem.

Quomodo verbum, & Diuinitas sint in hoc Sacramento.

SECTIO II.

6 Supponendum est. Certum esse de fide, Verbum, & Diuinitatem esse in hoc Sacramēto ratione vnionis hypostaticæ cum corpore, & anima Christi, vt definit Concil. Ephesinum *Epistol. ad Nestorium* & Cōcilium Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. Vnde solùm difficultas est, an sit in ipso ex vi verborum, an verò per concomitantiam.

7 Dicendum est. *Tam Diuinitatem, quam verbum esse in hoc Sacramento solum per concomitantiam*. ita communiter cum D. Thom. 3. *par. q.* 76. *art.* 1. *ad* 1. Probatur. Verba nullo modo significant Diuinitatem neque Verbum, quia significant tantum corpus, & sanguinem: & Verbum nullo modo pertinet ad esse corporis, & sanguinis. Ergo non est ex vi verborum, cum eo solum sint ex vi verborum, quæ per ipsa significantur.

8 Dicendum 2. *Neque vnionem hypostaticam esse in hoc Sacramento ex vi verborum, sed solùm per concomitantiam*. Probatur. Verba non significant corpus, & sanguinem sub ratione vniti, sed sub ratione corporis, & sanguinis. Ergo non significant in recto, & formaliter vnionem ad verbum.

9 Obijcitur. Verba significant corpus subsistens. Ergo etiam subsistentiam verbi. Respondetur. Significare corpus subsistens specificatiuè, non reduplicatiuè, & formaliter. Vnde cum in suo esse physico non inuoluat subsistentiam verbi, nec etiam ponitur formaliter ex vi verborum. Instabis ly *Hoc*, sumitur substantiuè. Ergo significat subsistens. Respondetur negando consequentiam. Quia cadit supra corpus, atque adeò solùm supra id, quod dicit de suo formali. Ex eo autem, quòd corpus stet substantiuè, non dicit de formali substantiam, sed solùm connotatiuè.

10 Obijcitur 2. In termino à quo conuertitur etiam subsistentia panis. Ergo in termino ad quem subsistentia terminat conuersionem, atque adeò ponitur ex vi verborum. Respondetur negando consequen. Quia conuersio non requirit, vt tantum sit proportionaliter in termino ad quem, quantum est in termino à quo.

An aliæ Personæ Trinitatis sint speciali modo in hoc Sacramento.

SECTIO III.

11 Prima sententia est affirmatiua, quia nimirum ratione circumincessionis trahūtur, vt sint speciali modo in Eucharistia. Ita Suarez *disp.* 51. *de Sacramen. sect.* 6. Coninch 3. *par. q.* 76. *ar.* 2. *num.* 29. Vasquez *disp.* 185. *c.* 2. Hurtad. *disp.* 5. *de Eucharis. diffic.* 4. Probant. Pater, & Spiritus Sanctus sunt speciali modo in humanitate Christi. Ergo etiam in Eucharistia. 2. Hæ duæ personæ necessariò sunt, vbi est Diuinitas. Ergo speciali modo vbi speciali modo est Diuinitas. 3. Posita circumincessione deberent replicari in Eucharistia, si non essent immensæ. Ergo ratione connexionis circumincessionis sunt speciali modo in ipsa.

12 Secunda sententia est negatiua. Ita Nugnus 3. *par. q.* 76. *art.* 1. *diffic.* 3. *ad* 3. Corneius *art.* 2. *disp.* 2. *dub.* 4. & alij.

13 Dicendum est. *Has duas personas non esse speciali modo, & sacramentaliter in Eucharistia*. desumitur ex Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. *ex can.* 1. vbi enumerat substantialia, quæ sunt in hoc Sacramento per concomitantiam, & non recenset has personas: vnde cum eas omiserit, habentur pro exclusis, præsertim cum simus in materia dogmatica. Probatur. Dico Verbum, & Diuinitas sunt speciali modo in Eucharistia, quia verbum vnitur hypostaticè cum corpore, & Diuinitas identificatur cum verbo vt docet Triden. *sess.* 13. *cap.* 3. Ergo cum aliæ personæ non vniantur, nō erunt speciali modo in ipsa. Quia si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis.

14 Dices. Ex hoc sequi, quod non sint eodem modo; non autem, quod non sint alio speciali modo. Contra. Non possunt esse alio modo, nisi iste modus fundetur in vnione hypostatica. Quia vnio hypostatica est tota ratio concomitantiæ. Vnio autē hypostatica nullo modo se extendit ad ipsas, sicut se extendit ad Diuinitatē, inquantū est idem cum verbo; siquidem aliæ personæ non identificantur cum verbo, sed ab ipso realiter distinguuntur.

15 Ad 1. Patrem, & Spiritū Sanctū esse speciali modo in humanitate Christi, non ex vi vnionis hypostaticæ, sed ratione operationis, quæ licet communis toti Trinitati ipsis appropriatur; hoc autem nō habet locum in Eucharistia. Ad 2. negatur consequent. Quia est diuersa ratio de cæteris personis, & Diuinitate, siquidem non distinguuntur à Diuinitate, neque habent oppositionem cum ipsa, sicut distinguuntur & opponuntur cū Verbo. Ad 3. negatur sequella. Quia si non essent immensæ, non essent idem cum Diuinitate: atque adeo nec haberent circumincessionem.

An accidentia corporis, & Sanguinis Christi sint in Eucharistia ex vi verborum.

SECTIO IV.

16 Prima sententia asserit, nullum accidens esse in Eucharistia ex vi verborū. Ita Henricus *Quodlib.* 1. *q.* 5. Richard. *in* 4. *dist.* 10. *ar.* 1. *q.* 2. Sotus *q.* 1. *ar.* 4. *circa fin.* Palud. *q.* 2. Caietan. 3. *par. q.* 76. *art.* 4. Coninch *ar.* 2. *n.* 29. & alij. Probant. Accidentia non sunt terminus transubstantiationis, cum sit actio substantialis: vnde Trid. *sess.* 13. *c.* 3. habet, fieri conuersionem in substantiā corporis Christi. Ergo accidentia non sunt ex vi verborum. Quia verba non habent nisi vim conuersiuā. 2. Accidentia non sunt primariò in Eucharistia, sed rōne substantiæ, quod aūt est ex vi verborū, debet esse primario.

17 Secunda sententia asserit, illa accidentia, quæ sunt connaturalia, & quæ per se conueniunt, & intrinsecè comitantur substantiam, esse ex vi verborum, cætera verò per concomitantiam. Ita Suarez *disp.* 51. *de Sacram. sect.* 5. Vasq. 3. *par. disp.* 185. *c.* 4. Corneius *q.* 76. *ar.* 4. *disp.* 1. *dub.* 2. & 3.

18 Dico 1. *Accidentia, quæ sunt in corpore Christi, & non pertinent ad naturalē perfectionem ipsius, sunt in Eucharistia per concomitantiam*. Probatur. Hæc accidentia non significantur per verba, cum non veniant nomine corporis, siquidem non pertinent ad eius connaturalem perfectionem. Ergo non ponuntur ex vi verborū.

19 Dico 2. *Accidentia connaturalia perfectiua intra latitudinem corporis, vt quæ pertinent ad temperamentum, ponuntur ex vi verborum*. Probatur. Verba significant corpus Christi humanum, vt est à parte rei, atque adeò cum sua organizatione. Ergo cum ijs omnibus, à quibus constituitur in tali esse. Constituitur autem etiā per accidentia. Confirmatur. Magis sunt de integritate corporis ista accidentia, quàm sint aliquæ partes substantiales, vt vngues, capilli, &c. Ergo cum istæ partes ponantur ex vi verborum, vt quid de integritate, debent etiam poni accidentia.

20 Ad 1. Respondetur. Accidentia non esse primarium terminum transubstantiationis; esse tamen secundarium; quia terminatur ad corpus Christi, vt dicit suam integritatem. Concil. autem Triden. assignat terminum prima-

matium. Ad 2. Accidentia non esse primaria in Eucharistia comparatiuè ad substantiam, quia consequuntur ad ipsam; esse tamen primaria comparatiuè ad efficaciam verborum, quia significantur per ipsa.

21 Ex dictis colligitur. Accidentia, quæ inessent violenter corpori Christi, vt poterant inesse tempore cœnæ neque concomitanter poni in Eucharistia, quia concomitantia non fundatur in quacunque conuersione, sed in naturali, qua partes Christi connectuntur, vt docet Trid. *sess.13. cap. 3.* Hæc autem accidentia non connectuntur naturali vnione, sed violenta.

Quid intelligatur nomine corporis.

SECTIO V.

22 VT videamus, quale corpus sit sub speciebus ex vi verborum, videndum est, quid importetur nomine corporis. Certum est enim, nomine sanguinis, supposito, quod non informetur ab anima, importari illud compositum, quod constat ex materia, & tali forma. Si autem informatur ab anima, eadem difficultas est de ipso, ac de corpore. Omissis autem varijs responsionibus.

23 Dicendum est. *Nomine corporis importari corpus humanum organicum.* Probatur ly, *meum* in forma consecrationis determinat corpus, vt sit corpus suppositi Christi; solum autem corpus humanum organicum est corpus Christi. Confirmatur. Verba significant corpus, quod Christus de facto habet. Ergo corpus humanum organicum.

24 Dicendum 2. *Hoc corpus constitui in esse humani organici per formas partiales proprias cuiusque partis organicæ.* Probatur. Debet habere rationem corporis organici hoc est apti, vt sit instrumentum animæ pro operationibus vitalibus: ita vt ipsam trahat ad se concomitanter ratione vnionis. Ergo cum non habeatur ratio corporis, nisi habeatur substantia completa ex materia, & forma, debet corpus, vt pars contradistincta ab anima, constitui per proprias formas substantiales; alioquin ex vi verborum non ponetur corpus sub specicbus, sed sola materia prima, siquidem nō ponitur anima, nisi concomitanter vt definit Concil. Trid. Confirmatur. Partes corporis habent eam diuersitatem in dispositionibus, temperamento, & proprietatibus, quam habent cætera mixta, quæ differunt substantialiter. Ergo habent proprias formas substantiales, quibus tale temperamentum, & proprietates sint connaturales. Consequent. probatur. Quia cum anima sit eadem, & tota in qualibet parte corporis, etiamsi esset eminenter, & virtualiter caro, os, &c. non exigeret diuersas dispositiones in diuersis partibus, sed easdem in omnibus & singulis.

25 Obijcitur. Verum corpus est indifferens ad significandum corpus viuum, & mortuum, nam etiam de corpore mortuo verè diceretur, quod sit corpus Christi. Ergo ex vi verborum non ponitur corpus Christi viuum. Respondetur. Esse quidem indifferens præcisè consideratum, quia tamen dicit ordinem ad Christum viuum tanquam ad illum, cuius nomine verba proferuntur, determinatur ad significandum corpus viuum, quia nisi corpus Christi viueret, non possent verba tribui Christo, vt moraliter proferenti.

DE MODO QVO CHRISTVS existit in Eucharistia.

DISPVTATIO CIV.

An Christus sit totus sub qualibet parte specierum diuisa.

SECTIO I.

1 DIcendum est. Totum Christum remanere sub singulis particulis specierum diuisis. Ita communiter cum D.Thom. *3.par. quæst.66. art.3.* & est de fide definitum ab Eugenio IV. *in Concil. Florent. in decreto fidei.§.Tertium est.* & in Concil. Trid. *sess.13.cap. 3.* & *can.3.* & in cap. *Singuli,* & in cap. *Qui manducat. de consecrat.dist.2.* Probatur. Christus in cæna instituens hoc Sacramentum facta consecratione fregit panem, & distribuit Discipulis Matth.26. & Lucæ 22. & consecrauit vnum calicem, de quo dedit singulis discipulis, vnde dixit *Accipite, & diuidite inter vos.* Ergo sub singulis partibus panis, & vini erat totum corpus Christi, & sanguis; quia tàm sanguis, quàm corpus existunt in hoc Sacramento indiuisibili modo. Confirmatur. Facta diuisione specierum de qualibet parte verè dicitur, quòd sit corpus Christi, quia verba consecrationis respiciunt terminum in facto esse, atque adeò verificantur, quamdiù manet terminus: non possent autem verificari, si totum corpus non esset sub qualibet parte.

An ante diuisionem sit totus Christus sub singulis partibus.

SECTIO II.

2 PRima sententia asserit, esse sub ijs partibus, sub quibus, si separarentur, posset conseruari substantia corporis Christi. ita Alensis *par.4.q.10.mem.7.ar.3. §.5.in fine.* D.Bonau. *in 4.dist.10.par.1.q.5.* Gabriel *lection.80.in Canonem missæ littera I.* Probant. In ea parte est totus Christus ante separationem, in qua post separationem potest cō seruari. Ergo in ea, in qua non potest conseruari, non est totus. Non potest autem conseruari in ea, in qua non potest conseruari substantia panis.

3 Secunda sententia asserit, ante diuisionem esse sub omnibus partibus licet minimis. Ita D.Th. *3.par.q.76. ar.3.* Caietan. Nugnus, & Coninch *ibidem.* Corneius *art. 4.disp. 2.dub.1.* Vasq. *disp.188.c.3.* Richard. *in 4.dist.10. art.1.q.2.* Sotus *q.1.art.3.* Capreol. *q.4.ar.3.ad 2.contra 1.conclus.* Maior. *q.1.§.4.arguitur.* Suarez. *disput.52. de Sacram.sect.2.* & alij.

4 Dicendum est. *Christum esse totum sub qualibet parte specierum minima, & minima designabili ante consecrationem.* Probatur. Si Christus non est totus sub qualibet minima parte designabili, vel est ibi secundum partem, vel nullo modo. Si primum; ergo Christus non existit indiuisibili modo, sed est pars in parte. Si secundum: ergo neque erit in parte minima proximè subsequente, atque adeò absolutè non erit in Eucharistia: quia panis constat ex his partibus minimis confirmatur si non esset sub singulis partibus, neque esset post diuisionem. Quia in diuisione partes retinent id solum, quod prius continebant, cum non fiat noua actio consecratiua. Confirmatur 2. Tota substantia panis cōuertitur in corpus Christi, atque adeò corpus Christi succedit sub accidentibus in locū panis. Substantia autem panis erat sub qualibet minima particula, rursus non est quantitatiuo modo sub speciebus, alioquin non posset configurari speciebus. Ergo indiuisibili modo. Ergo correspondet substātiæ panis

consideratæ secundum substantiam, non secundum modum quantitatiuum. Secundum autem substantiam correspondet singulis minimis partibus accidentium.

5 Dices. Substantiam panis esse sub qualibet minima particula secundum totalitatem essentialem, non verò secundum totalitatem entitatiuam. Contra. Conuersio fit ex vi totalitatis essentialis panis, quia ratione essentiæ est terminus à quo, cum nihil referat, quod sit hæc, vel illa entitas. Ergo corpus Christi debet secundum totalitatem essentialem succedere vbicunque erat totalitas essentialis panis, non potest autem, nisi succedat etiam secundum totalitatem entitatiuam, quia corpus Christi est organicum inuoluens in sua essentia partes heterogeneas.

6 Dicendum 2. *Ita totum Christũ esse in singulis partibus, vt non sit ibi per plures replicationes formaliter multiplicatas, sed per æquabilem diffusionem propriæ substantiæ in omnes partes, eo modo, quo anima æqualiter diffunditur secundum se totam, in quamlibet partem corporis.* Probatur. Verba consecrationis significant corpus per modum vnius, in ordine ad totam quantitatem specierum, & semel significant, non autem pluries. Ergo corpus Christi est sub speciebus per vnicam tantum replicationem. Quia si essent plures replicationes formaliter, deberent verba significare corpus Christi pluries, & importare plures actiones replicatiuas.

7 Dicendum 3. *Replicationes virtuales fieri formales ad diuisionem specierum.* Probatur. Species continent corpus Christi iuxta suam exigentiam. Ergo cum sint diuisibiles, exigunt corpus Christi ita replicari sub ipsis, vt ad ipsarum diuisionem plurificetur replicatio ipsius.

8 Ad fundamentum 1. sententiæ negatur consequen. Quia fundatur in eo, quod si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negotiationis: vnde cum posse in aliqua parte conseruari substantiam panis post separationem, non sit causa, quod totum corpus Christi existat sub ipsa, neque non posse conseruari, erit causa cur non existat. Ratio autem, cur totum existat in qualibet parte, est, quia existit indiuisibili modo.

Quomodo corpus Christi existat indiuisibili modo.

SECTIO III.

9 SVpponendum est, Corpus Christi acquirere modum essendi indiuisibilem ex eo, quod amittat modum essendi quantitatiuum; quia cum habeat esse positiuum ex amissione vnius modi essendi, debet alius consurgere, qui fundet negationem modi amissi. Vnde cum modus amissus sit diuisibilis, modus consurgens debet esse indiuisibilis, cum solus ipse fundet negationẽ modi essendi diuisibilis.

10 Dicendum est. *Corpus Christi ex eo habere modum essendi indiuisibilem, quod Deus sub qualibet parte specierum ponit totum illud esse corporis Christi, quod poneret sub alijs partibus, si tribueret modum essendi diuisibilem.* Probatur. Modus essendi indiuisibilis in eo consistit, quòd res sit tota in toto, & tota in qualibet parte. Sed hoc habetur ex eo, quod omnes partes corporis Christi ponantur sub singulis partibus specierum, Ergo &c.

11 Dices. Deum nõ posse producere in alia parte illud esse, quod iam producit in vna. Contra, corpus Christi continetur in potẽtia Dei infinito modo, quia quicquid continetur, per modum continentis continetur. Ergo potest ita produci in vna parte, vt simul etiam producatur in alia: quia, ex eo, quod producitur in vna, non extrahitur à potentia Dei, prout potest produci in alia.

12 Dices 2. Ex hoc sequi, quod posset habere iniquitatem, & crescere entitatiue in infinitum. Contra licet contineatur in Deo infinito modo, ex parte tamen termini habetur tantum infinitas syncathegorematica. Ergo semper terminus erit finitus, quia infinitum syncategorematicum non potest fieri in actu, nisi secundum esse finitum.

An Christus sit sub indiuisibilibus specierum.

SECTIO IV.

13 DIfficultas procedit supposito, quod dentur in quantitate indiuisibilia terminatiua, & continuatiua. Prima autem sententia est affirmatiua. Ita Alensis *3. par. quæst. 10. memb. 7. art. 5. §. 5.* D. Bonau. *in 4. dist. 10. par. 1. art. 1.* Capreolus *quæst. 4. art. 3. ad 2. Scoti. contra 1. concl.* Gabr. *lect. 80. in Canon.* Suarez *disput. 52. de Sacram. sect. 3.* Probant. Substantia panis, aiũt aliquid ipsius erat ante conuersionem sub his indiuisibilibus. Ergo etiam corpus Christi, cum succedat substantiæ panis. 2. Impossibile est, vt aliquid duret tota hora, & non duret etiam in instantibus ipsius. Ergo implicat, quod corpus Christi sit in totis speciebus, & non sub indiuisibilibus ipsius.

14 Secunda sententia est negatiua. Ita Albert. *in 4. dist. 13. artic. 10.* Scotus *dist. 10. quæst. 9. §. Hic dicitur.* Richard. *art. 6. quæst. 2.* Vasqu. *3. par. disput. 189. cap. 4.* & alij.

15 Dico 1. *Corpus Christi non esse per se primò sub indiuisilibus specierum.* Probatur. Corpus Christi non fit præsens, nisi ex vi conuersionis panis in ipsum. Ergo sub eo tantum succedit, sub quo erat substantia panis. Substantia autem panis non est per se primò sub indiuisibilibus quantitatis, quia secundum suas partes correspondet partibus quantitatis.

16 Dices. Sub indiuisibilibus quantitatis esse indiuisibilia substantiæ panis, quæ conuertuntur in corpus Christi. Contra. Hæc indiuisibilia non sunt substantia, sed solum termini substantiæ. Ergo ad summum ratione substantiæ conuertuntur in corpus Christi. Ergo corpus Christi solum ratione partium erit sub indiuisibilibus.

17 Dico 2. *Corpus Christi est secundariò sub indiuisibilibus specierum ea virtuali replicatione, qua est præsens. partibus.* Probatur. Indiuisibilia non sunt extra partes, alioquin facerent extensionem. Ergo cum Christus sit sub partibus, & habeat præsentiam continuam ad ipsas, erit etiam ratione partium sub indiuisibilibus.

18 Ad 1. Distinguitur consequen. Corpus Christi erit sub indiuisibilibus ratione partium substantiæ, quibus succedit; non autem per se primò. Ad 2. Quod durat in tempore, durat etiam in instantibus non per se primò; sed ratione partium temporis; vnde eodem modo distinguitur etiam consequens.

19 Objicies. Præsentia corporis Christi habet suas partes correspondentes partibus specierum. Ergo cum sit continua debent partes continuari aliquo termino communi. Ergo debet habere sua indiuisibilia, quæ correspondeant indiuisibilibus specierum. Respondetur, quicquid sit de antecedente, indiuisibilia præsentiæ non esse extra partes præsentiæ, & proinde nec corpus Christi est sub ipsis per se primò sed ratione partium.

(?)

DE HIS, QVAE CONVENIVNT Christo vt est in Eucharistia.

DISPVTATIO CV.

Quæ conueniant Christo ratione consecrationis.

SECTIO I.

1 DIco 1. *Ratione consecrationis Eucharisticæ non potest dici Christum consecrari*. est contra Suarez *disp. 55. de Sacram. sect. 6.* Probatur. Consecratio dicit mutationem, quia aliquid de non sacro fit sacrum, & in mysterio Eucharistiæ formaliter cōsistit in actione transubstantiatiua; & dicit, quod illud sensibile, quod non erat sacrum, fiat sacrum, atq; adeò cadit supra terminum à quo; sicut etiam cadit trāsubstantiatio. Ergo non denominat ipsum Christum, neque corpus ipsius.

2 Obijcitur. Christus est terminus consecrationis, & fit de nouo sub signo sacro, & dicitur offerri, ergo consecratur. Respondetur negando consequen. Quia consecratio denominat tantum terminum à quo, sicut etiam augmentatio. Vnde Christus fit sub signo sacro ipsum sanctificando, non autem recipiendo aliquam sanctitatem, & ideò licet eadem sit actio oblatiua, & consecratiua, habet tamen diuersos respectus, & solum est consecratiua respectu termini à quo.

3 Dico 2. *Non potest dici, quod panis transubstantietur in Christum, atque adeo nec in verbum ratione communicationis idiomatum:* ita Marsil. *in 4. quæst. 8. art. 2.* & est contra Suarez *citatum*. Probatur transubstantiari dicit de formali terminum ad quem formalem, & est denominatio intrinseca. Christus autem, aut verbum non sunt intrinsecè terminus transubstantiationis.

4 Dices. Mori, & pati &c. dicunt denominationem intrinsecam, & tamen dicuntur de verbo per communicationem idiomatum, ergo. Respondetur negando consequent. quia hæ denominationes important solum ordinem subiectiuum; vnde ratione subiecti possunt denominare suppositum. Transubstantiari autem in aliud dicit, quod ly aliud sit formalis terminus transubstantiationis.

5 Dico 3. *Potest dici de Diuinitate, & verbo, quod ponantur, & contineantur sub speciebus, non solùm ratione communicationis idiomatum, sed etiam formaliter.* Probatur. Concil. Trid. *sess. 13. cap. 3.* docet, diuinitatem atque adeo verbum existere sub speciebus ratione vnionis hypostaticæ; quod autem existit sub ipsis, etiam continetur.

6 Obijcitur. Diuinitas est infinita. Ergo non potest dici contineri sub speciebus. Respondetur negando consequent. Quia non continetur absolutè, sed secundum specialem modum præsentiæ.

An Christo, vt in Eucharistia conueniat moueri.

SECTIO II.

7 PRima sententia negat moueri siue per se, siue per accidens, quia habet tantum ordinem ad species; non autem ad locum specierum: vnde motis speciebus corpus Christi absque motu desinit esse vbi erat, & incipit esse vbi adducuntur species. Ita Durandus *in 4. dist. 10. quæst. 5.* Caietan. *3. par. quæst. 76. art. 6. §. Ad euidentiam*. Probant. Non potest vnum, & idem moueri simul motibus contrarijs. Si autem corpus Christi moueretur ad motum specierum, moueretur motibus oppositis, nempe sursum, & deorsum, vt dum quis eleuat hostiam, & alius deponit 2. Fit de nouo præsens sub speciebus sine motu per se, aut per accidens. Ergo etiam quando mouentur species.

8 Secunda sententia asserit moueri per accidens ad motum specierum. ita D. Thom. *3. par. quæst. 76. art. 6.* Corneius *dub. vnic.* Nugnus *diffic. 1.* Gabr. *in 4. dist. 10. ar. 3. dub. 4.* Scotus *quæst. 3.* Capreol. *art. 1. conclus. 2.* Aureol. *quæst. 3. art. 2. prop. 5.* Vasquez *3. par. disput. 19. cap. 4.* & alij.

9 Dicendum est. *Corpus Christi moueri per accidens ad motum specierum.* Probatur. Concil. Trid. *sess. 13. can. 6.* definit, Eucharistiam deferri in processionibus, vt ibi publicè adoretur Christus. Ergo debet deferri etiam corpus Christi ad delationem specierum, dum defertur Eucharistia in ordine ad adorationem Christi, alias non posset adorari, nisi Christus fieret successiue in toto illo spatio, per quod deferūtur species. Confirmatur Cant. 8. definit, corpus Christi realiter māducari in Eucharistia: non posset autem realiter māducari, nisi moueretur, quia manducatio essentialiter dicit motum. Confirmatur 2. corpus Christi est alligatum speciebus vel ratione vnionis, vel saltem ex pacto Dei. Ergo debet moueri per accidens ad motum specierum, quia quando aliqua sunt connexa, moto vno mouetur & aliud motum illius.

10 Ad 1. Non posse idem moueri contrarijs motibus simul, quando motus adæquat subiectum: secus autem, quando non adæquat. Quia autem corpus Christi sub pluribus speciebus habet plures replicationes, ita vt æquiualeat pluribus, motus vnius hostiæ non adæquat ipsum, nisi prout in illa hostia, non autem prout in alia. Ad 2. negatur consequent. Quia fit præsens in hoc Sacramēto per consecrationem, quæ habet vim ponendi corpus Christi sub ipso per conuersionē panis, dum autem mouentur species, non est aliquid, quod habeat vim ponendi corpus Christi sub speciebus in tali loco.

A quonam moueatur corpus Christi.

SECTIO III.

11 PRima sententia asserit, moueri à Deo immediatè ratione pacti, quo vult, corpus Christi esse semper sub speciebus. ita Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 6.* Gabr. *art. 2.* Maior *quæst. 6.* Ochamus *quæst. 5. §. quantum ad 2.* Probant, corpus Christi non habet aliam coniunctionem cum speciebus, nisi localem, quæ dependet à sola voluntate Dei. Ergo ex motu specierum non sequitur motus corporis Christi, nisi ex sola voluntate Dei, volentis conseruare coniunctionem. 2. Corpus Christi existit indiuisibili modo. Ergo non subditur efficacitati maioris materialis. Ergo ex eo, quod mouet species, non mouet corpus Christi, cum habeat tantum coniunctionem localem cum ipsis.

12 Secunda sententia asserit, moueri ab eo, qui mouet species, ita D. Thom. *3. par. quæst. 76. ar. 2.* Corneius *ibidem.* Nugnus *diffic. 1.* Argentinas *in 4. distinc. 11. quæs. 2. art. vlti.* Sotus *quæst. 10. art. 6.* Paludan. *quæst. 6. art. 3.* Aureol. *quæst. 3. art. 2. conclus. 5.* Suarez *disput. 53. de Sacram. sect. 1.* & alij.

13 Dicendum est. *Corpus Christi moueri per accidens ab eo, qui mouet species absque tamen speciali actione circa corpus Christi.* Probatur. Nisi moueretur ab eo, qui mouet species, non saluarentur loquutiones, quæ vsurpantur à Patribus, vt quod corpus Christi deferatur à sacerdotibus, manducetur realiter à nobis, vt etiam habet

Con-

Concilium Tridentinum *sess.* 13. *canon.* 8. Ergo debet moueri a nobis, quia delatio, & manducatio importat motum rei delatæ, & manducatæ, prouenientem à deferente, & manducante. Confirmatur. Ex vi transubstantiationis accidentia panis physico modo appropriantur corpori Christi, vt signum sensibile continens ipsum, atque adeò fit vnum tertium. Ergo ratione talis vnionis corpus Christi mouebitur à motore specierum.

14 Ad primum negatur assumptum. Quia species coniunguntur cum corpore Christi ex appropriatione facta per transubstantiationem: vnde adest tanta vnio, vt ex natura rei debeat moueri ex vi motus specierum. Ad secundum distinguitur Conseq. Non subditur per se, sed subditur vt mobile per accidens, sicut etiam subditur anima ratione vnionis cum corpore.

An iste motus sit intrinsecus corpori Christi.

SECTIO IV.

15 Prima sententia est affirmatiua. Ita Nugnus 3. *par. qu.* 76. *ar.* 6. *difficul.* 1. *conclus.* 2. Corneius *dub. vnic.* Vasq. *disput.* 190. *cap.* 4. Probant. Si motus esset intrinsecus, etiam vbi, esset intrinsecum, atque adeò corpus Christi haberet proprium vbi. Ergo non esset in hoc Sacramento per modum substantiæ, sed tanquam in loco. 2. Indiuisibilitas substantiæ non est subiecta mensuræ. Ergo neque distantiæ, vel propinquitati. Ergo neque motui. Corpus autem Christi existit indiuisibili modo.

16 Secunda sententia asserit, esse intrinsecum. ita Scotus *in* 4. *dist.* 10. *qu.* 6. Gabr. *qu. vnica, ar.* 2. Ocham. *q.* 5. Suar. *disp.* 53. *de Sacram. sect.* 1. Hurtad. *disput.* 6. *de Euchar. diffic.* 1. & alij.

17 Dicendum est. *Motum, quo corpus Christi mouetur esse ipsi intrinsecum eo modo, quo motus localis est intrinsecus cæteris mobilibus*. Probatur. Ideò corpus Christi non moueretur intrinsecè, quia non existit quantitatiuo modo. Sed hoc non obstat. Ergo. Minor probatur. Substantia spiritualis verè transit de vno loco in alium, in quo consistit ratio motus. Ergo etiam corpus Christi mouetur intrinsecè, cum habeat in se ipso huiusmodi transitum.

18 Dices. Corpus Christi esse sub speciebus, & ideò non moueri intrinsecè; secus autem si esset sine speciebus. Contra. Licet sit sub speciebus, adhuc transit sub ipsis de vno loco in alium successiuè. Ergo solum fit, quod moueatur accidens, non verò, quod non moueatur intrinsecè, sicut mouetur etiam anima ad motum corporis. Confirmatur. Quod continetur in alio quantitatiuo modo, mouetur ad motũ illius quantitatiuo modo, vt dũ homo mouetur ad motũ nauis. Ergo quod cõtinetur indiuisibili modo, mouetur motu intrinseco proportionato.

19 Ad primum negatur Consequent. Quia licet Corpus Christi sit in hoc Sacramento per modum substantiæ, adhuc tamen habet suum vbi proportionatum, sicuti habent substantiæ spirituales: neque sequitur, quod sit in hoc Sacramento tanquam in loco, quia non existit quantitatiuo modo, & solum ratione specierum replet locum, licet ratione sui sit ipsi præsens. Ad secundum distinguitur primum consequens. Substantia indiuisibilis non est subiecta propinquitati, & substantiæ quantitatiuo modo, hoc est vt terminus; est tamen subiecta vt coexistens termino quantitatiuo: vnde solum fit, quod non sit subiecta motu sensibili, sit tamen subiecta motu, vt dicit mutationem simplicis præsentiæ.

An corpus Christi possit agere, & pati.

SECTIO V.

20 Difficultas procedit de actione, & passione, quæ naturali modo exercentur. Prima sententia asserit, posse agere, & pati. ita Ocham. *in* 4. *quæst.* 5. §. *Aliter ergo dico.* Alliaceus *ibidem ar.* 3. Maior. *dist.* 10. *quæst.* 5. Gabriel. *lect.* 45. *in canon. missæ*. Probant. Præsentia requiritur ad actionem, & passionem, vt conditio rationeue propinquitatis. Præsentia autem Sacramentalis nedum tollit hanc propinquitatem, sed etiam auget. Ergò. 2. Licet Corpus Christi non habeat contactum quantitatiuum, est tamen præsens. Ergo potest agere, quia talis contactus non est semper necessarius, vt cum aqua se reducit ad positiuam frigiditatem.

21 Secunda sententia asserit, neque posse agere, neque pati. ita D. Thom. 3. *par. quæst.* 76. *ar.* 7. Nugnus *diffic.* 2. Scotus *in* 4. *distin.* 10. *qu.* 5. Aureolus *qu.* 3. *ar.* 2. Capreol. *qu.* 4. *ar.* 3. *ad* 4. *Scoti contra primam conclus.* Paludan. *quæst.* 4. *art.* 1. Suarez *disputat.* 53. *de Sacramen. sect.* 2. & alij.

22 Dico primò. *Corpus Christi non potest pati ab aliquo agente corporeo operante naturali virtute*. Probatur. Modus agendi sequitur modum essendi. Ergo actio corporea agentis procedit extensiuo modo. Ergo requirit subiectum extensum. Corpus autem Christi habet modum essendi indiuisibilem, atque adeò recipit actionem indiuisibili modo, quia omne, quod recipitur per modum recipientis recipitur.

23 Dico secundò. *Neque corpus Christi potest agere naturaliter in extrinsecum subiectum*. Probatur. Non habet suum modum naturalem essendi. Ergo neque potest naturaliter agere, quia cum modus operandi sequatur modum essendi, ita vt modus essendi sit mensura operationis, si tollatur modus mensurans operationem, cessat etiam operatio, cum deficiat aliquid per se requisitum. Confirmatur. Modus essendi exigitur necessario ab agente, vt possit agere tanquam intrinsecum complementum, cum non possit agere, nisi sit completum in suo esse. Ergo modus essendi connaturalis exigitur ad operandum connaturali modo.

24 Ad primum. Actionem, & passionem non impediri in corpore Christi defectu propinquitatis, sed defectu connaturalis modi essendi. Ad secundum negatur Consequentia. Quia defectus actionis in corpore Christi prouenit ex defectu connaturalis modi essendi, qui non deficit in aqua, quando se reducit ad positiuam frigiditatem.

An, & quas actiones immanentes possit Christus in Eucharistia exercere.

SECTIO VI.

25 Difficultas procedit de actionibus, quæ dependent ab organo corporeo; nam certum est, quæ sunt independentes, posse exerceri, vt est visio beata, &c. Communis autem sententia docet, non posse exerceri. ita Aegidius *theor.* 16. Henric. *quodlib.* 5. *qu.* 6. Sotus *in* 4. *distin.* 10. *quæst.* 1. *ar.* 6. Vasqu. 3. *par. disp.* 191. *cap.* 3. Coninch. *qu.* 76. *ar.* 7. Tannerus *qu.* 5. *de Eucharis. dub.* 5. & alij.

26 Dico primò. *Christus non potest exercere operationes vitales vegetatiuas*. Probatur. Hæ operationes exercentur quantitatiuo modo, vel per appositionem nouæ materiæ, & quantitatis; vel per attractionem, & egestionem, atque adeo requirunt organa extensa. Ergo cum Christus non existat quantitatiuo modo, non potest illas exercere.

27 Dico 2. *Christus non potest exercere sensationes externas respectu obiectorum externorum*. Probatur. Vt fiat sensatio, debet sensus moueri ab obiecto. Hoc autem non potest fieri, nisi organum sensus se habeat quantitatiuo modo. Antecedens patet. Quia sensus externi non conseruant motionem obiecti, sed semper de nouo debet moueri.

28 Dico 3. *Potest exercere sensationes internas, atque adeo*

adeo etiam intellectionem cum conuersione ad phantasmata. Probatur. Non requiritur extensio ratione motionis recipiendæ ab obiecto, quia conseruantur species in memoria; nec etiam ratione operationis, quia cum sit cognitio, est in ordine intentionali, qui non dicit esse quantitatiuum; Vnde nec quantitatiuo modo debet recipi in subiecto, atque adeò nec per se requirit principium quantitatiuum. Confirmatur. Virtus cognoscitiua est in ordine intentionali. Ergò ex vi sui modi essendi, & operandi non requirit modum essendi quantitatiuum.

29 Dices. Esse intentionale in ordine sensitiuo est quid materiale. Ergo extensum. Respondetur negando Antecedens, quia in accidentibus, cum habeant totum suum esse in ordine ad subiectum, intrinsecè nec sunt materia, nec spiritualia, sed sunt talia ratione subiecti, quod perficiunt iuxta ordinem, in quo perficiunt; & ideò si perficiunt in esse materiali, sunt materiali, neque in esse spirituali, sed in esse cognoscitiuo, quod de se, neque est materiale, neque spirituale, ideò talia accidentia, neque sunt spiritualia, neque materialia, sed intentionalia.

30 Obijcies secundò. Sensationes internæ sunt in subiecto extenso. Ergo petunt existere quantitatiuo modo. Respondetur negando Consequent. Quia sunt in ipso, aut indiuisibili modo, vt quamplures docent de anima sensitiua; aut si sunt diuisibili modo, diuisibilitas non illis conuenit ratione proprij modi essendi, sed ratione subiecti, cui se accommodant; & ideò si contingat subiectum existere indiuisibili modo, etiam ipsa tali pacto se habent.

An corpus Christi in Eucharistia possit videri oculo corporeo.

SECTIO VII.

31 PRima sententia asserit, posse videri naturaliter: de facto tamen non videri, quia Deus impedit ne immittat species. Ita Ocham. *in* 4. *quæst.* 5. *artic.* 3. Maior. *distinc.* 10. *quæst.* 5. Gabriel. *lect.* 45. *in canon. missæ littera T.*

32 Secunda sententia asserit, posse videri ab oculo prędito supernaturali virtute. ita Alensis *par.*4.*q.*40.*mem.*7. *ar.*3.§.8. Marsil. *in* 4.*qu.*7.*ar.*1. Scotus *qu.*9. Sotus *qu.*1. *ar.*7. Vasq.3.*par.disp.*191.*cap.*2.& alij.

33 Tertia sententia asserit, neque de potentia absoluta posse videri. ita Capreolus *in* 4. *distinct.*10. *qu.*4. *ar.*3. Richard. *ar.*5.*quæst.*2. Paludan. *quæst.*4. *ar.* 1. D. Bonauen. *par.*2.*ar.*2.*quæst.*2. Suarez *disput.* 53. *de Sacram. sect.*4.& alij.

34 Dicendum est, *Neque de potentia absoluta posse videri ab oculo corporeo corpus Christi sub Eucharistia.* Probatur. Potentia non potest ferri, etiam de potentia absoluta, in obiectum, in quo non reperit suam rationem obiectiuam; in corpore autem Christi non est ratio obiectiua visus. Ergo. Minor probatur. Ratio obiectiua visus est color quantitatiuo modo se habens, quia quantitas vt commune sensibile simul cum rationibus sensibilibus specialibus constituit vnā rationem obiectiuam correspondentem cuilibet sensui, ita vt ex propria, & ex communi consurgat vnica ratio obiectiua. Ergo. Confirmatur. Obiectum quodlibet attingitur tantum sub vnica ratione adæquata obiectiua. Ergo cum quantitas extensa attingatur per se primo simul cum colore, constituet simul cum ipso vnicam rationem obiecti. Ergo si deficit, deficit etiam ratio obiectiua visus.

35 Obijcies. Corpus Christi est obiectum visibile, & Deus potest producere species in oculo. Ergo tunc oculus videbit corpus Christi. Respondetur. Corpus Christi in Eucharistia esse visibile incompletè; non autem completè, nam deficit complementum rationis obiectiuæ, nempè sensibile commune, seu extensio coloris.

An Christus in Eucharistia possit naturaliter cognosci ab intellectu creato.

SECTIO VIII.

36 PRima sententia asserit, non posse naturaliter cognosci. Ita D. Thom. 3. *par. quæst.* 76. *art.* 7. Caietan. Pesantius, Corneius, *ibidem.* Alensis 4. *par. qu.* 40. *mem.*3.*ar.*8.§.1. D. Bonauen. *in* 4. *distinc.*10.*qu. vltima.* Richard. *ar.*5.*qu.*1. Durand. *qu.*4. Paludan. *quæst.*1. Suar. *disput.*53. *de Sacramen. sect.*5. & alij. Probant. Modus existendi corporis Christi sub speciebus est omnino supernaturalis. Ergo non habet proportionem cum intellectu naturali. 2. Potest Angelus naturaliter cognoscere esse possibilia, antequam existant quæ naturaliter cognoscit, dum existunt, nunquam autem venisset in mentem Angelo possibilitas talis misterij, si nunquam extitisset. ergo.

37 Secunda sententia est affirmatiua. ita Scotus *in* 4. *distin.*10.*quæst.*8. Maior. *quæst.*5. Palat. *disput.*3.*concl.*7. Ocham. *qu.*5. Gabriel. *lect.*45. *in Canonem missæ*. Aegidius *theorem.* 16. Vasq.1.*par.disput.*144.*cap.*4. & communiter Scotistæ.

38 Dicendum est. *Angelum posse naturaliter cognoscere corpus Christi in Eucharistia cum modo existendi indiuisibili.* Probatur. Potest cognoscere totam substantiam corporis Christi comprehensiuè, cum secundum se totam sit naturalis, neque excedat in aliquo cognitionem Angelicam. Ergo etiam modum essendi indiuisibilem. Consequentia probatur. Modus est ens entitate subiecti, ita vt neque possit concipi absque subiecto. Ergo est intelligibile intelligibilitate subiecti; alioquin ratione propriæ intelligibilitatis, potest concipi sine subiecto. Ergo in ordine ad intellectum habet illam proportionem, quam habet subiectum. Confirmatur. Modus essendi indiuisibilis nil aliud dicit, nisi quod in qualibet parte spatij sit totum corpus Christi, quia per hoc solum saluatur talis motus. Ergo non dicit aliquid, quod excedat vim naturalem intellectiuam Angelicam. Consequent. probatur. Solum posset excedere, quod sit simul in pluribus partibus loci secundum totam suam substantiam, & quod non habeat extensionem. Hoc autem non excedit, quia esse secundum totam substantiam in pluribus partibus loci solum dicit virtualem replicationem, quæ etiam in esse formali potest naturaliter cognosci ab Angelo, nec intellectus requirit extensionem in obiecto. Confirmatur 2. Non minus est supernaturale existere replicato modo, quam existere indiuisibili modo, potest etiam Angelus cognoscere, quod aliquod corpus existat replicato modo. Ergo.

39 Ad primum distinguitur antecedens. Modus existendi corporis Christi est supernaturalis in ratione modi; non autem in ratione entis; intelligibilitas autem sequitur rationem entis. Instabis. Secundum propriam rationem modi est intelligibilis. Ergo secundum istam est improportionatus. Respondetur. Esse intelligibilem, quatenus imbibit rationem entis, ita vt ratio modi sit id, quod intelligitur, & ratio entis sit id, ex vi cuius intelligitur, & ideò sicut ratione entis sumit intelligibilitatem, ita etiam sumit proportionem. Ad secundum negatur maior. Quia licet possibile non sit obiectum improportionatum intellectus Angelici; non tamen omnia possunt ipsum mouere, vel quia non possunt immittere species, vel quia Angelus non habet ipsas infusas.

An

An quæ conueniunt Christo extra Eucharistiam, conueniant etiam in Eucharistia.

SECTIO IX.

40 Certum est apud omnes, quod dependent à loco non necessariò conuenire corpori Christi, vt est in Eucharistia ob essentialem ordinem ad ipsum locum. Vnde difficultas est de ijs, quæ sunt absoluta loco.

41 Prima sententia asserit, conuenire ex natura rei ob naturalem sequellam. Ita Scotus *in 4.distin.10. quæst.2. §.Dico ergo.* Marsil.*quæst.8.ar.3.*Gabriel.*lect.46.in canon.missæ littera F.* Henricus *quodlib.9.qu.32.* Vasquez *3.par.disput.192.cap.3.*Hurtad.*disput.5.de Euchar. difficul.6.* & alij. Probant. Omnia ista vniuntur physicè subiecta, vt abstrahit à loco. Ergo ex naturali consequutione erunt vbicunque est subiectum secundum Concilium Tridentinum *sess.13. cap.3.* ponit pro causa concomitantiæ naturalem connexionem, quæ facit, vt ex natura rei omnia sint in Eucharistia, quæ sunt connexa cum corpore Christi. Ergo cum connexio sit causa concomitantiæ, facit etiam, vt per concomitantiam ponantur etiam ea, quæ de nouo recipit extra Eucharistiam. 3. Sequeretur, quod replicato homine posset in vno loco esse in gratia Dei, & in alio in peccato, atque adeò posset simul damnari, & saluari; hoc autem implicat, quia si constitueretur postea in vno loco tantum; non posset simul manere in gratia, & in peccato, quia hæc duo opponuntur priuatiuè; nec esset maior ratio cur gratia expelleret peccatum, quia è contra peccatum expelleret gratiam. 4. Verificarentur contradictoria de eodem, quia idem Christus posset esse cognoscens, & non cognoscens; viuus, & mortuus, &c.

42 Secunda sententia est negatiua. Ita Alensis *par. 4. qu.44.memb.7.*Maior.*in 4.distin.10.qu.5.* Palat.*disput. 11.qu.1.* Ledesma *1.par.4. quæst.16. ar.1. dub.3.* Suarez *disput.48.de Sacramen.sect.6.* Coninch. *3.par.quæst.76. dub.vnico circa articulum 4.* Becanus *3.par.tract.2.cap. 17. quæst. 16.* Excipiunt tamen Suarez, & Becanus actus vitales independentes à præsentia obiecti.

43 Dicendum est. *Non sequi ex natura rei, quod Christus in Eucharistia habeat ea, quæ extra Eucharistiam recipit; imo ex natura rei non debet habere.* An autem habeat ex speciali dispositione Dei, est incertum, nec adest aliquod fundamentum pro parte affirmatiua. Probatur. Neque agens creatum, neque Deus agens consueto modo præcisa replicatione posset ponere in corpore Christi, quod poneretur in ipso, extra Eucharistiam. Ergo non potest poni ex natura rei. Antecedens patet. Quia vt poneretur, deberet replicari; actio autem replicatiua excedit vires agentis creati, & etiam ipsius Dei operantis consueto modo. Confirmatur. Potest corpus Christi moueri extra Eucharistiam, & non sequitur, quod in ipsa moueatur. Et è contra. Ergo idem dicendum de cæteris mutationibus. Consequent. probatur. Quia licet motus exigat esse in loco, non tamen est alligatus huic loco, & alias militat eadem ratio, quæ in cæteris mutationibus; quæ idem corpus Christi subijceretur virtuti motiuæ, atque adeò ratione identitatis deberet moueri in omni loco, vbi est, licet acquireret diuersum vbi.

44 Dices. Terminum non habere formaliter esse replicatum, sed solum consequutiuè esse in duplici loco ex eo, quod subiectum est in ipso. Contra. Eo ipso, quod aliquid est in duplici loco, habet esse replicatum formaliter, ita vt replicatio sit ratio, cur sit in pluribus locis. Ergo. Terminus erit formaliter replicatus. Vnde, quæ ponuntur in Eucharistia per concomitantiam, habent esse replicatum.

45 Dices secundò. Non esse agens, quod ponat eundem terminum in duplici loco, sed quia subiectum est in duplici loco, determinat actionem, vt ponat terminum in duplici loco. Contra. Subiectum merè passiuè se habet. Ergo si exigit terminum in duplici loco, exigit etiam actionem replicatiuam termini, atque adeò virtutem, quæ possit replicare.

46 Ad primum negatur Consequent. Quia quæ vniuntur post factam replicationem, non subijciuntur replicationi, & ideò opus esset noua replicatione. Ad secundum concomitantiam fundari in connexione, quæ adest, quãdo fit replicatio, quia concomitanter significantur per verba. Ad tertium negatur minor. Ad probationem. Si remaneret in vno tantum loco retineret illum statum, quem haberet illo loco, ex determinatione ipsius status, nisi aliter Deus disponeret. Ad quartum negatur sequella. Quia contradictoria debent adæquare singula subiecta. Cum autem subiectum replicatum æquiualeat pluribus, non adæquatur per vnum contradictorium semel sumptum, sed deberet saltem habere esse replicatum.

DE IIS, QVÆ REMANENT EX materia in Eucharistia.

DISPVTATIO CVI.

An remaneant accidentia panis, & vini.

SECTIO I.

1 Quidam Recentiores conati sunt ostendere, non remanere realia accidentia panis, & vini, sed solum species intentionales, ratione quarum obiecta percipiuntur sensibus. Quot tamen absurda contineat hæc opinio non est facile explicare. Probatur. Species, quæ remanent, debent accipi in propria significatione, nomen autem speciei in propria significatione, non significat accidentia physica, sed species intentionales. Alia afferunt ex diuersis Doctoribus, sed detorta ad prauum sensum.

2 Dicendum est. *Remanere in Eucharistia accidentia physica, & realia panis, quæ prius, in eius substantia subiectabantur,* ita communiter Catholici cum D. Th. *3. p.q.77.ar. 1.* vbi probat, accidentia, quæ prius subiectabantur in substantia panis remanere sine subiecto. & D. Anselm. *de Sacram. Altaris, cap.6.* Est de fide ex Conc. Constant. *sess.8.* vbi damnat duas propositiones inter cæteras Ioan. Vuiclefi Prior est. *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis manent in Sacramento altaris.* Altera verò. *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.* Vnde contradictoriæ harum propositionum remanent determinatæ. Prioris contradictoria est, quod non maneat substantia panis; & quia Vuiclef. volebat remanere substantiam sub accidentibus, contradictoria erit, quod sub accidentibus non remaneat substantia. Vnde Concilium, & Vuiclef. faciunt eandem suppositionem de permanentia accidentium. Posterioris contradictoria est eadem propositio detracta dictione negatiua. nempè *Accidentia panis manent sine subiecto.* Propositio namque Vuiclef. non enunciabat circa permanentiam accidentium, sed circa modum permanentiæ, nam volebat permanere cum subiecto; & Concilium damnat hunc modum permanendi, & oppositum definit, nempè quod permaneant sine subiecto. Et hæc est plana mens Concilij, cuius intentio fuit damnare, quod asserebat Vuiclef. & oppositum definire. Vuiclef. autem ex eo, quod permanerent accidentia, vole-

volebat permanere etiam substantiam, quia impossibile putabat, quod accidentia manerent sine subiecto. Vnde in alijs propositionibus, quæ in eodem Concil. *sess.* 15. referuntur, dicebat *Cum mendacium hæreticum de hostia consecrata inter hæreses singulas teneat principatum, vt ab ipsa Ecclesia extirpetur, securè denuntio omnibus hæreticis, quod non possunt declarare, nec intelligere accidens sine subiecto*. Et infra. *Audacter pronostico omnibus istis sectis, quod non defendant fidelibus, quod Sacramentum erit accidens sine subiecto*. Habetur etiam ex Concilio Trident. *sess.* 13 *cap.* 4. & *canon.* 2. vbi definit, fieri conuersionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini. Vbi etiam aduertendum est, quod non decernit, quod fiat conuersio totius panis, & vini, sed taxatiuè totius substantiæ, & proinde coarctat conuersionem ad aliquid panis, & vini, nempè substantiam; & separat aliquid in pane, & vino quod non conuertatur, & hoc importat species, quæ remanent: & proinde nomine specierum intelligit id, quod in pane, & vino contradistinguitur à substantia, nempè accidentia. Probatur. Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Et non solum debet intelligi de veritate cibi, & potus spiritualis, sed etiam Sacramentalis, & realis, quia vt definit Concilium Tridentinum *sess.* 13. *canon.* 8. Christus in Eucharistia non solum spiritualiter, sed etiam sacramentaliter, & realiter mãducatur. Non essent autem caro, & sanguis veraciter cibus, & potus realis, nisi essent sub accidẽtibus realibus cibi, & potus. Confirmat. Corpus Christi in Eucharistia est mãducabile, & sanguis potabilis Io. 6. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. Item. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Ergo debet habere rationem cibi, & potus, ita vt possit applicari per modum cibi, & potus non solum gustui, sed omnibus organis, quibus fit manducatio sensibili modo, cum hoc sit de ratione cibi, & potus. Secundum autem se non possunt applicari, quia existunt spirituali modo, nec ratione specierum intentionalium; quia species intentionales non sunt obiectum sensibile vt *quod*, nec sunt manducabiles. Ergo ratione accidentium realium panis, & vini, quæ remaneant, alias si adessent tantum species intentionales, esset manducatio phantastica; nec Christus realiter manducaretur iuxta definitionem Concilij Tridentini modo allati. Confirmatur 2. Sacramentum est signum sensibile; vt communiter Patres cum D. Dionysio *cap.* 1. *de cælesti Hierarchia*. & D. Thom. 3. *par. quæst.* 60. *ar.* 4. Non esset autem Eucharistia signum sensibile, atque adeò Sacramentum, nisi remanerent accidentia panis, & vini, ratione cuius esset sensibilis; nam species intentionales faciunt quidem sentire, sed non sunt ipsum sensibile.

3 Ad fundamentum in oppositum negatur minor. Nam species propriè significat ipsam externam apparentiam, formam, seu figuram, secundum quam res cadit sub aspectum, iuxta illud Ouidij lib. 5. Fastorum. *In nonas species omne recessu opus*. & Virgil. 2. Aeneid. *Non tulit hanc speciem firmatu mente Chorœbus*, Vnde in cap. *Quid sit sanguis*. in fine. *distinc.* 2. dicitur habere figuram panis, & vini. Et in cap. *Hoc est*. *eadem distinct.* dicitur caro Christi operta forma panis. Dicitur enim species ab aspectu, vt notat Gellius *lib.* 13. *Noct. Atticar. cap.* 28. Et proinde significat illam coadunationem accidentium, ex quibus consurgit sensibilitas rei, secundum quam fit spectabilis, & hoc pacto accepit D. Ansel. *de sacr. altaris cap.* 6. loquens de specie panis Eucharistici. Et ita etiam accipitur in c. *Species*, & in cap. *Nos autem dist.* 2.

An accidentia Eucharistiæ remaneant sine subiecto.

SECTIO II.

4 Dicendum est. *Accidentia Eucharistiæ remanere sine subiecto*. Ita communiter Patres, & Scholastici cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 77. *ar.* 1. & est de fide contra Hæreticos præsertim Vuiclef. definitum in Concilio Constantiensi. Confirmaturque id à Martino V. & in Concil. Tridentino *sess.* 13. *canon.* 2. vbi definit, remanere tantum species panis, & vini. Probatur. Non manet substantia panis, & vini cum conuertatur in corpus, & sanguinem Christi, vt definitur in Concil. Tridentino *cap.* 4. & *can.* 2. Ergo remanent accidentia sine subiecto. Consequen. prob. Non possunt subiectari in corpore Christi; quia existit indiuisibili modo, accidentia autem diuisibiliter: & proinde non est subiectum proportionatum, quia id, quod recipitur, per modum recipientis recipitur, nec adest aliud subiectum, quia requireretur nouum miraculum, vt in illo ponerentur. ergo.

5 Obijcies. Implicat accidens existere sine subiecto, quia est essentialiter inhærens, cum sit entis ens. ergo. Respondetur negando antec. Ad probationem. Accidens, quod habet propriam entitatem, atque adeò ex genere suo esse essentialiter inhærens non in actu exercito, sed aptitudinaliter, & exigitiuè, & ideò potest existere extra subiectum. Hoc autem ex eo colligitur, quia supposita propria entitate accidentis, actu inhærere consequitur ad entitatem, & existentiam; & ideò est quid posterius. Quod autem est posterius existentia, non pertinet ad essentiam.

An remaneant omnia accidentia.

SECTIO III.

6 Difficultas procedit de accidentibus, quæ habent propriam entitatem, aut sunt ens entitate aliorum accidentium, vt figura, quia certum est, quod si quæ sunt accidentia, quæ sint ens entitate substantiæ, quod non possunt remanere, sed debent desinere ad desitionem substantiæ. Item certum est, remanere accidentia sensibilia, quæ pertinent ad integrandam speciem, & formam panis extrinsecam. Vnde Sotum quæritur de cæteris.

7 Dicendum est. *Remanere omnia accidentia panis, & vini, siue sensibilia sint, siue non*. Ita communiter, nam veteres Scholastici indistinctè loquuntur de omnibus accidentibus, & expressè tradunt Vasquez 3. *par. disp.* 194. *cap.* 1. *num.* 4. Suarez *disput.* 56. *de Sacram. sect.* 1. Gaspar. Hurtadus *disput.* 7. *de Euchar. difficul.* 1. *ver. Conueniunt* 2. Ochagauia *tract.* 1. *de Eucharist. quæst.* 27. *nu.* 3. Caspensi. *par.* 2. *cursus Theologar. tr.* 22. *disput.* 6. *sect.* 1. *num.* 2. An autem hoc sit definitum, non est certum. Quia cum solum definiatur, remanere species panis ad saluandam definitionem sufficit, si remaneant accidentia, quæ concurrunt ad constituendam formam sensibilem extrinsecam, vt notat etiam Hurtadus *citat.* Colligitur tamen ex definitionibus Conciliorum, & ex Patribus, quatenus vniuersaliter loquuntur de omnibus accidentibus.

8 Probatur. Mutatio, quæ fit in Eucharistia, est conuersio substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi manentibus tantum speciebus, vt definit Concilium Tridentinum *sess.* 13. *canon.* 2. Ergo manent omnia accidentia. Consequentia probatur. Id solum desinit, quod est terminus à quo conuersionis: sola autem substantia est terminus à quo conuersionis. Rursus Concilium contradistinguit accidentia à substantia, & illa definit remanere. Ergò omnia remanent, quia omnia contradisting

distinguuntur à substantia, atque adeò continentur sub speciebus, quæ remanent. Confirmatur. Omnia accidentia, etiam occultæ qualitates, pertinent ad formam extrinsecam substantiæ, quia saltem conferunt ad aliquam operationem. Ergo debent remanere, quia saltem indirectè sunt sensibilia, nempè in operatione, & effectu.

9 Dices. Aliqua ex his accidentibus dependent in continua conseruatione à forma, à qua fluunt. Ergo cum desinat forma, etiam ipsæ desinent. Respondetur. Quicquid sit de antecedenti negando Consequentiam. Quia potest talis dependentia suppleri à Deo, & non magis ipsa deberent desinere, quam cætera ex desitione subiecti.

An accidentia maneant in quantitate vt in subiecto.

SECTIO IV.

10 SVnt hoc modo, siue illo res se habeat non facit ad rationem mysterij: vtroque enim modo explicatur, & solutio difficultatis dependet ex eo, an accidentia insint substantiæ media quantitate, & an quantitas sit distincta entitas ab alijs accidentibus.

11 Prima sententia asserit, remanere in quantitate, vt in subiecto. ita D. Thom. *3. par. qu. 77. ar. 2.* Scotus *in 4. distin. 12. qu. 2. §. Ad quæstionem ergo.* Capreolus *quæst. 1. ar. 1. conclus. 1.* Richard. *ar. 1. quæst. 2.* Sotus *distin. 10. qu. 1. ar. 2.* Alensis *par. 4. qu. 10. art. 1. §. 2. ad 3.* Aegidius *theorem. 45. circa finem.* Ferrarien. *4. contra Gentes, cap. 15. init.* Vasquez *3. par. disput. 194. cap. 3. num. 25.* Ochagauia *tract. 1. de Euchar. quæst. 23. num. 8.* Suarez *disput. 16. de Sacram. sect. 3.* Hurtad. *disput. 7. de Euchar. diffic. 4.* Præposit. *3. par. qu. 77. dub. 1. num. 4.* Caspens. *trac. 22. de Euchar. disput. 6. sect. 1. num. 7.* Probant. Agens naturale potest agere circa species Sacramentales, vt experientia patet. Ergo adest subiectum, in quo recipiatur eius actio, cum non possit agere sine subiecto. Ergo cum non adsit substantia, debet adesse quantitas, quæ sit subiectum accidentium.

12 Secunda sententia est negatiua. Ita Ocham. *de Sacram. altar. cap. 62. & 63.* Gabr. *in can. Missæ, lect. 44. litter. K.* Maior. *in 4. distin. 12. qu. 2. §. Alia nominalium.* Alliacens *qu. 6. ar. 3.* Marsil. *quæst. 9. ar. 2. conclus. 1. & 2.* Hurtad. *in physic. disput. 6. sect. 6. §. 72.* Arriaga *disput. 5. sect. 2. subsect. 5.*

13 Dicendum est. *Accidentia Eucharistiæ non manere in quantitate, vt in subiecto.* Est secundum doctrinam Aristotelis *4. Metaphys. cap. 4.* vbi docet, etiam secundam responsionem Vasquez, quod accidens potest tantum duobus modis prædicari; primo, quia substantiæ aduenit: secundo, quia plura eidem substantiæ adueniunt, & reddit rationem, *Accidens enim non est accidenti accidens*, esset autem, si adueniret quantitati vt subiecto. Probatur. Accidentia manent in Eucharistia eo modo, & ordine inter se, quo sunt in substantia panis, quia solum definit substantia, & ordo accidentium remanet immutatus; sed in pane non sunt in quantitate vt subiecto. Ergo. Minor probatur. Accidens est essentialiter entis ens; hoc est substantiæ, & proindeest actus illius ipsam qualificans, & determinans, vt ipsius connaturalis perfectio. Ergo non est in quantitate vt subiecto, quia si esset, non esset actus ex se ordinatus immediatè ad substantiam, sed esset per se actus perfectificus quantitatis, cui tribueret suum effectum formalem per se primo, & substantiæ solum ratione quantitatis: quod est contra essentiam accidentis, præsertim quando est qualitas operatiua, quæ fluit à forma substantiali, quia tunc non potest esse actus quantitatis, cum non sit operatiua.

14 Ad argumentum in oppositum respondetur. Quod si aliquid probaret, conuinceret etiam, quod deberet ad esse subiectum substentatiuum, quia agens creatum non minus indiget subiecto substentatiuo, quam receptiuo, & tamen quantitas non potest esse subiectum substentatiuum, vnde eo modo, quo saluabitur, posse agere sine subiecto substentatiuo, saluabitur etiam posse sine receptiuo. Respondetur igitur negando Consequent. ad probationem. Agens creatum non requirere subiectum ratione sui, quasi de se non sufficiat sine subiecto: sed solum ratione effectus, & actionis, quæ vt egressa ab agente requirit subiectū iuxta peripatetica principia. Sicut ergo in Eucharistia accidentia conseruantur sine subiecto, ita etiam illa actio, quæ fit circa species Sacramentales, quia naturaliter deberet recipi in substantia panis: vnde tenetur Deus illud quoque conseruare sicut conseruat accidentia, quia tenetur conseruare formam externam panis secundum suum statum naturalem, atque adeò omnes mutationes, quæ fiunt circa ipsam.

15 Instabis. Sequeretur, quod accidentia Eucharistiæ non essent inter se colligata; vnde deberent distrahi, & quædam ascendere, & alia descendere iuxta grauitatem, vel leuitatem, quod si grauitas est vna sola qualitas, ipsa descenderet. Respondetur negando sequellam. Quia sicuti conseruantur sine subiecto, ita etiam conseruantur cum sua naturali colligatione, quam habet in ordine ad subiectum: quia hoc est necessarium, vt conseruetur species, & forma extrinseca panis. Stante autem conseruatione talis colligationis, sequitur connaturaliter, quod moto vno, debeant omnia moueri; conseruatur autem ista colligatio ex vi conseruationis, quia conseruantur sine subiecto.

An accidentia Eucharistiæ acquirant modum positiuum essendi per se.

SECTIO V.

16 PRima sententia asserit, acquirere modum essendi per se. Ita Caietanus *3. par. quæst. 77.* qui vult per talem modum virtutem substantię communicari quātitati, per quam non minus naturaliter existat, quam ipsa substantia. Vasquez *3. par. disputat. 194. cap. 2.* Suarez *disput. 56. de Sacramentis sect. 2.* Valent *tom. 4. disput. 6. quæst. 5. punct. 1. vers. Quod si quæras*, Coninch. *de Sacram. quæs. 77. ar. 1. dub. 2.* & alij, qui volunt, esse modum accidentalem, qui faciat quantitatem esse per se proportionali modo, ac existit substantia. Probant. Vt substantia sit per se indiget positiuo modo. Ergo etiam accidens, vt existat per se sine subiecto.

17 Secunda sententia negat acquirere aliquem modum. ita D. Thom. *3. par. qu. 77. ar. 2.* Scotus *in 4. distinct. 12. quæst. 1. §. Ad argumenta, ver. ad 2.* & *qu. 6. §. Ad argumenta.* Sotus *distin. 10. qu. 1. ar. 2.* Ledesma *2. par. 4. quæs. 18. art. 2.* Bellarmin. *lib. 3. de Euchar. cap. 24.* Hurtadus *disput. 7. de Eucharist. difficul. 2.* Ochagauia *tract. 1. qu. 27. num. 8.* Caspens. *tract. 22. de Eucharis. disput. 6. sect. 1. num. 4.* Isambret, *3. par. quæs. 77. disput. 1. ar. 3.* Præpositus *ar. 2. dub. 2.*

18 Dicendum est. *Accidentia Eucharistiæ non acquirere aliquem modum positiuum essendi per se, sed tantum esse per se negatiuè, hoc est non esse in alio.* Probatur. Iste modus non potest esse substantialis, nec accidentalis. Ergo non datur. Prima pars antecedentis probatur. Modus essendi per se substantialis est proprius substantiæ, ita vt illi conueniat, quæ substantia est, quia pertinet ad eius differentiam, qua contradistinguitur ab accidenti. Ergo non potest communicari accidenti: quia quæ propria sunt alicuius non possunt alteri communicari, præsertim si sint cōmunicanda ijs, quæ per oppositā differentiam constituuntur, cum differentiæ inter se incompossibiles sint. Secunda pars probatur. Si iste modus esset accidentalis, non esset aliqua entitas distincta à cæteris accidentibus, sed solum esset ens entitate quantitatis, aut alterius accidentis, cum hoc sit de ratione modi. Ergo

non

non posset facere, quod accidentia essent per se. Conseq. probatur. Vt faceret esse per se, deberet esse ratio essendi cum omnis causa formalis debeat esse talis formaliter, qualis est ipse effectus, non potest autem esse, quia implicat, quod id, quod est essentialiter ratio inexistens, sit formaliter, & essentialiter ratio essendi per se. Modus autem est essentialiter ratio inexistens, cum eius essentia consistat in eo, quod actu modificet, atque adeò in exercitio inexistentiæ, ita vt nec concipi possit sine actuali inhærentia.

19 Ad fundamentum in oppositum negatur antecedens. Quia substantia est per se ex vi suæ differentiæ, qua contradistinguitur ab accidente, si ly per se sumatur, prout contradistinguitur ab inhærentia. Modus verò positiuus substantiæ non facit esse per se quocunque modo, sed incompossibiliter. Deinde accidens extra subiectum non est per se, aliàs esset substantia, sed tantum non est in alio.

An accidentia Eucharistiæ substententur à corpore Christi.

SECTIO VI.

20 Prima sententia est quorundam Recentiorum, qui volunt, corpus Christi gerere vicem subiecti respectu accidentium ea substentando in genere causæ materialis, seclusis imperfectionibus, atque adeò sine receptione, & vnione, quia in quantum causalitas materialis non consistit in vnione. Probatur. Corpus Christi succedit accidentibus in locum substantiæ. Ergo debet exercere munus substantiæ in substentando in genere causæ materialis: hoc enim dicit transubstantiatio, vt vna substantia succedat in munus alterius.

21 Secunda sententia asserit, Corpus Christi substentare accidentia in genere causæ efficientis, & quia non potest ex natura sua habere hanc actionem substentatiuam, oportet, vt habeat tanquam instrumentum Dei eleuatum. Ita Caspens. *p. 2. cursus Theol. trac. 22. de Euchar. disp. 3. sect. 3. nu. 21.* & alij Recentiores.

22 Dico primò. *Corpus Christi non substentat accidentia in genere causæ materialis aliquo modo.* Probatur: vis substentatiua causæ materialis dicit essentialem ordinem ad substentabilitatem accidentium, & ad ipsorum indigentiam substentationis, & substentare tanquam actus secundus vis substentatiuæ ad substentari, vt ad actum secundum substentabilitatis. Ergo nō potest corpus Christi in genere causæ materialis substentare accidentia, nisi ipsi inhæreant: non inhærent autem, nec possunt inhærere cum existat indiuisibili modo. Conseq. probatur. Ideò accidens est substentabile, & indiget substentatione, quia potest inhærere, nam habet formaliter ex vi suæ essentiæ, & intrinseci modi essendi, quod sit substentabile. Ergo cum vis substentatiua respiciat substentabilitatem, respiciet accidens, vt aptum inhærere, & actualis substentatio, vt actu inherens; atque adeò ex vi inhæsionis fiet substentatio. Confir. Causa materialis ex genere suo est causa intrinseca. Ergo non potest concurrere, nisi per suimet exhibitionem, atque per vnionem cum alia comparte, siue causalitas consistat in vnione, siue non. Ergo cum corpus Christi non vniatur cum accidentibus, non poterit in genere materiali substentare; quod etiam patet ex ipsis terminis, quia substentare dicit manutenere in esse id, quod substentanti inhæret.

23 Dico secundo. *Corpus Christi, neque effectiuè substentat accidentia.* Probatur. Talis efficientia non potest supplere concursum subiecti. Ergo non substentat effectiuè; nam in tantum substentat effectiuè, in quantum suppleret concursum subiecti. Antecedens prob. Omnis efficientia importat aliquem influxum, atque adeo aliquam rationem entis ponit de nouo, cum sit essentialiter communicatio alicuius esse. Ergo non est apta, vt suppleat substentationem subiecti: tum quia subiectum non ponit substentando aliquam rationem entis in esse, sed solum, quod est positum per suimet exhibitionem substentat; Tum quia in accidentibus non est aliquod esse de nouo quod habeatur ex vi talis efficientiæ.

24 Ad fundamentum in oppositum negatur Consequ. Quia corpus Christi succedit quidem accidentibus loco substantiæ, sed non in munus substantiæ. Neq; hoc requiritur ad transubstantiationem, quia transubstantiatio est solum conuersio vnius substantiæ in aliam; non autem translatio muneris vnius substantiæ in aliam.

An accidentia Eucharistiæ conseruentur à Deo diuersa actione ab ea, qua conseruabantur in subiecto.

SECTIO VII.

25 Difficultas procedit de illis accidentibus, quæ non dependent à subiecto in continua conseruatione in genere efficientis, quia si quæ sunt talia, necesse est, suppleri concursum huiusmodi.

26 Prima sententia asserit, conseruari diuersa actione. Ita Suar. *disp. 56. de Sacram. sect. 2.* vers. *Dico 3.* Vasq. *3. par. disp. 184. c. 2. n. 19.* Præpos. *q. 77. ar. 2. dub. 3.* Isamb. *disp. 1. ar. 3.* ver. *Secunda pars.* Ochag. *tr. 1. de Euchar. q. 24. n. 14.* Probant. Actio, qua conseruabantur in subiecto, est eductio, & dependens ab ipso subiecto: actio autem, qua conseruatur extra subiectum, est creatio independens à subiecto. Ergo 2. Termini ad quem sunt diuersi; nam prior actio habet pro termino accidens vnitum subiecto, posterior accidens non vnitum. Quando autem termini sunt diuersi, etiam actiones sunt diuersæ.

27 Secunda sententia est aliquorum Recentiorum apud Vasqu. *3. p. disp. 184. c. 2. n. 14* quam videtur sequi Chellison. *3. p. q. 77. in dub. circa ar. 2.* vers. *Notandum est:* dū vult, quod Deus conseruet accidentia continuando suam voluntatem efficacem circa permanentiam accidentium.

28 Dicendum est. *Accidentia Eucharistiæ conseruari à Deo eadem actione inuariata secundum substantiam, qua antea conseruabantur in subiecto.* Probatur. Influxus conseruatiuus, quo Deus conseruat accidentia in subiecto adæquat totam entitatem ipsorum. Ergo si continuetur, est sufficiens ad ipsa conseruanda extra subiectum. Conf. probatur. Talis concursus est communicatiuus totius esse, quod habent accidentia, ita vt faciant ipsum in actu, & manuteneat. Ergo quamdiu durabit concursus, manutenebuntur siue concurrat subiectum, siue non, quia concursus subiecti non est communicatiuus alicuius esse, sed tantum se exhibet, vt substentaculum, cui adhæreant accidentia, quæ substentat semetipsum exhibendo. Confirm. Accidentia substentari à subiecto non est aliquid recipere ab ipso, quo indigeant, vt manuteneantur in proprio esse, sed est trahi ad communicandū in eadem hypostasi cum subiecto, ita vt in ipsa subsistant: vnde indigentia substentationis non est aliud, quam indigentia communicandi in eadem hypostasi, vt habeant suum connaturalem modum essendi. Ergo si tollatur hæc communicatio, non erit necessarius maior concursus, quia concursus subiecti non est concursus conseruatiuus, sed solū substentatiuus, faciens subsistere in eadem hypostasi. Antec. prob. Accidentia indigent substentatione, non vt sint ens, sed quia sunt entis ens; hoc est, quia ex natura sua ordinantur ad complendum subiectum: atque adeò ad communicandum cum ipso in eadem hypostasi. Ergo indigentia substentationis est tantum indigentia communicandi in eadem hypostasi pro suo modo connaturali essendi.

29 Ad 1. neg. secunda pars antec. Nā sicuti accidens extra subiectū, adhuc dicit ordinē essentialē ad ipsū: ita etiā actio, qua conseruatur, & proinde est eiusdē rationis, ac si reciperetur in subiecto, sicut etiam est accidens. Ad 2. negatur assumptū. Nam vnio accidentis cum subiecto non per se producitur, sed resultat; & ideò ratione sui non est ter-

terminus actionis, sed solum vt resultans ex termino actionis; solus autem terminus, qui per se primo fit variat actionem.

An, & quomodo accidentia Eucharistica pati possint.

SECTIO VIII.

30 Supponendum tanquam certum, vt experientia constat. Accidentia Eucharistica subire posse omnes illas mutationes, quas subirent, si essent in subiecto. Vnde possunt rarefieri, & condensari, alterari, & corrumpi. Ratio autem est. Quia sunt eiusdem rationis, ac si essent in subiecto, & proinde subiecta eodem modo actioni naturalium agentium. Vnde solum difficultas est, quomodo id contingat, cum non adsit subiectum in quo recipiatur actio agentium.

31 Supponendum secundo. Aliqua agentia agere transfundendo in passum aliquid de propria substantia, vt contingit, quando res odorifera communicat odorem alteri, & res humida per exhalationes aliud humectat, & hæc agentia eodem modo agere possunt in accidentia Eucharistica, ac si essent in subiecto, nam transfundunt adhuc in ipsa propriam substantiam, quę se immiscet cum accidentibus non secus, ac si essent in subiecto, alia verò agentia educunt accidentia è subiecto, & de his procedit difficultas, quæ locum habet siue accidentia Eucharistica sint in quantitate, vt in subiecto, siue non, nam quantitas non est subiectum eductionis, nec habet vim substentatiuam, cum hæc sit propria substantiæ.

32 Dicendum. *Agentia naturalia eodem modo agere circa accidentia Eucharistica actione sua naturali, ac si essent in subiecto.* Est contra nonnullos Recentiores, qui volunt, talia accidētia produci à Deo per creationē, & destrui etiam ab ipso opposita in speciebus Sacramentalibus. Ita autem tenent omnes, qui volunt, accidentia Eucharistica subiectari in quantitate. Probatur. Ideò non possent suo modo connaturali agere, quia non adest subiectum, in quo recipiatur actio. Sed hoc non obstat. Ergo minor probatur. Agens non indiget subiecto, vt actio ab ipso egrediatur, sed vt ipsa actio egressa simul cum effectu substentetur. Ergo si Deus conseruet actionem, & effectum, qui producitur sine subiecto, poterit adhuc agens suo connaturali modo agere: tenetur autem conseruare, dum recipitur in speciebus Sacramentalibus.

33 Dices. Accidentia contraria non se expellunt nisi in ordine ad commune subiectum. Ergo cum hic non adsit commune subiectum, non possent se inuicem expellere. Se autem expellunt. Ergo. Respondetur. Se expellere tantum in ordine ad idem subiectum actu, vel aptitudine; hic autem licet non adsit commune subiectum actu, adest tamen aptitudine, quia omnia illa accidentia cum sint ita coordinata inter se, vt exigant simul communicare in eadem hypostasi, exigunt etiam commune subiectum; & ideò eam incompossibilitatem, quam habent in subiecto, retinent etiam in eadem coordinatione, & eam exercent ex vi naturalis appetitus, quo quodlibet tendit ad statum sibi congruentem. Quod ex eo patet, quia subiectum ex se est capax omnium accidentium, & ideò contrarietas debet exerceri ex vi ipsorum accidentium.

Quomodo accidentia Eucharistica agant.

SECTIO IX.

34 Species Sacramentales eodem modo agere siue secundum esse reale, siue secundum esse intentionale, docent communiter cum D. Tho. 3. *par. quæs.* 77. *ar.* 3. vt experientia constat. Et ratio est. Quia cum retineant propriam entitatem, & secundum esse intrinsecum immutata maneant, retinent etiam eandem virtutem operatiuam: & cum conseruentur absque subiecto, possunt per ipsam operari non secus, ac si essent in subiecto, quia subiectum non requiritur ad agendum, nisi vt substentans. Vnde difficultas est in ordine ad actiones, quibus producitur forma substantialis, si quæ produci potest; & de productione qualitatis, qua alterata se reducunt ad pristinum statum.

35 Prima sententia est Scoti *in* 4. *distin.* 12. *qu.* 2. §. *Dico ergo.* Paludan. *quæs.* 4. Alens. *par.* 4. *q.* 40. *mem.* 2. *ar.*.. Isambert. 3. *par. quæst.* 77. *disput.* 2. *art.* 1. *propos.* 2. & quorundam Recentiorum, qui volunt, quod species Sacramentales producant vltimam dispositionem in subiecto, & postea Deus producat formam substantialem, quia requiritur pro ipsa influxus substantialis, qui deberet esse à forma substantiali agentis.

36 Secunda sententia asserit, species Sacramentales corrumpere solum formam substantialem corrumpendo dispositiones; non autem attingere productionem nouæ formæ, ita Durandus *in* 4. *distinc.* 12. *quæst.* 2. *numer.* 7.

37 Tertia sententia vult, quod species producant substantiam eo modo, ac si essent in subiecto, quia adhuc sunt naturalia instrumenta substantiæ. Ita D. Thom. 3. *par. quæst.* 77. *ar.* 3. *ad* 3. Caiet. *art.* 1. & alij expositores *ibid.* Capreol. *in* 4. *distin.* 12. *q. vnica* D. Bonauen. *par.* 1. *ar.* 2. *quæst.* 2. §. *Ad illud.* Richard. *ar.* 3. *quæst.* 2. Ferrar. 4. *contragentes. cap.* 65. Vasquez 3. *par. disput.* 185. *c.* 1. *num.* 10. Hurtad. *disput.* 7. *De Eucharistia. difficul.* 5. & alij.

38 Dico primo. *Species Sacramentales concurrunt ad productionem substantiæ eo modo, ac si essent in subiecto.* Conclusio procedit ex suppositione, quod agens concurrat ad productionem formæ substantialis solum disponendo, & formæ educantur de potentia materiæ, in qua præexistant, quia materia sit coagmentatio quædam athomorum, ratione quorum sit potentialiter omnis forma. Probatur. Accidentia attingunt tantum productionem substantiæ tanquam instrumenta connaturalia substantiæ. Ergo possunt ipsam attingere, siue existant in subiecto, siue non. Consequentia probatur. Conseruata extra subiectum retinent totam suam virtutem naturalem. Ergo etiam illam virtutem, qua agunt, vt instrumenta substantiæ.

39 Dico secundo. *Quando species Sacramentales se reducunt ad pristinum statum, illa qualitas fit in actu, quæ erat prius veluti in potentia in ipsis speciebus.* Conclusio procedit ex suppositione, quod expulsio qualitatis connaturalis non sit vera expulsio, sed à contrario prædominante ita subijciatur, vt occultetur, ac si non esset: secus autem dicendum est, produci à Deo ad occultandum mysterium cum non adsit causa naturalis, à qua possit produci. Probatur. Illa qualitas est connaturalis temperamēto illius mixti, & contrarium agens non dissoluit temperamentum. Ergo remanet occultata illa qualitas, aliàs cum temperamentum coalescat ex omnibus qualitatibus, & consistat in illa harmonia, quæ ex ipsis consurgit, sublata quacunque qualitate deficeret. Ergo quando reparatur talis qualitas, ex occultatione fit in actu.

40 Dico tertio. *Hæc qualitas reparatur in virtute causarum naturalium, vniuersalium, nempe influentiarum cælestium.* Prob. Cælum est causa vniuersalis concurrens ad generationem, & conseruationem mixtorum, atque adeò etiam temperamenti ipsorum. Ergo quando tale temperamentum per accidens alteratur, ita vt non debeat corrumpi cessante extrinseco alterante, reducetur ad suum statum ex vi influentiarum cælestium, quatenus tendunt ad conseruationem talis temperamenti.

An ex speciebus sacramentalibus possit aliqua substantia generari.

SECTIO X.

41 Certum est, vt experientia patet, aliquam substantiam generari ex speciebus Sacramentalibus, vt cum generantur vermes, & docent communiter cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 77. *ar.* 5. Difficultas autem est, quomodo id contingat, cum non adsit materia, ex qua educatur forma substantialis. Omissis varijs opinionibus, quas referunt Vasquez 3. *par. disput.* 194. *cap.* 2. Hurtad. *disput.* 7. *de Euchar. diffic.* 6. Suarez *disput.* 57. *de Sacram. sect.* 3. Ochagauia *tr.* 1. *de Euchar. q.* 28.

42 Dico primo. *Substantialis forma educitur ex materia, quam Deus reproducit in illo instanti, in quo introducuntur dispositiones pro noua forma substantiali, ita vt in virtute talium dispositionum à tali materia forma educatur.* Ita Scot. *in* 4. *distin.* 12. *quæst.* 6. §. *Dico igitur*. Durandus *quæst.* 2. *num.* 10. Maior. *quæst.* 4. Gabriel. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 3. Suarez *disput.* 57. *de Sacramen. sect.* 3. ver. *sed quænam*. in fine. Vasquez *disput.* 194. *cap.* 3. Isambert. 3. *par. quæst.* 77. *disput.* 1. *ar.* 3. Coninch. *art.* 5. *num.* 57. Hurtad. *disput.* 7. *de Euchar. difficult.* 6. Probatur. Quando introducuntur dispositiones pro alia forma, debet corpus Christi desinere esse sub speciebus, quia desinit Sacramentum cum desinat signum sensibile ipsius. Et è contra accidentia exigunt subiectum, cum in tantum sint sine subiecto, in quantum continent corpus Christi. Ergo Deus, vt causa vniuersalis tenetur supplere talem exigentiam, & producere materiam.

43 Dico secundo. *Hæc materia ponitur à Deo per actionem creatiuam.* Ita citati pro præcedenti conclusione, & præterea Marsil. *in* 4. *quæst.* 8. *ar.* 4. Gabriel. *lect.* 45. *in Canon. Missæ.* Aegidius *theorem.* 44. *&* 45. Præpositus 3. *par. quæst.* 77. *art.* 5. *num.* 16. ver. *Quod creetur*. contra Thomistas, qui volunt substantiam de nouo produci ex quantitate. Ita præsertim Paludan. *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. Henric. *quæst* 1. *ar.* 3. Hispal. *quæst.* 1. *num.* 4. Corneius 3. *par. quæst.* 77. *art.* 5. *disput.* 2. *dub.* 3. Ochagauia *tract.* 1. *de Eucharist. quæst.* 28. *num.* 8. qui duo posteriores volunt, quantitatem specierum conuerti in nouam materiam, & ex hac educi formam, quod refutatur à D. Thom. 4. *contra Gentes. cap.* 66. Probatur. Eo modo debet poni subiectum, ex quo fiat forma, qui est secundum exigentiam causarum secundarum, quia tunc non inducitur nouum miraculum, sed connaturaliter Deus supplet defectum causæ. Forma autem substantialis exigit educi ex materia, nec quantitas exigit conuerti in materiam, aut in totalem substantiam; & accidentia exigunt quoque ipsum materiam, ergo.

44 Dico tertio. *Deum reproducere eamdem numero materiam, quæ fuit conuersa in corpus Christi.* Ita contra plures tenent Innocent. *libr.* 4. *de myster. altaris cap.* 11. Alensis 4. *par. quæst.* 40. *memb.* 2. *ar.* 4. D. Bonauen. *in* 4. *distinc.* 11. *ar.* 2. *quæst.* 1. quatenus docent, redire eandem substantiam panis, nam intelligunt quo ad materiam. Suarez *disput.* 57. *de Sacramen. sect.* 3. ver. *Rursus deinde*. Isambert. 3. *par. quæst.* 77. *disput.* 2. *art.* 3. *proposit.* 3. Coninch. *ar.* 5. *num.* 57. Hurtad. *disput* 6. *sect.* 3. *num.* 28. & alij. Probatur. Illa materia debet produci, quam exigunt accidentia, quia producitur ad ipsorum exigentiam. Exigunt autem eandem numero materiam, quia dispositiones ad nouam formam dicunt ordinem connaturalem ad materiam præexistentis subiecti, in quam debent introduci.

45 Dico quarto. *Forma producitur ab agente naturali introducente dispositiones*. Ita contra Vasquez 3. *par. disput.* 194. *cap.* 3. *num.* 31. qui vult produci à solo Deo, Suarez *disput.* 57. *de Sacramen. sect.* 3. ver. *Adhuc enim* Coninch. 3. *par. quæst.* 73. *ar.* 5. *numer.* 57. Præpositus, dubio vnico, num. 16. ver. *Tertiam partem*, Ochagauia, *tract.* 1. *de Eucharist. quæst.* 20. *num.* 10. Caspens. *tract.* 22. *de Eucharist. disput.* 8. *sect.* 3. *num.* 27. Probatur. Illud agens producit formam, quod introducit dispositiones ad quas consequitur forma producta, & hac ratione homo generat hominem. Agens autem naturale producit dispositiones, sub quibus producitur materia, & ad quas consequitur forma, quando desumuntur species Eucharisticæ.

46 Obijcies contra tertium dictum. Non potest reproduci eadem numero materia, nisi corpus Christi conuertatur in ipsam, non conuertitur autem. Ergo. Respondetur negando maiorem. Quia cum de potentia absoluta sit reproducibilis absque conuersione, potest etiam hic reproduci, & erit de potentia ordinaria, cum sit secundum exigentiam accidentium, vt constat ex dictis.

47 Obijcies secundo contra quartum dictum. Agens tunc solum producit formam, quando introducit dispositiones præparando materiam: quando autem agens creatum agit in species, nulla est materia, quæ præparetur. Ergo. Respondetur. Non adesse materiam initio actionis, adesse tamen in fine, quando introducitur vltima dispositio, quia tunc tota præparatio futura ab agente recipitur in materia producta, & in eodem instanti, sed in posteriori naturæ educitur forma.

DE DESITIONE CORPORIS, ET Sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis.

DISPVTATIO CVII.

An, & quomodo desinat Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus Eucharisticis.

SECTIO I.

1 Conueniunt omnes, Corpus, & sanguinem Christi vsque ad illud signum manere sub speciebus, quousque fiat in ipsis talis alteratio, quod si ibi adesset substantia panis, desineret. Ita D. Thom. 3. *par. quæst.* 76. *ar.* 6. *ad* 3. & *quæst.* 77. *art.* 4. *&* 8. Alensis *par.* 4. *quæst.* 11. *memb.* 2. *ar.* 7. §. 1. Albert. *in* 4. *distinc.* 9. *ar.* 5. Richard. *distinc.* 12. *ar.* 2. *qu.* 2. Scot. *quæst.* 6. §. *Dico ergo*. Durand. *quæst.* 2. *num.* 4. Paludan. *qu.* 1. *ar.* 1. *num.* 7. Gabriel. *qu.* 1. *par.* 3. Vasquez *disput.* 185. *cap.* 5. *nu.* 54. Suarez *disput.* 57. *de Sacramen. sect.* 4. & alij. Et ratio est. Quia quando species ita alterantur, vt non sint amplius species panis, non adest amplius signum sensibile Sacramenti. Ergo debet desinere Sacramentum, atque adeò corpus, & sanguis Christi, cum non possit saluari sine signo sensibili. Difficultas autem est, an aliquando desinat esse antequã corrumpantur species.

2 Supponendum autem est tanquam certum, corpus, & sanguinem Christi manere sub speciebus, etiam quando traijciuntur in stomachum, & contra Glos. *in cap. Tribus gradibus.* verbo. *Miscere De consecr. dist.* 2. docent communiter cum D. Tho. 3. *p. q.* 80. *ar.* 3. qui oppositum vocat errorem, siue sumens sit iustus, siue peccator. Est enim de fide, quod sumens Eucharistiã, manducat corpus Christi Io. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem*, 1. Ad Corynt. c. 11. *Quicunq. manducat, & bibit indignè, iudiciũ sibi manducat, & bibit.* Ad manducationẽ autem requiritur, quod cibus traijciatur in stomachum,

3 Supponendum secundò. Contra D. Bonau. *in 4. dist.* 13. *ar.* 2. *quæst.* 3. Corpus Christi remanere sub speciebus, etiam quando proijciuntur in locum immundum, vt communiter docent. Quia licet ipsi inferatur grauis irreuerentia, nulla tamen est causa, ob quam ex natura Sacramenti debeat desinere; desitio autem non debet introduci, nisi sit secundum naturam rei desinentis, alias est sine fundamento, nec sufficit irreuerentia, aliàs plura deberent desinere, & ipsum corpus Christi, quando sumitur à peccatore, ad vitandam irreuerentiam.

4 An autem desinat esse sub speciebus, quando comeditur à brutis negant communiter; & Vasquez 3. *par. disp.* 195. vult oppositum fuisse damnatum per Gregoriū XI. vt in Directorio Inquisitorum *par.* 2. *qu.* 10. Verum ibi non refertur hoc damnatum fuisse, sed solum quendam prohibitum fuisse euulgare, & docere quasdam propositiones, quarum vna erat ista. Quod corpus Christi desinit esse sub speciebus, quando species comeduntur à mure, quod est quid valdè diuersum; nam potuit prohiberi euulgatio propositionis, non quia non esset probabilis, sed quia generaret scandalum. Deinde si fuisset damnata, fuisset damnata in consequentiam vlterioris propositionis, quæ ponebat, corpus Christi desinere sub speciebus, quando proijcitur in lutum ex motiuo, ne fiat ipsi irreuerentia, ac proinde fuisset damnata non ratione sui, sed ratione fundamenti; vnde in fundamentum veniebat, quod etiam desineret corpus Christi sub speciebus, quando sumitur ab indigno.

5 Quod autem desinat esse sub speciebus affirmat Magister *in 4. dist.* 15. *cap.* 1. *in fine*. dum dicit, non sumi à brutis, quando comedunt species, & ignorari quid sumāt. Innocentius *lib.* 4. *de myster. altar. cap.* 11. D. Bonau. *in 4. dist.* 13. *ar.* 2. *q.* 3. Ratio est. Quia quando species sumuntur à brutis, desinit adæquatè finis Sacramenti, qui est nutrire spiritualiter animam. Ergo cum hoc Sacramentum sit propter vsum, debet cessare cessante vsu, qui est finis, quia cessante fine, debent cessare, quę sunt propter finem. Confirmatur. Cum Sacramentum sit signum sensibile sanctificatiuum, requirit essentialiter, quod possit applicari nedum physicè, sed etiam moraliter ad sanctificandum. Ergo quando fit tale, vt non possit applicari, desinit esse Sacramentum; vnde aqua congelata, si non possit abluere, non est materia sufficiens, sed quando species assumuntur à brutis, saltem moraliter non possunt amplius applicari. Ergo desinit Sacramentum.

An Christus conuertatur in substantiam succedentem, quando desinit esse sub speciebus.

SECTIO II.

6 Affirmant nonnulli Recentiores; quia desitio est transitus substantiæ Christi in substantiam succedentem. Vnde inferunt Christum conuerti in nostram substantiam ob hanc rationem, quando illum sumimus Sacramentaliter. Negat verò Suarez *disput.* 7. *de Sacram. sect.* 3. Hurtad. *disput.* 7. *de Euchar. difficul.* 10. & alij.

7 Et hæc sententia absolutè tenenda est. Ratio est, quia conuersio non est possibilis ex parte agentis naturalis; nec ex parte Dei de potentia ordinaria. Ergo. Non ex parte agentis naturalis, quia hoc introducit solum dispositionem pro noua forma, & corrumpit species Sacramentales: vnde non exercet aliquam actionem conuersiuam, sed suam consuetam naturalem. Non ex parte Dei, quia tanquam causa vniuersalis agit secundum exigentiam causarum secundarum. Causæ autem secundæ non exigunt conuersionem substantiæ corporis Christi, sed exigunt produci materiam, ex qua ex vi illarum dispositionum educatur forma. Confirmatur. Talis connexio fieret à Deo, vt à causa particulari, quia esset supra exigentiam totius naturæ: in hoc autem casu Deus non agit vt causa particularis, sed vt vniuersalis, cum agat ad exigentiam causarum secundarum. Confirmatur. Desitio corporis Christi est per accidens, quia nimirum desinunt species Sacramentales per actionem ordinatam ad dispositionem formę substantialis. In conuersione autem terminus à quo non desinit per accidens, sed per se, quia intentio conuertentis est ipsum conuertere in terminum ad quem.

8 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum. Neque enim substantia Christi transit in substantiam succedentem, sed desinit per accidens, vt constat ex dictis.

An si aliquis liquor misceatur speciebus consecratis desinat sanguis Christi esse sub ipsis.

SECTIO III.

9 Conueniunt omnes, quod si fiat perfecta mixtio, desinit sanguis esse sub speciebus, quia tunc in speciebus vini fit noua alteratio, vt si ibi esset substantia vini, corrumperetur, quia non potest fieri perfecta mixtio, nisi nouum temperamentum producatur, atque adeò noua forma. Conueniunt etiam, quod si species vini prævaleant, ita vt liquorem permixtum possint ita alterare, vt corrumpant eius formam, tunc non producitur sanguis Christi in illo liquore extraneo, sed forma substantialis iuxta exigentiam dispositionum. Neque oppositum habet ordo Romanus, dum *cap.* 4. dicit, quod vinum non consecratum commixtum cum sanguine Domini sanctificatur per omnem modum; nam per hoc solum significatur, quod remaneat benedictum, & participet quandam sanctificationem, per quam res Sacra fiat: non autē, quod ita consecretur, vt sub ipsius speciebus ponatur sanguis Christi. Solum ergo difficultas est de mixtione imperfecta, quæ fit per partium iuxta positionem.

10 Prima sententia negat desinere. ita Durand. *in 4. dist.* 12. *qu.* 3. Scot. *qu.* 4. D. Bonau. *ar.* 1. *qu.* 2. Sotus *dist.* 10. *q.* 2. *ar.* 8. Inuocent. *lib.* 4. *de myster. altar. cap.* 32. Victoria *in sum. nu.* 64. Suarez *disput.* 57. *de Sacram. sect.* 3. *concl.* 3. Vasqu. 3. *par. disput.* 195 *cap.* 2. *nu.* 63. Hambert. *qu.* 77. *disput.* 2. *ar.* 7. *proposit.* 3. Syluius *ar.* 8. Merier. *ibid.* Chelilon. *dub. vnico.* Auersa *qu.* 5. *de Euchari st. sect.* 6. Probatur ex cap. *Cum Marthæ.* De *celebrat. missar.* vbi Innocent. III. habet, quod vinum mixtum sanguini circumfunditur corpori, quod sub accidentibus latet. Ergo 2. Si vinum consecratum misceatur alteri consecrato non desinit esse sub ipso sanguis Christi, & tamen non est idem indiuidualiter. Ergo 3. Sanguis Christi non desinit esse sub accidentibus, nisi quando deberet desinere esse substantia: in tali autem commixtione non desineret. 4. Liquores non mutantur in tali mixtione secundum suam entitatem intrinsecam, cum non adsit, à quo producatur noua entitas. Ergo non debet desinere sanguis sub accidentibus. 5. Si aqua misceatur vino consecrato, si non alteret accidentia ipsius, & disponat ad corruptionem, non desinit esse sub ipsis sanguis Christi. Ergo nec quando miscetur aliud vinum.

11 Secunda sententia asserit, desinere. Ita D. Thom. *Quodlib.* 10. *art.* 3. & *in 4. distin.* 12. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 6. & 3. *par. quæst.* 77. *art.* 8. Alensis *par.* 4. *quæst.* 10. *memb.* 7. *art.* 7. §. 3. *ad* 3. Maior. *in 4. distinc.* 12. *quæst.* 4. *dub.* 3. *in fine*. Paludan. *quæst.* 5. *art.* 2. *num.* 14. Capreol. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad Argum. contra* 2. *conclus.* & videtur approbare Richard. *ar.* 4. *quæst.* 1. Debet autem intelligi, quando vinum mixtum est tantæ quantitatis vt possit diffundi per totas species consecratas. Quia si non diffunderetur, desineret esse solum sub illis speciebus, cum quibus misceretur.

12 Dicendum est. *Sanguinem Christi desinere esse sub speciebus vini ex sola mixtione, per iuxta positionem cuiuscunque liquoris siue eiusdem, siue diuer-*

diuersæ speciei. Probatur. Quando miscibilia miscentur per iuxta positionem, consurgit tertium præsertim in liquidis, quod non est aliquod ex miscibilibus, sed diuersum ab ipsis saltem numero; vnde vinum aqua mixtum non est illud idem vinum, quod antea erat ante mixtionem. Si fiat mixtio farinæ cum aqua, non remanet farina, neque aqua, sed tertium vulgo pasta. Et ratio est, quia non remanet idem quod mutatur in proprio esse; miscibilia autem mutantur in tali mixtione, præsertim si partes continuentur, vt in liquidis, nam tunc ratione continuationis partes communicant in vno, & eodem esse, quod non est, nec esset huius, neque illius miscibilis. Ergo ex vi talis mixtionis desinit sanguis Christi esse sub speciebus. Consequentia probatur. Sanguis Christi conseruatur sub speciebus quamdiu manent eædem non solum specie, sed etiam numero: in tali autem mixtione non manent eædem numero, sicut nec remanerent vinum, si esset sub ipsis, quia continuantur cum accidentibus alterius liquoris. Ergo. Confirmatur. Facta mixtione de illo calice mixto non potest amplius dici, quod sit ille calix, de quo dictum est. *Hic est enim calix sanguinis mei, &c.* cum non sint verba prolata supra ipsum. Ergo neque etiam potest dici, quod sit poculum Eucharisticum, cum de ipso verificetur, quod verba sint prolata supra ipsum. Ergo nec manet Sacramentum. Ergo desinit esse ibi sanguis Christi, quia desinit ad desitionem Sacramenti. Confirmatur secundo. Ille calix non dicit amplius ordinem, ad verba consecrationis, cum non sit ille, super quem prolata sunt. Ergo non habet amplius esse Sacramentale, cum in tantum habeat, in quantum dicit ordinem ad verba, quibus factum est Sacramentum, præsertim si verba sint forma huius Sacramenti, quia nec cum ipso componunt, nec sunt forma extrinseca. Ergo non est ibi amplius sanguis Christi, quia in tantum conseruatur, in quantum conseruatur Sacramentum, seu species secundum esse Sacramentale.

13 Ad primum respondetur. Ibi Pontificem nihil decernere, quia solum proponit diuersas opiniones circa conuersionem aquæ in sanguinem Christi; & recitata opinione, quod non conuertatur, sed maneat in calice, affert ad id confirmandum, quod vinum mixtum non conuertitur in sanguinem, sed permiscetur accidentibus, & circumfunditur corpori Christi. Quam tamen opinionem non amplectitur, cum dicat esse probabilius, quod aqua immediatè vertatur in sanguinem. Ad 2. negatur Consequent. Quia desitio sanguinis sub speciebus in mixtione non prouenit ex eo præcisè, quod species mutentur indiuidualiter, sed quia ex mutatione indiuiduali amittant esse Sacramentale, & ordinem ad formam Sacramenti, quod non fit, quando duæ species Sacramentales inuicem miscentur. Ad tertium negatur maior. Nam est diminuta, cum etiam debeat desinere, quando species amittunt esse Sacramentale. Ad quartum. Liquores mutari secundum entitatem, quia ratione continuabilitatis partes ipsorum communicant in vnum quantum diuersum ammiscibilibus: hęc enim est natura quantorum, vt possint mutari sine productione nouæ entitatis, sic si duæ vnitates separentur à quaternario, mutatur numerus sine productione nouæ entitatis. Ad quintum negatur assumptum. Nam tunc amittunt species esse Sacramentale, cum amittunt ordinem ad verba consecrationis.

DE MINISTRO SACRAMENTI Eucharistiæ.

DISPVTATIO CVIII.

An solus Sacerdos possit conficere hoc Sacramentum.

SECTIO I.

1 Minister Eucharistiæ est duplex, Alius in ordine ad efficiendum; alter in ordine ad ministrandum: nam cum sit Sacramentum permanens, potest ministrari a b eo, à quo non est confectum. Nunc de primo agimus.

2 Dicendum est. *Solum Sacerdotem esse ministrum in ordine ad efficiendum Sacramentum Eucharistiæ*. Ita communiter Catholici cum D. Thom. 3. *par. qu.* 82. *ar.* 1. contra Lutheranos, qui volunt, quemlibet Christianum posse esse ministrum, licet nemo debeat hoc munus exercere, nisi legitimè vocatus. Est de fide ex Concil. Nicæno *can.* 14. & Concil. Lateranensi *sub Innocentio III.* Trid. *sess.* 22. *can.* 2. & *sess.* 23. *c.* 1. vbi, quod sacrificium, & Sacerdotium Dei ordinatione sunt coniuncta. Desumitur etiam ex Patribus Clemen. *lib.* 2. *constit. Apostol. c.* 31. Cypriano *libr.* 1. *Epist.* 9. Epiphan. *hæresi* 79. Athanas. *Apolog.* 2. *contra Arian.* Hieronym. *Epistol. ad Heliodorum.* Chrysost. *lib.* 3. *de Sacerd. cap.* 4. Gauden. *tract.* 2. *ad Neophit.* circa finem *tom.* 2. *Bibliothec. Patrum.* & alijs. Probatur Lucæ 22. & Math. 26. Christus non dixit omnibus, sed solis Apostolis, quando instituit hoc Sacramentum, & successoribus in officio. *Hoc facite in meam commemorationem.*

3 Dices. Etiam solis Apostolis dixit. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* & tamen in casu necessitatis quilibet est minister baptismi. Contra. Ex traditione perpetua, & praxi Ecclesiæ constat, quod illa verba sint dicta taxatiuè Apostolis; alia autem non esse dicta taxatiuè Apostolis. Scriptura autem Sacra debet accipi secundum interpretationem Ecclesiæ. Deinde quando Christus dixit *Hoc facite*, instituit Sacramentum, & ordinauit Apostolos ministros. Quando autem dixit *Baptizantes*, &c. non dedit Apostolis potestatem baptizandi, sed eos constituit delegatos pro fundanda Ecclesia, & explicauit actũ baptizandi, quem debebant exercere, non vt proprium, sed vt necessarium pro fundanda Ecclesia.

4 Obijcitur primo. Ex epist. 1. Petri *cap.* 2. Christiani dicuntur Sacerdotes. *Vos genus electum, regale Sacerdotium.* & Apocalyp. 5. *Fecisti nos regnum, & Sacerdotes.* Respondetur. Dici Sacerdotes eo modo, quo dicuntur Reges, nempè impropriè, quatenus quilibet participat in sacrificando cum proprijs Sacerdotibus iuxta illud Canonis missæ. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.*

5 Obijcitur secundo. Ex Tertull. *In exhortat. ad castitatem cap.* 7. Vbi habet, quod & Laici Sacerdotes sunt ad offerendum, quando desunt Sacerdotes, & quod Ecclesia distinxit inter Sacerdotes, & plebem. Respondetur. Loqui de oblatione panis, & vini, quam offerebant singuli fideles pro Sacerdotibus, qui vnam tantum partem consecrabant de oblatis, & hanc posse fieri à fidelibus, si desint Sacerdotes; & subdit, quod in ordine ad has oblationes distinxit Ecclesia, quia præcipit, quod fierent à Sacerdotibus, si adessẽt: ponit tamẽ discrimẽ, & etiã de iure Diuino inter Sacerdotes, & plebẽ: nã habet. *Differentiã inter ordinẽ, & plebẽ constituit Ecclesiæ authoritas, & honor*

per ordinis concessum sanctificatus à Deo. De dicta oblatione Cyprian.*lib.de oper.& eleemos.* Pamel.*annot.33.in dict.locum Cypr.*

6 Obijcies tertio. Ex Concil.Arelat.*can.15.De Diaconibus, quos cognouimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere*, & ex Synodo Ancijrana iubentur Diaconi, qui idolis immolauerant, abstinere ab offerendo pane, & vino. Respondetur. Intelligi de oblationibus fidelium, quæ benedicebantur, non autem de sacrificio. Et secundus locus procedit de oblatione, quam faciebat Diaconus ministrans Sacerdoti, nam simul cum Sacerdote, vt nunc quoque in calice offerebat, sed non consecrabat.

7 Obijcitur quarto. Firmantius ex Theodoret. *libr.1. hystor.cap.23.* persuasit Romanis Mercatoribus in India, vt Lyturgiam more Romano celebrarent: & tamen nec ipse, nec alij erant Sacerdotes. Resp. Per Lyturgiam intelligi conuentum ad orandum, vt explicat Nicephor. *lib.8.cap.35.* & Sozomen.*lib.2. cap.24.*

8 Obijcitur quinto. Ex Prato spirituali *cap.25.* Monachus non Sacerdos protulit verba consecrationis super panem, quam deferebat, & Angelus affirmauit verè consecrasse. Respondetur. Esse apocriphum, vt plura alia in illo libro.

An omnis Sacerdos possit conficere hoc Sacramentum.

SECTIO II.

9 Dicendum. *Omnem Sacerdotem siue excommunicatum, siue Schismaticum, siue hæreticum, siue degradatum posse validè, licet non licitè, conficere hoc Sacramentum.* Ita communiter cum D.Tho.3.*par.q.*82. *ar.*5.7.& 8. contra Magistrum *in 4.dist.*30. Gulliel.Parisiens.*tract.de Sacramen.ordinis.* Gratian.*in cap. Quod quidam 1.qu.1.* qui negant de hæreticis, Schismaticis, & degradatis. Desumitur ex Concil.Trid.*sess.23. cap.4.* vbi damnat asserentes, *Noui testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos iterum laicos effici posse.* Prob. Retinent semper potestatē acceptā in ordinatione, quia character est indelebilis: vnde non ordinantur de nouo, quando recipiuntur ab Ecclesia. Ergo possunt semper validè consecrare, quia causa semper potest agere secundum virtutem, quam habet.

10 Obijcitur. Degradatus deijcitur de suo gradu. Ergo non retinet potestatem. Respondetur. Deijcitur cæremonialiter, quia Ecclesia non habet ipsum amplius in eo loco, & ordine; non autem quo ad oblationem potestatis, quam habet ratione characteris.

An minister huius Sacramenti teneatur ex vi solius ordinationis aliquando conficere.

SECTIO III.

11 Non teneri ex vi ordinationis, sed posse semper cessare, nisi aliunde obligetur, asserunt Alens. *par.4.qu.51.mem.2.* D.Bonau.*in 4.dist.2.p.2.art.2.q.2.* Richard.*dist.13.ar.2.q.2.* Gabriel.*lect.87.in can.missæ.* Victor.*in sum.de Sacram.nu.84.* Caiet.3.*p.qu.82.ar.10.* vbi tamen tempore Pij V. commentar. fuit expunctus, & nonnulli Recentiores. Probant. Nullum adest sufficiens fundamentum introducendi talem obligationem, imò antiquitus Sancti Sacerdotes nunquam celebrabant, vt in vitis Patrum *par.2.§.178.* Et Diaconus non habet talem obligationem.

12 Secunda sententia. Sacerdotes ex vi suæ ordinationis teneri aliquando celebrare. Ita D.Tho.3.*p.qu.82.ar.10.* vbi oppositam sententiam vocat irrationabilem, & *in 4.dist.13.qu.1.ar.2.quæstiunc.1.ad 2.* Durand. *qu.2.* Palud.*ibid.* Sotus *qu.1.ar.10.* D. Antonin. 3.*p.tit.13.ar.16.* §.12. Syluest.*verbo Missa 1.q.7.* Angel.*nu.44.* Nauar. *in manual.cap.25.nu.88.* Azor. *par.1. lib.10.cap.24.qu.1.* Graf.*par.1.lib.2.cap.39.num.3.* Mirand.*par.1. manual. quæst.40.ar.7.concl.2.* Valent.*tom.4.disput.6. quæst.10. punc.3.* Suarez *disput.80.de Sacram.sect.2.* Vasquez 3.*p. disput. 232. cap.1.*

13 Dicendum est. *Sacerdotem ex vi ordinationis præcisè teneri aliquando celebrare.* Desumitur ex cap. *Dolentes.* De *celebr.miss.* Vbi Pontifex recenset inter peccata Clericorum, quod Missam celebret vix quater in anno. ibi. *Sunt & alij qui missarum solemnia vix celebrant quater in anno, & (quod deterius est) interesse contemnunt.* Si ergo est deterius non interesse, erit peccatum non celebrare, & ex Concil.Triden.*sess.23,cap.14. de reform.* ibi. *Curet Episcopus, vt Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus missas celebrent.* Hoc autem non iniungeret, nisi tenerentur celebrare.

14 Probatur. Quando Christus dixit Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem*, imposuit præceptum Apostolis, & successoribus in Sacerdotio, vt declarat Conc.Trid.*sess.22.cap.1.* Ergo tenentur saltem aliquando ex præcepto conficere hoc Sacramentum. Dices. Hoc præceptum non dirigi ad singulos, sed solum ad communitatem Ecclesiæ. Contra. Ideò hoc præceptum impositum est communitati Ecclesiæ, quia Ecclesia ex officio tenetur offerre sacrificium. Ergo impositum est etiam singulis Sacerdotibus, quia quando ratio legis militat, non solum in omnibus, sed etiam in singulis, obligat non solum omnes in communi, sed etiam singulos, cum extendatur ad extensionem rationis *l. His solis §. Satis etiam cautè.C.De reuoc.don.& l.Item veniunt.§.Hic Senatus. ff.De petit.hæred.& l.Illud. C.De Sacrosan. Eccles.* Ratio autem huius obligationis militat in singulis Sacerdotibus, nam omnes in ordinatione assumunt officium offerendi sacrificium iuxta illud Apost. ad Hæbr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptis pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Vnde ex officio tenetur, & ideò si non offerret, deficeret in re graui in proprio munere.

15 Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum. Vt patet ex dictis. Ad probationem. Illos qui non offerebant sacrificium, id fecisse ex speciali instinctu Spiritus Sancti, per quem alia via extraordinaria dirigebantur. Nec est eadem ratio de Diacono, quia officium ipsius non cadit ex genere suo sub obligatione. Instabis. Si adesset obligatio, fuisset ab Ecclesia determinatum tempus implendæ obligationis, & determinauit in præcepto confessionis, & Eucharistiæ. Respondetur neg. sequ. Quia etiam alia plura præcepta positiua non sunt determinata, tam iuris naturalis, quam Diuini. Instabis 2. Confessarius ex vi potestatis non tenetur audire confessiones, Ergo nec Sacerdos celebrare ex vi ordinationis. Respondetur neg. Consequen. Quia Confessarius ex vi potestatis non suscipit munus audiendi confessiones, sicut suscipit Sacerdos munus celebrandi, dum ordinatur.

16 Instabis. Quando tenecatur Sacerdos celebrare D. Tho.3.*par.quæst.82.ar.10.* docet, teneri celebrare saltem in solemnioribus festis. Alij ter, aut quater in anno. Verum in cap. *Dolentes.* De *celebrat.miss.* reprehenduntur, vt non satisfacientes proprio muneri, qui ter, aut quater in anno celebrabant. Vnde non potest dari certa regula, sed relinquendum est iudicio prudentis viri habita ratione circumstantiarum, vt notant Syluius 3.*par. qu.82. ar.2. in fine.* Præposit.*dub.1.ver.difficultas est.* Est tamen aduertendum, quod non est necesse, quod celebret in diebus festis, sed potest satisfacere celebrando etiam in alijs diebus, vt aduertant Bonacina *quæst. vltima.* De *Euchar. punc.7. præpos.1. num.2.* Auersa *quæst. 10.* De *Euchar.sect.1.ver.Stando ergo.*

An plures Sacerdotes possint simul conficere hoc Sacramentum in eadem materia.

SECTIO IV.

17 Sacerdotes, qui ordinantur, solent proferre verba consecrationis super eamdem materiam, supra quam profert Episcopus, & similiter etiã Episcopi, qui de nouo ordinantur, vt præscribitur in Pontificali Romano, & seruatur etiam in Ecclesia Græca. Quæritur ergo, An omnes, qui proferunt simul, possint conficere hoc Sacramentum?

18 Durand. *in 4. dist. 13. quæst. 3. num.* 10. censet, hanc consuetudinem esse tollendam vtpote periculosam, cum fieri possit, quod plures proferant verba consecrationis, & non conficiant. Nec talem consuetudinem approbant Gabriel, *lect. 6. in Canon. missæ*. Sotus *in 4. dist.* 13. *qu.* 1. *art.* 3. Angelus *verbo*. Eucharistia 2. *num.* 3.

19 At communiter cum D. Thom. *3. par. qu.* 82. *art.* 2. docent, posse plures Sacerdotes simul conficere hoc Sacramentum in eadem materia. Probatur Sacerdotes conficiunt hoc Sacramentum tanquam causæ instrumentales morales; siquidem principalis consecrans est Christus. Ergo licet quilibet sit causa de se totalis, non repugnat, quod simul concurrant ad eumdem effectum. Consequen. probatur. In tantum repugnat, plures causas totales concurrere ad eũdem numero effectum, in quantum singulæ exhibent totalem influxum pro illo effectu, atq; adeò multiplicatur, & idem effectus non est capax plurium influxuum totalium. Causæ autem instrumentales præsertim morales non exhibent singulæ totalem influxum diuersum ab alijs, sed si agunt cum vna sola causa principali exhibent tantum vnum, & eundem influxum; quia, cum non agant in virtute propria, sed in virtute principalis agentis, qui simul cum omnibus exhibet vnicum tantum influxum, & omnes instrumentales vniuntur in motu ipsius, vt concurrant per modum vnius. Ergo. Quomodo autem non adsit periculum proferendi verba supra materiam consecratam, sed semper omnes simul consecrent explicaui in *Decis. moralibus. decis.* 422. Et etiam ex modo dictis declarari potest, quia cum omnes se habeant per modum vnius instrumenti vniti in virtute principalis consecrantis, atque adeò prolatio verborum facta ab omnibus non se habeat per modum plurium cõsecrationum sed per modum vnius, & sint causa moralis, non attenditur prioritas, & posterioritas in completione prolationis verborum, quia habentur tanquam vna prolatio, quæ sortitur effectum, quando in se censetur moraliter completa, vt constans ex omnibus prolationibus.

20 Obijcit Durand. Quando Christus instituit Apostolos Sacerdotes, ipsi non cõsecrauerunt. Ergo nec modo debent consecrare, qui modo ordinantur Sacerdotes. Respondetur negando consequent. Quia solum sequitur, quod non requiratur, quod consecrent ex vi institutionis Christi, & proinde, quod non sit necessarium ex vi ordinationis. Deinde est dispar ratio, quia Christus, vt colligitur ex textu Euangelistarum, prius consecrauit, & postea dixit Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem*: per quæ verba fuerunt ordinati Sacerdotes, vnde cum prius non fuissent ordinati non potuerunt simul cum ipso consecrare, At modo prius ordinantur, quàm ordinãs conficiat, & ideo consentaneum est quod tanquam ordinatos admittat ad exequutionem potestatis acceptæ.

An Sacerdos conficiens hoc Sacramentum teneatur ipsum sumere.

SECTIO V.

21 Dicendum est. *Conficientem Sacramentum Eucharistiæ teneri de iure Diuino ipsum sumere, sicut conficit sub vtraque specie*. Ita communiter cũ D. Thom. 3. *par. quæst.* 82. *ar.* 4. Et desumitur ex cap. *Relatum*. & cap. *Comperimus*. *De consecrat. distinct.* 2. Probatur. Christus, quando primò instituit, & consecrauit, sumpsit etiam, vt desumitur ex illo Lucę 22. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*. Et Math. 26. *A modo non bibam de isto genimine vitis, donec &c.* quod de vino consecrato dixit. Et ita notant Chrysost. *homil.* 83. *in Math.* Hieronym. *Epistol. ad Hedib. qu.* 2. Helichius *lib.* 2. *in Leuit. cap.* 8. Tertullian. *lib.* 4. *contra Marcionem*. Emissen. *homilia* 5. *in Pascha*. Theophilact. *in dictum locum Lucæ*. & alij. Ergo tenetur conficiens sumere, quia factum Christi in institutione Sacramentorum habet vim legis. Confirmatur. Eo ipso, quod conficit Sacramentum dispensandum ostendit, se esse dispensatorem Diuinorum. Qui autem dispensat Diuina, debet primo ipse particeps fieri, vt habet D. Dionisius *De cælesti Hierarchia. cap.* 3. Confirmatur 2. Hoc Sacramentum in fieri est etiam sacrificium, qui autem sacrificat, debet participare de sacrificio, quia cum exterius sacrificium sit signum interioris, quo se offert Deo, vt ait D. August. *lib.* 10. *de Ciuita. Dei. cap.* 5. debet de ipso participare, vt ostendat ad se pertinere: participatio autem consistit in sumptione iuxta illud ad Corinth. 10. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris*.

22 Dicendum 2. *Non esse necesse, quod Sacerdos sumat totum, quod consecrat, sed sufficit si partem de vtraque specie*: Ita Suarez 3. *par. qu.* 82. *art.* 4. Vasquez, Præpos. & alij *ibidem*. & communiter, & constat ex praxi Ecclesiæ. Probatur. Hoc Sacramentum non tantum est pro celebrante, sed etiam pro cæteris. Ergo non debet necessariò totum sumi à conficiente; imo necesse est, vt de ipso aliquando aliquid pro cæteris relinquat.

23 Obijcitur. Sacerdotes, qui de nouo ordinantur, non sumunt de sacrificio, sed solum communicant, vt laici, & tamen etiam ipsi conficiunt Sacramentum; ergo non est necesse, quod conficiens de ipso sumat. Respondetur. Eo pacto sumere, quo conficiunt quia autem non conficiunt vt ministri principales, sed solum vt accessorij, ideò debent solũ vt accessorij sumere, & proinde de manu principalis ministri. Quia autem principalis minister non potest ministrare sub vtraque specie, ideò nec ipsi debent sumere sub vtraque.

24 Ex his colligitur. Sacerdotes, qui ordinantur, teneri de iure Diuino sumere Eucharistiam, quia licet non sint necessarij ministri, sunt tamen sacrificantes, & proinde tenentur ad participandum de sacrificio. Non est autem necesse, quod participent de ipso sub vtraque specie, quia sumptio vtriusque speciei non est necessaria ex vi sacrificationis, sed ex vi consumptionis, quia de ratione sacrificij est, quod integrè consumantur; sufficit autem, si integrè consumatur à principali ministro.

An solus Sacerdos possit distribuere Sacramentum Eucharistiæ.

SECTIO VI.

25 Quia distributio Eucharistiæ non est cõfectio Sacramenti, ideò ex vi Sacramenti non requiritur certus minister, sed esset verum Sacramentum quocunque etiam laico distribuente; nam adhuc esset verum corpus Christi sub speciebus. Vnde difficultas procedit de distributione licita. Supponendum autem est, sacerdotes esse ex officio ministros proprios huius Sacramẽti. Vnde Concilium Trid. *sess.* 13. *cap.* 8. dicit, quod semper in Ecclesia ex traditione Apostolica seruatum est, vt Laici Eucharistiam a sacerdotibus acciperent. Et ratio est. Quia Sacerdotes ex vi suæ ordinationis accipiũt potestatem supra corpus Christi; & ideo tanquam conficientes Sacramentum, habent etiam facultatem distribuendi, quia distributio tanquam accessoria sequitur cõfectio-

fectionem, tanquam principale. Difficultas autem est, an alius à sacerdote possit esse minister. Certum autem debet esse contra Sotum *in 4. dist. 14. qu. 1. art. 3.* Quod Diaconus neque ex officio potest dispensare sanguinem, quia officium dispensandi fundatur in potestate supra corpus Christi, quam habet solus sacerdos.

26 Dicendum est. *Diaconum posse ex commissione dispensare corpus, & sanguinem Christi, idque ex vi suæ ordinationis, non quia accipiat in ipsa aliquam potestatem, sed quia accipit habilitatem, vt possit deputari.* Ita communiter cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 82. *art.* 3. *ad* 1. & habetur ex Concilio Nicæno *can.* 14. & Concil. Carthagen. 4. *capit.* 8. & D. Clement. *lib.* 8. *constit. Apostol. c.* 28. Probatur. Diaconus ex vi suæ ordinationis fit specialis minister sacerdotis quo ad ea, quæ cõcernunt munus sacerdotale. Ergo accipit habilitatem, vt possit deputari pro distribuenda Eucharistia, ita vt distribuendo exerceat illam habilitatem, quam accepit in ordinatione.

27 Dicendum 2. *Dispensationem Eucharistiæ non posse cõmitti inferiori Diacono, & multo minus laicis vrgente quacunque necessitate:* Ita contra Suarez *disp.* 72. *de Sacramen. sect.* 2. Valent. *disput.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 1. Laiman. *lib.* 5. *Theologiæ moral. tract.* 4. *capit.* 7. *num.* 4. Filliucium *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 285. Reginal. *li.* 29. *n.* 93. Auersam *quæst.* 10. *de Eucharist. sect.* 4. *ver. Quinto vlterius.* tradunt Sotus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 3. Vasquez 3. *par. disp.* 219. *capit.* 1. Præpotit. *quæst.* 82 *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 11. *in fine.* Syluester *verbo.* Eucharistia 3. *num.* 4. Facundez *Præcept.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 1. Bonac. *quæst.* 5. *De Eucharistia punct.* 1. *num.* 6. & alij. Et desumitur ex citatis Concil. quatenus loquũtur de solo Diacono, præsertim ex Concilio Carthagin. *can.* 36. Et expresse statuitur in Concilio Rhemens. relato cap. *Peruenit.* De *consecrat. dist.* 2. & constat ex praxi Ecclesiæ semper continuata, quæ sola sufficeret, vt faceret ius. Probatur. Ex officio potest solus sacerdos dispensare. Ergo ex commissione solus Diaconus. Consequent. probatur. Quia sicuti ad officium requiritur specialis ordinatio, ita etiã ad commissionem specialis habilitatio ratione ordinis, qualis est in solo Diacono. Confirmatur. Ordo in Diacono facit vt sit habilis, vt ipsi possit committi. Ergo negatio ordinis faciet, vt quis non sit habilis: quia quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis.

28 Obijcitur. Antiquitus dabatur Eucharistia in manus laicorum: & aliquando per laicos mittebatur ad infirmos, vt narrat Euseb. *lib.* 6. *Histor. capit.* 36. Et Maria Regina Scotiæ instante morte sumpsit Eucharistiam, quam ad hunc finem receperat à sacerdote: ergo: Respondetur. In his casibus adhuc Eucharistiam fuisse dispensatam à sacerdote, vel Diacono: quia ad dispensationem solum requiritur, quod exhibeatur à Sacerdote, nec requiritur, quod admoueatur ad os, nec quod statim assumatur. Exhibitio autem sacerdotis potest fieri immediatè, vel mediatè. Et hoc debet ita accipi. Quia Concil. Triden. *sess.* 13. *cap.* 8. docet, ex traditione Apostolica semper Laicos accepisse de manu sacerdotis, nempe immediatè, vel mediatè.

29 Colligitur. Posse Diaconum deferre Viaticũ ægroto vrgente necessitate, etiamsi non sit præsens Episcopus, aut Sacerdos, qui id committat, vt docent D. Thom. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiuncu.* 2. Richard. *art.* 1. *q.* 3. Durand. *quæst.* 4. Sotus *q.* 1. *ar.* 3. Ledesma 1. *par.* 4. *qu.* 23. *ar.* 3. *dub.* 1. & 2. Syluester *verbo.* Diaconus *q.* 2. *dicto* 2. Vasquez 3. *par. disput.* 219. *cap.* 1. *nu.* 10. Auersa *de Eucharist. q.* 10. *sect.* 3. *vers. Quarto.* Et colligitur ex Concilio Nicæno *can.* 14. vbi conceditur Diacono, vt absente Episcopo, aut Presbytero ipse proferat Sacramentum & edat: vnde à fortiori videtur hæc facultas concessa, vt alijs vrgente necessitate dispenset. Et ratio est. Quia cum Episcopus, aut Sacerdos debeant se accomodare necessitati in ordine ad salutem animarum habetur voluntas interpretatiua: nam necessitas est fundamentum sufficiens taliter interpretandi voluntatem; quia voluntas talis præsumitur, qualis esse de iure debet: Imo vt contra Syluestrum *citat.* notant Sotus, Ledesma, Vasquez, Auersa *citati* Præpotit. 3. *par. quæst.* 82. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 11. & alij. Si Episcopus, aut Sacerdos præsentes voluit absq; iusta causa ministrare Eucharistiam, aut committere dispensationem, poterit Diaconus ipsis inuitis dispensare, quia debet respicere ad voluntatem ipsorum, non qualis de facto sit, sed qualis de iure deberet esse. Et quia stante necessitate habet commissionem ex voluntate interpretatiua Ecclesiæ in superioribus maioribus.

An laicus possit aliquando ministrare Eucharistiam.

SECTIO VII.

30 PRima sententia asserit. Posse Laicum vrgente necessitate sibimet sumere, si sit in mortis articulo: ita Layman. *lib.* 5. *Theolog. moral. tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 4. Filliucius *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 285. Valent. *tom.* 4. *disput.* 6. *quæstio. punc.* 1. *in fine.* Reginald. *lib.* 29. *nu.* 93. Ilambert. 3. *par. quæst.* 82. *disput.* 1. *ar.* 5. *ver. Deinde.* Suarez *disput.* 72. *de Sacram. sect.* 3 Auersa *qu.* 10. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Quinto vlterius.* Qui addunt posse etiam in eadem necessitate alijs ministrare. Fundamentum ipsorum est, quia hoc non est prohibitum nec iure Diuino, nec iure Ecclesiastico. nam cap. *Peruenit. De consecrat. distinct.* 2. procedit solum extra casum necessitatis: Negant tamen Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *in fine.* Durand. *q.* 4. Armilla *verbo.* Communico *num.* 8. Syluester *verbo.* Eucharist. 3. *qu.* 4. Henriquez *lib.* 8. *summ. cap.* 54. *in fine.* Zambran. *in suis decis. c.* 3. *de Euchar. dub.* 5. *n.* 6. Bonac. *disput.* 4. *de Sacram. q.* 5. *punc.* 1. *num.* 6. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 10. Vasquez 3. *par. disp.* 219. *cap.* 1. *nu.* 13. Hurtad. *disp.* 11. *de Euchar. difficult.* 3. *ver. sed an in casu.* Caspens. *tract.* 22. *de Eucharist. disp.* 9. *sect.* 9. *nu.* 91. Ledesma 1. *par.* 4. *q.* 23. *ar.* 3. Ochagauia. *tract.* 3. *de Euchar. q.* 4. *nu.* 7.

31 Dicendum est. *Non posse Laicum sibi Eucharistiã sumere, aut alijs ministrare vrgente quacunque necessitate, etiam ex commissione.* Habetur ex cap. *Peruenit. De consecrat. distinc.* 2. vbi dicitur horribile, & detestabile, quod Laici Eucharistiam deferant ad alium. Quod autem est horribile, & detestabile nec vrgente necessitate fieri potest. Probatur. Ministratio Eucharistiæ fundatur in sacerdotio, ita vt ratione ipsius conueniat; & in tantum Diaconis potest committi, in quantum sunt ex vi ordinis speciales ministri sacerdotis: Laici autem neque sunt sacerdotes, neque communicant in officio sacerdotis, vt communicant Diaconus: quando autem aliquis actus conuenit ratione ordinis, non potest exerceri à non habente ordinem, vt inductione constat & censetur prohibitus cæteris omnibus. Confirmatur. Distributio corporis Christi est quædam potestas supra ipsum, quia est actus consequens ex potestate ipsum conficiendi: Laici autem nullam habent potestatem supra corpus Christi.

32 Ad fundamentum in oppositum respondetur, esse prohibitum iure Ecclesiastico, vt constat ex dicto cap. *Peruenit:* & etiam iure Diuino: quia quando aliquis actus fundatur in potestate ordinis, est prohibitus de iure Diuino omnibus non habentibus talem ordinem, quia sunt inhabiles pro illo actu, & proinde nisi per ordinem habilitentur, non possunt exercere.

An Sacerdotes possint sibi ipsis ministrare Eucharistiam.

SECTIO VIII.

33 COnueniunt omnes, quod sacerdotes possint assumere Eucharistiam in necessitate, si non adsit

sit Episcopus, aut alius sacerdos, qui ministret: nam hoc etiam conceditur Diaconis in Concilio Nicæno *Can.* 14. ibi. *Quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi* (Diaconi) *proferant, & edant.* Vnde difficultas est extra casum necessitatis.

34 Prima sententia affirmat: Ita Syluius 3. *par. q.* 82. *art.* 4. Homobon *par.* 1. *examin. Eccles. tract.* 4. *cap.* 11. *num.* 106. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 3. *nu.* 7. Suarez *disput.* 72. *de Sacram. sect.* 3. & alij: quod intelligunt secluso scandalo. Fundamentum est, quia in hoc Sacramento non requiritur, quod suscipiens sit persona distincta à ministrante.

35 Secunda sententia negat, & restringit solum ad casum necessitatis: Ita Caiet. *in summ.* verbo. *Communionis minister.* Vasquez 3. *par. disput.* 219. *cap.* 1. *num.* 17. Armilla *verbo.* Communio. *num.* 8. Filliu. *tract.* 4. *cap.* 9. *nu.* 285. Villalob. *par.* 1. *summ. tract.* 7. *difficult.* 48. *nu.* 1. & alij.

36 Dicendum. *Sacerdotes extra necessitatem, etiamsi scandalum absit, non posse per se ipsos Eucharistiam sumere.* Desumitur ex Concilio Trident. *sess.* 13. *cap.* 8. vbi ponit tantum duos modos sumendi Eucharistiam, alterum de manu sacerdotis, & per se ipsum; & hunc coarctat ad sacerdotes celebrantes. Probatur. Sacerdos nō celebrans, & sumens Eucharistiam, sumit tanquam ouis pascenda cibo illo spirituali, & non vt sacerdos, ergo non potest per se ipsum sumere. Antecedens patet. Quia vt sacerdos habet tantum duos actus proprios confectionem Eucharistiæ, & ministrationem. Ministratio autem non potest exerceri, nisi sit adiuncta iurisdictio saltem ex priuilegio, aut ex commissione, & proinde dicit exercitium pastoris in ordine ad oues. Ergo cum sacerdos sit ouis, quando non sumit vt sacerdos celebrando, debet sumere vt ouis. Consequēs probatur. Quia vt ouis dicit ordinem, & subiectionem ad pastorem, à quo pascendus est.

37 Ad Fundamentum in oppositum respondetur. Licet in hoc Sacramento non debeat ministrans distingui à suscipiente, debet tamen distingui ratione finis, quia cum ordinetur ad pascendum spiritualiter, pertinet distributio ad pastores autē, & oues debet esse distinctio.

38 Quæres. Quanta debeat esse necessitas, vt possit sacerdos per se ipsum Eucharistiam sumere. Respondetur. Non solum articulum mortis comprehendi sub hac necessitate, sed etiam quando vrget præceptum, aut etiam quando longo tempore esset cariturus communione; & in his casibus non posset celebrare, nec esset alius, qui ministraret, quia cum agatur de notabili vtilitate amittenda, aut acquirenda, censetur adesse necessitas: nam in iure vtilitas notabilis, & necessitas æquiparantur cap. *In summa.* 12. *quæst.* 1. & cap. *In causis* De re iud.

An quilibet sacerdos possit esse minister Eucharistiæ.

SECTIO IX.

39 Supponendum est. Quemlibet sacerdotem non esse ministrum congruentem huius Sacramenti, sed solum proprios pastores, siue supremos, siue inferiores, vt desumitur ex Concil. Cartaginens. 1. *can.* 7. & Concil. Milleuitano *cano.* 18. Tertullia. *De corona milit. cap.* 3. *num.* 33. Ratio est. Quia huiusmodi administratio, cum sit actus pascendi oues, pertinet ad iurisdictionem: non potest autem quis sibi vsurpare hanc iurisdictionem, alioquin violaret ius Pastorum. Ex commissione tamen eorum, qui ex officio ministrare possunt: cæteri quoque possunt ministrare ijs: quibus possunt ministrare pastores, vt communiter docent, quia quisque potest, quæ sunt proprij officij, alijs committere. Difficultas autem est. An sufficiat præsumpta voluntas.

40 Dicendum est. *Sufficere voluntatem præsumptam seu etiam speciem futuræ ratihabitionis.* Ita Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 52. Vasquez 3. *par. disput.* 219. *cap.* 3. *num.* 26. Præpositus *q.* 82. *t.* 3. *dub.* 1. *num.* 14. Hurtad. *disput.* 11. *de Eucharist. difficul.* 5. Ochagauia *tract.* 3. *de Eucharist. q.* 4. *nu.* 8. & communiter. Probant illa voluntas sufficit, quæ potest excludere iniustitiam, non autem requiritur voluntas tribuens iurisdictionem, quia nō est actus iurisdictionis, sed pertinens ad iurisdictionem, voluntas autem præsumpta ratihabitionis futuræ sufficit ad excludendam iniustitiam.

41 Ex dictis colligitur. Esse peccatum mortale ministrare sine volūtate præsumpta, vt inter alios notat Suarez *disp.* 72. *de Sacram. sect.* 2. *vers. Hanc sequitur.* Vasquez 3. *par. disput.* 219. *nu.* 31. Quia nimirum in re graui mittunt falcem in messem alienam, & lædunt ius Pastorum: vnde in Clement. *Religiosi de priuilegijs.* Imponitur excommunicatio latæ sententiæ religiosis, qui sine licentia ministrant Eucharistiam, quæ tamen pœna non habet locum, quando ministrarent alijs religiosis, quia est lata tantum contra eos, qui administrare præsumpserint clericis, aut laicis: vnde non debet extendi contra ministrantes religiosis, tum quia in his non militat eadem ratio, vt notat Glos. *ibidem.* Tum quia in text. dicitur *Absque licentia Parochiani,* & proinde est solum in fauorem Parochorum.

An, & quando Regulares possint ministrare Sacramentum Eucharistiæ.

SECTIO X.

42 Possunt Regulares ex priuilegijs Summorum Pontificum ministrare Eucharistiam omnibus accedentibus præterquam in die paschatis, & pro viatico. Imo Pius V. concessit nobis clericis regularibus, vt possemus ministrare, in quibuscumque Ecclesijs, etiam ad nos non spectantibus, vt in sua *constit.* 31. *tom.* 2. *Bullarij veter.* de quo priuilegio latè egi *in quæst. moral. canon. q.* 197. Difficultas modo est, quomodo accipienda exceptio diei paschatis.

43 Prima sententia asserit excludi communionem paschalem, quia scilicet satisfit præcepto. Ita Suarez *disput.* 72. *de Sacram. sect.* 2. *vers. censeo igitur,* Vasquez 3. *par. disput.* 219. *cap.* 4. *nu.* 40. Ochagauia *tract.* 3. *de Eucharist. q.* 4. *nu.* 14. Hurtad. *disput.* 11. *de Eucharist. diffic.* 6. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 56. *artic.* 3. Quia mens Pontificis est, quod subditi illo tempore recognoscant suos pastores.

44 Secunda sententia intelligit ipsum diem Paschatis: ita Nauar. *capit.* 21. *Manual. num.* 52. Henriquez *lib.* 8. *summ. cap.* 55. *num.* 2. Granad. 3. *par. controuer.* 6. *tract.* 12. *disp.* 2. *num.* 3.

45 Dicendum est. *Illam exceptionem respicere ipsum diem primum festi Resurrectionis, non autem communionem paschalem,* ita vt Regulares obligati maneant regulariter in illo die non ministrare Eucharistiam; nisi ipsis constet, quod accedens satisfecerit præcepto. Cæteris autem diebus possunt libere omnibus accedentibus ministrare, tamen qui accedunt non satisfaciunt præcepto communionis in paschate. Ratio est. Quia in priuilegijs concessis Regularibus excluditur solum dies paschatis. Ergo non tenentur cæteris diebus abstinere à ministratione, quam habent ex priuilegio. Rursus exclusit in eum finem, vt singuli recognoscant proprios pastores. Ergo priuilegium Regularium, quo possunt illis extra diem paschatis ministrare Eucharistiam, non eximit ab obligatione recognoscendi.

46 Ex quodam tamen priuilegio concesso monasterio S. Mariæ de Guadalupe Ordinis S. Hieronymi, obstante extensione facultatum dicti monasterij ad totum ordinem per Pium IV. apud Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 55. *ar.* 9. atque adeò ad omnes Regulares communicantes, & innouatione priuilegiorum Fratrum Mino-

rum,

rum, etiam per non vsum reuocatorum per Paul. V. tenent plures. Posse Regulares ministrare etiam communionem Paschalem. Ita Sorbus *in compend. Priuil. verbo. Communicare.* Beia. *par.4. cas.4.* Rodriquez *tom.1. q.56. ar.3.* Ioan. A cruce *lib.2. de statu relig. cap.5. dub.4. concl.3.* Econtra tamen alij hoc non admittunt, vt Suarez *tom.4. de relig. tract.10. lib.9. cap.3. num.8.* Nugnus *3.par. q.83. art.4. conclus.5.* Portel. *in dub. Regul. verbo.* Sacramen. administratio. *num.5.* Villalob. *par.1. tract.7. difficul.47. nu.4.* Auersa *3.par. q.10. de Eucharist. sect.4. ver. excipitur.* Verum hoc totum dependet ex priuilegio, quod si reuera extat, nulla adest difficultas.

47 Colligitur 1. contra Peregrin. *in compen. priuil. Cleri. Regul. par.2. titul. communicare. §.2.* Posse Regulares, & cæteros omnes ministrare communionem paschalem vagis, aduenis, peregrinis, vt docent Sanchez *li.3. de matrim. disput.73. nu.17.* Facundez *præcep.3. Eccles. lib.3. cap.8. num.5.* Tamburin *tom.2. de iure. Abbat. disp.5. q.3. num.6.* Protel *in dub. Regul. verbo.* Sacramen. adminis. *numer.6.* Diana *par.3. tract.2. resolut.12.* Bordon. *tom.1. resol.20. quæsit.3.* Auersa *q.10. de Eucharist. sect.4. ver. excipitur.* *Quia* cum non sunt de aliqua parochia, non tenentur aliquam adire, cum sit obligatio in fauorem proprii parochi, vt ipsum recognoscant; imo habent præsumptam voluntatem propriorum pastorum, vt sumant à quocunque sacerdote. Nec obstat decretum Eugenii IV. quod acquirant incolatum quoad Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia hoc est priuilegium concernens ipsorum fauorem, cui possunt renuntiare. Nec quod Cathedralis sit vniuersalis parochia, quia hoc est verum quò ad ieos, qui sunt de diœcesi: nec tenentur postea cum reuersi sunt implere præceptum contra Ochagau. *trac.3. de Euchar. q.4. n.10.*

48 Colligitur 2. contra Cardin. *in Clem.1. qu.11. De priuil.* Henriquez *lib.8. de Euchar. cap.55. num.1. littera D.* Sot. *in 4. dist.18. q.4. art.2.* Azor *tom.1. li.7. cap.41. q.6.* Rodriquez *in Bul. §.1. num.10.* Sorb. *in compend. Priuil. verbo. Communicare.* Nauar. *capit.21. Manual. num.52.* Gauant. *in Manuali* verbo. *Eucharistia.* Posse quemque in die paschatis sumere Eucharistiam, in quacunque Ecclesia, & posse ipsi ministrari, si alia die intra octauam velit sumere in parochia, vt docent Vasquez *3.par. disp.219. nu.37.* Suarez *disp.72. de Sacram. sect.2. §. censeo.* Miranda *tract.1. Manual q.42. art.2. conclus.2.* Facundez *præcep.3. Ecclesi. lib.1. cap.5. num.9.* Bordon. *tom.1. Resol.20. q.6.* Barbosa *ad Concil. Trident. sess.13. cap.8. num.17.* Auersa *q.10. de turbas sect.4. ver. quod si aliquis.*

An Regulares possint ministrare Viaticum.

SECTIO XI.

49 IN concessione administrandi Eucharistiam semper intelligitur excepta administratio viatici: imo etiam solent Pontifices excipere in priuilegiis, & ideo indiget concessione in specie. Ex speciali tamen priuilegio possunt Regulares ministrare viaticum non solum seruis operariis, & commensalibus, sed etiam quibusvis hospitibus, etiam sæcularibus, & extraneis, qui in locis vel habitationibus ipsorum reperiuntur, quoties de mortis articulo dubitari contigerit, aut aderit. Ita in specie concessit nobis Cler. Regular. Pius V. in sua *constit.31. §.17. tom.2. Bullar.* & *ibidem* extendit Pontifex hanc concessionem pro quibuscunque aliis personis, quas intra Ecclesias, collegia, domos, & habitationes nostras reperiri contigerit in hac necessitate constitutas. Et cum non datur spatium petendi commode licentiam propter repentinam necessitatem, possunt ministrare etiam quibuscunque aliis extra dicta loca. Quod antea etiam nostræ Congregationi concesserat Pius IV. Difficultas ergo solum est, an vniuersaliter, & seclusis priuilegiis possint administrare, quando non adest parochus, seu proprius sacerdos, & necessitas vrgeat.

50 Prima opinio absolutè negant. ita Cardin. *in Clem.1. De priuileg.* Syluester *verbo.* Excommunicatio *7. nu.32. dico 3.* qui citat Lappum, & Panormit. Nauar. *c.21. Manual. num.52.* Probatur, quia hoc Sacramentum non est necessarium, & ideo potest omitti absente, qui de iure potest ministrare. 2. In Clementin. *Religiosos. De priuilegijs.* absolutè prohibetur religiosis ministrare Eucharistiam; & ideò possunt solum ministrare in casibus concessis.

51 Secunda sententia asserit, posse ministrare: Ita Archidiacon. *in cap. si presbyter. 26. qu.6.* Innocent. *in cap. Omnis. De pœnit. & remiss.* Hostiens. *ibidem.* Suarez *disput.72. de Sacram. sect.2. ver. sed inquires:* Vasquez *3.par. disp.219. cap.33. num.33.* Sotus *in 4. distin.23. qu.2. ar.1. ver. vtrum.* Fumus *verbo.* Excommunicatio. *nu.49.* Henriquez *lib.8. de Eucharist. cap.55. num.1. littera H.* Valentia *tom.4. q.10. punc.1.* Bordon *tom.1. resolut.20. q.7.* Præposit. *3.par. q.82. art.3. dub.2. nu.17.*

52 Dicendum est. *Posse quemlibet Sacerdotem ministrare Eucharistiam per modum viatici absente proprio Sacerdote, vel iniustè denegante, aut nolente concedere facultatem.* Probatur. Sumptio viatici aut est medium necessarium ad salutem, aut saltem est graue præceptũ, & ordinatur ad subueniendum saluti spirituali animæ, ita vt ministrans exerceat actum charitatis erga moribundum. Ergo cum iniqua sit voluntas volens ipsum priuare tali subsidio spirituali, quando congruè potest ministrari, non est præsumenda in proprio sacerdote absente; imo est præsumenda voluntas, quòd velit suas vices à quocunque suppleri; & si in ipso sit contraria voluntas, est præsumenda benigna voluntas Ecclesiæ, quod velit subueniri illo subsidio spirituali.

53 Ad 1. respondetur. Licet possit omitti absque peccato, non potest tamen omitti absque priuatione fructus spiritualis, & subsidij, quod inde percipitur. Ad 2. Prohiberi absolutè ministrari Eucharistiam, quando potest ministrari ab ijs, ad quos pertinet, quia prohibitio, & pœna est contra præsumentes vsurpare ius alienum; & ideò cessat prohibitio, quãdo cessat vsurpatio iuris alieni, quia cessat causa finalis prohibitionis.

54 Ex dictis colligitur 1. Regulares posse administrare Eucharistiam in Oratorijs priuatis, & etiam infirmis deuotionis causa, & non per modum viatici, vt notãt etiam Suarez *to.4. de Relig. lib.9. cap.3. ver. Dices ergo.* Rodriquez *tom.1. quæst. Reg. q.56. ar.3. ver. circa quas.* Io. à Cruce. *De statu religionis. lib.2. cap.5. §. Tertia conclusio.* Villalob. *par.1. tr.9. difficul.54. in fine les pedes. De exempt. Regular. cap.6. dub.103.* Portel. *tom.2. Respons. casu 2. per totum.* Vbi affert diuersa priuilegia præcipuè Pauli X. con cessa ordini Minorum. Quintanaduen. *tract.7. de Sacram. singul.33. num.8.* Buunius *tom.1. theol. moral. tract.5. quæst.19. ver. Respondeo posse.* Gaspar Hurtad. *disp.11. De Euchar. diffic.6. ver. Vasquez. in fine.* Et ratio est, quia sola ministratio Eucharistiæ per modum viatici est reseruata parochis, & aliàs Regulares habent priuilegium ministrandi Eucharistiam indifferenter absque vlla limitatione in quibuscunque Ecclesijs, & loco, in quo ministrari potest, vt in priuilegio Pij V. de quo *sup. sect.* & ideò non censetur excepta, nisi illa ministratio, quæ in specie concedenda est. Et huc faciunt quæ dixi in *quæst. mor. canon. 9.197.*

55 Colligitur 2. Episcopos non posse prohibere Regulares, ne ministrent Eucharistiam in priuatis Oratorijs. Neque enim quo ad hoc ipsis suffragatur Decretum Concilij Tridentini *sess.22. in Decreto de obser. & vitan. in celebr. miss.* Quia dat solum facultatem Episcopis, ne patiantur celebrari in priuatis domibus. Vnde quando oratoria sunt iam erecta auctoritate Pontificia, extinguitur commissio, & subintrant priuilegia ad ea omnia, quæ veniunt in consequẽtiam ad celebrationem: quia

quia si est locus aptus celebrationi, est etiam aptus ministrationi Eucharistiæ. Tum quia aliud est celebrare, & aliud ministrare Eucharistiam; & à diuersis non fit illatio. Tum quia priuilegium Pij V. de quo supra, est concessum post Concilium Tridentinum. Tum quia priuilegia Theatinorum sunt confirmata præuio examine ex certa scientia cum prægnantibus clausulis, & absque clausula, *Dummodo non sint contraria Decretis concilij Tridentini*, à Gregorio XV.

An in ministro Eucharistiæ sit necessaria aliqua dispositio.

SECTIO XIII.

56 SVpponendum est tanquam certum. Ministrum Eucharistiæ non debere esse irretitum aliqua censura, qua prohibeatur ministrare Sacramenta: nam ministrando non solum peccaret mortaliter, sed etiam contraheret irregularitatem, vt notant Doctores communiter, cum de Censuris agunt Suarez *disp. 31. de censur. sect. 3.* Bonacina *quæst. 3. de irregular. punc. 5. nu. 7.* Quod tamen intelligi debet, vt notat Auersa *quæs. 10. de Euchar. sect. 5. ver. Quartò* extra casum grauis necessitatis, vt quando esset infirmo præbendum viaticum, nec per alium id fieri posset: nam tunc ex benigna mente Ecclesiæ præualet præceptum viatici; nec enim intendit cum tanto damno ouium prohibere, vt pastores censura irretiti abstineant à ministratione Sacramentorum. Difficultas autē est, an peccet ministrando in peccato mortali, & an saltem teneatur præmittere contritionem.

57 Prima sententia est affirmatiua: Ita Richard. *in 4. dist. 13. art. 1. qu. 3.* Palud. *quæst. 1. ar. 4. conclus.* 1. Sotus: *q. 1. ar. 4.* Suarez *disp. 72. de Sacram. sect. 4.* Valent. *to. 4. disp. 6. q. 10. punct.* 1. Coninch *de Sacram. quæst. 64. ar. 6. num. 35.* Bonacin. *quæs. 5. de Eucharist. punc. 2. num. 1.* Villalob. *par. 1. summ. trac. 4. dub. 14. nu. 2.* Filliuci. *trac. 4. cap. 9. num. 27.* Reginal. *lib. 29. nu. 56.* Syluester *verbo* Eucharistia *3. num. 4.* Facundez *præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 3. nu. 10.*

58 Secunda opinio negat, esse peccatum mortale. Ita Henric. *quodlib. 6. q. 30.* Ledesma *1. par. 4. quæst. 5. ar. 3. dub. 6.* Petrus Ledesma *par. 1. sum. cap. 6. de Sacram. in genere. Conclus.* 8. Vasquez *3. par. disput. 136. num. 38.* Syluius *quæ. 64 ar. 8.* Nugnus, Crabrera, Chellison *ibidem*, Petrus de Reina *in sum. Sacram, tract. 4. nu. 6.* Io: à cruce *par. 2. Direct. conscient. quæst. 4. de Sacram. dub. 3. conclus. 1.* Barbosa *de offic. Parochi. cap. 20. n. 17.* Auersa *3. par. q. 10. de Eucharist. sec. 5. ver. Quinto*, & alij. Quia inquiunt non est confectio Sacramenti. Verum quamuis hæc sententia probabilis sit, est tamen probabilior opposita quæ desumitur ex cap. *fin. 15. Quæst. 8.* vbi Nicolaus Papa respondens ad consultationem Bulgarorum, quod possent absque scrupulo à malo ministro recipere communionē, quousque iudicio Episcoporū reprobetur, reddit rationem. *Quoniam mali bona administrando se tantummodo lædunt.* Si ergo se lædunt, peccāt. Ratio autem est, quia administratio Eucharistiæ est actus ordinis sacerdotalis, & pertinet ad quoddam complementum sacrificii: vnde cum specialiter sit sanctificatus in ordine ad hunc actum, debet ipsum sanctè exercere. Et ideò si accedat cum peccato mortali, peccat mortaliter, quia exercet actum circa corpus Christi ex vi suæ ordinationis. Qui licet non sit confectio Sacramenti, est tamen complementum cōfectionis ipsius, cum dicat vsum actiuum confectionis Sacramenti.

An minister Eucharistiæ debeat etiam indignis ministrare.

SECTIO XIV.

59 PEr se loquendo solum non debet ministrare, sed nec etiam potest, iuxta illud Christi Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Quod tamen solum locum habet, quando indignitas est publica; nam si sit occulta, tenetur administrare, si publicè petat, vt communiter docent cum D. Thom. *3. par. qu. 80. art. 3.* & desumitur ex cap. *si tantum.* & cap. *Placuit 6. q. 2.* & cap. *Si sacerdos. De officio ordin.* & conuincitur ex facto Christi, qui ministrauit Eucharistiam Iudæ, quamuis nosset, esse proditorem. Et Ratio est. Quia concurrit præceptum naturale seruandi famam proximi, & præceptum non tractandi irreuerenter Sacramentum, hoc autem cessat, quia cum minister Eucharistiæ sit publicus minister Ecclesię, quando ministrat in facie Ecclesiæ, non potest vti scientia priuata, sed tantum publica, quam habet Ecclesia, sicut iudex tenetur vti scientia, quam habet ex actis; & adeò cum procedat secundum scientiam publicam, non tractat irreuerenter Sacramentum. Quod si secreto petat, & moraliter certus sit de indignitate, debet denegare etiamsi ex officio incumbat ministrare. Quia vt minister tenetur prospicere etiam reuerentiæ debitæ Sacramento, vt contra Sotum *in 4. distinc. 12. q. 1. art. 6.* Qui vult, non denegandum, quando vrgente obligatione petit, docent communiter cum D. Thom. *in 4. dist. 9. art. 5.* secus autem, si non sit certus de indignitate, aut eam noscat ex confessione Sacramentali vt contra Alens. *par. 4. quæst. 11. memb. 2. art. 3.* Durand. *in 4. dist. 9. qu. 1.* Vasquez *3. par. disp. 209. c. 5.* tenent Adrian. *quodlib. 3. qu. 3.* Palud. *in 4. distin. 9. quæst. 4. ar. 1.* Gabr. *q. 2. ar. 3.* Nauar. *cap. 21. Manual. nu. 55.* Coninch *De Sacram. q. 80. ar. 6. num. 38.* Quia nunquam licet vti scientia habita ex confessione in præiudicium pœnitentis. Solum ergo difficultas est, an possit dare indigno publicè petēti hostiam non consecratam pro consecrata.

60 Prima sententia affirmat, asserens, posse, id fieri cum consensu ipsius sumentis ad euitandum scandalum; ita tamen vt exponat particulam consecratam adorandam cęteris, & post ipsam habeat non consecratam, quam porrigat indignè sumenti. Ita Altisiodorens. *lib. 4. sum. trac. 5. cap. 5. q. 4.* D. Bonau. *in 4. distinc. 9. art. 2. qu. 4. in fine.* Villalob. *par. 1. sum. trac. 7. difficult. 38. num. 7.* Ludouic. à S. Ioan. *par. 1. sum. q. 7. de Euchar. ar. 8. dub. 4.*

61 Secunda sententia negat. Ita D. Thom. *3. par. q. 80. art. 6. ad 2.* Alens. *par. 4. q. 11. mem. 2. art. 3. §. 1.* Sotus *in 4. distinc. 12. q. 1. art. 6.* Bonac. *q. 6. de Sacram. punct. 4. num. 15.* Ioa: Sanchez *in select. de Sacram. disp. 35. nu. 6.* Palaus *tom. 1. oper. moral. tract. 2. disp. 1. punct. 13.* Diana *par. 3. tract. 6. resolut. 83.* Hurtad. *disput. 9. de Eucharist. diffic. 10.* in fine. Auersa *qu. 10. de Euchar. sect. 5. vers. sed tamen*, & alij communiter citato loco *3. par.* & in *4. distinc. 9.*

62 Dicendum est. *Non licere*. Desumitur ex cap. *De homine. De celebrat. missar.* ibi *licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauiter, si se ingerat, grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præsumpserit simulare*. Probatur. Quod est intrinsecè malum nunquam est faciendum. Est autem intrinsecè malum exponere adorandum præsertim cultu latriæ, quod non est adorandum, & exponeretur saltem, quando porrigeretur sumenti hostia non consecrata, quia etiam tunc adstātes adorant, & qui sumit, exhibet quandam reuerentiam cultus, sicut etiam qui porrigit. Confirmatur. In administratione Sacramenti committeretur fraus, & falsum; quod licet non sit cum iniuria sumentis, si eo sentiat, est tamen cōtra fidelitatem, quam Christus exigit in sua Ecclesia, & ministris.

An, & quando teneantur ministri Eucharistiam ministrare.

SECTIO XV.

63 CErtum est, Ministros, quibus non incumbit ex officio ministrare, non teneri ministrare, nisi quan-

quādo ex charitate obligantur. Quia autem charitas non obligat subuenire proximo, nisi sit constitutus in extrema, aut graui necessitate; ideo non tenebitur ministrare, nisi constitutis in graui necessitate, etsi non adsitis, cui ex officio incumbit, aut nolit ipse ministrare. In extrema autem non tenebitur, quia nunquam potest quis esse in extrema necessitate spirituali quoād Eucharistiam; cum enim Eucharistia supponat gratiam, vt dignè sumi possit nunquam quis indiget Eucharistia pro salute spirituali assequenda, ita vt sine ipsa eam assequi non possit. Nec dici potest quod sit in extrema aliqua necessitate quoād vincendam aliquam tentationem, ita vt sine Eucharistia vincere non possit, quia habet remedium orationis, nec Deus iustificatos deserit, nisi ipse prius deseratur, vt habet Concil. Trident. *sess. 6. capit. 11.* vnde difficultas est quoād eos, qui ex officio tenentur ministrare.

64 Supponendum autem est contra Richard. *in 4. dist. 18. qu. 3. art. 2.* Syluestrum *verbo.* confessor. 1. *quæst. 18.* teneri ministrare Eucharistiam non solum constitutis in graui necessitate, & quando præceptum vrget, sed etiam quando rationabiliter petunt, vt docent communiter. Adrian. *in 4. qu. 5. de confess. dub. 8.* Sotus *dist. 12. art. 6.* Nauar. *in cap. Placuit. De pœnit. dub. 6. num. 15.* Suarez *disput. 72. de Sacram. sect. 3.* Azor. *par. 1. lib. 2. capit. 17. quæst. 19.* Reginal. *lib. 29. praxis fori pœnitential. nu. 96.* Facundez *præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 4.* Bonaci. *disput. 4. de Sacram. q. 1. punct. 1. num. 14.* Pitigian. *in 4. dist. 17. q. vnica, ar. 4.* Barbosa *de Paroch. cap. 20. nu. 15.* Quintanaduen. *tom. 1. singul. de Sacram. singul. 7. de Eucharist. num. 1.* Et Ratio est. Quia cum sit Pastor tenetur pascere oues, atque adeò non solùm ministrare absolute necessaria ad salutem, sed etiam vtilia cum ipsis pro salute assequenda inseruire debeat, & ministrare nedum media necessaria, sed etiam congruentia. Vnde solum difficultas est, an teneantur ministrare cum periculo vitæ in graui necessitate.

65 Prima sententia est affirmatiua. Ità Sotus *in 4. distinc. 12. q. 1. art. 6.* Nauar. *in manual. cap. 25. num. 131.* Henriquez *lib. 8. de Euchar. cap. 55. num. 2.* Sà *verbo.* Charitas. *n. 3.* Capeauil. *de administrat. Sacram. c. 4. q. 2.* Syluius *3. par. quæst. 32. suppl. ar. 3.* Nugn. *q. 33. ar. 2. difficul. 2.* Rodriquez *tom. 2. sum. cap. 87. num. 8.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 10. difficul. 6. num. 7.* Filliuc. *tract. 3. c. 5. num. 99.* Marchant. *in Candelab. nu. 6. de Sacram. lect. 3.* Mancin. *in praxi visit. infir. pract. 8. dub. 18.* Suarez *disp. 72. de Sacram. sect. 3.* Tolet. *lib. 4. cap. 10. nu. 5.* Facundez *præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 1.* & alij. Probant. Intercedit pactum implicitum inter Pastores, & subditos, quod hi teneantur illos alere corporaliter, & ipsi econtra teneantur alere spiritualiter, quoties indiguerint. Ergo. Confirmatur. Milites, iudices, conducti stipendio tenentur exponere vitam, quoties ad tuendam vrbem, vel bonum publicum opus fuerit. Ergo.

66 Secunda sententia est negatiua. ita Maior *in 4. dist. 7. q. vlti.* & *dist. 23. q. 1.* Molfes. *par. 1. sum. art. 4. cap. 3. nu. 51.* Philiar. *lib. 4. de offic. Sacerd. cap. 3.* Maiol. *lib. 2. de irregular. cap. 20. nu. 3.* Marchin *par. 3. de Bel. diuino, cap. 3. nu. 4.* Tabiena *verbo.* Episcopus. *num. 6. conclus. 4.* Armilla *ibidem. eodem nu.* Benzon *de fuga lib. 1. disput. 1. qu. 1. conclus. 5.* Desumitur etiam ex D. Thom. *2. 2. qu. 184. ar. 7. ad 1.* & *qu. 185. ar. 5. in corpore.* & *ad 3.* vbi docet Pastores obligari ad exequendum proprium officium propter salutem subditorum, quæ est mensura obligationis, & quod teneantur exponere omnia, quando opus est pro salute gregis; eucharistia autem nunquam est ita necessaria, vt quis sine ipsa non possit saluari; imo si potest ipsam suscipere, est in statu salutis. Et ita etiam declarauit S. congregatio *anno* 1577. de mente Grego. XIII. *die* 1.. *Decemb. rescrib. S. Carolo Borromeo.* Probatur. Licet sumere viaticum sit præceptum de iure diuino, non tamen obligat tàm quoad sumptionem, quàm quoad ministrationem, nisi quando congruenti modo ministrari potest, vnde non obligatur pastor non ieiunus celebrare, vt minister; nec vt celebret sine vestibus sacris. Ergo nec pastor obligatur cum periculo vitæ ministrare. Consequent. probatur. Quia ius naturale conseruandi propriam vitam est maius, & altioris ordinis, quàm sint præcepta Ecclesiastica. Ergo si hæc non cedunt, vt possit ministrari Eucharistia, nec etiam cedet ius naturale. Confirmatur. Vita pastoris est obligata æqualiter omnibus ouibus. Ergo non debet ipsam ita in vnius prouentum impendere, vt subtrahat alijs cum periculo, quòd ipsi remaneant sine necessarijs Sacramētis, vt tempore pestis: cum debeat bonum communitatis præferre bono particularium.

67 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Pactum implicitum inter pastores, & subditos non obligare cum periculo vitæ seclusa necessitate, vt constat ex modo dictis. Ad Confirmationem. Milites, Iudices, & alios publicos officiales non teneri exponere vitam, nisi vrgente necessitate; non autem seclusa necessitate.

Quando teneantur Pastores infirmis deuotionis causa ministrare Eucharistiam.

SECTIO XVI.

68 Certum est, teneri ministrare, quando infirmus ex præcepto tenetur sumere; quia si non tenerentur ministrare, frustra obligarentur subditi suscipere, solum difficultas est an in alijs casibus teneantur.

69 Dico 1. *Quotiescunque occurrit Iubilæum, aut alia indulgentia plenaria vniuersalis, quæ habeat iniunctam communionem, & potest infirmus alia opera iniuncta exequi, tenetur pastor ministrare Eucharistiā.* Ita Quiritanaduen. *De Sacram. singul. 7. de Eucharis. num. 7.* Probatur. Habet ius lucrandi tale iubileum, quod acquirit ex concessione Summi Pontificis. Ergo habet ius exigendi à Pastore, quæ necessaria sunt pro illius acquisitione. Ergo si Pastor deneget, contra proprium munus peccat in re graui.

70 Dico 2. *Tenetur etiam ministrare quotiescunque infirmus potest rationabiliter attentis omnibus circumstantijs.* Ita Io. Sanchez *in select. de Sacram. disput. 47. num. 5.* Quiritanaduen. *singul. cit. num. 9.* & desumitur ex Rituali Pauli V. *Tit. de commun. infir.* vbi præscribitur Parochis, vt hortentur infirmos ad communionem, etiamsi non immineat mortis periculum, nec desint petentibus ministrare. Quia tamen possunt in infirmis cōmunicandis concurrere aliquæ circumstantiæ, quæ reddant difficilem administrationem, vt si Parochus valdè occupatus sit, in cura animarum circa grauiora, aut domus infirmi longè absit ab Ecclesia, ita vt non possit de facili haberi sufficiens comitatus Eucharistiæ, ideo ratione harum circumstantiarum, poterit Parochus excusari, si tam crebrò non ministret, sicut ministraret sano. Probatur. Pastor tenetur ministrare Eucharistiam subiectis, quotiescunque rationabiliter petunt, vt dictum est *sectione præcedenti*. Ergo etiam infirmis, quia non sunt deterioris conditionis; imo ex hoc capite, & quia magis indigent consolatione spirituali, magis indulgendum est. Vnde si infirmus peteret Eucharistiam in præcipuis festis, teneretur Parochus ministrare, nam esset valde rationabilis petitio.

71 Ex dictis colligitur cum Quiritanaduen. *singul. cit. nu. 12.* Non posse ostendi consuetudinem in oppositum. Tum quia non est consuetudo, nam consuetudo inducitur per actus positiuos, non verò per non actus. Tum quia Pastores de iure diuino tenentur pascere proprias oues, atque adeò non possunt præscribere, ne exhibeant, quæ sunt debita ex proprio munere. Tum quia non est consuetudo rationabilis; imo irrationabilis, cum sit contra rationem, quòd Pastores non pascant oues, & ideo extirpanda *cap. fin. De Consuet.* Tum quia consuetudo

non

non potest prævalere contra ius Diuinum cap. *fin.* De *consuet.*

Quoties liceat ministrare Eucharistiam monialibus ægrotantibus.

SECTIO XVII.

72 Difficultas procedit ob ingressum clausuræ, & præcipuè quoàd Moniales dici ægrotantes. Conueniunt autem quam plures Doctores, quod liceat ingredi clausuram pro ministranda Eucharistia, quandocunque aliqua monialis incipit grauiter ægrotare. Ita Sanchez *lib. 6 sum. c. 16. num. 45.* Rodriquez *to. 1. quæsit. Regular. quæsit. 47. art. 4.* Miran. *de Monial. qu. 2. art. 17.* Portel *in dubijs regular. verbo.* clausura. *nu. 9.* Quintanaduen. *de Sacram. singul. 3. de Euchar. nu. 1.* Pellizzar. *de monial. c. 10. sect. 3. n. 121.* & desumitur ex cap. *Cum infirmitas.* De *Pœnit. & Remissio.* vbi grauiter imponitur medicis, vt inducant statim infirmos ad expiationem animarum, quod etiam in iure nouo statuit Pius V. sub grauibus pœnis. Vnde colligitur, tunc adesse sufficientem causam ingrediendi clausuram pro ministranda pœnitentia, & Eucharistia, vt procurata salute spirituali, facilius applicari possit corporali.

73 Secundò conueniunt etiam, quòd possit ministrari intra septa Eucharistia moniali infirmæ, quãdo cęteræ illã sumunt ex præscriptione Ecclesiæ, aut regulæ. Ita citati Doctores, & insuper Hieronym. Rodriquez *Resolut. 21. nu. 21.* Io: Sanchez *in select. de Sacram. disp. 22. n. 22.* Ioã: à S. Io: *par. 1. sum qu. 8. de Euchar. art. 9. dub. 10.* Vnde cum Concilium Tridenti. *sess. 25. c. 10. de Regul. & Monial.* iniungit Episcopis, & alijs superioribus vt curent, quod Moniales saltem singulis mensibus confiteantur, & sumant Eucharistiam, poterit etiam infirmis intra septa ministrari Eucharistia. Ratio est quia obseruantia Regulæ, & eorum, quæ iniungit Concilium Tridentinum, est necessaria pro regulari disciplina, & proinde importat casũ illius necessitatis, in quo licet ingredi septa monialium. Difficultas autem est an extra hos casus liceat intra clausuram infirmis monialibus ministrare Eucharistiam.

74 Dico 1. *Quando Moniales vltra regulam solent ex aliqua consuetudine, aut etiam ex aliqua noua pia, & rationabili causa sumere Eucharistiam, potest monialibus infirmis intra septa ministrari Eucharistia.* Ita Rodriquez, Sanchez, Miranda, Portel. Quintanaduen. Pellizar, *citatis locis.* Probatur. Licet hæc consuetudo non sit obligatoria, cum ex deuotione, non ex animo se obligandi processerit, confert tamen multum ad perfectionem spiritualem, & ad profectum in regula, & proinde ex hoc capite est necessaria obseruantia. Ergo exhibet sufficientem causam pro ingressu ad ministrandam Eucharistiam infirmis, quia agitur de notabili vtilitate, quæ æquiparatur necessitati cap. *Statutũ. §. Promissurus.* De *Rescript. in 6.* & Clement. 1. *De Reb. Eccles. non alienand.*

75 Dico 2. *Quando Monialis infirma dicit, se indigere Eucharistia, poterit ipsi ministrari.* Ita Emmanuel, Rodriquez, Hieronym. Rodriq. Quintanaduen. *citati.* Probatur si Monialis infirma, dicat se indigere medico corporali pro corporali medicina, potest medicus ingredi. Ergo etiam quãdo dicit se indigere medico spirituali, & spirituali refectione, quia cum anima sit pretiosior corpore, cura quoq; spiritualis ipsius præferenda est curæ corporali cap. *cum infirmitas.* De *Pænit. & remiss.*

76 An autem sit sufficiens causa pro ingressu ministratio Eucharistiæ omnibus illis diebus, quibus Monialis, dum erat sana, solebat sumere, ita vt possit minister quotidie ingredi, quando solebat quotidie sumere, affirmatiuè respondet Sanchez *cit. lib. 6. sum. c. 16. nu. 45.* Quintanaduen. *singul. 3. de Euchar. nu. 6.* & videtur approbare Pellizar. *cit.* sed hoc non ita facilè admitterem. Quia Concil. Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 5.* præscribit, quod licentia ingrediendi septa Monialium debet solũ concedi in casibus necessarijs. Et licet per casus necessarios intelligat etiam casus magnæ vtilitatis, & necessarios non absolutè, sed ad benè esse, vt praxis declarat, & notat Fusch. *lib. 2. de visit. cap. 18. nu. 26.* Attamen quotidianus ingressus pro ministranda Eucharistia neque videtur necessarius ad benè esse, quia licet Monialis esset solita quotidie sumere, quia tamen infirma opprimitur morbo, & vacare debet curæ corporali, ideò plus distrahitur, & minus vacare potest spirituali commercio cum Deo; atque adeo minus congrua videtur quotidiana sumptio Eucharistiæ. Exciperem tamen casum, in quo Monialis tali spiritu, & deuotione ferueret, vt notabiliter augeretur, si illa refectione spirituali priuaretur. Rarò tamen casus contingere potest.

DE VSV, SEV SVMPTIONE Eucharistiæ.

DISPVTATIO CIX.

An sit necessaria sumptio Eucharistiæ sub vtraque specie.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Triplicem esse sumptionem Eucharistiæ, vt desumitur ex Concil. Trid. *sess. 13. cap. 8.* Prima est Sacramentalis, quando sumitur ipsa Eucharistitia, tanquam signum sensibile sanctificatiuum animæ per modum cibi, sine tamen effectu, hoc est sine sanctificatione, vt cum quis indignè sumit. Secunda est sumptio spiritualis, quando Eucharistia non sumitur in esse Sacramenti sed tantum in voto, seu desiderio, seu fide viua, vt ait Concil. Triden. *cit.* Tertia est sumptio Sacramentalis, & spiritualis simul, quando nimirum reuera sumitur corpus Christi sub speciebus panis, & percipitur fructus ipsius, seu effectus gratiæ.

2 Supponendum 2. Concil. Trident. *cit.* docere, quòd sumentes Eucharistiam spiritualiter, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt. An autem talem fructum recipiant ex opere operato, negatiuè respondendum est, vt inter alios notant Suarez *disp. 62. de Sacram. sect. 1.* Vasquez *disp. 212. cap. 1.* Isambert. *q. 80. disp. 1. ar. 1.* sed tantum ex opere operantis. Et Ratio est. Quia ex Sacramentis non habetur aliquis effectus ex opere operato, nisi cum effectu applicentur; vnde neque baptismus in voto confert gratiam ex opere operato. Et proinde Trident. dixit, quod sumentes spiritualiter percipiunt fructum fide viua, quæ per dilectionem operatur, quatenus fides elicit actum circa hoc Sacramentũ, & ex hoc actu sequitur dilectio Dei, & Christi, quæ se in ipso nobis tradit. Hæc autem gratia, quæ percipitur, dicitur fructus Eucharistiæ, licet ab ipsa non censetur, quia tanquam causa excitatiua illam causat. Difficultas autem est, an sumptio Sacramentalis debeat esse sub vtraque specie?

3 Dicendum 1. *Sumptionem sub vtraq; specie Eucharistiæ non esse necessariam.* Ita contra Lutherum, & Bohemos communiter Catholici, & est de fide definitum in Concilio Constantiens. *sess. 13.* Trident. *sess. 21. capit. 1. & can. 1.* & etiam in Basiliens. *sess. 31.* Probatur. Necessitas communionis sub vtraq; specie neq; ex iure Diuino, neq; ex iure Ecclesiast. habetur. Ergo. Nõ ex iure Diuino Nam licet Christus Ioan. 6. dixerit. *Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et. *Qui manducat meam carnem,*

nem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Vt tamen ostenderet, se non loqui coniunctiuè, sed disiunctiuè, eodem loco subdidit. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Non ex iure Ecclesiastico, quia si adfuisset iam oblata est, vt constat ex Concil. Trident. *sess.21. cap.1.* Potest enim Ecclesia auferre, quæ sunt de iure Ecclesiastico confirmatur. Ideò esset necessaria vtraque species, quia Christus dixit, *Nisi manducaueritis, & biberitis.* Sed hoc non sequitur. Tum quia dictio, Et, stat etiam disiunctiuè pro *vel* iuxta subiectam materiam, vt notant Vulpel *de Præposit. & ad verb. signif.* tit. *De hac dict. num.2.* Gonzalez *ad Reg.8. Cancel. glos.3. nu.14.* Portol. *De consort. cap.1. num.20.* Et tunc hoc contingit, quando ponitur inter ea, quæ sunt eiusdem potestatis, & effectus, vt declarant Portol. *cit.* Oldrad. *consil.186. nu.8.* vbi etiam addit Bursat. *consil.8. num.20. vol.2.* Thesaur. *decis.189. num.2.* Eucharistia autem sub specie panis, & sub specie vini est eiusdem potestatis, & effectus, cum sub vtraque specie contineatur totus Christus. Tum quia etiam si dictio *&*, sumatur coniunctiuè, non tamen requirit concursum vtriusque copulati, sed sufficit vnum, vt docent Alexan. *consil.101. num.8. lib.3.* & *consil.64. num.9. lib.7.* Roman. *consil.104. nu.4.* Plot. *De in litem iur. §.6. num.33.* Aym. *in consuet. Alban. tit.1. art.4. n.7.* Tusch. *littera E. conclus.274. num.54.* quod habet locum quando duæ orationes copulantur principaliter per se, vt in verbis Christi, *Nisi manducaueritis, & biberitis*, & sufficit manducare, aut bibere.

4 Dices. Adesse obligationem ex facto Christi sumendi sub vtraque specie, non solum quia instituit, sed etiam quia distribuit sub vtraque; ergo cum factum Christi ordinetur ad eius passionem commemorandam, debet commemorari eo modo, quo instituit commemorandã. Respondetur negando anteced. Ad probationem respondetur. Factum Christi non semper inducere obligationem, etiam circa Sacramenta; sed solum quoad ea, quæ substantialia sunt. Nam Christus vespere post cœnam consecrauit & dedit non ieiunis, & tamen hæc non inducunt obligationem. Deinde Christus instituit Eucharistiam nedũ per modum Sacramenti, sed etiam per modum sacrificij, & quia est sacrificium cruentum, ideo requirit vtramque speciem. Et quia Sacerdos debet consumere sacrificium, sub vtraque specie sumere debet. Qui verò sumunt laico modo, non est necesse quod sumant sub vtraque specie, quia sufficit, quod recolant passionem Christi participando de sacrificio, vt est Sacramentum: instabis. Christus dixit, dum instituit calicem, *Bibite ex eo omnes.* Ergo. Respondetur. Dictionem omnes supponere tantum pro Discipulis, quam addit, quia erat vnicus calix, de quo omnes sumere debebant, vnde Marci 14. *Et biberunt ex illo omnes*, & tamen soli Apostoli biberunt.

5 Obijcitur 2. ex 1. Ad Corinth. cap.11. Apostolus loquens de communione sub vtraque specie inquit, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Ergo. Respondetur. Apostolum ibi tantum referre, & tradere, quod acceperat: vnde nil noui ponit, sed explicat institutionem Eucharistiæ relinquendo in illa forma, & mensura, in qua fuit facta à Christo.

6 Obijcies 3. Christus condens Sacramentum legauit corpus suum, & sanguinem non solum sacerdotibus, sed etiam cæteris. Ergo cum non liceat diuidere hæreditatẽ, non licet subtrahere laicis sanguinem. Respondetur distinguendo consequens. Non licet subtrahere sanguinẽ, quoad esse Sacramentale; licet tamen subtrahere quoad specialem modum significationis Sacramentalis. Per id autem, quod subtrahatur sub specie vini, non subtrahitur quoad esse Sacramentale, quia adhuc simul cum corpore est sub speciebus panis: nec quoad significationem, quia adhuc habetur totum Sacramentum significans integram refectionem spiritualẽ quæ fit corpore, & sanguine Christi. Sed solum subtrahitur quoad specialem modum significationis, quia hæc refectio solum per species vini significatur sub ratione potus.

7 Ex his colligitur, quomodo accipiendæ sint authoritates SS. Patrum, quibus videntur significare necessitatem vtriusque speciei, nam loquuntur vel respectu sacerdotis conficientis, vel quia licebat communicare sub vtraque specie ante prohibitionem: vnde tunc fideles ius habebant ad poculum Domini, vt ait Cyprian. *epist.54.* vel quia loquuntur de sanguine, quatenus in corpore continetur sub speciebus panis. Vel quia loquuntur de sumptione spirituali, quatenus in Eucharistia significatur coniunctio hominis cum Christo per fidem, & charitatem. Vnde Cyprian. De cœna Domini, *Vt sciremus, quod mansio nostra in ipso sit manducatio corporis.* Vel denique quia scribebant in tempore, quo aderat præceptum sumendi sub vtraque specie, de quo inf.2.

8 Dicendum 2. *Modo non esse licitum communicantibus laico more sumere Eucharistiam sub vtraque specie.* Dixi modo, quia antiquitus solebat ministrari sub vtraq; specie, vt desumitur ex D. Dionysio *cap.3. de cælesti Hierarch.* Ignat. *Epist. ad Philip.* Iustino *Apologeti.2.* & alijs. Ratio est. Quia modo est non solum consuetudo Ecclesiæ in contrarium, sed etiam prohibitio, vt in Concil. Constantiensi *sess.13.* & in Trident. *sess.21. cap.2.* Fuit autem hæc prohibitio conueniens tum ob vitandum periculum effusionis sanguinis; tum quia non erat facile asseruare pro infirmis: tum quia ita ostenditur, vnicam speciem esse integrum Sacramentum, & tacitè detestatur error hæreticorum.

9 Obijcitur ex cap. *Comperimus.* De *Consecrat. dist.2.* vbi Gelas. Papa ait, non posse fieri diuisionem sanguinis à Corpore sine grandi sacrilegio, & præcipit, quod debeat sumi vtraque species, aut ab vtraque abstineri. Respondetur. Id dixisse, quia tunc aderat præceptum sumendi sub vtraque specie ob Manichæos, qui cum execrarentur vinum, sumebant solum sub specie panis, vt videlicet ipsi arcerentur, dum se detegerent hæreticos, sumendo solum sub specie panis. Ita desumitur ex D. Leone *sermo.4. de Quadragesima.*

An fiat iniuria laicis ministrando Eucharistiam sub vna tantum specie.

SECTIO II.

10 Dicendum est. *Nullam iniuriam laicis fieri, dũ ijs ministratur Eucharistia sub vna tantum specie.* Ita decernitur in Conc. Trid. *sess.21. c.2.* Probatur. Non habet locum iniuria, vbi non violatur iustitia, nec iustitia violatur, nisi quando violatur ius alienum. Sed laici non habent ius ad communionem sub vtraque specie. Ergo. Minor probatur. Quia habent solum ius ad Sacramentum Eucharistiæ, quod perfectè habetur sub vna, aut altera specie.

11 Dices. Habere ius, quia Christus instituit sub vtraq; specie & cõcessit omnibus. Contra. Christus ita instituit Sacramenta, vt tamen modum administrationis reliquerit dispositioni Ecclesiæ, iuxta illud 1. Ad Corinth. c.2. *Sic vos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Vnde ipse Apostolus ordinatis nonnullis circa vsum Eucharistiæ, subdit. *Cætera, cum venero disponam.* Ergo fideles non habent ius ad Sacramenta, nisi iuxta dispositionem Ecclesiæ. Deinde Christus concessit Sacramenta vt media pro salute æterna. Ergo fideles non habent ius ad ipsa, nisi quatenus necessaria, aut valde conducentia ad salutem: hinc nõ habent ius ad ordinẽ, quia non est medium singulis necessariũ ad salutem. Eucharistia autem, quatenus necessaria, aut conducens ad salutem, saluatur in vna, aut altera specie,

cie,

sie, quia tam per vnam, quam per aliam recipitur gratia spiritualis refectionis.

12 Obijcitur. Maior gratia recipitur per sumptionem vtriusque speciei. Ergo fit iniuria laico negata vna specie, quia defraudatur illa maiori gratia. Respondetur negando consequen. quicquid sit de antecedenti. Nam non habent ius ad illam maiorem gratiam, cum per vnicam speciem recipiant sufficienter gratiam reficientem, alioquin non posset Ecclesia denegare ordines; sumptionem Eucharistiæ pluries in die; quia in his casibus fideles reciperent maiorem gratiam.

An in quolibet die liceat sumere Eucharistiam?

SECTIO III.

13 Supponendum est. De iure nullam adesse determinationem circa vsum Eucharistiæ: vnde neq; præfixum est tempus sumendæ Eucharistiæ, neque prohibitum, quod in aliquo tempore non sumatur, & ideò pluries in die, quantum est ex vi ipsius, posset sumi. Siquidem ex natura Sacramenti solum prouenit, ne quid fiat irreuerenter circa ipsum, quod contingeret, si in derisionem vsus ipsius propter nimiam frequentiam deduceretur. De iure tamen Ecclesiastico habetur, quod non liceat plusquam semel in die sumere Eucharistiam, vt desumitur ex cap. *Consuluisti.* De *celebrat. missar.* & cap. *sufficit.* De *Consecrat. distinc.* 1. vbi prohibetur Sacerdotibus, plusquam semel in die celebrare: & in consequentiam laicis plusquam semel Eucharistiam sumere, ad quos quoque extenditur prohibitio. Tum quia militat eadem ratio. Tum quia consuetudo Ecclesiæ declarat, & confirmat extensionem huius prohibitionis. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus occurrit aliquid præponderans præcepto prohibitiuo Ecclesiæ: vt si sacerdos, qui iam celebrauit, ob defectum alterius deberet consumere sacrificium, quia celebrans ex aliquo accidenti non possit, aut quia consumenda sit Eucharistia, ne irreuerenter tractetur. Difficultas autem est, an in quocunque die liceat sumere, & dubitatur de feria sexta in Parasceue.

14 Prima sententia affirmat. Ita Henriquez *lib. 9. c. 9. num. 6. in notat. littera S. in fine*, vbi alios citat. Durand. *lib. 6. Ration. Diuinor. officior. cap. 77. num* 35. Suarez *disput. 80. de Sacram. sect. 2. §. secundus dies.* Vasquez 3. *par. disput.* 232. *cap* 2. *num.* 19. *&* 21. Sà *verbo.* Eucharistia. *nu.* 19. Ledesma *par. 1. sum. cap. 19. post. 5. Conclus.* Vega *in speculo curat cap. 10. num.* 241. Facund. *præcep.* 3. *Eccles. lib. 3. cap. 16. num. 16.* Arbol *in tract. de Sacram. De Euchar. not.* 8. Perez *in summ. Theolog. cap. de Eucharist.* vers. *ministro.* Layman *lib. 5. Theolog. moral. tract. 5. cap. 4. num. 7.* Hurtad. *disput. 4. de sacrific. missæ. difficult.* 2. Filliuc. *tract. 5. cap. 5. quæst. 5.* Victorel. *ad Tolet. lib* 2. *cap.* 3. Io: Sanchez *in select. de Sacramen. disp.* 22. *num.* 20. Tanner 3. *par. disp.* ... *quæst. 10. dub. 4.* Auersa *quæst. 8. de Eucharist. sect. 3. initio.* Diana *par. 4. trac. 4. resol.* 237. Hamber. 3. *par. quæst.* 80 *disput. 5. art. 1.* ver. *Quæres, an etiam.* Quintanaduen. *singul. 6. de Eucharis. nu.* 4. Fundamentum est, quia nullo iure reperitur prohibitum.

15 Secunda sententia tenet, non licere sumere Eucharistiam in feria sexta Parasceues. Ita Francolin *De hor. canon. cap. 30. num.* 12. Gauantus *in Rubr. Missal. par. 4. tit. 9. num.* 25. afferens declarationem S. Congregationis Rituum 9. *May* 1606. Barbosa *de Parochis cap. 20. nu*... afferens aliam declarationem Congregationis 19. *Februar.* 1622. Hæc posterior sententia est tenenda, quæ desumitur ex Rubrica missalis *in feriæ* 5. *Hebdomadæ maioris*, vbi ita habetur. *Hodie* (dicta feria 5.) *Sacerdos consecrat duas hostias, quarum vnam sumit, alteram reseruat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentũ: reseruat etiam aliquas particulas cõsecratas, si opus fuerit, pro infirmis*, vbi cum taxatiuè pro infirmis velit asseruari particulas, tacitè excludit cæteros, quia intrat regula, quod omissum habetur pro omisso *l. commodissim ff. de libe. & posth.* ex cap. *dilect. de offic. ordina.* & cap. *inter corporalia.* De *translat. Episc.* & cap. *Is qui.* De *sentent. excommunic.* quod locum habet in omni dispositione vt notant Anch. *cons.* 245. *n.* 5. Socin. *cons.* 32. *n.* 18. *lib.* 1. Alexand. *cons.* 113. *num.* 5. *lib.* 2. Bald. *cons.* 332. vers. *Rectè igitur. lib.* 3. Valenzuola *cons.* 159. *nu.* 36.

16 Probatur. In feria sexta Parasceue prohibetur Sacerdotibus celebrare præcipuè ab Innocentio I. *epist.* 1. *ad Decent. cap.* 4. relata in cap. *Sabbato.* De *consecrat. distinc.* 3. Ergo etiam Laicis sumere Eucharistiam. Consequen. probatur. Tum quia militat eadem ratio. Tum quia ideo ex prohibitione celebrandi pluries in die infertur prohibitio etiam sumendi Eucharistiam pluries in die, quia ita consuetudo interpretatur, & confirmat. hęc autem consuetudo adest in hoc casu. Ergo. Dices esse consuetudinem congruentiæ. Contra. Est consuetudo interpretatiua legis, sicut est etiam consuetudo non communicandi pluries in die. Ergo non est congruentiæ, sed necessitatis. Dices 2. Non esse consuetudinem, quia consuetudo debet introduci per actus positiuos, non autem per non vsum. Contra. Idem posset etiam dici de consuetudine non communicandi pluries in die. Deinde licet fundetur in non vsu, quia tamen non vsus interpretatur legem, lex ipsa extenditur etiam ad prohibendam communionem laicis. 3. Adest etiam actus positiuus, in quo fundatur consuetudo, nempe positiua denegatio Eucharistiæ tacta petentibus à ministris ex interpretatione legis prohibentis celebrationem, quod extendatur etiam ad sumptionem Eucharistiæ.

17 Ex dictis colligitur, quod secluso hoc die, potest sumi Eucharistia singulis omnibus diebus, etiam in quacunque hora, dummodo sumens sit ieiunus, vt notant Syluester *verbo.* Eucharistia 3. *q. 15. dist.* 5. Bonaci. *q. 7. de Euchar. punct. 1. n.* 14. Præpositus 3. *p. q. 80. ar. 10. in fin.* Auersa *q. 8. de Euchar. sect. 3. post init.* Notant tamẽ, id fieri debere secluso scandalo. Hoc tamen apud me difficultatem habet. Quia prohibitio sumendi Eucharistiã sequitur prohibitionem celebrandi, vnde cum sub mortali adsit prohibitio non celebrandi, neque ante aurorã, neque post meridiem, vt in Rubricis missalis, & ex communi interpretatione, videtur adesse etiam prohibitio non sumendi Eucharistiam extra dictum tempus.

An pluries per modum viatici sumi possit Eucharistia in eadem infirmitate.

SECTIO IV.

18 Habet hoc speciale Eucharistia ministrata per modum viatici, quod non requirat ieiunium in assumente, vt docent communiter, & habetur ex Rituali Roman. Pauli V. *tit. de commun. infir.* quod inuiolatè seruandum est tãquam constitutum auctoritate Romanæ Ecclesiæ, vt habet Pontifex in Bulla *præfixa eidem rituali*. Est tamen aduertendum, quod solum breui morituris, & quando probabile est, quod non sint amplius sumpturi, ministrari potest Eucharistia per modum Viatici, vt *ibidem* præscribit idem Rituale. Vnde si quis sumpserit Viaticum, & postea melius se habere incipiat, non poterit amplius sumere Eucharistiam per modum Viatici, seu non ieiunus. Neq; enim indifferenter infirmis siue ieiunis, siue non ieiunis ministranda Eucharistia, sed requiritur, quod extra periculum mortis imminẽs ieiuni sint, vt præscribitur in eodem rituali *eodem loco.*

19 Prima sententia est negatiua. ita Vasq. 3. *par. disp.* 211. *c. 4. n.* 37. Præpositus 3. *par. q. 80. ar. 8. dub. 2. nu.* 43. ver. *Resp. tertio.* Ochaga. *tract. 2. de Eucharis. q. 12. n.* 10. Probatur. Ideò potest morituris ministrari Eucharistia non ieiunis, ne sine hoc Sacramento moriantur, vt habet D. Th. 3. *p. q. 80. ar.* 4. semel autem ministrata cessat hæc ratio, & præceptum sumendi Eucharistiam. Ergo, &c.

20 Secunda sentẽtia asserit, posse pluries sumi per mo-

dum Viatici. Ita Syluester cum Goffredo, & Parisiensi *verbo*. Eucharistia.3. *num.6.* Sà *ibidem num.* 5. *&* 34. Sotus *in* 4.*distinct.* 12.*quæst.*1.*art.*8. Victor. *in summa num.*82. Graf. *par.*1.*decis.lib.*2.*cap.*38. qui indifferenter tradunt posse pluries sumi non assignato aliquo termino. Nauar. *consil.*45. *De pœnit. & remissio.* qui vult solum post longum tempus Tabiena *verbo*. Communicare.*num.*48. Armilla *nu.*18. limitans, si contingat ægrotum post sumptum viaticum peccare mortaliter, Suarez *disput.*68.*de Sacramen.sect.* 5. Henriq. *lib.*8.*de Eucharistia cap.* 50.*nu.*10. Coninch *de Sacram.quæst.*80.*ar.*8. *num.*53. Facundez *pracep.*3. *Eccles.lib.*3.*cap.*5. *nu.*20. Bonacina *disput.* 4. *de Eucharistia quæst.* 6. *punc. vltimo.num.*20. Qui volunt post octo, aut decem dies. Maior. *in* 4. *distinc.*9.*quæst.*3.*ad* 5. Granad. 3.*par. controuer.*6.*tract.* 10.*disput.*8.*num.*10. Zambran. *in suis decisionibus cap.*3.*de Eucharis.dub.*5. *num.*4. Posseuin. *De officio cur. cap.*8.*num.*21. Filliuc.*tract.*4.*cap.* 8.*nu.*238. qui volunt, posse iterũ sumi post sex dies. Layman *lib.* 5. *Theolog. moral.tract.*4. *capit.*6.*num.*20. qui vult, posse ministrari altero saltem die, si sit solitus frequenter sumere, & difficile abstineat. Palaus. *par.*4. *tract.* 21.*disput. vnic. punct.* 3.*nu.*13. qui vult, quod singulis diebus possit ministrari.

21 Dico 1. *Eucharistia potest pluries sumi per modum viatici à non ieiunis perseuerante eodem periculo mortis*. Probatur. Ideò non posset pluries sumi, quia vnica sumptione impletur præceptum, & proinde solum pro illa vice cessat præceptum de ieiunio præ requisito. Sed tale præceptum cessat non solum pro illa vice, sed quoties fuerit necessaria sumptio, quia concilium Constantiense *sess.* 13. absolutè declarat tale præceptum non habere locum in infirmis, & Rituale Romanum *Tit. de commun. infirmorum* ver. *Potest quidem* habet, quod breui morituris potest ministrari, etiamsi non sint ieiuni; & cum tunc maximè vrgeant tentationes est maximè necessaria Eucharistia pro accipiendo robore ad illas vincendas. Ergo.

22 Dices. Ergo poterit singulis diebus sumi ab ijs, qui sunt in periculo mortis. Respondetur negando sequelam. Quia obstat Rituale Pauli V. auctoritate Pontificia inuiolabiliter seruandum. Nam in *tit.de commun.infirm.* ver. *Pro viatico.* dicitur. Quod si æger sumpto viatico dies aliquot vixerit, vel periculum mortis euaserit, & communicare voluerit, eius pro desiderio Parochus non deerit. Si ergo requiritur, quod aliquot dies superuiuat, vt possit iterum sumere Eucharistiam, non poterit singulis diebus sumere.

23 Dico 2. *Non potest infirmus in eodem statu infirmitatis sumere Eucharistiam per modum viatici absque prauio ieiunio, nisi saltem quatuor dies inter vtramque sumptionem intercedant, ita vt solum sexto die possit sumere a prima die sumptionis.* Probatur. Si Rituale Pauli V. diceret, quod posset ministrari, si æger superuiueret aliquem diem, non posset ministrari nisi intercederent duo dies inter vnam, & alteram sumptionem, nam dictio *aliquis*, licet singulariter proferatur, habet tamen vim pluralem *l.si verò plures.* §. *Ait Prator. ff.* De *his, qui deiec.*& *l.si seruitus. ff.* De *seruit.vrban.prædur.* & notant. Cardin. *in clemen.*1. De *præbend.* Peregrin. *de fideicom.art.*19.*num.*17.& *ar.*32.*num.*61. Rota *Decis.*668. *num.*5.*par.*2. *Recentiorum.* Pluralis autem numerus saltem duo requirit *l.vbi numerus. ff. de testibus* & *l.inter illa.*§.*fin.ff.* De *verbor.obligat.*& cap. *Pluralis.* De *Regul.iuris in* 6. Ergo cum dicat si aliquot dies vixerit, requiritur, quod saltem quatuor dies interponantur, quia pluralitas dictionis, *aliquot*, pluriticat significatum dictionis aliquis, & imponat pluralitatem, illius pluralis, quod significatur per dictionem *aliquis*.

24 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur. Non esse adæquatam causam finalem ministrandi Eucharistiam constitutis in periculo mortis non ieiunis, ne sine tali Sacramento decedant; sed etiam, vt accipiant robur in spirituali vita, vt valeant resistere tentationibus, quæ tunc maximè vrgent, quæ cum sint continuæ, ideò posset repeti Eucharistia post aliquot dies, quia cedit præceptum de ieiunio indigentiæ moribundi.

An si quis mane sumpserit Eucharistiam, possit iterum sumere vespere, si incidat in periculum mortis per modum viatici.

SECTIO V.

25 NEgatiuam sententiam tradunt Suarez 3. *par. disp.*69. *de Sacram. sect.*3. Coninch *de Sacram.quæst.*80.*art.*11. *dubio* 3. *nu.*100. Mercer *ibidem.* ver. *Quæritur tertiò*, Granad. 3.*par. controuer.*6.*tract.* 10.*disput.*3. *num.* 9. Barthom à S.Faento *lib.*1. *de Eucharis.quæst.*247. Marat. *tom.*3.*sum.disp.*35.*de Euchar. sect.*2. *num.*4. Zambran *in suis Decision. cap.*3. *de Eucharis.num.*1. *&* 6. Pitigian. *in* 4. *distinct.*9.*quæst.*3. *ar.* 7. Facundez *Præcepto* 3. *Eccles.lib.*1. *cap.*3. *nu.*7. Probant. Non licet bis in die communicare cap. *Consuluisti.* De *celebrat.missar.* & cap. *sufficit.* De *consecrat.dist.*1. 2. Quando mane sumpsit Eucharistiam mors imminebat, atq; adeo aderat periculum mortis, licet ignoratum. Ergo per illam sumptionem satisfecit præcepto, sicut qui audiret missam nesciens esse diem festum, quia quisque habet intẽtionem interpretatiuam satisfaciendi cuicunque obligationi. 3. Per illam sumptionem assequutus est finem præcepti, qui est, quod homo per viaticum se præparet ad transitum ex hac vita. Ergo impleuit præceptum.

26 Secunda sententia asserit, teneri iterum sumere Eucharistiam, siue mane fuerit sanus, siue infirmus, & sumpserit deuotionis causa. Ita Hurtad. *disput.*10.*de Eucharistia. Difficul.*2. *ver. vnde existimamus*. Ochagauia *de Sacram. tract.*2.*de Euchari.quæst.*14.*num.*7. Chellison 3. *par.quæst.*80.*art.*11.*not.*2. Turrian. *par.*2.*sum. c.*58. *dub.*2.*nume.*2. & probabile putat Diana *par.*4. *tract.*4. *resol.*197.

27 Dicendum. *Qui mane sumpsit Eucharistiam siue sanus, siue infirmus deuotionis causa, tenetur iterum eadem die sumere, si incidat in tale periculum mortis, vt probabile sit non posse sequenti die sumere.* Probatur. Præceptum sumendi Eucharistiam per modum viatici est affixum tempori mortis, quando nimirum quis est in tali statu, vt credatur breui moriturus. Ergo non potest impleri per actum antecedentem tale tempus, & proinde nec per matutinam communionem, si mane non aderat periculum mortis. Ergo remanet implendum, atque adeò de nouo sumenda est Eucharistia. Consequent. probatur. Præceptum impleri potest per actum, quando iam vrget obligatio, quia tunc solum exigit actum, & non anticipate: vnde per ieiunium hodiernum non possum implere præceptum crastinum ieiunandi; nec per hodiernam auditionem missæ præceptum audiendi crastinum.

28 Ad 1. Distinguit antecedens, Non licet bis in die communicare per se; per accidens tamen licet, quãdo nimirum sumpta Eucharistia semel, superuenit obligatio sumendi, nam tunc præceptum sumendi præualet præcepto Ecclesiastico non sumendi bis, tum quia est præceptum Diuinum, vt dicemus: tum quia si esset Ecclesiasticum, est tamen iniunctum cum maxima necessitate infirmi, quæ sicut facit cessare præceptum de ieiunio ita etiam præceptum de semel sumendo sicut cessat etiam, quando sumitur Eucharistia, ne ... irrogetur irreuerentia. Ad 2. Negatur assumptum. Nam mors non dicitur imminere ex eo, quòd propinqua sit, sed ex eo, quod illam in causis propinquam agnoscimus. Deinde negatur etiam consequentiam. Nam præceptum

ptum non incipit obligare, quando mors est propinqua; nam qui ex improuiso moriuntur, non ligantur hoc præcepto, sed quando cognoscitur esse propinqua. Vnde, cum antequam cognoscatur propinqua, non adsit obligatio, neque etiam impletur præceptum, cum postea superueniat obligatio. Ad 3. negatur assumptum. Quia finis præcepti non est solum corroboratio per refectionem spiritualem, sed corroboratio pro tempore luctæ in exitu è vita, & præparatio pro ipsa, & sicuti præceptum est affixum illi tempori, nec antea obligat, ita etiam consequutio finis est pro illo tempore præcisè. Sic licet emaceret carnem, qui hodie ieiunat, & assequatur finem præcepti, non satisfacit præcepto de ieiunio crastino, nec præcepto crastino de audienda missa, aut recitandi horas Canonicas qui hodie audit, aut recitat, licet assequatur eundem finem.

An Christus sumpserit Eucharistiam quando illam instituit.

SECTIO VI.

29 DIcendum. *Christum in vltima cœna sumpsisse Eucharistiam, quando illam instituit.* Ita communiter cum D.Thom. 3. *par.q.*81.*ar.*1. & desumitur ex cap. *Nec Moyses.* De *consecrat. dist.*1. & ex Patribus Dionyl. *de Ecclesiasti. Hierarchia. cap.*3. Hieronym. *epist. ad Heditiam* Chrysost. *homil.* 83. *in Math.* Isichio *in cap.*28. *Leuitici.* Tertul. *lib.*4. *contra Marion.* Theophilac. *in cap.*26. *Math.* & alijs. Desumitur etiam ex illo Lucæ 22. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Et Matth. 26. *Non bibam àmodo de hoc genimine vitis vsque in diem illũ.* Ratio autem est. Quia instituendo Sacramentum sacrificauit, & conuiuio excepit discipulos: sacrificans autem, & conuiuio excipiens debet participare de sacrificio, & conuiuio.

30 Obijcitur. Non poterat recipere effectũ Sacramenti, cum haberet plenitudinem gratiæ. Ergo frustra sumpsisset. Respondetur negando consequent. Quia licet nõ habuerit fructum Sacramenti quoad gratiam habitualẽ; habuit tamen Sacramentum & spiritualem dulcedinem, & gaudium, & specialem affectum charitatis: vnde non solum sumpsit Sacramentaliter, sed etiam spiritualiter ratione horum actuum.

An Iudas sumpserit Eucharistiam.

SECTIO VII.

31 PRima sententia est negatiua, asserens, hoc Sacramentum fuisse institutum, quando iam Iudas discesserat. ita Innocent. *lib.* 4. *de mysterio Missæ. cap.*13. Turtian. *lib.*5. *constit. Apostol. cap.*13. Theophilact. *in c.*26. *Matth.* & alij expositores *ibidem.* Rupert. *lib.*10. *in Matthæum.* Hilar. *cap.*30. *in Matth.* & alij.

32 Secunda sententia est affirmatiua. Ita D. August. *tract.*62. *in Ioan.* & *epist.*163. Cyprian. *sermon. de ablut. pedum.* Cyrillus Hierosoly. *Catechesi.*13. Leo Papa *serm.* 7. *de passione.* Bernardus. *sermone de cæna.* Origenes *trac.* 35. *in Matth.* Hieronym. *li.*2. *contra Iouinianum.* Chrysost. *homil.*82. *in Matth.* Theodoret. *in cap.*11. *epist.*1. *ad Corinth.* Euthym. *in cap.*26. *Matth.* Petrus Damian. *epist.*64. Beda *in cap.*13. *Ioa:* Vgo Victoriam: *lib.*2. *de Sacram par.*8. *cap.*4. & desumitur etiam ex cap. *Christus.*1. *quæs.*1. & cap. *Sancta.* De *consecrat. dist.*2. & cap. *si sacerdos.* De *officio ordinar.*

33 Probatur. Lucę 11. Relata institutione Eucharistiæ subditur, verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Ergo cum Iudas fuerit præsens sumpsit etiam ipse Eucharistiam. Quia Lucæ 22. dicitur, *Et biberunt ex eo omnes:* non bibissent autem omnes, nisi etiam bibisset Iudas, qui erat præsens. Confirmatur. Iudas fuit sacerdos iuxta illud Psalmi 108. *Episcopatum eius accipiat alter;* quod D. Petrus Actorum 1. interpretatur de Iuda. Ergo cum Apostoli sint omnes ordinati sacerdotes in institutione Eucharistiæ. Quando Christus dixit *Hoc facite in meam commemorationem,* vt definitur in Concil. Trid. *sess.*22. *can.*2. etiam Iudas tunc fuit ordinatus, atque adeò vt præsens accepit Eucharistiam.

34 Obijcitur Ioan. 13. Iudas discessit tempore cænæ; Christus autem instituit Eucharistiam post cęnam Lucæ 21. & epist. 1. ad Corinth. cap. 11. ergo cum non fuerit præsens, neque etiam accepit Eucharistiam. Respondetur. Instituisse post cœnam legalem, in qua comedebatur Agnus paschalis, & fiebat ante cœnam vsualem. Iudas autem discessit tempore cænæ vsualis.

35 Obijcitur 2. cum Christus dixisset. *Amen dico vobis quia vnus ex vobis me tradet.* & Ioan. dixisset. *Domine quis te tradet,* & Christus respondisset, fore illum, cui buccellam panis intinctam dedisset. Iudas illam accepit, & statim exijt. Ergo non adfuit tempore institutionis. Respõdetur negando consequent. Nam hæc fuerunt dicta, & peracta in cæna vsuali post institutionem, & buccella fuit ex pane simplici, vt habetur ex cap. *Cum omne crimen.* De *consecrat. dist.* 2.

36 Obiicitur 3. Si Christus dedisset Eucharistiam Iudæ, dedisset publico peccatori, nam iam Chrisus declarauerat proditorem Marci 14. *Vnus ex duodecim qui intingit mecum manum in catino.* Et cum Iudas dixisset. *Numquid ego sum Rabbi.* Christus respondit. *Tu dixisti.* Ergo. Respondetur negando sequellam. Nam crimen Iudæ erat occultum, nam non obstantibus, quæ dixerat Christus, Ioan: interrogauit ad instantiam Petri: *Domine quis est,* quia non intellexerant, de quonã Christus fuisset loquutus.

DE SVBIECTO CAPACI Eucharistiæ.

DISPVTATIO CX.

An Infantes sint capaces Eucharistiæ quoad fructum.

SECTIO I.

1 EX dictis de Sacramentis constat, solos homines esse capaces Sacramentorum, quia cum sint signa sensibilia, ipsis solis possunt sensibiliter applicari. Supponendum autem est tanquam certum. Non baptizatum, etiamsi sit catechumenus, non esse capacem Eucharistiæ, vt contra Marsiliũ *in* 4. *quæst.*6. *art.*2. asserentem, Catechumenum esse capacem, docent communiter. Ratio autem est, quia sicuti baptismus est ianua, per quam quis ingreditur in Ecclesiam, & character, quo quisque fit de ouili Christi: ita neque habet capacitatem ad communicandum in ijs, quæ intra Ecclesiam distribuuntur nec ad pascua Christi. Nec obstat, quod sit in gratia, & viuat vita spirituali, quia adhuc non est regeneratus per baptismum; & proinde non admittitur ab Ecclesia tanquam membrum viuum, atque adeo non ei ministrat cibum spiritualem. Nec Innocent. in cap. *Veniens.* De *baptismo.* oppositum docet, nam ibi loquitur tantum dubitatiuè.

2 Supponendum 2. Infantes ante vsum rationis esse capaces manducationis Sacramentalis Eucharistiæ, quia licet ignorent, quod manducant, & proinde non habeant voluntatem manducandi Sacramentaliter, non tamen habent

bent voluntatem oppositam, & ideò cum ipsis ministretur Sacramentum, Sacramentali modo accipiunt, quia sicut in voluntate parentum recipiunt baptismum Sacramentaliter; ita etiam in voluntate eorum qui faciunt ipsis Eucharistiam ministrari, aut saltem in voluntate Ecclesiæ illam Sacramentali modo accipiunt. Vnde solum difficultas est, an recipiant fructum Sacramenti.

3 Prima sententia est negatiua. ita Alens. *par.4.qu.11. memb.2.ar.3.§.1.ver.Consequenter.* Maior *quæst.1.ver. secundo arguitur,* Sotus *dist.12.q.1.art.9.§.Nihilominus.* Petrus Sotus *lect.8 de Euchar.* Caietan. *3.par.q.80. ar.12.quæstiuncul.1.* Catherin *opus de communio. paruul.* Probatur. Paruuli non possunt exercere actus vitæ spiritualis. Ergo nec etiam recipere spiritualem refectionem, quia sicut, qui non habet actus corporalis vitæ, non est capax refectionis corporalis, ita nec spiritualis, qui non habet actus vitæ spiritualis. Confirmatur. Infantes non possunt se ipsos probare, qui autem sumit Eucharistiam, debet se ipsum probare 1. Ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo.*

4 Secunda sententia asserit, esse capaces etiam fructus. ita Ledesma *1.par.4.q.21.ar.9.dub.5.* Tapper. *ar.15. §. Hunc aggressus,* Villelm. Alan. *lib.2. de Eucharis.c.37.* in fine Corduba *lib.1.q.8.* Vasq. *3.par. disp.212. cap.2. num.11.* Suarez *disput.62.de Sacram.sect.4.vers.secunda sent.* Hurtad. *disput.9.de Eucharis.difficult.19.* Ochagauia *tract.2.de Eucharis.qu.13.num.4.* Isambert *3.part. qu.80.disp.4.art.1.* Chelliston *ar.9.* Mercer. *propos.1.ver. Hinc colligitur.* Syluius *quæstio.2.* Præpositus *eodem ar.*

5 Dicendum. *Infantes esse capaces fructus Eucharistiæ.* Desumitur ex praxi antiqua Ecclesiæ ministrandi Eucharistiam infantibus statim post baptismum, vt desumitur ex Alcuino *de Diuinis offic.ca.de Sabbato sanc. Paschæ.* Hugone Victor. *lib.1.de Sacram.cap.20.* Ordine baptismi Aethiopum, *tom.4. Biblioth.* Metaphrast. *de vita S. Ind.& Domn.* Anselmo *in cap.2.Lucæ.* Cypriano *serm. 5. de Lapsis.* Et post sacram Synaxim reliquiæ dabantur pueris innocentibus ex Euagr. *lib.4.hist. c.25.* & ex Concil. Matiscon. *2.cap.6.* Et testatur etiam Concil. Trident. *sess.21.cap.4.* asserens talem consuetudinem non esse damnandam. Probatur Christus respiciens ad effectum Sacramenti absolutè dixit Ioan. *6. Qui manducat me, viuet propter me.* Ergo etiam paruuli manducantes recipiunt fructum, quia propositio indefinita in materia dogmatica æquiualet vniuersali. Confirmatur Sacramenta causant suos effectus ex opere operato ad modum causarum naturalium; & quando non requirunt actionem suscipientis, aut aliquem actum ipsius, causant etiam in paruulis, vt baptismus, confirmatio, ordo. Ergo etiam Eucharistia, cum non requirat aliquam actionem suscipientis. Confirmatur 2. Paruuli sunt capaces gratiæ, cum iam illam habeant. Ergo etiam augmenti ex opere operato, vt quando confirmantur. Ergo etiam effectus Eucharistiæ.

6 Ad Fundamentum in oppositum negatur consequen. Ad probationem esse. Esse disparem rationem, quia refectio corporis fit per actionem vitalem; refectio verò spiritualis causatur immediatè à Sacramento ex opere operato. Vnde vt sit quis capax huius refectionis, sufficit si viuat vita spirituali. Ad confirmationem. Illa verba. *Probet autem se ipsum homo,* dirigi solum ad eos, qui indigent probatione, & in quibus periculum est, ne accedant indignè, quod cessat in paruulis. Instabis Eucharistia est ordinata ad restaurandum, quod per calorem fomitis deperditur in vita spirituali. Ergo cum paruuli non sint capaces huius effectus, non erunt capaces fructus. Respondetur. Non solum ad id ordinari, sed etiam ad incrementum vitæ spiritualis.

7 Obijcitur. Ad percipiendum fructum Eucharistię requiritur voluntas. Ergo cum non adsit in paruulis, nec etiam in Ecclesia, quia prohibet ministrari infantibus, non percipient fructum. Respondetur negando anteced. quia quando Sacramenta non requirunt aliquem actum pro materia, aut dispositione in suscipiente, non requirunt voluntatem, vt producant suum effectum, vt constat in baptismo paruulorum, & ordine ministrantis contra prohibitionem Ecclesiæ, quia eo ipso, quod applicantur tanquam causæ naturales, producũt suum effectum; quia adest semper voluntas Christi, quia ita ea instituit, vt applicata producant effectum.

8 Ex dictis colligitur. Paruulis non ministrari Eucharistiam ex sola prohibitione Ecclesiæ, quia cum non sit ipsis necessaria ad salutem, vt definit Concilium Triden. *sess.21. cap.4.* & *can.4.* consuetudine introductum est, vt non ministretur ob reuerentiam debitam tanto Sacramento, quia pueri ipsum sumerent tanquam panem ordinarium.

9 Colligitur 2. Quod si quis comederet panem consecratum putans non esse talem, licet non manducaret Sacramentaliter, vt notat D.Thom. *3.par.q.80.ar.3.ad vltim.* Quia non assumeret tanquam signum sensibile, sub quo esset corpus Christi, adhuc tamen perciperet, secluso obice, fructum Sacramenti; quia reuera sumeret corpus Christi, atque adeò verum Sacramentum. Vnde cum habeat esse permanens, & proinde in sua validitate non dependeat ab intentione suscipientis, applicatum producet independenter ab ipsa suum effectum, cum illum producat ad modũ causæ naturalis, vt notat etiam Isambert *3.par.q.80.disp.4.ar.1.in fine.*

An amentes furiosi, phrenetici, sint capaces Eucharistiæ.

SECTIO II.

10 De amentibus à natiuitate, aut qui inciderunt in amẽtiam ante vsum rationis eadem est ratio, ac de infantibus; & proinde, licet sint capaces effectus Sacramenti, non tamen ipsis ministratur ex consuetudine Ecclesiæ, vt notat Vasquez *3.par.disp.212.cap.3. num. 26.* Non quia non habuerunt vnquam voluntatem suscipiendi, aut deuotionem, quia talis voluntas, aut deuotio non requiritur, cum neque sit necessaria in cæteris Sacramentis, sed sufficiat, quod non adsit contraria voluntas. Imò cum hoc Sacramentũ sit inesse independens à voluntate suscipientis, erit etiam in operari. Sed quia cum habuerint gratiam per baptismum, & illã nunquam amiserint, nec possint peccare, non indigent corroboratione vitæ spiritualis.

11 Prima sententia negat ministrandam esse Eucharistiam quibuscunque amentibus, furiosis, & phræneticis, etiamsi solum ad tempus. ita Alens. *par.4.qu.11. mem.2. ar.3.§.1. ver.consequenter quæritur.* Gabriel *in 4.dist.9. quæst.2.ar.3. dub.4.* Probant. Vt possit quis hoc Sacramentum percipere, debet se ipsum probare, & dijudicare corpus Christi 1. Ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo &c.* hoc autem non possunt præstare amentes. Confirmatur. Amentibus à natiuitate non potest ministrari. Ergo nec cæteris, quia quòad præsentem statum eodem modo se habent.

12 Secunda sententia asserit, esse ministrandam Eucharistiam, dummodo non fuerint notorij peccatores, & inciderint in amentiam absque signis pęnitentiæ; aut non constet fuisse in complacentia peccati mortalis, atque non adsit periculum alicuius irreuerentiæ, vt expuitionis &c. Ita D.Thom. *3.par.qu.80.art.9.* Syluius, Mercer, Chelliston *ibidem.* Paludan. *in 4.distinc.9.q.4. ar.2.* Carthus. *q.4.* Sotus *dist.12.q.1.ar.9.* D.Anton. *3.par.tit.14. cap.12.§.3.* Caietan. *3.par.q.79.ar.1.§.superest.* Nauar. *in Manuali cap.20.nu.27.*

13 Dicendum. *Posse in articulo mortis huiusmodi amentibus, furiosis, & phreneticis ministrari Eucharistiã secluso periculo irreuerentiæ, dummodo non constet de obice ratione peccati mortalis, quo fuissent ligati, quãdo inci-*

inciderunt in amentiam. Decernitur in Concil. Carthaginen. IV. *can.*74. & refertur in cap. *is, qui.* 26. *qu.*6. & in Concilio Arausican. *cap.*3. & refertur in cap. *Qui recedunt, eadem causa, & quæst.* & in Conc. Tolet. 2. *Can.* 11. & determinatio Concilij Carthagin. procedit de ijs, qui ita in amentiam inciderunt, vt nullo modo confiteri possint. Probatur. Vt possit licitè ministrari Eucharistia, sufficit, quod habeant voluntatem interpretatiuam sumendi, nam ex natura rei absque vsu rationis sunt capaces etiam fructus, vt constat in paruulis, & solum ex praxi Ecclesiæ requiritur voluntas suscipiendi, quæ vt constat in alijs Sacramentis, sufficit, si sit interpretatiua. Eo ipso autem, quod christianè quis vixit ante amentiam, habet voluntatem interpretatiuam, quia habet voluntatem assequendi salutem, atque adeo adhibendi media, quæ ad ipsam conferunt. Confirmatur. Quando quis incidit in amentiam, potest esse attritus. Ergo potest recipere primam gratiam, quam tunc Eucharistia per accidens conferet, & ita saluari.

14 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Debere se ipsum probare, qui Eucharistiam percipit, quando est in statu, vt possit se ipsum probare, & quando ipse accedit ad illam sumendam. Quando autem non est in statu, vt se probet, sufficit, quod ministrantes habeant ipsum pro probato. Sic etiam sufficit, quod alias, quando erat sanæ mentis, dijudicauerit inter corpus Christi, & communem cibum, nam hoc iudicium moraliter perseuerat. Ad Confirmationem negatur consequent. Quia licet amentes à natiuitate, & cæteri perpetuò amentes sint in eodem statu quoad capacitatem fructus, seu gratiæ; sunt tamen in diuerso statu in ordine ad praxim Ecclesiæ; quia cum non ministret Sacramenta, nisi petentibus, amentes à natiuitate nullo pacto petunt; cæteri verò petunt saltem interpretatiuè, quia aliquando fuerunt sui iuris, & dederunt fundamentum talis voluntatis interpretatiuæ. Deinde his potest esse necessaria, si nimirum cum sola attritione inciderunt in amentiam. Cæteris autem certum est non esse necessariam.

15 Colligitur 2. contra Io: Sanchez *in selectis de Sacramen. disput.*26. *num.*9. Non posse his sæpius ministrari Eucharistiam. Nec etiam quotannis, nec aliquoties in vita, vt vult Villalob. *par.*1. *sum. tract.*7. *diffic.*40. *n.*3. sed solum in articulo mortis, vt notant D. Thom. Carthus. Sotus, Nauar. Petrus Ledesma, Suarez, *citati* Auersa *qu.*8. *de Eucharist. sect.*1. *ver. Quarto.* in fine & alij. Et ratio est; quia stante amentia censetur Ecclesia relaxare præceptum, cum ipsi de se non possint implere. In articulo autem mortis cum vrgeat non solū præceptum Diuinum, sed etiam magna necessitas, non est ipsis denegandum tale subsidium.

An Energumenis sit ministranda Eucharistia.

SECTIO III.

16 PRima sententia asserit, Eucharistiam negandam Energumenis, qui vel ob peccata obsidentur à Dæmone, vel frequenter in blasphemias, vel alia huiusmodi prorumpunt: Ita Alensis *par.*4. *q.*11. *art.*3. §. 1. ver. *consequenter quæritur de Energum.* Armilla *verbo.* communio. *num.*25. Syluester *verbo.* Eucharistia 3. *quæst.*5. & D. Thom. *in* 4. *distin.*9. *quæst. vnic. art.*5. *quæstiuncula* 3. *ad* 2.

17 Secunda sententia asserit, omnibus indifferenter esse ministrandam, si alias dispositi sint ita idem D. Tho. 3. *par. q.*80. *ar.*9. *ad* 2. Syluius *ibidem.* Mercer. *propos.* 3. Chellison. *ver. Dico* 4. Isambert. *disp.*4. *art.*4. Vasquez *disput.*212. *cap.*4. *num.*32. Ochagauia *tract.*2. *de Eucharistia q.*13. *conclus.*8. Sotus *in* 4. *dist.*12. *q.*1. *art.*9. Bonac. *quæst.*6. *de Eucharis. punc.*1. Hurtad. *disp.*9. *de Eucharistia. difficult.*21.

18 Dicendum est. *Energumenis baptizatis ministranda est Eucharistia, non solum, quando vrget præceptum, sed etiam quando petunt, si tamen sint sui compotes, & non habeant aliud legitimum impedimentum.* Constat ex praxi Ecclesiæ admittentis etiam energumenos. Ratio est, quia Energumeni per id, quod obsideantur à Dæmone, non priuantur iure, quod habent ad Eucharistiam; nec redduntur incapaces, cum retineant non solum capacitatem ad effectum Eucharistiæ, sed etiam vsum rationis, ita vt congruè possint se disponere. Ergo non potest ipsis denegari, alioquin adderetur afflictio afflicto, & priuarentur auxilio, quo maximè indigent contra Dæmonem.

19 Ex dictis colligitur. Energumenos teneri præcepto annuæ confessionis, quia cum habeant vsum rationis, & debitam discretionem, tenentur præceptis non secus ac cæteri.

An surdi, & muti à natiuitate sint capaces Eucharistiæ.

SECTIO IV.

20 DIcendum est. *Posse Sacramentaliter sumere; atque adeò esse ijs Eucharistiam ministrandam, si alias constet, quod habeant vsum rationis, & confiteantur per nutus.* Est contra Isambert. 3. *p. q.*80. *disp.* 4. *art.* 2. qui vult, quod regulariter non sint capaces; sed solùm, quando nutibus ostendunt ardens desiderium: Ita autem tenent Abbas *in cap. cum apud num.*6. De sponsalib. Layman *lib.*5. *Theolog. moral. tract.*4. *cap.*4. *quæst.*4. Palaus *par.*4. *oper. moral. tract.*21. *disp. vnic. punc.*10. *num.*9. Michalor. *de cæco surdo & muto, cap.*51. *nu.*11. testans, se hoc vidisse in praxi. Probatur. Mediante visu possunt concipere fidem implicitam de sumptione Eucharistiæ ex eo, quod videant cæteros sumere illum cibum tanquam Diuinum cum veneratione, & cultu: & proinde velle credere implicitè, quod sentiunt sumentes Eucharistiam, & velle facere, quod ipsi faciunt, & facit Ecclesia. Ergo possunt regulariter sumere Eucharistiam. Consequentia probatur. Talis fides, & voluntas sufficit pro conficiendis Sacramentis, vt si quis cum ipsa baptizaret. Ergo etiam pro suscipienda Eucharistia. Confirmatur. Verba manifestant conceptus mentis, quatenus sunt signa deducentia ad alienum intellectum mediante auditu. Ergo cum intellectus possit etiam mediante visu percipere obiecta, poterit etiam percipere conceptus mediantibus alijs signis visibilibus, & hoc pacto aliqualiter saltem instrui.

21 Obijcit Isambertius. Fides ex auditu. Ergo surdus à natiuitate non potest habere fidem. Respondetur. Fidem esse ex auditu regulariter, quatenus per ipsum percipitur reuelatio. Potest tamen etiam esse ex visu, non ipsius obiecti reuelati, sed reuelationis, quatenus aliquo modo possunt per ipsum quoque transmitti ad intellectum ea, quæ proponuntur credenda.

22 Obijcit 2. Qui sumit Eucharistiam, debet diiudicare inter corpus Domini ex 1. Ad Corinth. *cap.*11. Mutus autem, & surdus à natiuitate non potest diiudicare inter corpus Domini. Respondetur negando minorem. Nam dum videt alios diiudicare sumendo ipsum cum deuotione, & cultu, percipit, nō esse panem ordinarium, & proinde discit diiudicare.

23 Obijcitur 3 Mutus, & Surdus à natiuitate non præsumitur habere intellectum, & æquiparatur mortuo, & mente capto *l. seruo inuito.* §. *si pupillo, ff.* Ad *Trebel.* & *l. Prætor.* §. *fin. ff.* De iudic. & *l. Iubemus. C.* De testamentis. & §. *Furi osi.* Instit. *De curat.* & notant Aret. *in l. Qui in potestate.* §. *Surdus. ff. de testam.* Alciat. *in l. apud labeonem. ff.* De *verbor. significat.* Castrens. *in l. Discretis. C. qui test. fac. pot.* Vantius *de Nullitat. tit. de nullit. ex defect. inhibilit. nu.*25. Masch. *De prob. concl.* 1079. Ergo non potest ipsi ministrari Eucharistia. Respondetur.

detur. Aequiparari mortuo, & mente capto in foro ciuili quoad ciuiles actiones, & in dubio, an habeat intellectum; secus autem extra forum ciuile, & quando ex signis constat, habere intellectum; vnde non licet ex ciuilibus arguere ad reliqua, præsertim quæ concernunt salutem.

24 Ex his colligitur. Surdis, & mutis à natiuitate posse Eucharistiam ministrari non solum in articulo mortis, vt concedit etiam Iacob. Marcant. *in resolut. Pastoralib. de Sacramen. tract. 4. cap. 3. quæst. 1. casu* 4. Sed etiam singulis annis pro implendo præcepto: imò etiam quoties cunque rationabiliter petierint, si in ea sumenda ostendunt deuotionem, & religionem, quia tunc constat, accedere debitè dispositos, & percipere, quod faciunt; vnde non debent esse deterioris conditionis, quam sint cæteri.

25 Colligitur secundo. Mutos, Surdos, & simul etiam cæcos à natiuitate non esse capaces Eucharistiæ, vt notat etiam Palaus *citat*. Quia licet debeant baptizari, & possint saluari, si rectè vixerint; non tamen possunt vllo pacto percipere mysterium fidei, neque de ipso in particulari habere fidem, quantumuis implicitam, quia cum ex sensibus habeant solum gustum, tactum, & olfactum, non habent sufficiens fundamentum, vt percipiant etiam qualitercunque mysterium Eucharistiæ, & discernant inter ipsam, & communem cibum.

An habentes debilem vsum rationis, seu semifatui sint capaces Eucharistiæ.

SECTIO V.

16 DIcendum primo. *Non solum esse ministrandam in articulo mortis, sed etiam quotannis pro implendo præcepto Ecclesiæ*. Ita Layman *libr. 5. Theolog. moral. tract. 4. cap. 4. quæst. 3.* fine Henriq. *lib. 8. de Eucharist. cap. 42.* Possevin. *de offic. curati cap. 8. nu. 32.* Bonacin. *quæst. 6. De Eucharis. punc. 1. nu. 7.* Palaus, *par. 4. oper. moral. tract. 21. disput. vnic. punc. 10. num. 8.* & alij cum D. Thom. *3. par. qu. 80. ar. 9.* Et ratio est. Quia cum sint capaces meriti, & demeriti; & discernant inter Eucharistiam, & cibum communem, sunt etiam capaces præcepti, & ideò debet ipsis ministrari Eucharistia, vt impleant præceptum.

27 Dicendum secundò. *Extra hoc tempus posse etiam ministrari, quoties rationabiliter petunt*. Probatur. Sunt capaces sumendi dignè Eucharistiam, & cum necessaria dispositione, licet imperfecta; alias neque esset quotannis administranda. Ergo habent ius ad ipsam petendam. Ergo non debet ipsis denegari. Consequentia prima probatur. Quia ius ad Sacramenta fundatur in debita capacitate, præsertim quando sunt necessaria ad salutem. Confirmatur. Sunt capaces peccati mortalis, & incrementi in vita spirituali. Ergo habent ius ad illa media, quæ pro præseruatione à peccato mortali, & pro robore vitæ spiritualis sunt instituta à Christo. Talis autem est Eucharistia ex Conc. Trid. *sess. 13. cap. 2.*

28 Ex dictis colligitur. An gentibus recenter ad fidem conuersis negari possit Eucharistia ob ipsorum stoliditatem, & debilem capacitatem rerum fidei, præsertim in articulo mortis. Negatiuè enim respondendum est. Quia licet antiquitus etiam in articulo mortis quibusdam in pœnam peccatorum soleret denegari Eucharistia, vt desumitur ex Can. 1. Concil. *Elibert.* & *can. 1.* Concil. Sardicen. fuit tamen sublata talis consuetudo, vt constat ex Innocent. I. *Epist. 3. Ad Exuper. Tholosan. Episcop. §. 2.* Vbi præcipit, omnibus pœnitentibus in articulo mortis ministrandam esse Eucharistiam, & idem statuitur in Concilio Nicæno, *can. 13.* & in cap. *Quæsitum 13. quæst. 2.* & extenditur etiam ad Hæreticos relapsos in cap. *Super eo. De Hæret. in 6.* Neque in his decretis datur alicui facultas arbitrandi, sicut datur Confessario in Concilio Lateran. pro communione Paschali. Vnde non potest oppositum statui ab aliquo inferiori cum non habeat facultatem disponendi aliter, ac disposuit Ecclesia vniuersalis.

An rei mortis supplicio addicti sint capaces Eucharistiæ, & an sit illis ministranda.

SECTIO VI.

29 DIcendum primo. *Eucharistiam esse ministrandam vltimo supplicio damnatis, etiam ipsa die, quo morituri sunt*. ita contra Clarum *quæst. 79. num. 31.* Chartar. *De exequut. sent. cont. cap. vltim. num. 334.* Vegam *par. 1. cap. 61. casu 21.* Cuchum *lib. 5. instit. tit. 5. num. 107.* Zerolam *in Praxi episc. par. 2.* verbo. *Damnati ad mortem*, qui volunt, ob reuerentiam Sacramenti non esse ipsa die supplicij ministrandam, tenent communiter, & volunt, teneri iudicem concedere tempus. Scappus *De iure non script. lib. 5. cap. 210. num. 7.* Corset. *singul. 68. in fine.* testans de praxi. Maiol. *lib. 3. de Irregularit. cap. 24. num. 13.* Cenedus *quæst. 3. can. nu. 4. in fine.* Suarez *3. par. disput. 68. De Sacram. sect. 7.* Henriquez *lib. 8. de Euchar. cap. 5. num. 1.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 7. diffic. 79. num. 11.* Layman *lib. 5. Theolog. moral. tract. 4. cap. 6. nu. 20.* & alij præsertim infra citandi, & est definitum in iure cap. *Quæsitum 13. quæst. 2.* & cap. *Super eo. De Hæret. in 6.* Vbi de Hæreticis relapsis, & Pius V. *in sua constit. 91.* concedit Confraternitati S. Ioannis Decollati, vt ipsius Capellanus possit de nocte celebrare, ne extremo supplicio puniendi careant Eucharistia. Probatur. Habent ius ad Eucharistiam, quo priuari non possunt absque causa. Ergo non debet ipsis denegari. Consequent. probatur. In tantum posset denegari, in quantum ita merentur ob delicta: sed hoc est falsum. Quia cum delicta puniantur vltimo supplicio, non potest ipsis ab Ecclesia inferri alia pœna. Confirmatur. Tunc maximè indigent Eucharistia ad vincendas tentationes. Ergo erit contra charitatem denegare.

30 Dicendum secundo. *Non posse ab aliqua Ecclesia particulari, siue in aliqua Prouincia, siue in aliquo Regno lege, aut consuetudine induci, vt morte damnatis non ministretur Eucharistia*. Est contra Ilambertinum *3. p. quæst. 80. disput. 6. ar. 4.* Qui talem consuetudinem conatur defendere. Et ita tradunt Glosa *in Clement. 1. De pœnit.* Cardin. Anchar. *ibid.* Cherub. *in compend. Bullar. ad constit. 91. Pij V. Schol. 2.* Nauar. *lib. 2. de Rest. cap. 3. num. 227.* Gomez *tom. 3. variar. cap. 14. de delict. num. 6.* Hippolit. *in prac. §. vlterius num. 4.* Gumier. *in pragmat. sanc. tit. de excom. non vitan.* Aufer. *in Clemen. 1. tit. de potest. Eccles. super laicis casu 128.* Areuedo *in l. 2. n. 13. tit. 2. lib. 1.* vocantes abusum consuetudinem in oppositum. Et desumitur etiam ex dicta Clem. 1. quæ licet expressè loquatur solum de confessione, procedit tamen etiam de communione, vt notat *ibidem*. Glos. & Doctores stante determinatione iuris communis, quod morte puniendis nedum pœnitentiæ Sacramentum ministrandum sit, sed etiam Eucharistiæ. Quod etiam declaratur in cap. *Quod in te. De pœnit. & remiss.* ibi. *Per quod pœnitentiam morientibus non denegamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus.*

31 Probatur. Inferior non potest statuere contra legem Superioris *l. Formam. C. De offic. Præfec. Prætor.* & cap. *Cum inferior. De maior. & obed.* & Clemen. *Ne Romani. De elect.* Ergo nulla Ecclesia inferior Romana potest statuere, ne damnatis ad mortem ministretur Eucharistia, cum ius commune decernat ministrandam, vt constat ex dictis. Rursus. Denegare Eucharistiam damnatis ad mortem est irrationabile, & corruptela, & abusus, siquidem ius commune decernit esse rationabile, quod ministretur, & quod in Clem. dicta dicitur abusus damnabi-

nabilis quoad Sacramentum pœnitentiæ, extenditur etiam ex vi eiusdem tex. à Glos. & Doctoribus etiam ad Eucharistiam. Ergo non potest consuetudine induci, quod denegetur, quia consuetudo irrationabilis, seu abusus non potest præualere contra legem cap. *fin*. De *consuet*. Confirmatur. In periculo mortis obligat præceptum Diuinum sumendi Eucharistiam, vt etiam docet ipse Isamb. *3. par. quæst.* 80. *disput. 6. ar. 2.* aut saltem ex determinatione Ecclesiæ adimpletio præcepti Diuini est reducta ad illud tempus. Ergo cum contra ius Diuinum non possit induci consuetudo, nec etiam potest induci, quod morte puniendis negetur Eucharistia, quia habent pro sumptione ius Diuinum sibi assistens saltem ex determinatione Ecclesiæ vniuersalis; & proinde consuetudo esset contra ius Diuinum, quia saltem esset contra ius Ecclesiasticum informatum iure Diuino, atque adeò etiam contra ipsum ius Diuinum.

32 Obijcitur. Ecclesia aliquando statuit, Eucharistiam denegandam etiam in fine vitæ ijs, qui idolis sacrificauerint, etiamsi per pœnitentiam resipiscerent, vt habetur ex Concil. *Elibert.* cap. *Placuit* Scritio 1. *epist. ad Hioner.* Iurracon. *Episcop. cap. 3.* & ex Concil. Arelat. 1. *Can. 22.* Ergo. Respondetur. Ecclesiam vniuersalem posse hoc statuere ex rationabili causa, vt desumitur ex Innocent. I. *epist. 3. ad Exuper. Tholosan. Episcop.* §. 2. Quia vt decernit Concil. Tridenc. *sess. 21. cap. 2.* Christus reliquit Ecclesiæ potestatem circa Sacramentorum administrationem, vt salua ipsorum substantia posset statuere, & mutare, quæ concernerent suscipientium vtilitatem, & Sacramentorum reuerentiam; Ecclesia verò particularis non potest cum non habeat talem potestatem.

33 Obijcitur secundo. Damnati ad mortem non agnoscunt proprium crimen, imò obstinatè negant: incusant Iudices probos, sunt valdè distracti ex tortura præcedenti, & vix dispositi pro Sacramento pœnitentiæ, &c. Ergo cum non sint parati ad Eucharistiam suscipien dam potest denegari. Respondetur negando Consequen. Quia hæc in omnibus non habent locum, cum plures fateantur crimen, & valdè compuncti moriantur. Deinde hæc fuerunt considerata à Summis Pontificibus, vtpote materia, & solita contingere, & nihilominus statuerunt, vt ipsis ministraretur Eucharistia, vnde non sunt sufficientia ad denegandum.

34 Obijcitur tertio. Perturbaretur ordo iudicij, nam post sententiam esset reo concedendum tempus pro sumenda Eucharistia, quod esset contra ordinem iudicij in ijs locis, vbi sententia lata post breue tempus exequutioni mandatur. Ergo. Respondetur. Hanc perturbationem non esse tanti momenti, vt propter ipsam vitandam debeat negari Eucharistia; quia parum refert, quod tam citò sententia exequutioni mandetur, nisi ob delationem timeretur probabiliter aliquod graue incommodum reipublicæ, & aliter impediri non posset: quod cum rarò admodum contingat, non potest esse sufficiens ratio inducendi consuetudinem generalem.

35 Ex dictis colligitur. Posse morte puniendis Eucharistiam ministrari etiamsi paulo post essent negandi, vt notant Facund. z *Præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 4. num. 3.* Sà *verbo.* Eucharistia *num. 2.* nimirum post horam. Imò Sotus *in 4. distin. 12. quæst. 1. ar. 12. circa finem*, concedit, posse ministrari, dummodo illico non essent ducendi ad patibulum, atque adeò videtur concedere minus ante horam. Et quidem non video, quæ irreuerentia inferatur Sacramento, quia cum Sacramentum sit sortitum suum vsum, & effectum, quæ subsequuntur, & licita sunt, non inferunt aliquam irreuerentiam, vt si statim sumatur cibus ordinarius. Vnde nec inferret exequutio mortis, cum sit actus iustitiæ: & ideò etiam statim ex vrgenti causa posset mors inferri. Ita etiam Quintanaduen. *singul. 13. de Euchar. num. 11.*

36 Colligitur secundò. Morte puniendos in ordine ad Eucharistiam gaudere priuilegio, quod possint non ieiuni illam sumere, vt docent citati Doctores pro nostra sententia, & præterea Suarez *disput. 66. de Sacram. sect. 5.* Reginal. *lib. 29. num. 126.* Henriquez *lib. 8. sum. cap. 50. littera E.* Barthol. ab Angel. *in Exam. dial. 4. §. 55.* Rodriquez *par. 1. sum. cap. 56. num. 1.* Coninch. *De Sacram. quæst. 80. ar. 80. num. 56.* Bonac. *disput. 4. de Eucharis. qu. 6. punc. 2. num. 27.* Nauar. *consil. 40. in fine. De pœnit. & remiss. lib. 5.* Præposit. *3. par. quæst. 80. ar. 8. dub. 2. num. 42.* Granad. *controuer. 6. tract. 10. disput. 8. num. 9* Tanner. *tom. 4. disput. 5. quæst. 8. dub. 4. num. 84.* Hurtad. *disput. 9. de Eucharist. difficul. 16. init.* Quia nimirum ipsi quoque sunt in articulo mortis; & tanquam migraturi ex hac vita debent sumere viaticum. Est autem priuilegium viatici, vt possit ministrari non ieiunis.

An pueri statim post vsum rationis sint capaces, & teneantur sumere viaticum.

SECTIO IX.

37 Supponendum tanquam certum. Pueros non teneri statim post vsum rationis præcepto communionis Paschalis, vt docent communiter Nauar. *cap. 21. Manual. num. 33.* Henriqu. *lib. 4. sum. cap. 5. num. 2.* Suarez *3. par. tom. 4. disput. 36. sect. 2.* Azor. *par. 1. lib. 7. cap. 2. quæst. 1.* Comitol. *lib. 6. respons. moral. quæst. 19.* Sanchez *lib. 1. sum. cap. 12. num. 6.* alios citans Merol. *to. 2. theolog. moral. disput. 4. cap. 3. dub. 38. num. 438.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. disput. 1. punc. 24. §. 2. num. 5.* & constat ex praxi Ecclesiæ, & decernitur ab Innocent. III. In cap. *Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss.* dum præcipit. Omnes in paschate recipere debere Eucharistiam cum ad annos discretionis peruenerint. Hos autem annos discretionis variè explicant Doctores, experientia tamen constat, quod aliquorum iudicium tardius aliorum celerius maturescit, & ideò non potest vnica regula statui: quinam sint isti anni discretionis, sed hoc relinquendum est iudicio prudentis Confessarij. Vnde solum difficultas est, an statim ac peruenerint ad vsum rationis, sint capaces præcepti Diuini de viatico.

38 Prima sententia tenet, adesse præceptum. Ita Suarez *disput. 70. de Sacramen. sect. 1. in fine.* Caiet. *in summa verbo.* Communionis minister. *in fine.* Armilla *verbo.* Communio. *in fine.* Salas *disput. 14. de legibus sect. 13. num. 127.* Zambran. *in suis decisionib. cap. 3. de Eucharistia dub. 2. num. 14.* Henriquez *lib. 3. de Eucharistia cap. 42. num. 4.* Bartholom. à S. Faus. *lib. 1. de Euchar. qu. 262.* Reginal. *lib. 29. Praxis fori pœnit. num. 82.* Fundamentum est, quia præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis est præceptum Diuinum. Ergo cum Ecclesia ipsum non limitet, tenetur quisque statim, ac habet vsum rationis in tali articulo ipsum implere.

39 Secunda sententia asserit, non obligari. Ita Vasquez *3. par. disp. 214. cap. 4.* asserens nec posse ministrari Granad. *controuers. 6. tract. 10. disput. 3. num. 11.* Præpositus *quæst. 80. ar. 11. dub. 1. num. 56.* vers. *Aduertunt aliqui.* Ochagauia *tract. 2. De Eucharistia quæst. 23. num. 6.* Merat. *tom. 3. sum. disput. 35. de Euchar. sat. 4. Dicendum tertio.* Corduba *in sum. quæst. 60.* Hurtadus *disput. 10. de Eucharistia. difficultat. 4.* Chellison. *3. par. quæst. 80. ar. 11. in fine.* Nauar. *cap. 11. manualis nu. 57.* dum vult Eucharistiam ministrandam ex solo consilio.

40 Dicendum est. *Ante annos discretionis non adesse præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis.* Probatur. Ecclesia in capite *Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss.* Præceptum Diuinum de Eucharistia, quod erat indeterminatum, determinat, quod sit exequutioni mandandum semel in anno, nempe in Paschate, & insuper etiam declarat, quod ante annos discretionis non obliget. ergo si non obligat extra articulum mortis, nec etiam obligabit in articulo. Secunda pars antecedentis

patet

patet. Nam si obligaret ante annos discretionis, decrevisset, quod ante ipsos in paschate sumeretur. Consequen. probatur. Tum quia eadem ratio, quæ facit, ne obliget ante annos discretionis, quia scilicet ante ipsos nondum rectè diiudicari potest de illo cibo, militat etiam in articulo mortis; & ideò etiam in ipso non habere annos discretionis reddet incapacem obligationis præcepti. Tum quia articulus mortis de se non affert talem obligationem, nisi iam moriens subsit præcepto. Vnde infantes, quia alias non obligantur, nec etiam obligantur in articulo mortis, sicuti nec amentes. Tum quia etiam præceptum confessionis, si non obligat extra articulum mortis, nec etiam obligat in ipso.

41 Dicendum secundo. *Licet præceptum non obliget potest tamen ministrari Eucharistia pueris constitutis in articulo mortis statim ac habent vsum rationis*. Ita Nauar. *cap.* 21. *manualis num.* 57. Layman *lib.* 5. *Theologiæ moral. tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 3. Præpositus 3. *par. quæst. vnica, de extrema vnctione. dub.* 7. *num.* 58. Probatur. Eo ipso, quod habent vsum rationis, & sunt capaces peccati mortalis, atque adeò cognoscendi honestum, & turpe, sunt etiam capaces discernendi inter panem Eucharisticum, & communem; & sunt capaces se probandi per Sacramentalem confessionem, & debitæ reuerentiæ exhibendæ, sicut etiam exhibent, quando missæ assistunt, ita vt percipiant sub illo pane latere Christum. Ergo cum possint congruenter disponi pro illo suscipiendo, non est ipsis denegandum; Quia absque causa priuarentur illo fructu, & robore vitæ spiritualis, quod ex sumptione perciperent.

42 Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur. Præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis esse quidem Diuinum, sed non incipere obligare, nisi superuenerint anni discretionis, vt colligitur ex declaratione Ecclesiæ, quæ cum decreuerit, quod expectentur anni discretionis pro sumenda Eucharistia, dum determinat obligationem præcepti Diuini, simul etiam declarauit, quod ante annos discretionis non obliget præceptum Diuinum.

An in dubio, quod puer sit capax doli, & sciat discernere, sit capax viatici.

SECTIO X.

43 Dicendum est. *Esse capacem viatici, & posse ministrari.* Ita docet etiam Posseuin. *De offic. curati, cap.* 8. *num.* 10. & alij Recentiores. Probatur. Hoc dubium non potest esse negatiuum; Quia si nullum appareret signum, quod essent doli capaces, & scirent discernere esset certum, quod non essent tales. Ergo erit dubium positiuum, quia nimirum ex vna parte est motiuum iudicandi, quod sciant discernere, & ex alia adest motiuum in oppositum. Ergo habebunt probabilem capacitatem, quia ex motiuo probabili iudicabitur. Licet autem ministrare hoc Sacramentum cum probabili capacitate, quia in ijs, quæ sunt iuris, licet sequi opinionē probabilem, atque adeò cum ius consuetudine firmatum requirat, quod sciant discernere, sufficiet iudicium probabile de facultate discernendi.

44 Objicitur. Dubius an habeat legitimam ætatem pro aliquo ordine suscipiendo, non potest ipsum suscipere. Ergo nec ministrari Eucharistia ei, cuius capacitas est dubia. Respondetur. Non posse suscipere si sit dubius negatiuè de ætate requisita: secus autem si sit dubius positiuè; nam tunc procedit cum opinione probabili de legitima ætate.

45 Objicitur secundò. Dubius, an sit ieiunus, non potest Eucharistiam sumere. Ergo nec dubius, an sit capax ex consuetudine Ecclesiæ. Respondetur negando antecedens. Nam adhuc potest ipsam sumere, vt cum pluribus docui in *Praxi ieiunij. decis.* 445. *num.* 1. & 446. *num.* 3. Deinde negatur etiam Conseq. Quia in hoc casu non habet locum dubium negatiuum, sed solum positiuum reddens probabilem vtramque partem.

46 Objicitur tertio. Dubius, an sit dignus, non potest sumere Eucharistiam. Ergo neque dubius, an sit capax. Respondetur. Non posse sumere si dubium sit practicum nam tunc dubitaret, an dignè, an verò indignè accederet; & ideò operaretur cum conscientia dubia, & se exponeret periculo peccati. Secus autem si esset solum dubius speculatiuè, & formaret conscientiam, quod liceret sumere. In casu autem nostro dubium est speculatiuum. Deinde negatur etiam Conseq. Quia stante dubia capacitate nullum adest periculum, quod ponatur obex Sacramento, sicut adest in dubio de dignitate. Demum argumentum procedit solum de dubio negatiuo, non de probabili.

DE DISPOSITIONE EX PARTE Corporis pro sumenda Eucharistia.

DISPVTATIO CXI.

An, & quale ieiunium sit necessarium.

SECTIO I.

1 Esse Eucharistiam sumendam à ieiunis, constat ex antiquissima institutione Ecclesiæ, vt desumitur ex Patribus, Epiphanio *lib.* 3. *contra Hæres. in fine.* Tertull. *lib.* 2. *ad vxorem. cap.* 5. Cypriano *lib.* 2. *epist.* 3. *alias* 60. *in ordine*. Chrysost. *homil.* 27. *in illud. Itaque quicunque cap.* 11. *epist.* 1. *Ad Corinth.* Basil. *epist.* 1. *ad Cæsariam patriciam.* Nazianz. *orat.* 40. *de Baptis.* August. *epist.* 118. *cap.* 9. Isidor. *de Diuinis officijs, cap.* 18. Amalar. *lib.* 3. *de Ecclesiast. offic. cap.* 34. Et hoc ipsum statutum est in pluribus Concilijs Carthaginen. 111. *can.* 29. Africano *sub Bonifacio I. can.* 8. Matiscan. 2. *can.* 6. Brachar. 1. *cap.* 16. & denique in Concilio Constantiensi *sess.* 13. Et quamuis loquantur de Sacerdotibus celebrantibus, extenditur tamen etiam ad Laicos, quia in ipsis quoque militat eadem ratio, nempe ne cibus corporalis præponatur spirituali, quam explicite ponit Concilium Matiscon. 11. *citato can.* 6.

2 Rursus etiam certum est Hoc præceptum, neque esse Diuinum, neque naturale. Neque enim habetur, quod Christus hoc præceperit: imo cum constet post cœnam instituisse hoc Sacramentum, & ministrasse discipulis, colligitur ex facto ipsius non requirere ieiunium. Neque etiam est naturale, siquidem neque lumen naturale hoc dictat esse necessarium. Neque ex natura Sacramenti sequitur, quia ipsum requirit, quod dignè sumatur, quod absque ieiunio fieri potest, vt constat, quando non ieiunis ministratur viaticum. Solum ergo impositum est ab Ecclesia ob reuerentiam Sacramenti, vt nimirum iste cibus spiritualis, etiam in sumptione honoretur, dum præponitur cuicunque cibo corporali, sicut anima debet præponi corpori. Quod autem Ecclesia potuerit imponere hoc præceptum constat ex potestate legislatiua, quam habet, & facultate disponendi circa ea, quæ concernunt administrationem Sacramentorum. Difficultas autem est, quale ieiunium requiratur.

3 Dicendum. *Esse peccatum mortale sumere Eucharistiam post cibum, aut potum etiam exiguum*. Ita communiter Doctores, quos citaui in *Praxi ieiunij. dec.* 440. An autem detur aliqua materia ita exigua, vt non frangat ieiunium naturale, ibidem latè examinaui. Probatur.

Quan-

Quando, quod sumitur habet rationem cibi, & potus moraliter loquendo, ita vt interueniat moralis manducatio, & potatio, violatur substantia præcepti. Ergo peccatur mortaliter, cum præceptum sub mortali obliget. Antecedens probatur. Præcipitur ieiunium naturale, ita vt nulla præcesserit manducatio, aut potatio. Ergo quando præcessit, non adest amplius ieiunium naturale, quia ieiunio naturali opponitur quæcunque manducatio, aut potatio, ita vt per ipsam soluatur, vt inter alios notauit Gabriel. *in 4. dist. 16. qu. 3.* Sotus *dist. 12. qu. 1. ar. 8.* Ledesma *1. par. q. 21. ar. 8.* Azor. *par. 1. lib. 7. cap. 8. init. ver. Nec seorsim,* Facund. *præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 5. nu. 7.* Et desumitur ex cap. *Ex parte. De celebrat. miss.*

4 Obijcitur, Christus dedit Discipulis Eucharistiam post cœnam. Ergo potius post cibum, quam ante debet sumi. Respondetur negando Consequen. Nam Christus ideò post cœnam dedit Discipulis, quia voluit ostendere, quod illud erat vltimum pascha legale, quod erat celebrandum, & quod Sacramenta veteris legis finiebant, & succedebat sacrificium nouæ legis, pro quo eos Sacerdotes instituebat.

5 Obijcitur secundo. Ex epist. 1. *Ad Corinth. cap. 11.* vbi Apostolus videtur permittere, quod post comestionem possit quis accedere ad Ecclesiam ad sumendam Eucharistiam, dum ait. *Si quis esurit, domi manducet.* Respondetur negando antecedens. Nam mos erat apud Corinth. vt in memoriam cœnæ, quam Christus post diuisam Eucharistiam Apostolis celebrauit cum ipsis, deferrent cibos ad Ecclesiam, & offerrent Deo, & post ea ministrata Eucharistia omnibus, qui conuenerant celebrarent communem cœnam, in quo ille abusus obrepit, quod qui detulerant cibos, repeterent, & soli celebrarent cœnam non expectatis cæteris præsertim, qui non habebant prætendentes non posse expectare præ fame, vnde despiciebant pauperes, & dabant occasionem Schismati. Vnde ait Apostolus. *Audio scissuras esse inter vos:* & quia accedebant ad Eucharistiam cum tali proposito, ideò indignè accedebant, & proinde dicit Apostolus, *vt non in judicium conueniatis.* Et hac de causa dicit, *Si quis esurit, domi manducet.* Hoc est, si quis sumpta Eucharistia ita esurit, vt non possit communem cœnam expectare, non faciat scissuras, sed redeat domum ad manducandum. Ita explicat D. Hieronymus *in hunc locum.*

Plures autem difficultates concernentes inceptionem, fractionem, & qualitatem huius ieiunij naturalis pro Eucharistia sumenda explicaui in praxi ieiunij *decis. 417. & sequentibus*. vbi latè, vnde ibi dicta non sunt hic repetenda.

An liceat aliquando ablutionem sumere simul cum Eucharistia.

SECTIO II.

6 Dicendum est. *Licere, si modo prius sumpta sit saltem in os Eucharistia, vt quando palato adhæret, aut particula immissa in calicem adhæsit calici, tunc enim potest infundi vinum calici, vt simul cum ipso illa particula sumatur, & cum in feria sexta parasceue sumitur calix cum vino non consecrato, & particula hostiæ.* Ita communiter Angelus *verbo.* Missa 1. *num. 47.* Syluester. *verbo* Eucharistia 3. *num. 8.* Nauar. *cap. 25. Manual. num. 89.* Valent. *tom. 4. disput. 6. quæst. 8. punc. 3. ver. Tertio etiam.* Henriquez *lib. 8. de Eucharist. cap. 49. littera F.* Ratio autem est. Quia intentio per se primò fertur ad sumendam Eucharistiam, & liquor, qui simul adhibetur, est in subsidium sumptionis Eucharistiæ, & proinde Eucharistia se habet, vt principale. Liquor autem vt accessorium; vnde cum accessorium veniat in consequentiam principalis, & sequatur naturam illius, fit, quod per se primò censeatur sumi Eucharistia, & quod sumptio illa liquoris non habeatur pro diuersa sumptione, sed pro vna, & eadem Eucharistia.

7 Ex his colligitur. Quod si quis ob ariditatem gutturis, aut ex alia indispositione non posset traijcere in stomachum Eucharistiam, sed tantum in os sumere, posset adhuc ipsi ministrari, & postea infundi ori vinum, aut aqua ad coadiuuandam traiectionem in stomachum; quia nimirum sumptio aquæ, aut vini esset accessoria, & haberetur pro eadem cum Eucharistica sumptione. Quod confirmatur ex Concil. Matisconen. 2. *cap. 6.* vbi præcipit, quod reliquiæ Eucharistiæ conspersæ vino pueris innocentibus distribuantur. Et ideò Præpositus *3. par. q. 80. ar. 8. dub. 2. numer. 42.* in fine dicit, quod posset in cochleari particula hostiæ simul cum vino infirmo ministrari.

An Sacerdos post ablutionem sumptam possit sumere reliquias, quas de nouo reperit.

SECTIO III.

8 Prima sententia est negatiua. ita Paludanus *in 4. distinc. 9. quæst. 1. in fine.* D. Antonin. *3. par. tit. 13. cap. 6. §. 9.* Rosella *verbo.* Eucharistia *3. num. 13.* Hurtad. *disput. 9 de Eucharist. difficult. 17. ver. Nos tamen.* Fundamentum est. Quia sumptio illarum reliquiarum est verè sumptio Eucharistiæ. Ergo requirit ieiunium non secus, ac prius requirebat.

9 Secunda sententia est affirmatiua. ita Caietan. *in sum. verbo. Missa.* & *tom. 2. opuscul. tract. 33. de celebrat. miss. quæst. 1.* Syluester *verbo.* Eucharistia. *3. nu. 8.* Sotus *in 4. distin. 12. qu. 1. ar. 8.* Henriquez *libr. 8. de Eucharis. cap. 50. num. 2.* Nauar. *in Manuali. cap. 25. num. 89.* Suarez *disput. 78. de Sacram. sect. 8. vers. Secundus casus.* Armilla *verbo.* Missa. *num. 26.* Facundez *præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 28.*

10 Dicendum est. *Posse Sacerdotem sumpta ablutione sumere reliquias, quas reperit.* Probatur. Tales reliquiæ sunt partes sacrificij oblati, ita vt sint de integritate ipsius. Ergo etiam consumptio ipsarum est de integritate consumptionis sacrificij. ergo possunt consumi sumpta obligatione, quia concurrente præcepto de ieiunio; & præcepto de consumptione hoc præualet, vt pote Diuinum.

11 Dices. Posse seruari, & proinde cessare præceptum, quia iam est consumptum sacrificium. Contra. Eucharistia potest solum seruari, vt ministrari possit Laicis. Ergo secluso hoc fine non potest seruari, sed illæ reliquię iuxta consuetudinem Ecclesiæ non sunt aptæ seruari pro tali fine. Ergo debent consumi, quia præceptum Diuinum est de integra consumptione.

12 Ex dictis colligitur. Quod licet Sacerdos ante ablutionem possit sumere reliquias, quæ ex alijs sacrificijs superfuerunt, aut ex asseruatis pro infirmis; facta tamen ablutione non poterit sumere, vt notant Vasquez *3. par. disput. 211. cap. 5. n. 57.* Suarez *disp. 68. de Sacram. sect. 6. ver. Ad primum.* Layman *lib. 5. Theol. mor. trac. 4. cap. 6. nu. 22.* Coninch. *de Sacram. qu. 80. ar. 8. n. 67.* Bonac. *disp. 4. de Euchar. qu. 6. punc. 2. nu. 14.* Ochag. *tr. 2. de Euchar. qu. 12. nu. 12.* Quia cum non sint reliquiæ illius sacrificij, obstat violatio ieiunij per ablutionem, quo minus sumi possint. Vnde si consumeret peccaret mortaliter, quia non seruaret præceptum de ieiunio.

An si Sacerdos, postquam discessit ab altari, reperiat reliquias, possit in Sacristia sumere.

SECTIO IV.

13 Non posse sumere has reliquias, postquam discessit ab altari, tradunt Suarez *disput. 68. de Sacram.*

*Sacram.sect.6.*ver.*Ad secundum.* Facund. *præcep.3.Eccles.lib.3.cap.5.nu.3.* Layman *lib.5.Theolog.moral.tr.4.cap.8.nu.22.* Coninch. *de Sacram. qu.80. ar.8. num.64.* Ioa à Cruce *par.2. direct.conscien. quæst.5. de Eucharis. dub.4.conclus.3.* Villal *ob. par.1. sum. tract.7. difficul.39.numer.16.* Vasquez *3.par.disp.211.cap.5. n.56.*

14 Secunda sententia tenet, quod Sacerdos possit eas sumere, etiam postquam discessit ab altari in Sacristia. Ita Syluius 3. *part. quæst.* 80. *art.* 8. ver. *Quartus quando*. Granad. 3. *par. controuer.6.tract.10.disput.8. num.11.*

15 Dicendum. *Posse Sacerdotem, etiam postquam discessit ab altari sumere reliquias, quas reperit, postquam peruenit ad Sacristiam.* Probatur. Ex præcepto Diuino tenetur Sacerdos consumere totum id, quod sacrificauit, ita vt solum possit relinquere ex praxi Ecclesiæ quod debet inseruire pro communione Laicorum, & proinde ex hoc capite non obstante, quod sumpserit ablutionem, debet reliquias sumere. Ergo etiam, quando discessit ab altari, quia per id, quod discedat, non sit, quod non remaneat aliqua pars illius sacrificij consumenda, quæ iuxta praxim Ecclesiæ non potest seruari pro Laicorum communione, atque adeò quod non supersit consumptio partialis integralis.

16 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Sacerdotem complesse suum ministerium sacrificandi, quando discessit ab altari quoad esse rituale; non autem quoad consumptionem, quia quoad hoc non complet quousque remanet aliquid consumendum. Vnde cum sacrificium non sit totum consumptum, adhuc moraliter durat exigentia ipsius, qua exigit integram consumptionem.

An Sacerdos possit aliquando conficere Eucharistiam non ieiunus.

SECTIO V.

17 SVpponendum est tanquam certum. Sacerdotem qui errauit in consecratione calicis consecrando materiam non aptam; quamuis illam sumpserit, debere de nouo consecrare vinum, & assumere. Quia cum integritas sacrificij sit de iure Diuino, præualet præcepto Ecclesiæ de ieiunio. In hoc enim casu, si Sacerdos celebret in loco publico, debet de nouo infundere vinum, & facta ablutione consecrare, & sumere. Si autem celebret priuatim, debet etiam de nouo consecrare panem præmissa oblatione. Ita enim præscribitur in Rubrica *missal.titulo de defectu vini*. Si tamen hoc prætermitteret perturbatione perculsus, excusaretur à peccato mortali ex inaduertentia, vt notant etiam Nauar. *cap.25. Manual. num.91.* Syluius 3.*par.quæst.*80. *art.*8. ver. *Si autem. in fine.*

18 Supponendum secundò. Certum quoque esse. Quod si Sacerdos moriatur facta consecratione etiam vnius tantum speciei, aut ita infirmetur, vt non possit vlterius prosequi, & non adsit alius Sacerdos ieiunus, debet non ieiunus prosequi consumendo, aut etiam consecrando alteram speciem. Ita enim exigit integritas sacrificij, quæ est de iure Diuino, & ita decernitur à Concil. Tolet. 7. *in cap. Nihil.7.quæst.1.*& in Rubric. Missal.*tit.de defectibus ex parte ministri.* Et locum habet, etiam si celebrans esset Episcopus, & solemniter celebraret, vt aduertit etiam Bonacina *disput.4.de Eucharist. quæst.6.punc.2.num.20.*

19 Supponendum tertiò. Certum quoque esse, quod si Sacerdos celebrans post consecrationem vnius speciei, recordetur, se non esse ieiunum, non solum potest, sed etiam tenetur prosequi sacrificium. Imò etiamsi malitiosè ad talem terminum peruenerit. Tunc enim concurrit præceptum Ecclesiasticum, & Diuinum exigit impleri, vt notant communiter Doctores præsertim *supracitati*. Difficultas autem solum est. Quid dicendum, si recordetur se non esse ieiunum antè consecrationem vtriusque speciei.

20 Prima sententia asserit, non posse prosequi missam, quia non adest sufficiens causa honestans prosequutionem, quod etiam extendit, quando adesset scandalum. Ita Palud. apud Syluestrum *verbo*. Eucharistia *3.n.9.* Nauar. *in manual.cap.21.nu.53.in fine.*

21 Secunda sententia asserit, posse continuare celebrationem, si ex eo, quod desistat, oriatur graue scandalum. Ita Syluester *modo citatus*. Sotus *in 4.dist.13.qu.2.art.6.* Suarez *disput.18.de Sacram. sect. 6.init.* Ludouicus à S. Ioa.*par.1.sum.quæst.7.de Euchar. ar.10. dub.2.* Syluius 3.*par.qu.80.ar. 8.ver.Alias etiam.* Præposit. *dub.2.nu.44.* Palaus *par.4.oper.moral.tract.21. disput.vnic.punc.13.n.22.* Auersa *qu.8.de Euchar.sect.9.* ver. *Primò quidē.*

22 Tertia sententia asserit absolutè, quod potest missam prosequi. Ita Gabriel.*in 4.distin.8.qu.2.ar.3.* Angelus.*verbo*. Eucharistia *2.nu.6.* Vasquez *3.par. disp.211.cap.5. numer.48.* Facundez *præcept. 3. Eccles. libr. 3. cap.5.nu.26.* Chellison.*3.par.quæst.88.ar.8.*ver.*Quartus est*; qui tamen limitat, vt non habeat locum, quando Sacerdos priuatim celebrat.

23 Dicendum est. *Non teneri Sacerdotem relinquere missam, si postquam incæpit, recordetur, se non esse ieiunum, etiamsi priuatim celebret.* Desumitur ex D.Thom. *3.par.qu.85.ar.6.ad 1.* dum dicit, Tutius esse cessare. Vnde si tutius est, tutum erit etiam prosequi. Probatur. Non potest relinquere incæptam missam, nisi cum admiratione, & nota, quod transcuratè accesserit ad celebrandum, atque adeo absque debita præparatione: & potest dare occasionem suspicandi aliquid grauius, quod habet locum, etiamsi adsit tantum is, qui celebranti inseruit: præsertim quia potest per ipsum hoc diuulgari; & si Sacerdos prohibeat, ne diuulget, dabit occasionem suspicandi, quod commiserit grauem defectum. Ergo nunquam potest intermittere celebrationem, nisi cum graui nota. Præceptum autem Ecclesiæ non obligat cum tali damno.

24 Ex dictis colligitur. Quod si in aliquo oppido sit vnicus solum Sacerdos, etiam ex accidenti, & sit dies festus, tenebitur celebrare, vt possit populus audire missam, non obstante, quod ex aliquo accidenti violauerit ieiunium, vt notant Alensis 4. *par.quæst.52. memb.1.* Scotus *in 4.distin.12.qu.3.* Ludouicus à S.Ioa. *par.1. sum.qu.7. de Euchar.ar.10.dub.2.append.2.* Et ratio est, quia non celebrando causaret grauem admirationem, & subiret grauem notam, & præberet occasionem suspicandi de se ipso aliquid deterius, quod vitare tenetur. Deinde in hoc casu concurrunt duo præcepta Ecclesiastica, nempe de ieiunio præmittendo celebrationi, & de audienda missa: præualet autem hoc posterius. Tum quia est præceptum communitatis, quod præferri debet præcepto personæ particularis. Tum quia est præceptum de supremo actu religionis, nempè de sacrificio: & ideò strictius obligat cum habeat admixtum etiam præceptum naturale.

25 Colligitur secundò. Cum Ludouico à S.Ioa. *par.1. sum.quæst.7.de Euchar. ar.10. dub.2. append.1.* quod si quis aut ratione curæ animarum, aut ratione assumpti ministerij tenetur coram aliquo celebrare, vt sunt Capellani Principum, Cardinalium, & Magnatum, poterunt celebrare, etiamsi casu aliquo violauerint ieiunium. Ratio est. Quia aliter causarent admirationem, & præberent occasionem sinistrè suspicandi de se ipsis.

An Sacerdos non ieiunus possit celebrare ad vitandum mortis periculum, aut aliud notabile damnum.

SECTIO VI.

26 SI cogeretur ad celebrandum in contemptum religionis, nullo modo posset, vt in similibus materijs

terijs communiter docent, sed deberet potius mortem subire; tunc enim celebrare cum tali circumstantia esset intrinsecè malum, nam semper contemptus religionis est intrinsecè malus. Vnde difficultas procedit secluso hoc contemptu, vt si quis minaretur mortem, nisi celebraret, quia vellet audire missam.

26 Dicendum est. *Posse celebrare non solum ad euitandum mortis periculum, sed etiam quodcunque graue damnum.* Ita Syluester. *verbo.* Eucharistia 2.*num.* 10. Ochag.*trac.*2.*de Euchar.qu.*12.*n.*15. Desumitur ex cap. *Cletici.De Cler.excommun.minis.* Vbi Clericus excommunicatus celebrans non peccat seclusa temeritate, qualis non interuenit, quando celebrat ad vitandam mortem, aut graue damnum. Non minus autem obstat celebrationi excommunicatio, quam non esse ieiunum. Probatur. Quisque habet ius naturale ad conseruandam propriam vitam, & ad vitandum graue damnum: præcepta autem Ecclesiastica, quale est de præmittendo ieiunio celebrationi, non priuant in re graui iure naturali.

An Sacerdos non ieiunus possit celebrare pro ministrando viatico.

SECTIO VII.

27 SVpponendum est. Sacerdotem non ieiunum posse celebrare, vt conficiat sibi ipsi viaticum, si sit propinquus morti, vt notant Zambran. *in suis decis. cap.* 3.*de Eucharij.dub.*6.*nu.*1. Layman.*lib.*4. *Theol. moral. tr.*4.*cap.*6.*num.*20. Granad. 3.*par. controu.*6.*tract.*10. *disp.*8.*nu.*12. Palaus *par.*4.*oper. moral.tract.*21.*disp.vn. punc.*13.*nu.*15. Quia si cæteri possunt non ieiuni sumere viaticum, poterit etiam ipse, cum non sit deterioris conditionis, & ieiunium non obstet celebrationi, sed solum sumptioni Eucharistiæ.

28 Prima sententia est negatiua. Ita Syluester *verbo.* Eucharistia 3.*nu.*6. alios citans Tabiena *verbo.* Communicare.*nu.*48. Armilla *ibid.nu.*18. Henriquez *libr.*8.*sum. cap.*50.*nu.*1. Sotus *in* 4.*dist.*13.*qu.*2.*nu.*2. ver. *Sed huius.* Palud.*dist.*12.*quæs.*1.*art.*4.*conclus.*4.*casu* 3.*num.*21. D. Antonin. 3.*par.tit.*13.*cap.*6.§.2. Ledesma *part.*1.*summ. tract.de Eucharistia.cap.*13. *conclus.*5.*dub.vlti.* Nauar. *cap.*25.*Manual.num.*51. Tolet.*lib.*2.*cap.*13.*in fine.* Suarez *disp.*68.*de Sacram.sect.*5.*dub.*2. Gabriel.*in* 4.*dist.*8. *qu.*2.*ar.*5. Victor.*in summ.num.*83. Fundamentum huius sententiæ est 1. Praxis, qua nunquam introductum est, vt Sacerdos non ieiunus ob talem causam celebret. 2. Quia etiam in tali casu non licet celebrare sine Sacris vestibus, altari, & alijs ritibus ab Ecclesia præscriptis. 3. Ecclesia potest præscribere certas conditiones pro celebratione, quæ neque etiam pro ministrando viatico prætermitti possint; talis autem est conditio ieiunij.

29 Secunda sententia docet, posse Sacerdotem non ieiunum celebrare pro ministrando viatico. Ita Maior.*in* 4. *distin.*9.*qu.*3.*ad* 5. Zanar.*par.*1.*direct. confess. cap.*7.*de Euchar.* Zambran.*in suis Decis.cap.*4.*de Euchar. dub.*6. *num.*3. Philiarch.*de offic.Sacerd.tom.*1.*par.*1.*libr.*2.*cap.* 2. Fernandez de Hæred.*de Sacramen.par.*8.*de Eucharis. dub.*2. *num.*8. Petrus Matth. *in Adnot.ad Rubr. missal. par.*1.*cap.*9 *num.*1. Granad.*par.*3.*controuer.*6.*tract.*10. *disput.*8.*num.*12. & probabile putat Filliuc. *tract.*4. *numer.*2. 82. & eam confirmat, nec oppositum tradit Ludouicus à S.Ioa.*par.*1.*sum.quæst.*7. *de Eucharis.art.*10. *dub.*4. solum addens in fine, quod Doctores communiter oppositum tenent.

30 Dicendum est. *Posse Sacerdotem non ieiunum celebrare pro conficienda Eucharistia ad ministrandum viaticum.* Probatur. Præceptum de viatico est Diuinum, atque adeo saltem, qui ex officio ministrare debent, tenentur de iure Diuino illud ministrare, quia de iure Diuino naturali tenentur pascere oues. Ergo non obstat præceptum Ecclesiæ de ieiunio, quo minus possit conficere Eucharistiam, vt impleat hoc præceptum. Conseq. prob. Tum quia præceptum Ecclesiæ non præualet contra præceptum Diuinum. Tum quia Ecclesia non intendit priuare Sacramentis, quando quis ex præcepto Diuino tenetur illa sumere. Confirmatur. Præceptum ieiunij non minus obligat infirmum, quam celebrantem, & tamen relaxatur, seu non se extendit ad infirmum, quando debet sumere viaticum. Ergo neque ad Sacerdotem, quando debet ministrare. Tum quia est idem præceptum, & ideò si non obligat vnum in ordine ad eundem finem, nec etiam obligabit alium, siquidem vbi est eadem ratio, ibi debet esse eadem iuris dispositio *l. Illud.ff.* Ad *leg. Aquil.* & *l. si postulauerit* §.2.*ff.* Ad *leg.Iul. De adult.* & *l. Illud C. De Sacrosan. Eccles.* & notant communiter Doctores. Tum quia in Correlatiuis dispositum de vno censetur etiam dispositum de altero *l.fin.ff. De acceptit.* & *l.fin.C. De indic.vid.tul.* & *l.si quis seruo C. De furtis.*

31 Dices. Præceptum Diuinum non obligare ad viaticum, quando non potest ministrari iuxta praxim Ecclesiæ. Contra. Præceptum de viatico tanquam Diuinum est independens à præcepto Ecclesiæ de ieiunio, & prius ipso. Ergo imponit suam obligationem independenter ab ipso, & prius ipso. Ergo non obligat secundum mensuram talis præcepti. Confirmatur. Si obligaret secundum mensuram ipsius, neque etiam infirmus posset non ieiunus recipere viaticum. Accedit, quod infirmus in ordine ad viaticum est in graui necessitate. Ergo quisque tenetur ei succurrere ex charitate etiam cum suo incommodo, & Pastores tenentur ex officio. Ergo non obstat præceptum Ecclesiæ de ieiunio, quia intentio Ecclesiæ tanquã regulata, & optima accipienda est secundum regulas rectæ rationis. Regulæ autem rectæ rationis non permittunt, quod tollatur obligatio charitatis, & proprij officij, nec quod ponatur impedimentum, ne succurratur miseris, quia, vt ait D. Bern. *De præc. & disp.* Quæ propter charitatẽ introducta sunt, non debent cõtra charitatẽ militare.

32 Ad 1. respond. neg. antec. Quia aliquando id est factum, & specialiter cum quidam Episcopus esset propinquus morti, iussit capellanum suum non ieiunũ celebrare, vt sibi viaticum ministraret, quia cum esset nox, longo tempore opus erat, vt posset ab Ecclesia deferri Eucharistia. Deinde neg. Conseq. Quia praxis, & consuetudo non inducitur per non actus, & quia non in omnibus Ecclesijs, ad quarum rectores pertinet ministrare viaticũ, seruetur Eucharistia, non potest casus necessitatis contingere, quando autem non adest occasio exercendi aliquem actum, non potest ex non vsu inferri desuetudo, seu praxis non exercẽdi. Ad 2. neg. Conseq. Quia vestes, & alij ritus pertinent ad publicã oblationem sacrificij, quę nõ potest immutari: nam publica priuatis præferenda sunt. Deinde neg. etiam Conseq. Quicquid sit de antec. Nam Ecclesia non declarauit, quod possit celebrari in tali casu sine vestibus, &c. sicut implicitè declarauit, quod possit celebrari sine ieiunio, dum declarauit, quod infirmo non ieiuno possit ministrari viaticum, cum sit eadem ratio, vt constat ex dictis. Ad 3. Ecclesiam posse præscribere tales conditiones, sine quibus neque pro conficiendo viatico liceat celebrare, si tales cõditiones sint ita necessariæ, vt possint pręualere iuri Diuino: secus autem, si non possint præualere. Conditio autem ieiunij, neque est talis, neque est præscripta, etiam quando agitur de conficiendo viatico.

An laicus possit aliquado non ieiunus sumere Eucharistiam.

SECTIO VIII.

33 DIco 1. *Posse sumere ad vitandam irreuerentiã, quæ alias immineret Sacramento, vt si esset irreuerenter ab infidelibus, aut hæreticis tractanda, aut a brutis deuoranda, aut ab incendio consumenda.* Ita communiter Suar. *disp.*68.*de Sacram.sect.*6.*in fine.* Azor.*p.*1. *lib.*10.*c.*33.*qu.*7. Angles *in florib.qu.*2.*de Euchar. ar.*6. *diffi.*2. Rodr.*p.*1.*sum.c.*66.*n.*1. Regin.*li.*29. *Praxis forī*

pœnit.nu.122. Ratio autem est. Quia ieiunium pro sumptione Eucharistiæ requiritur ob ipsius reuerentiam. In tali autem casu cessat huiusmodi finis non solum negatiuè, sed etiam contrariè; quia non esset reuerentia, sed irreuerentia relinquere Sacramentum expositum irreuerentiæ, & ideò debet etiam cessare præceptum. *l. In omni. ff.* De *adoption.* & *l. Adigere.* §. *Quamuis. ff.* De *iure patron.* & cap. *Et si Christus.* De *iurepatrob.* Aliàs quod est inductum ad vnum finem, oppositum operaretur, quod non debet admitti *l. legata inutiliter. ff.* De *adimen. leg.*

34 Dico secundò. *Laicus non ieiunus potest sumere Eucharistiam, si tanquam viaticum ministranda sit.* Ita decernitur in cap. *De his vero.* & cap. *Si quis de corpore.* 26. *qu.* 6. & cap. *Presbiter.* & cap. *Liquido.* & cap. *Sacramento.* De *consecrat. dist.* 2. & in Concil. Constant. *sess.* 13. & in Rituali Pauli V. *Tit. de commun. infir.* & notant communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 80. præsertim *supracit.* Ratio est. Quia non solum agitur de implendo præcepto Diuino, quod tunc obligat, sed etiam de subueniendo infirmo constituto in angustijs mortis, & vndique tentationibus Dæmonis impetito. Ergo non debuit Ecclesia impedire ad impletionem talis præcepti, & multominus, quod per tale Sacramentum subueniatur moribundo, aliàs quod institutum est à Christo propter charitatem erga homines, & eorumdem subuentionem, verteretur contra charitatem, dum titulo reuerentiæ suo fine frustraretur.

35 Quæres. Quanta debeat esse necessitas, vt possit viaticum non ieiuno ministrari. Respondetur. Necessitatem ex parte infirmitatis debere esse talem, vt probabiliter credatur, quod sit futura vltima ministratio Eucharistiæ. ita præscribitur in Rituali Pauli V. *Tit. de commun. infir.* Quod tamen iuxta praxim ita accipi debet, vt non sit necesse, quod infirmus credatur moriturus illa, vel sequenti die; sed solum, quod credatur breui moriturus ex quadam probabilitate. Quia Rituale Romanum loquitur iuxta id, quod regulariter solet fieri, quod nimirum Eucharistia semel talibus infirmis ministretur: imo subdit, quod si infirmus superuixerit per aliquot dies, poterit rursus ministrari. Quod autem spectat ad necessitatem nõ conseruandi ieiunium, regulariter, quando infirmus est in tali casu, semper adest, quia tunc est cibandus crebro, & leuiter: & cum sit in tali statu quodlibet exiguum nocumentum ex dilatione cibi, aut medicinæ potest esse notabile stante declinatione roboris naturalis.

36 Dico tertio. *Laicus, qui accessit ad mensam, vbi distribuitur Eucharistia, & recordatur tunc se non esse ieiunum, potest illam sumere ad vitandum sinistrum conceptum, quem sibi generaret.* Ita Angelus, *verbo.* Eucharistia 2. *quæst.* 7. Cordubа *lib.* 1. *qu.* 16. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *qu.* 1. *ar.* 4. Nauar. *cap.* 2. *manual. n.* 46. Vasq. 3. *par. disput.* 208. *cap.* 2. *nu.* 10. Præposit. 3. *par. qu.* 80. *ar.* 8. *dub.* 2. *n.* 4. Ratio est. Quia in tali casu concurrit ius naturale conseruandi propriam bonam opinionem cum præcepto Ecclesiæ: præceptum autem Ecclesiæ non obligat cum tanto discrimine. Est tamen aduertendum, hoc solum habere locum, quando accessit, dum Eucharistia actualiter distribuitur, ita vt constet, quod accesserit ipsam sumpturus, quia tunc recedendo sibi præiudicaret: nam declararet, quod haberet impedimentum, quo minus ipsam sumere posset, & daret occasionem iudicandi, quod esset aliud impedimentum, quam non seruatum ieiunium. Secus autem, si constaret, quod accesserit ex alio fine, nempè adoraturus Eucharistiam: imò si aliter posset consulere propriæ famæ, teneretur recedere.

37 Ex dictis colligitur. Quod si aliquis regularis, aut monialis inaduertenter sumeret aliquid cibi, aut potus in illis diebus, in quibus omnes infallibiliter solent sumere Eucharistiam, posset adhuc ad sumendam accedere, quando non haberet aliam probabilem occasionem non accedendi. In hoc enim casu præberet occasionem concipiendi sinistrum iudicium de se ipso, & aliquid graue suscipiendi: vnde præualeret ius naturale præcepto Ecclesiæ, quod à fortiori haberet locum, si tunc apud tales Regulares aliquid graue contigisset, cuius auctor ignoraretur.

An pollutio, & actus coniugalis impediant sumptionem Eucharistiæ.

SECTIO IX.

38 CErtum est; pollutionem voluntariam, & omnem actum venereum peccaminosum mortaliter impedire absolutè, & necessariò sumptionem Eucharistiæ, nam reddit indignum, sicut quodlibet peccatum mortale. Vnde habet locum illud Apostoli 1. Ad Corynt. cap. 11. *Qui manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit,* & proinde necessariam esse expiationem per confessionem, aut contritionem, quando vrget necessitas, & non adest copia confessarij, ad hoc, vt tollatur huiusmodi impedimentum, quo sublato iam homo remanet probatus iuxta illud Apostoli loco cit. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.*

39 Supponendum autem est. Nullam pollutionem, actũ venereum, aut coniugalem sublato peccato mortali, si cum illo fuit, non impedire de necessitate Eucharistiam, vt communiter docent cum D. Tho. 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 7. *in corpore.* seclusо namque peccato mortali tollitur indignitas, quæ impedit susceptionem de necessitate, & habet illam dispositionem necessariam, quæ secundum Apostolum 1. *Ad Corinth. cap.* 11. & declarationem Conc. Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. requiritur, & sufficit. Omissio autem varijs opinionibus,

40 Dico primò. *Quando præcessit copula, aut pollutio etiam cum peccato mortali, si præmissa pœnitentia, quis suscipiat Eucharistiam, nullum erit peccatum veniale, si adsit rationabilis causa.* Quod debet intelligi secundum se, nam per accidens potest esse peccatum etiam graue, vt ratione scandali, si peccatum publicum sit, aut ex alio capite. Conueniunt in hoc communiter Tabiena, *verb.* Cõmunio. *nu.* 43. Henriquez *libr.* 8. *sum. cap.* 51. *nu.* 3. Lopez *par.* 1. *instruct. cap.* 11. §. *Insuper.* Armilla *verbo.* Communio. *nu.* 5. Rosella *verbo.* Communicare *nu.* 8. Syluester *verbo.* Eucharistia 3. *nu.* 13. Medina *libr.* 1. *sum. cap.* 14. §. 42. Bartholar. Ledesma *dub.* 24. *de Euchar. concl.* 2. Sanchez *lib.* 9. *de matrim.* & alij. Causa autem rationabilis sufficit quæcunque sit, vt nimirum, si quis nedum teneatur, sed etiam sit solitus quotidie celebrare. Si confessus sit in hunc finem, vt sumat Eucharistiam; si sit comparanda indulgentia, festi solemnitas, specialis deuotio, & aliæ huiusmodi. Probatur. Hoc peccatum veniale solum haberet locum, Quia sumpturus Eucharistiam, aut celebraturus esset in tali statu, vt deberet secundum regulas rectæ rationis ex quadam reuerentia abstinere, ita vt cum leui irreuerentia accedat, sed concurrente aliqua rationabili causa extinguitur huiusmodi exigentia talis reuerentiæ. Ergo. Minor probatur. Ratio non potest esse contraria rationi, quia omnia dictamina fundantur in ijsdem regulis, & principijs: & proinde quando semel aliquid exigit, non potest amplius non exigere. Ergo si semel est rationabile accedere ad Eucharistiam non potest recta ratio exigere abstinentiam ratione irreuerentiæ.

41 Dico secundo. *Siue pollutio fuerit voluntaria, siue inuoluntaria, & copula siue peccaminosa, siue non: præmissa confessione de peccato mortali, si adsit, nullum erit peccatum veniale celebrare, aut sumere Eucharistiam, etiamsi relicta sit commotio carnis, & perturbatio mentis, si accessurus nitatur colligere mentem, & non consentiat in illam euagationem mentis, & commotionem carnis. Atque adeo erit peccatum veniale solum quando illa euagatio mentis, & commotio sit aliquo modo voluntaria.* Ita videtur sentire D. Thom. 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 7. vbi

Vbi docet, quod solum quis impeditur à sumptione Eucharistiæ per peccatum mortale, & solum ob alias rationes ex quadam conuenientia. Probatur. Non potest peccari venialiter in sumptione Eucharistiæ, nisi ipsa sumptio sit peccaminosa, quia peccatum veniale habituale non facit, quod peccetur, nec etiam peccatum veniale actuale concomitans, nam hoc facit quidem, quod sumens Eucharistiã peccet, non tamen quod peccet ratione sumptionis. Sed tunc solum sumptio est venialiter peccaminosa, quando relinquitur commotio, & perturbatio mentis, quæ fiat aliquo modo voluntaria. Ergo. Minor probatur. Quia copula, & pollutio, deleto per Sacramentum pœnitentiæ peccato mortali, si quod interuenit, nullum secundum se ponunt impedimentum ad Eucharistiam, neque etiam sub veniali, vt communiter docent cum D.Th. *3.par.quæs.*80.*ar.*7. nec influunt aliquam moralitatem in actus subsequentes, nisi voluntas aliquo affectu feratur circa ipsas. Ergo ex hoc capite nullum interuenit peccatũ veniale. Rursus ratione effectuum, qui relinquuntur non interuenit nouum peccatum veniale, si tales effectus reprimantur, quia tunc non sunt actiones, sed passiones; nam voluntas illos patitur, non autem vult, vbi autem non est aliqua ratio voluntarij, ibi nullum est peccatum.

42 Dices. Adesse immunditiam corporalem, ratione cuius semper est irreuerentia. Ergo. Respondetur negando Antecedens. Nam immunditia corporalis non pertinet ad esse morale, & ideò ratione sui non potest facere, quod venialiter peccetur in sumptione Eucharistiæ.

43 Dices secundo. D.Hieronym. relatus in cap. *Sciatis*, *33.quæs.*4. ait, quod si panes propositionis non poterant manducari ab ijs, qui vxores tetigerant, multo magis panis, qui de cælo descendit, non debet violari, & contingi ab ijs, qui vacauere amplexibus coniugalibus. Respondetur cum D.Tho. *3.par.qu.*80.*ar.*7.*ad* 2. Hoc intelligi secundum congruitatem, non secundum necessitatem. Vnde D.Gregor. relatus in cap. *Si vir.33.qu.*4. ait. Quod tales sunt relinquendi suo iudicio.

44 Dices tertio. Ex D.August. *serm.*244. *de temp.* vbi ait. Post pollutionem, quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet, nisi prius præcedat compunctio, & eleemosina. Ergo. Respondetur. Per ly *non licet*, intelligere minus congruũ est, nã loquitur hortãdo ad id, quod perfectum est, & vult ostendere, quod non sunt despicienda peccata venialia, qualia solent esse in his pollutionibus, & arguit, quod sicut non permittimus, paruas maculas in reatibus, ita nec parua peccata debemus permittere in anima, sed ea expiare. Instabis. Paulo post subdit. *Sed dicit peccatum quidem est, sed tamen paruum est. Nec nos dicimus, quia capitale peccatum est, sed tamen si frequentius exerceatur, & ieiunijs, vel eleemosinis non redimatur, nimis immundam animam facit.* Ergo etiam peccatum est, & non solum minus congruum. Respondetur negando Consequent. Quia hæc non referuntur ad communionem post pollutionem: sed ad ipsam pollutionem, quam supponit esse peccatum veniale, nam de ipsa dicit, quod ante communionem est purganda compunctione, & eleemosinis. Et quia subdit, quod non debet quis ad altare accedere cum anima per luxuriam inquinata, sicut non accederet cum tunica sordibus inquinata.

45 Dices quarto. Mulieres menstruatæ ob maculam corporalem non poterant accedere ad Sacram Synaxim ex Dionis. Alexand. *epis. ad Basilidem can.* 2. *to.* 3. *Bibliot.* Timoth. Alex. *in Respons. can. resp.* 7. *tom.* 6. *Biblioth.* & *resp.* 5. & 13. Coniugatos non posse accedere eo die, quo simul habitauerint, & cap. *Omnis homo*. De *consecrat. dist.* 2. abstinendum esse à copula coniugali tribus, aut quatuor diebus ante communionem. Ergo. Respondetur. Hæc antiquitus habuisse locum, quia aderat lex hoc decernens, vt ex Balsamone *in dict. can.* 2. *Dionysii Alexan.* notat Vasquez 3. *par. quæs.* 80. *ar.* 7. *num.* 25. modo tamen talis lex est abrogata.

Thomus Secundus,

An sit consulenda abstinentia ab Eucharistia post copulam coniugalem, aut aliam illicitum, & post pollutionem, etiam voluntariam deleto peccato.

SECTIO X.

46 Difficultas habet locum, quando quis est in omnimoda libertate celebrandi, aut sumendi Eucharistiam; non autem quando aut ex necessitate, aut ex aliqua alia rationabili causa debet sumere, aut celebrare; nam cum tunc, vt supponimus, possit dignè accedere, quia est iam probatus iuxta Apostol. 1. Ad Corynth. *cap.* 11. & Conc. Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. & aliàs debeat ex rationabili causa accedere, non habet locum consilium abstinendi, quia consilium non præualet contra rationem. Et in hoc communiter conueniunt, sicut etiam in eo conuenire debent, quod abstinentia ab Eucharistia ob reuerentiam possit cadere sub consilio, quia talis reuerentia est actus virtutis, & ideò potest esse obiectum consilij: solum difficultas, an in ordine ad praxim possit hoc consuli tanquam quid expediens.

47 Prima sententia asserit. Nunquam esse consulendam abstinentiam ab Eucharistia, siue præcesserit copula coniungalis, aut pollutio inuoluntaria, dummodo sit præmissa pęnitentia. Ita Io. Sanch. *in select. de Sacram. disp.* 23. *nu.* 29. & 30. Probatur. Ex Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. Ille sanctè, & dignè accedit, qui non habet conscientiam peccati mortalis; aut si habet per confessionem se probat. Talis autem est, qui post actum venereum peccaminosum se probat per confessionem. Ergo dignè accedet; dignè autem accedenti non est consulendum, quod abstineat. Confirmatur. Eucharistia est antidotum præseruans à peccatis mortalibus, & mundans à venialibus, vt habet Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. & maximè roborat contra luxuriæ tentationes, vt docet D.Thom. *opuscul.* 58. *cap.* 27. Non est autem consulendum, quod indigens non sumat antidotum. Confirmatur secundo. Effectus Eucharistiæ est certum augmentum gratiæ, & auxilia ad vincendas tentationes; è contra autem abstinentia ob reuerentiam ratione distractionis est purus actus virtutis. Non est autem consulendum minus bonum in comparatione maioris. Confirmatur tertio. Perfectior reuerentia ergà Eucharistiam est illam sumere, quam ob reuerentiam abstinere; nam vterque actus est actus religionis, sed ille est excellentior. Ergo.

48 Secunda sententia asserit esse consulendam post copulam coniugalem, aut pollutionem. Ita communiter cum D.Thom. 3. *par. q.* 80. *ar.* 7. dum docet, de congruentia esse abstinendum.

49 Dico 1. *Sumptionem Eucharistiæ non posse consuli ei, qui ratione actus coniugalis, aut pollutionis præcedentis, aut cuiusuis actus venerei peccaturus est venialiter in ipsa sumptione siue ob euagationẽ mentis, siue ex quacunq. alia causa.* Probatur. Peccatum veniale est aliquod malũ morale, & offensa Dei. Ergo non obstante quocunque magno bono, quod inde sequatur, non potest cõsuli, atq; adeò nec sũptio Eucharistiæ, quando est futura peccaminosa venialiter. Conseq. prob. Nõ sunt facienda mala vt eueniant bona, vt habet Apost. Ad Rom. *cap.* 3. vnde nec peccandum venialiter ob consequendum fructum Eucharistiæ.

50 Dico 2. *Non solum habita ratione reuerentiæ debitæ Sacramento, sed etiam vtilitatis suscipientis, posse consuli dilationẽ in aliũ diem ab eo, in quo cõtingit pollutio præsertim voluntaria, aut copula, præsertim illicita.* Dixi dilationẽ esse consulendã, quia nõ est consulenda absoluta abstinentia, nã tunc absolutè priuaretur fructibus Sacramenti. Prob. Est magis vtilis dilatio sumptionis Eucharistiæ, quã ipsa sũptio. Ergo est consulẽda. Antec. prob. Dilatio sumptionis nõ excludit fructũ Eucharistiæ, sed solũ

differt, & alias affert nouum lucrum, quia ob reuerentiam differt, non solum interuenit actus religionis, sed etiam actus amoris imperans talem reuerentiam, qui sunt actus meritorij cum in exercente sit gratia. Ergo ex dilatione habetur augmentum gratiæ correspondens his actibus, & fructus Eucharistiæ etiam vberior, quia suscepturus melius disponitur. Est autem magis vtilis fructus Eucharistiæ vberior cum illo augmento gratiæ, & dilatione vnius diei, quam fructus minus vber, & absque tali augmento absque dilatione; nam bonum, quod occasione dilationis habetur, longè præponderat tali dilationi.

51 Dices. Ex D. Iustino Martyre *ad quæst. 21. ex propos. à Gent.* vbi loquens de pollutione, quæ in somnio accidit. *Eos autem planè æquum non est, quibus ita actiones voluntariæ euenirent, à Diuinorum Sacramentorum participatione abstinere. Alioquin hoc ipso eorum malorum, quæ voluntate, & eorum, quæ non voluntate, suscipiuntur, & geruntur, differentiam tollimus.* Ergo si non est æquum, nec etiam est consulendum. Respondetur negando Consequ. Quia D. Iustinus ponit discrimen inter eos, qui inuoluntariè polluuntur, & inter eos, qui voluntariè, & dicit, quod non est æquum, quod illi abstineant in pœnam, sicut æquum est, quod alij abstineant, vt sit discrimen inter peccantes. Non autem dicit, quod non sit consulendum, quod abstineant non absolutè, sed differendo.

52 Ad primum respondetur. Dignè accedenti esse consulendum, quod abstineat, quando in accessu est peccaturus venialiter, quia stat quod quis dignè accedat quoad substantiam, de quo loquitur Trid. vbi *citat.* & quod tamen peccet venialiter. Omne autem peccatum veniale potest dissuaderi; nec prætextu cuiuscunque boni consuli potest. Rursus potest consuli non quod absolutè non accedat, sed quod differēdo magis dignè, & cum maiori emolumento accedat, vt constat ex dictis. Ad primum confirmatur. Non esse consulendum, quod indigens non sumat antidotum; sed quod sumat tempore congruo: sicut ægroto consulitur, quod sumat medicinam tempore magis congruo. Quando autem consulitur dilatio, consulitur tempus magis congruum. Ad secundū confirmatur. Non præferri per tale consilium illam reuerentiam, & actum religionis fructui Eucharistiæ; sed fructum Eucharistiæ vberiorem cum augmento gratiæ, ex illa reuerentia cum aliqua dilatione soli fructui eiusdem Eucharistiæ minus vberi absque dilatione, & ideò maius bonum præfertur minori. Ad tertium confirm. Antecedens esse verum, si reuerentia in abstinendo præcisè comparetur cum sumptione Eucharistiæ; secus autem, si comparentur ex vna parte talis reuerentia, & ipsa sumptio cum fructu vberiori, sed cum aliqua dilatione, & ex alia sumptio sola cū fructu minus vberi, sed absque dilatione, vt comparantur in ordine ad dictum consilium.

DE DISPOSITIONE GRATIÆ requisita ex parte animæ pro suscipienda Eucharistia.

DISPVTATIO CXII.

An requiratur status gratiæ pro Eucharistia suscipienda.

SECTIO I.

1 SVpponendum est contra Hæreticos tanquam certum de fide pro suscipienda Eucharistia requiri statum gratiæ, vt desumitur ex 1. Ad Corinth. *cap. 11,* vbi Apostolus hoc explicat. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini.* Ita definitum est in Concilio Tridentin. *sess.* 13. *cap.* 7. & ita tradunt Patres Clemens Roman. *lib. 7. constit. cap. 2. in fine.* Cyprian, *lib. 3. epistol. 14. seu 10. in ordine.* Ambros. *libr. 6. in Lucam, cap. 37.* Leo 1. *serm. 2. de resur.* Cyril. *lib. 4. in Ioan, cap. 17.* Gregor. *libr. 2. in 1. Reg. capit. 2.* Isidor. *libr. 1. de summo bono, cap. 24. in fine.* Origen. *homil. 2. in psal. 37,* Basil. *lib. 2. de Baptis. cap. 3.* Hieronym. *in cap. 1. Matth,* Chrysost. *homil. 24. in epist. 1. ad Corinth.* August. *libr. 5, de baptism. cap. 8. & libr. 1. contra Crescon. capit. 25.* & communiter in dictum locum 1. Ad Corinth. Theodoret. Theophilac. Oecumen. Et proinde est peccatum mortale, sine tali statu accedere, vt notant communiter cum Magistro *in 4. distin. 9.* & D. Thom. *q. 1. ar. 3. quæstiunc. 1, & 2. & 3. par. qu. 80. ar. 4. 7 & 8.* Ratio autem est. Quia huiusmodi Sacramentum est institutum per modum cibi Ioa. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ergo ex natura rei requirit vitam in sumente, quia qui caret vita, non potest vti cibo: status autem gratiæ est vita spiritualis, & ideò talis status est necessarius de iure naturali Diuino. Confirmatur. Eucharistia significat vnionem cum Christo per amicitiam 1. Ad Corinth. 10. *Vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.* Ergo accedens cum peccato, & inimicitia Dei, reddit falsam significationem Sacramenti. Confirmatur secundo. Accedens cum peccato mortali ponit obicem effectui huius Sacramenti. Difficultas autem est, an aliquando liceat sumere Eucharistiam cum peccato mortali.

2 Dicendum est. *Aliquando per accidens licere sumere Eucharistiam cum peccato mortali, ita vt non cōmittatur nouum peccatum mortale.* Ita contra Suar. *disp. 66. de Sacram. sect. 1.* tenent Vasq. *3. p. disp. 207. cap. 1. nu. 3.* Hurtad. *disp. de Euchar. diffic. 1.* Auersa *qu. 8. de Euchar. sect. 5. ver. Secundo tamen.* Ochag. *trac. 2. de Euchar. q. 8, n. 4.* & alij Recentiores, & ponit Vasq. casum, si nimirum Sacerdos in altari recordetur peccati mortalis, & ita distrahatur, & perturbetur, & non possit elicere actum contritionis, quia hoc præceptum non obligat cū tanto onere, vt homo coram toto populo relinquat sacrificium cum nota sui honoris. Alter casus si Eucharistia esset ab infidelibus, aut hæreticis infideliter tractanda. Probat. Quando concurrunt duo iura, & duæ materiæ pertinentes ad idem ius, quæ ex natura sua compossibiliter se habent, si fiant incompossibilia, cedit non possessio possessioni, & quod minus est maiori. In nostro autem casu hoc contingere potest: nam ius exigens reuerentiam ex statu gratiæ pro sumptione Eucharistiæ, potest fieri incompossibile cum iure conseruandi proprium honorem, vt in priori casu, & potest reuerentia debita ex vno capite, fieri incompossibilis cum reuerentia debita ex alio capite, vt in posteriori casu. Ergo tunc præualebit ius, quod est in possessione, & maior irreuerentia vitanda erit.

3 Obijcitur. Calix Eucharisticus dicitur nouum testamentum. Lucæ 22. & Ad Corinth. 11. Ergo ordinatur ad delenda peccata, quia nouum testamentum continet pactum remissionis peccatorum. Vnde etiam in forma consecrationis dicitur. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ergo non requirit statum gratiæ. Respondetur. Nomine calicis intelligi sanguinem Christi, qui dicitur testamentum nouum, non formaliter prout in Eucharistia: sed specificatiuè, quatenus fuit id, quo testamentum nouum fuit confirmatum. Vnde dicitur *effundetur in remissionem peccatorum,* non quia ordinetur in Eucharistia ad remittenda peccata, sed quia in cruce à Christo fuit effusus tanquam pretium pro remissione peccatorum.

An

An qui prohibetur ratione excommunicationis, aut ex alio capite accedere ad Eucharistiam committat duo peccata.

SECTIO II.

4 Prima sententia asserit, esse vnicum peccatum, sed cum circumstantia aggrauante necessario explicanda in confessione. Ita Suarez *disp. 66. de Sacram. sect.* ver. *Dico ergo.* Reginal. *lib. 29. Praxis fori pœnit. cap. 6. nu. 99.* Bonac. *disp. de Euchar. qu. 6. punc. 1. nu. 34.* Molfes. *par. 1. sum. tract. 3. cap. 8. num. 88.* Homobon. *par. 1. exam. trac. 4. cap. 16. quæst. 147.* Raynaud. *par. 2. de Monit. cap. 2. num. 17.* Auersa *quæst. 8. de Euchar. sect. 5.* ver. *Sed videtur*, & alij Recentiores. Fundamentum est, quia talis circumstantia sufficiens est, vt variet morale iudicium Confessarij.

5 Secunda sententia asserit, esse vnicum tantum peccatum, nec talem circumstantiam esse necessariò explicandam in confessione. Ita Vasq. *3. p. disp. 207. cap. 1. num. 5. & 6.* & alij Recentiores.

6 Dicendum est. *Esse vnicum peccatum, nec importare circumstantiam necessariò explicandam in confessione.* Probatur. Quando plura præcepta sunt circa eandem virtutem, & procedunt ex eodem motiuo, etiamsi totum motiuum vnius præcepti non sit motiuum alterius, sed tantum aliqua pars, non multiplicatur malitia. In hoc autem casu vtrumque præceptum obligat ex eodem motiuo, nam finis vtriusque præcepti est arcere ab Eucharistia ratione indignitatis ob reuerentiam ipsi debitam. Ergo cum sumptio sit solum contra reuerentiam debitam Sacramento, non continet malitiam explicandam necessariò in confessione.

7 Dices. Præceptum Diuinum naturale habet etiam motiuum arcendi indignos ab Eucharistia, ne significatio Sacramenti reddatur falsa, vt habet D. Thom. *3. par. q. 80. ar. 5.* Ergo. Respondetur. Et hoc motiuum habere locum in excommunicatione, & alia prohibitione. Quia cum prohibeat accedere ratione indignitatis, prohibet etiam, ne stante indignitate, significatio reddatur falsa. Instabis. Potest quis prohiberi ratione excommunicationis, & non esse indignus, vt si quis postquam contraxit excommunicationem, côteratur, & acquirat gratiam. Ergo. Respondetur. Adhuc prohiberi ratione indignitatis, quæ præcessit, & adhuc durat in facie Ecclesiæ, quia nondum est absolutus. Instabis. 2. Si accedat reuera non accedet indignus quo ad forum conscientiæ. Ergo. Respondetur negando Antec. Quia licet non sit indignus quoad conscientiam, fit tamen indignus accedendo, quia peccat cum violet præceptum Ecclesiæ. Deinde ex hoc non fit, quod sumptio Eucharistiæ habeat aliquam circumstantiam necessariò explicandam in confessione.

An ibi conscius de peccato mortali teneatur præmittere confessionem.

SECTIO III.

8 Prima sententia est negatiua, asserens, sufficere contritionem. Ita Caietan. *in sum. verbo.* Communio *Sacramentalis. §. 1.* & *in cap. 11. epist. 1. Ad Corin.* explicâs illud, *Probet autem se, &c.* & *3. p. q. 80. a. 4.* quod tamen deletum fuit iussu Pij V. Armil. *verb.* Communio *n. 1.* Idem videatur sentire. Richard. *in 4. dist. 17. ar. 3. q. 6.* Sylu. *verb.* Eucharistia. *3. n. 16.* Palud. *in 4. dist. 18. q. 2. ar. 5. casu 1.* Adrian. *qu. 5. de confess.* Abbas *in cap. de homine. De celebrat. miss.* Probatur 1. Ad Corinth. 11. dicitur. *Probet autem se ipsum homo.* Ergò nô est necesse, quod probetur à Confessario, Vnde Chrysost. *hom. 28.* in hanc epist. *Non præcipit, vt alter alteri probetur, sed ipse sine traductione faciens iudicium, & sine teste redargutio-*

Thomus Secundus.

nes. Theophilact. ibid. *Non alium tibi iudicem attribuo, sed te ipsum tibi ipsi commendo: iudica igitur, & explora conscientiam tuam, & sic accede.*

9 Secunda sententia asserit teneri præmittere confessionem. Ita D. Tho. *Quodlib. 1. ar. 11.* & *in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. quæstiunc. 4.* Scot. *dist. 9. qu. vnic.* & *dist. 17. q. vn. ar. 2. §. Istud autem.* Gabriel. *q. 1.* Durand. *q. 10. nu. 6.* Richard. *ar. 3. q. 6.* Maior. *q. 2.* Sot. *dist. 12. q. 1. ar. 4.* D. Antonin. *3. p. tit. 13. c. 6. §. 7.* Syluest. *verb.* Eucharistia *2. nu. 9.* Angel. *ibid. n. 5.* Tabien. *verb.* Communio. *nu. 36.* Victor. *in sum. De Euchar. nu. 78.* Petrus Sotus *De instruct. Sacerd. lect. 12. de Euchar.* Cordub. *lib. 1. q. 16. opin. 3.* Nauar. *c. 21.* *Manual. n. 49.* Bellarm. *lib. 3. de Euchar. cap. 18.* Azor. *p. 1. lib. 10. cap. 31. q. 1.* Lopez *par. 1. instruc. cap. 11.*

10 Dicendum. *Existentem in peccato mortali teneri præmittere confessionem, etiamsi contritus sibi videatur.* Ita communiter Patres Chrysost. *hom. 60. & 61. ad pop.* Theodoret. *lib. 1. c. 27.* Cyprian. *lib. 3. epist. 14. 15. & 16.* & *lib. de Lapsis.* August. *epis. 111. c. 19.* Leo 1. *epis. 91. ad Theodor.* consonant, quæ refert Euseb. *lib. 6. histor. c. 24. & 25.* & desumitur ex Conc. Niceno 1. *can. 12.* Elibertin. *in singulis fere canon.* & Ancirano, *cap. 4. & seq.* & est definitum à Conc. Trid. *sess. 13. cap. 7.* & *can. 11.* prohibens sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne quis audeat asserere, prædicare, defendere, non esse necessariam præuiam confessionem. Probatur 1. Ad Corint. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Hæc autem probatio debet fieri mediante confessione, quia præcepta obligant iuxta praxim, & interpretationem subsequutam. Consuetudo autem, & praxis Ecclesiæ semper declarauit, præmittendam esse confessionem, vt habet Concil. Trid. *cit. cap. 7.*

11 Ad fundamentum in oppositum. Apostolum præcipere, quod homo probet se ipsum media confessione, ita vt assumat confessionem tanquam medium ad se probandum, hoc est ad se reddendum probatum, quando non se reperit probatum. D. autem Chrysost. loquitur solum de probatione, qua primò debet homo examinare conscientiam, non autem de probatione in facto esse, qua debet se reddere probatum, & similiter etiam Theophilact. quod indicant verba, *Explora conscientiam tuam.* Subdit autem. *Et accede*, si nimirum non reperit obicem.

12 Obijcitur. Pro alijs Sacramentis viuorum non requiritur præuia confessio, sed sufficit contritio. Ergo etiam pro isto. Respondetur negando Consequen. Quia pro cæteris non adest præceptum, sicut adest pro isto, vt constat ex dictis.

13 Obijcitur 2. Finis huius probationis est, vt accedens sit dignus, & reconciliatus cum Deo. Ergo sufficit contritio. Respond. Non esse finem adæquatum, nam vlterius per hoc præceptum intenditur, quod habens côscientiam peccati mortalis se subijciat clauibus, & iudicio Ecclesiæ, seu per sententiam habeatur pro probato.

14 Obijcitur 3. Si esset peccatum mortale non præmittere confessionem, numquam esset licitum illam omittere; quod enim ex genere suo est malum, nunquam est licitum. Est autem aliquando licitum. Respondetur negando sequel. Quia non est malum intrinsecè, sed quia contra præceptum, quod cum sit affirmatiuum, desinit aliquando obligare.

15 Obijcitur 4. In cap. *Omnis vtriusque. De pœnit. & remiss.* Præcipitur paschalis communio, & confessio semel in anno. Si autem esset necessaria præuia confessio, debuisset præcipi pro tempore paschatis: aut non præcipi, quia fuisset tracta in consequentiam à præcepto communionis. Respond. neg. seq. minor. Nam hæc duo præcepta sunt independenter ab inuicem, quia plures obligantur præcepto confessionis, qui non obligantur præcepto communionis, vt pueri. Non determinauit autem, quod confessio fieret in paschate, quia hoc voluit relinquere in libertate, & quia si adest peccatum mortale, debet tunc temporis fieri ob necessitatem communionis.

Quale sit huiusmodi praeceptum.

SECTIO IV.

16 PRima sententia asserit, esse Ecclesiasticum; emanasse tamen ab initio Ecclesiae. Ita Medina. *C. De confessione qu.*17. Nauar. *de poenit. init. n.*31. *&* 32. *dist.* 5. Palat. *in* 4. *dist.* 9. *disput.* 10. *ad* 1. Coninch. 3. *par. quaest.* 80. *ar.* 1. *dub.* 1.

17 Secunda sententia docet, esse naturale Diuinum consequens ex institutione Sacramenti poenitentiae, & Eucharistiae. ita D. Bonauen. *in* 4. *dist.* 13. *dub.* 1. *circa litteram.* Syluester *verbo.* Eucharistia 2. *num.* 9. Petrus Sotus *lect.* 12. *de Eucharist.* Probatur. Potestas clauium deriuat à potestate supra corpus Christi verum, & est data, vt per ipsam possint fideles disponi ad sumendum verum corpus Christi. Ergo ex natura horum Sacramentorum habens peccatum mortale tenetur se subijcere clauibus.

18 Tertia sententia asserit, esse Diuinum positiuum. ita D. Thom. *in* 4. *dist.* 17. *qu.* 3. *ar.* 1. *quaestiuncul.* 4. Scotus *quaest. vnic. ar.* 2. Gabriel. *qu.* 1. Durand. *dist.* 9. *qu.* 4. *nu.* 6. & *distin.* 17. *qu.* 10. *num.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 12. *ar.* 4. Canus *par.* 5. *De poeniten.* Castro. *libr.* 6. *haeresi* 5. *de Euchar.* Valent. *tom.* 4. *disput.* 6. *qu.* 8. *punc.* 3. *ad* 1. *Caietani.* Corduba *lib.* 1. *quaest.* 16. *opinio.* Victor. *in sum. De Euchar. num.* 78.

19 Dicendum est. *Praeceptum praemittendi confessionem esse Diuinum positiuum.* Desumitur ex D. Cyprian. *epist.* 10. vbi hoc praeceptum appellat legem scripturae. Et *epist.* 11. Legem Euangelij. Lex autem Scripturae, & Euangelij est Diuina. Probatur. Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. declarat, hoc praeceptum contineri in illis verbis 1. Ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo, &c.* Ergo est praeceptum Diuinum. Consequent. probatur. Apostolus ibi declarat, se accepisse à Domino, quod ibidem tradit circa Eucharistiam, cum ait. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Confirmatur. Conc. Tridentinum. *ibidem* habet, quod Ecclesiastica consuetudo declarat, praemittendam esse confessionem. Ergo non est introductum ab Ecclesia, quia declaratio supponit legem, non autem facit.

20 Dices Conc. Trid. *ibid.* ait. Reuocandum esse in memoriam praeceptum eius, hoc est Apostoli. Ergo est praeceptum humanum. Respond. neg. Consequ. Tum quia ly *eius*, potest referri etiam ad Christum. Tum quia referendo ad Apostolum, dicitur praeceptum ipsius, non quia auctoritate propria imposuerit, sed quia imposuit, seu promulgauit auctoritate Diuina: vnde etiam Deuter. 4. dicitur. *Custodite mandata Domini Dei vestri, quae ego praecipio vobis.* Et ideò Moyses dicitur Legislator, licet acceperit legem à Deo.

21 Ad fundam. 2. sententiae negatur Conseq. Quia potestas clauiũ non est ordinata ad expiandos homines intuitu Eucharistiae; sed absolutè: vnde est etiam propter eos, qui non sumunt Eucharistiam. Tũ quia Eucharistia non exigit hanc expiationẽ ex se, sicut nec exigunt alia Sacramenta: cum sufficiat sola contritio, per quam potest dignè accedere: vnde necessitas prouenit solum ab extrinseco, nempè voluntate Christi, non autem ex natura rei.

Quae necessitas excuset à praemittenda confessione.

SECTIO V.

22 SVpponendum est. Sacerdotem, aut sumpturum Eucharistiam aliquando excusari à praemittenda confessione. Quia cum praeceptum praemittendae confessionis sit affirmatiuum, non obligat semper, & cum omni discrimine, sed in aliquo casu desinit obligare, vt docent communiter D. Thom. *in* 4. *distinc.* 17. *quaes.* 3. *art.* 1. *quaestiunc.* 4. Scot. *dist.* 9. *qu. vnic.* §. *De tertio.* Paludan. *qu.* 2. *ar.* 1. *in fine.* Durand. *qu.* 4. *num.* 6. Sotus *distin.* 12. *qu.* 1. *ar.* 4. *circa finem.* D. Antonin. 3. *par. titul.* 13. *cap.* 6. §. 7. Syluester *verbo.* Eucharistia 2. *nu.* 9. Angelus, *num.* 5. Tabiena. *nu.* 36. Nauar. *cap.* 21. *manual. num.* 49. Henriq. *lib.* 8. *sum. cap.* 45. *num.* 4. Duae autem conditiones debent simul concurrere, vt declarat Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. vt possit quis absque praemissa confessione celebrare, aut Eucharistiam sumere, nimirum, vt necessitas vrgeat celebrandi, aut sumendi Eucharistiam; & quod non adsit copia Confessarij. Tunc autem non censetur adesse copia Confessarij, quando personaliter non adest, aut poenitens non potest illo vti ex aliqua rationabili causa. Difficultas autem est, quale debeat esse haec necessitas. Est autem certum ex Concil. Trident. *citato*, quod debet esse necessitas vrgens, atque adeo de praesenti, ita vt non patiatur dilationem.

23 Dicendum est. *Hanc necessitatem debere fundari in aliquo iure Diuino, aut naturali, nec sufficere, quod fundetur in iure humano.* Probatur. Debet praeualere contra praeceptum Diuinum. Ergo non sufficit, quod proueniat ex iure humano. Anteced. patet. Quia praeceptum obligans ad praemittendam confessionem est Diuinum. Consequen. probatur. Ius humanum, vtpote ius inferioris, non potest praeualere contra ius Diuinum. ergo nec necessitas proueniens ex iure humano.

24 Dices. Ergo neque necessitas proueniens ex iure naturali poterit praeualere. Respondetur neg. Conseq. Quia ius naturale est positum ab ipso Deo, & ideò non censetur velle illi derogare per iura subsequentia Diuina.

25 Dices secundò. Aliquando ius humanum importat grauem necessitatem, ita vt absque notabilissimo incommodo non possit seruari hoc praeceptum Diuinum. Ergo tunc sufficiet, quia non obligat cum tanto discrimine. Respondetur. In tali casu necessitatem non oriri ex puro iure humano, sed etiam ex naturali, quod facit, vt possimus nos praeseruare ab illo notabili incommodo.

Nonnulla Corolaria ex dictis.

SECTIO VI.

26 EX dictis colligitur primo. Sacerdotem posse celebrare non praemissa confessione ob sumendam Eucharistiam, si sit in periculo mortis. ita Sotus *in* 4. *dist.* 12. *qu.* 1. *art.* 4. *casu* 1. Henricus *lib.* 8. *sum. cap.* 4. *num.* 1. Suarez *disput.* 66. *de Sacram. sect.* 4. *causa* 1. Hamb. ... 3. *par. quaes.* 79. *disput.* 2. *ar.* 4. Mercerus *qu.* 80. *ar.* 4. *dub* 2. & communiter. Quia in hoc casu praeceptum Diuinum de viatico tanquam de re magis necessaria praeponderat praecepto de praemittenda confessione.

27 2. Colligitur contra Henriqu. & Marcer. *citat.* Posse etiam celebrare non praemissa confessione ob ministrandum viaticum alteri, vt notant Suar. *citatus.* Syluius, *quaes.* 80. *ar.* 5. *qu.* 3. Praeposit. *dub.* 5. Chellison. *dub.* 2. & alij. Quia cum ex vtraque parte concurrat praeceptum Diuinum, praeualet praeceptum de viatico, vtpote coniunctum obligationi charitatis succurrendi morituro.

28 3. Colligitur ob vitandã infamiã posse celebrare, aut sumi Eucharistiã, vt cõmuniter docent non praemissa confessione. Quia praeceptũ de praemittenda confessione non obligat contra ius naturale conseruandi bonã opinionẽ, ita D. Antonin. 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 7. Vasq. 3. *p. disp.* 2[illegible] *c.* 12. *n.* 8. Syluius. *q.* 80. *a.* 5. *dub.* 2. Mercer. *ar.* 4. *dub.* 2. & alij. Ex quo fit, quod qui accessit ad altare cel[illegible], & recordetur peccati mortalis non teneatur rece[illegible]. Si [illegible] turnota infamiae. Imo absolutè non tenetur recedere [illegible] solum facta consecratione, sed neque etiam ante, vt [illegible] Vasq. 3. *p. disp.* 2[illegible]8. *c.* 2. *n.* 10. Praeposit. *qu.* [illegible] *ar.* 5. *dub.* 3. Chellis. *dub.* 2. Mercer. *ar.* 4. *dub.* 2. *cas.* 5. Nugnus *dub.* [illegible] *c.* 2. Layman. *lib.* [illegible] *tr.* 4. *cap.* 6. *nu.* 6. Quia cum sit inceptum sacrificium secundum partem intrinsecam integram, debet compleri, cum id exigat cultus Diuinus.

29 4 Col-

29 4. Colligitur. Neque teneri vocare confessarium in dicto casu, vt notant Richardus *in 4. dist. 9. art. 2. q. 2.* Sotus *dist. 12. qu. 2. art. 6*, Suar. *disp. 66. de Sacram. sect. 4.* Vasq. *3. par. disp. 208. cap. 2. nu. 12.* Coninch *q. 80. art. 4. num. 16.* Nugnus *versic. ad cognoscendum*. Præpositus *dub. 3. nu. 19.* Granad. *contron. 6. tract. 10. disp. 7. nu. 13.* & alij. Tum quia non potest fieri regulariter sine nota bonæ opinionis. Tum quia est iam in exercitio illius actus, cui præmitti debet confessio: vnde cum non præmiserit, iam cessauit præceptum elapso tempore, in quo erat implendum.

30 5. Colligitur. Posse non præmitti confessionem communioni, & celebrationi ob vitandum scandalum, vt docent communiter Scotus *in 4. dist. 9. q. vnic. §. de tertio.* Sotus *dist. 12. q. 1. ar. 4. circa fin.* Azorius *par. 1. li. 10. cap. 31. q. 3.* Corduba *lib. 1. q. 16. casu 3.* Valentia *tom. 4. disp. 6. q. 8. punc. 3.* & alij. Quia vrget præceptum charitatis vitandi scandalum proximi, quod præualet præcepto de præmittenda confessione. Et hoc extendendum est etiam ad admirationem, dummodo sit notabilis, cum Rosela *verbo.* Communio. *nu. 28.* Syluestro *verbo.* Eucharistia *2. nu. 9.* Tabiena *verbo.* Communicare. *nu. 36.* Corduba *in sum. opus. 142.* Quia admiratio causat desiderium cognoscendi causam, vt ait Arles 1. *Metaphys. cap. 1.* vnde in tali casu inducentur homines ad inquirendam causam, cur abstinuerit & formabunt sinistrum iudicium &c.

31 6. Colligitur, sacerdotem, qui tenetur celebrare, vt populus audiat missam, potest id facere non præmissa confessione, si populus teneatur audire, & non sit alius qui celebret, vt docent Suar. *disput. 66. de Sacram. sect. 4. casu vltimo.* Henricus *lib. 8. sum. cap. 46. nu. 5.* Nugnus *3. par. quæst. 80. art. 4.* Mercer *dub. 2.* Chellinar. *5. dub. 2.* Facundez *præcep. 3. Ecclesiæ lib. 3. cap. 8. nu. 10.* & communiter contra Vasquez *3. par. disp. 208. cap. 2. num. 8.* cum enim obligetur ratione officij obligatur de iure naturali iustitiæ, quod præualet præcepto de præmittenda confessione. Imo etiam simplex sacerdos, si sit solitus aliquando celebrare, & non sit alius, qui celebret, poterit celebrare non præmissa confessione; nam in tali casu non posset abstinere sine nota bonæ opinionis, siquidem populus haberet ipsum pro malo sacerdote, cum nollet satisfacere populo pro implendo præcepto.

32 7. Colligitur, sacerdotem non posse celebrare non præmissa confessione, vt impleat præceptum audiendi missam, vt notant Suar. *disp. 66. de Sacram. sect. 4. dub. vltimo.* Vasq. *3. par. disp. 208. cap. 2. nu. 8.* Præpos. *q. 80. ar. 5. dub. 3. circa finem*, Reginald. *lib. 29. num. 104.* Layman. *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 6.* Quia præceptum Ecclesiæ non obligat audire missam impeditos alio præcepto etiam Ecclesiæ vt excommunicatos, interdictos &c. Imò neque etiam impeditos præcepto iudicis laici, vt quando alicui præcipitur, ne domo egrediatur.

33 8. Colligitur. Posse sacerdotem celebrare non præmissa confessione vt impleat præceptum communionis paschalis, secluso etiam scandalo habita ratione solius præcepti, vt docent Paludan. *in 4. dist. 9. qu. 4. art. 1. conclus. 10.* Adrian. *qu. 1. de Encharist.* Henriquez *lib. 8. c. 46. num. 4.* Coninch *de Sacram. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 17.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 6.* Granad. *3. par. contro. 6. tract. 10. disp. 7. num. 13.* Palaus *par. 4. tract. 21. disp. vnic. punc. 11. num. 7.* & alij. Ratio est, quia præceptum communionis paschalis secundum substantiam est diuinum, & dicit solum determinationem ex authoritate Ecclesiæ. Et per se primò obligat ad actum publicum, & solemnem, & habet admixtam obligationem iuris naturalis recognoscendi in illo actu proprium pastorem: & ideo debet præualere præcepto de præmittenda confessione.

DE EXCVSATIONE PRÆmittendæ confessionis defectu Confessarij.

DISPVTATIO CXIII.

An qui non habet confessarium, nisi quem potest eligere ex priuilegio, habeat inopiam Confessarij.

SECTIO I.

1 Altera conditio, vt possit quis absque præuia confessione celebrare aut communicare, est inopia confessarij, quæ quia non solum physicè, sed etiã moraliter attenditur, ideo videndum est, quando adsit: supponendum est contra Richard. *in 4. dist. 17. ar. 3. q. 6.* Adrian. *quæst. 3. de confess.* Syluestr. *verbo.* Eucharistia *3. num. 16.* Roselam *num. 26.* Non adesse inopiam confessarij, quando non adest ille, cui solitus est pœnitens confiteri cum deuotione, & animi satisfactione, vt docent communiter, quia in tali casu non adest impossibilitas moralis confessarij, cum neque sit valde difficile alteri confiteri.

2 Dicendum est. *Eum, qui habet confessarium, quem potest eligere ex priuilegio, non habere inopiam confessarij ad effectum, vt non præmittat communionem celebrationi, aut communioni.* Ita Suarez *disp. 67. de Sacram. sect. 4. casu 2.* Vasquez *3. par. disp. 208. cap. 1. nu. 3.* Reginal. *lib. 29. cap. 6. nu. 108. casu 1.* Facundez *præcep. 3. lib. 3. cap. 9. num. 19.* Probatur: in tali casu nulla adest difficultas pro præmittenda confessione, & adest legitimus sacerdos, qui possit absoluere. Ergo nullo pacto adest inopia confessarij, quia tunc solum adest inopia moralis, quando adest specialis aliqua difficultas.

3 Dices. Nemo tenetur vti priuilegio. Ergo cum non habeat confessarium de iure communi, censendum est nõ habere. Respondetur. Neminem teneri vti priuilegio, quantum est ex vi priuilegij, & per se, quia priuilegium non obligat priuilegiatum, sed solum confert illi gratiam liberam. An aliquando per accidens, & ex aliqua suppositione tenetur vti, vt si priuilegium reddat possibile id, ad quod priuilegiatus alias tenetur. Si enim obligatur ad aliquid faciendum, ita vt præceptum habeat locum, quotiescunque est aliquid ipsi possibile, & solum per vsum priuilegij fuit possibile, tenebitur vti priuilegio, vt contingit in casu præsenti.

An quando adest solum sacerdos non approbatus, aut canonicè impeditus, censeatur adesse copia confessarij.

SECTIO II.

4 Dicendum est. *Non adesse copiam confessarij, quando non adest sacerdos, qui legitimè possit audire confessiones, siue sit simplex sacerdos non approbatus, siue excommunicatus, siue suspensus, siue quocunque alio modo habens impeditam iurisdictionem.* Ita Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 5. art. 6. conclus. 5.* & *dist. 22. qu. 1. ar. 4. conclus. 1.* Syluester *verbo.* Excommunicatio *3. n. 1. effec. 10.* Tolet. *lib. 3. cap. 10. nu. 5. casu 3.* Suar. *disp. 66. de Sacram. sect. 4. ver. Ex his.* Azor. *par. 1. li. 10. cap. 31. q. 7.* Facundez *præcep. 3. Ecclesi. lib. 3. cap. 9. nu. 24.* Reginal. *lib. 29. cap. 9. num. 108.* Palaus *par. 4. tract. 21. disp. vnic. punct. 12. n. 6.* Bartholom. ab Angelo *Dial. 4. §. 200.* Filliuc. *trac. 4. cap. 8. q. 3.* Nugnus *3. par. q. 80. art. 4. ver.*

circa

circa primum Bonac. *disput.4. de Euchar.q.16. punc.1. num.24.* Auersa *in.8.de Euchar.quæst.6.ver.Certa verò.* Ratio est, quia absolutio est actus iurisdictionis, vt declarat Concil. Triden. *sess.14.præsertim cap.7.* Ergo vbi non est iurisdictio, non est facultas absoluendi. Vbi autem non est facultas absoluendi; aut si est, impedita est, ita non possit validè operari, neque etiam est confessarius.

An adsit inopia confessarij, quando timetur de reuelatione, aut de alio notabili damno.

SECTIO III.

5 Communiter conueniunt, quod in tali casu non teneatur penitùs cõfiteri illud peccatum, quod timet fore reuelandum à confessario, aut ex cuius confessione graue damnum euenire possit, & proinde possit cetera peccata confiteri, & hoc tacere, in quo casu confessio erit integra formaliter, licet nõ materialiter. Debet tamen timor esse rationabilis alioquin, si sit vanus, non excusabitur pœnitens, quia in tali casu censebitur habere inopiam confessarij, si non adsit alius. Nam idem est non habere confessarium habilem, cum quo tutò possit confiteri, ac non habere. Solum difficultas, an si habeat alia peccata mortalia teneatur illa confiteri, tacendo illud de quo sibi timet.

6 Prima sententia est negatiua. Ita Caietan. *in sum. verbo.* Confessio Sacramen. *condit.10.* Sot. *in 4.dist.18. q.2.art.5.ad 3.* Ledesma *2.par.4.qu.7.art.5.conclus.3.* & idem videtur sentire etiam D.Thom. *in 4.dist.17. qu.3. ar.3.quæstiunc.4. ad 5.* Addunt tamen, melius esse confiteri peccata, quæ sine periculo possunt explicari.

7 Secunda sententia asserit, Teneri præmittere confessionem aliorum peccatorum. Ita Maior *in 4.dist.17.q.5.* Syluester *verbo.* Confessio 1. *num.19.* Nauar. *in Manual cap.7.num.6.* Henriquez *lib.8.sum.cap.47.nu.1.* Facundez *præcep.3.lib.3.cap.9.num.21.* Reginald. *lib.29. c.6. num.108.casu 2.* Suar. *disp.66. de Sacram sect.4. casu 3.* Vasquez *3.par.disp.208.cap.2.nu.6.* Coninch *q.80.ar.4. dub.2.nu.23.* Mercer. *dub.2.ver.Resp.2.* Syluius *q.2. ver. Quarto.* Præposit. *ar.5.dub.3.ver.Aduerte 1.* Palaus *par. 4.tract.2.disp.vnic.punc.16.nu.6.*

8 Dicendum est. *Habentem alia peccata teneri illa manifestare, vt mediante confessione illorum absoluatur indirectè ab illo, quod non potest sine graui præiudicio manifestare.* Probatur. In tali casu potest implere præceptum Diuinum, quo obligatur quisque habens conscientiam peccati mortalis se probare iuxta illud Apostoli 1. Ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo.* Ergo non excusatur à præmittenda confessione. Antecedens patet. Quia potest ab omnibus, & etiam ab illo indirectè absolui, & sic remanere probatus. Consequent. etiam patet. Nam in tantum excusaretur, in quantum absque graui damno non posset implere præceptum. Potest autem absque vllo damno. Confirmatur. Potest præmittere confessionem integram formaliter, pro qua habet copiam confessarij. Ergo tenetur, quia potest seruare præceptum quoad substantiam, & pro tali obseruantia habet confessarium habilem.

An si quis non habeat aliud peccatum mortale præter id, ex cuius confessione damnum timet, teneatur confiteri venialia.

SECTIO IV.

9 Conueniunt Doctores præsertim infra citandi, quod si is non putet contritum, sed solum attritum, teneatur confiteri venialia, vt mediante Sacramẽto sufficienter disponatur. Vnde solum difficultas est, quando saltem probabiliter putat, se esse contritum. Quã plures docent non teneri præmittere confessionem venialium peccatorum. Ita Suar. *disp.66.de Sacram.sect.4. casu 3.in fine.* Reginal. *lib.29.cap.6. nu.108. casu 4.ver. si quæras.* Mercer. *3.par.qu.80.art.4.dub.2. ver.Resp.2.* Syluius *quæsito 2.ver.Quarto.* Præposit. *ar.5.dub.3.ver. Aduerte 1.* Auersa *q.8.de Euchar.sect.6.ver.Certa verò.* Palaus *par.4.tract.21.disput.vnica.pun.12.num.6.* Fundamentum est. Præceptum confitendi non obligat ad confitendum peccata venialia. Ergo ex vi præcepti præmittendi confessionem non tenetur in tali casu confiteri venialia.

10 Hoc tamen non obstante. Dicendum est. *Teneri in tali casu præmittere confessionem venialium.* Probatur. Quicunque habens conscientiam peccati mortalis, tenetur se ipsum probare, antequam accedat ad Eucharistiam ex præcepto Diuino, iuxta illud Apostoli 1. Ad Corinth. 11. *Probet autẽ se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* & hæc probatio debet fieri per confessionem ex declaratione Concilij Triden. *sess.13.cap.7.* & *can.11.* sed qui habet peccatum vnicum mortale, quod non potest cõfiteri sine graui damno, est subiectus præcepto de hac probatione, nec impeditur, quin possit illam præmittere. Ergo tenetur præmittere. Minor probatur. Potest sine vllo damno confiteri venialia, & indirectè absolui ab illo mortali absque vllo damno. Ergo non excusatur, quia ratione solius damni posset excusari ab obseruantia præcepti. Confirmatur. Præceptum iniungit probationem per confessionem non hoc, vel illo modo, sed indeterminate: ergo cum possit fieri probatio indirectè quoad illud peccatum per confessionem venialium, præceptum adhuc obligabit. Confirmatur 2. Quando aliquod præceptum seruari potest pluribus modis salua substantia ipsius, si non potest seruari vno modo, debet seruari alio modo, quo potest, vt inter alios notant Couaruu. *lib.4.variar. cap.20. num.13.* Caiet. *2.2. qu.147. ar.7.* D. Antonin. *par.2.tit.7.cap.2. §.7.* Nauar. *in Manual.cap.21.num.22.* Valent. *tom.3.disp.9.qu.2.punc.5. ver. Qui autem.* Ledesma *2.par.4.q.17.art.3.præposit.2. circa finem.* Quia cum præceptum per se primò respiciat substantiam rei præceptæ, & secundariò modum adimpletionis, exigit substantiam actus hoc, vel illo modo, qui hic & nunc est possibilis subdito. Ergo cum præceptum de præmittenda confessione exigat tanquam substantiam expiationem animæ mediante absolutione, & hæc expiatio possit fieri per absolutionem directam, vel indirectam; si præceptum impleri non potest cum absolutione directa, obligabit ad absolutionem indirectam mediante confessione venialium.

11 Ad fundamentum in oppositum respondetur. Non adesse obligationem confitendi venialia peccata per se; posse tamen adesse per accidens, quando scilicet aliunde oritur obligatio confessionis, vt in præsenti casu, nam absolutè indiget probatione, qui habet cõscientiam peccati mortalis, quam cum non possit obtinere mediante confessione ipsius, debet obtinere mediante confessione venialium.

An ratione casus reseruati censeatur adesse inopia confessarij.

SECTIO V.

12 Procedit difficultas, quando non potest adiri superior, nec ab ipso peti licentia. Conueniunt autem communiter in tali casu, adesse inopiam confessarij, quia idem est non habere copiam confessarij, ac non habere legitimũ, qui iurisdictionem habeat; ita Scot. *in 4. dist.9.quæst.vnica.§. De Tertio.* Palud. *q.2.ar.1.in fine.* Sotus *dist.12.q.1.ar.4.casu 4.* Azor. *par.1.lib.10.cap.31. quæst.5.* quod an verum sit, constabit ex dicendis. Solum difficultas est, quando adsunt alia peccata non reseruata simul cum reseruatis.

13 Pri-

23 Prima sententia asserit, non solum non teneri præmittere confessionem, sed nec etiam posse. Ita Vasquez 3. par. disp. 208. capit. 2. & qu. 91. art. 3. dub. 2. Probatur. Non potest confiteri reseruata, quia confessio non potest dimidiari. Ergo.

24 Secunda sententia asserit, teneri confiteri omnia peccata, etiam reseruata, vt ab ijs indirectè absoluatur. Ita D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 2. ad 4. Sotus dist. 18. q. 2. art. 5. in solutio. argum. post 2. propos. Ledesma 2. par. 4. quæst. 8. ar. 3. dub. 3. Viguerius cap. 16. Instit. Theolog. §. 4. ver. 17. Henriquez lib. 8. sum. cap. 47. n. 2. Lopez par. 1. Instruc. cap. 11. qu. 5. Suarez disp. 66. de Sacram. sect. 4. casu 4. Valent. tom. 4. disp. 7. qu. 11. punc. 1. ver. Notant verò. Reginal. lib. 29. cap. 6. nu. 108. casu 3. Facundez præcep. 3. li. 3. cap. 9. num. 22. Vega in speculo curat. par. 1. cap. 11. num. 273.

25 Tertia sententia asserit, non teneri confiteri, licet possit, quia censendum est, non adesse copiam confessarij. Ita Io. Sanchez in select. de Sacram. disp. 32. num. 10. qui alios citat. Diana. par. 2. trac. 14. Resolut. 66. qui similiter alios citat. Fundamentum est. Quia cum non possit absolui à reseruatis, censetur non habere copiam confessarij.

26 Quarta sententia asserit, esse necessario confitendũ non reseruata, non autem reseruata. Ita Palaus. par. 1. oper. Moral. tract. 4. disput. 4. punc. 3. §. 6. nu. 2. & par. 4. tract. 21. disput. vnic. punc. 12. num. 6. circa finem. & alii Recentiores.

27 Dico 1. *Qui non habet copiam confessarij, qui possit absoluere a reseruatis, neque etiam potest indirectè absolui à reseruatis confitendo non reseruata.* Probatur. Absolutio à peccatis mortalibus est indiuisibilis, ita vt non possit absolui quis ab vno, nisi absoluatur ab omnibus. Ergo qui habet reseruatum, non potest vllo pacto absolui ab eo, qui non habet iurisdictionem. Consequent. probatur. Tum quia peccatum reseruatum extrahit pœnitentem omnino à iurisdictione confessarij inferioris; nam sicuti absolutio non potest fieri ab vno, quin fiat ab omnibus peccatis, ita nec potestas absoluendi potest se extendere ad vnum, nisi se extendat ad omnia, & eo ipso, quod non se extendit ad vnum, ad nullum se extendit. Tum quia absolubilitas passiua pœnitentis est indiuisibilis, sicuti etiam est absolutio; & ideò aut secundum totam indigentiam absolutionis subijcitur confessario, aut secundum nullam. Tum quia causa, vt possit agere, debet adæquare effectum, qui secundum se totum debet contineri in ipsius virtute, præsertim si sit indiuisibilis. Absolutio autem tanquam indiuisibilis non minus se extendit ad reseruata, quàm ad non reseruata, & quòad reseruata non continetur in facultate confessarij.

28 Confirmatur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. Sacerdos inferior extra mortis articulum nihil potest in casibus reseruatis. Ergo non potest absoluere eum, qui habet casus reseruatos. Dices. Nihil posse directè, posse tamen indirectè. Contra. Si posset indirectè, non esset verum, quod nihil posset, nam posset aliquo modo. Dictio autem *nihil*, omnia excludit, & nullam recipit restrictionem l. 11. qui ducenta. §. vtrum. ff. De reb. dub. & notant Glos. in Authen. De hæred. & Fal. verbo. Nihil. Dec. Consil 442. num. 32. vol. 2. Craueta Consil. 294. num. 6. Roman. consil. 379. num. 2. Cephal. consil. 86. nu. 13. li. 2. Rolan. consil 27. n. 26. vol. 4. Alexand. consil. 173. n. 10. vol. 6. Surd. de alim. tit. 9. qu. 35. nu. 39. Menoch. Præsum p. 89. num. 24. lib. 4. Confirmat. Prohibitum directè non potest fieri per indirectum, l. scire oportet. §. si mater. ff. De tut. & curat. dat. & cap. cum quid. De reg. iur. in 6. Ergo cum sit prohibitum directè absoluere à reseruatis, non potest impendi absolutio indirectè.

29 Dices. Si quis haberet casum reseruatum, & non recordaretur, absolueretur indirectè ab ipso. Ergo etiam, quando recordatur. Respondetur negando consequent. Quia quando recordatur, debet pœnitens ob integritatem confessionis illum exponere, cum non adsit causa excusans, atque adeò etiam secundùm ipsum se subijcere iurisdictioni confessarii. Vnde cum non possit se subijcere, quia non habet iurisdictionem, ideò nulla esset absolutio. Quando autem non recordatur, in sua conscientia est sub iurisdictione confessarii, & ideò potest se subiicere, & iurisdictio operari, sic, etiamsi quis non recordaretur alicuius peccati, absolueretur ab ipso, & tamen si aliquod, cuius recordatur, taceret, etiamsi de ipso doleret, absolutio totaliter esset nulla.

30 Dico 2. *In tali casu debere, & teneri confiteri omnia peccata, etiam reseruata, & tunc directè absolueretur ab omnibus ex præsumpta voluntate Ecclesiæ.* Probatur. Potestas reseruandi peccata est in ædificationem, non in destructionem, vt habet Concil. Trident. sess. 14. capit. 7. Ergo etiam reseruatio censetur facta in ædificationem, non autem in destructionem. Ergo quando venit casus, quod non esset in ædificationem, sed in destructionem, censetur cessare. Esset autem in destructionem, quando esset causa damni notabilis; & tunc esset causa damni notabilis, quando adesset necessitas celebrandi, aut sumendi Eucharistiam, & non posset absolui. Ergo. Confirmatur. Tũc cessaret præceptum Diuinum de præmittenda confessione, si nullius confessarii haberet copiam. Ergo cessat etiam reseruatio humana, si non adest copia confessarii potentis absoluere, quia strictius obligat præceptum Diuinum, quàm obliget reseruatio.

31 Dices. Esse absque præmissa confessione celebrare, aut sumere Eucharistiam, tanquam si nullius confessarii haberet copiam. Contra. Vrgente necessitate communionis, aut celebrandi, cessat tantum illa obligatio, quæ est iuxta exigentiam necessitatis, & iuxta inopiam confessarii. Ergo cum non adsit absolutè inopia confessarii, sed tantùm superioris, non cessat absolutè obligatio confitendi, sed confitendi ipsi superiori.

32 Dices 2. Licet cesset obligatio, non tamen inferiores confessarios acquirere iurisdictionem quòad reseruata. Contra Reseruatio censetur facta, quando pœnitens potens accedere ad superiorem: non autem pro casibus in quibus non potest accedere cum sit facta in ædificationem, non in destructionem. Ergo in hoc casu cum non possit accedere censetur cessare pro obtinenda absolutione Sacramentali.

33 Obiicies. Ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. Sacerdotes inferiores nihil possunt in casibus reseruatis extra articulum mortis. Ergo non poterit in præsenti casu absoluere. Respondeo. Nihil posse in casibus reseruatis iudiciali modo, quia quòad ipsos non sunt iudices in foro pœnitentiali; & proinde absoluendo non liberant ab onere comparendi, & iterum confitendi ea peccata iudici superiori. Possunt tamen vrgente necessitate Sacramentaliter, quia censetur ipsis concessum, quod possint non obstante reseruatione ministrare Sacramentum, & ab omnibus Sacramentaliter absoluere, remanente onere adeundi superiorem iuxta cap. *Eos qui*. De sent. excommunicat. in 6. & cap. *Mulieres*. & cap. *Noscitur* & cap. *Quamuis* & cap. De cæter. De sent. excommun. Ex quibus habetur, quod extra periculum mortis stante legitimo impedimento datur facultas absoluendi cum onere comparendi coram superiore. Quod locum habet etiam in casibus, qui non habent annexam censuram, vt notat Suarez disput. 30. de pœnit. sect. 3. num. 11. Quia militat eadem ratio.

Quanta debeat esse distantia, vt censeatur non adesse copia Confessarij.

SECTIO VI.

34 Prima sententia asserit. Adesse copiam Confessarii, si sit intra idem oppidum, etiam si longius distet ab Ecclesia. Si verò sit in alio oppido, debere distare

distare saltem tribus milliaribus. Ita Camus *Relect. de pœnit. par. 5. §. Ad tertium non est difficile.* Henriquez *lib. 8. sum. cap. 46. in fine.* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 31. q. 3. ver. Quæres.*

35 Secunda sententia asserit, hoc non posse definiri certa regula, sed relinquendum iudicio prudentis viri, & esse decernendum habita ratione omnium circumstantiarum. Ita Lopez *par. 1. instruc. cap. 11. q. 2.* Vasquez *3. par. disp. 208. cap. 2. num. 9.* Nugnus *q. 80. art. 4. diffic. 2. ver. circa primum.* Coninch *dub. 2. n. 23.* Reginald. *li. 29. cap. 6. num. 107. ver. circa hunc.* Suarez *disput. 66. de Sacram. sect. 4. ver. ex his.* Facundez *præcep. 3. Eccles. li. 3. cap. 9. num. 24.* Bonacina *disp. 4. de Eucharis. q. 6. pun. 1. num. 30.* Auersa *quæst. 8. de Euchari. sect. 6. ver. deinde pro discernenda.*

36 Dicendum est. *Tunc non adesse copiam Confessarij, quando ratione distantiæ non potest sine graui incommodo adiri, siue id proueniat ex magna distantia, siue ex alio capite, etiamsi sit confessarius intra idem oppidum, & etiamsi parum distaret, dummodo adessent alia impedimenta, vt si Parochus attendere deberet ijs, quæ ipsi ex officio incumbunt, aut similia interuenirent.* Probatur. Carentia confessarij moraliter pensanda est. Ergo totum id, quod reddit grauiter incommodam aditionem ipsius, censetur facere inopiam confessarij, quia facit, quod non possit haberi sine notabili difficultate. Notabilis autem difficultas cōparatur impossibilitati. *l. apud Iulianum. §. constat. ff. de legat. 1.* & *l. continuus §. cum quis ff. De verborum oblig.* Tunc autem non potest haberi absq; notabili difficultate quando occurrit notabile impedimentum siue ratione distantiæ, siue ex quocunque alio capite, nam tunc esset tale impedimentum superandum.

37 Ex dictis colligitur. Considerandam esse ætatem sacerdotis, valetudinem, occupationes, qualitatem itineris pro adeundo confessarium, & alia huiusmodi, quia ex his omnibus augeri potest incommodum, & reddi moraliter impossibilis copia confessarij.

38 Colligitur 2. Quod si sacerdos adiens confessarium distantem, ratione circumstantiarum præberet suspicionem peccati mortalis, vt si esset hora celebrādi, & differret, vt adiret confessarium inde distantem, excusaretur tanquam non habens copiam confessarij, quia tunc subiret aliquam grauem notam in communi opinione. Quādo autem non potest haberi copia confessarij, nisi cum graui nota, censetur absolutè non posse haberi.

39 Colligitur 3. contra Sotum *in 4. dist. 12. q. 1. art. 4. casu 2.* Cordubam *lib. 1. q. 16. casu 2.* Non posse assignari vnum, aut plures dies determinatos, in quibus possit sacerdos celebrare vrgente necessitate absque præmissa confessione. Sed hoc quoque relinquendum iudicio prudentis viri habita ratione circumstantiarum &c. Nam fieri potest, quod illud impedimentum, quod excusat pro primo die, & facit, quod non adsit copia confessarij, duret etiam secundo, tertio, aut quarto die, imò maius fiat, vt si sit longa distantia, nam ratione pluuiarum, aut aliūde potest iter reddi difficilius.

An quando non potest præmitti confessio sit necessaria contritio.

SECTIO VII.

40 Dicendum est. *Esse ex natura Sacramenti, & de iure Diuino necessariam contritionem.* Ita D. Th. *3. par. q. 80. art. 4. in corpore.* & *ad 5.* Syluius *quasi 3.* M... *ver. dub. 2. ver. Notandum tertiò.* S... *verbo. Eucharistia 2. ... e. 10.* Angel. *num. ...* Armilla *verbo.* C... *10. n. 2...* Tabiena *verbo.* Communicare. *n. 3...* Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. ar. 4.* Lopez *par. 1. instr. ... cap. ... 1.* Henriquez *lib. ... 2. ... cap. 2... num. 6.* & *libr. 8. cap. 15. num. 5.* Corduba *lib. 1. q. 16. ...* Tolet. *lib. ... cap. 1...* *num. 1.* Azor *par. 1. lib. 10. cap. 31. q. 3.* & *4.* Valent. *to. 4. disput. 6. q. 8. punct. 3. in r... ... ad 2.* Sa *verb. Eucharistia. num. 13.* Reginal. *lib. 29. cap. 6. num. 1..9.* Suarez *de Sacram. disput. 66. sect. 5.* Auersa *quæst. 8. de Eucharist. sect. 6. init.*

41 Prob. Ex natura rei, & secundum exigentiam sacramenti tenetur quisque dignè accedere ad celebrandum, aut communicandum, & etiam de iure Diuino. Non potest autem accedere, qui habet conscientiā peccati mortalis, nisi ei remittatur, aut per confessionem, aut per cōtritionem. Ergo Maior patet. Tum ex Concil. Trident. *sess. 13. cap. 7.* vbi ex eo, quod ad sanctas functiones sanctè accedere oportet, infert cum sanctitate ad hoc Sacramentum esse accedēdum: Tum ex Apost. 1. Ad Corinth. cap. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat;* Minor probatur. Non potest quis esse sibi probatus tanquam potens dignè accedere, quamdiu habet conscientiam peccati mortalis. Ergo nisi cognoscat esse sibi remissum: non potest autem remitti, nisi per contritionem aut confessionem. Confirmatur. Hoc Sacramentum est per modum cibi. Ergo ex natura sua supponit vitam spiritualem. Ergo cum non viuat, qui habet conscientiam peccati mortalis, debet iuxta exigentiam Sacramenti prius se reducere per confessionem, vel contritionem ad vitam spiritualem.

42 Dices. Si esset necessaria contritio, esset etiam necessaria, quando præmittitur confessio, quia præceptum confitendi non abstulit obligationem, quæ nascitur ex natura rei, hoc autem est falsum. Ergo. Respondetur negando sequellam. Ad probationem negatur assumptum. Nam præceptum confitendi aufert mediante confessione talem obligationem. Obligatio enim contritionis non est absoluta, sed conditionata, si adsit conscientia peccati mortalis; quia autem confessio tollit cōscientiam peccati mortalis, ideò tollit etiam obligationem ad contritionem.

An sufficiat vera attritio.

SECTIO VIII.

43 Prima sententia asserit, non esse sufficientem: ita Maior. *in 4. dist. 9. quæs. 1. conclus. 2.* & *3.* Probatur. Attritio non delet peccatum mortale. Ergo qui habet peccatum mortale, & habet solum attritionem adhuc accedit indignè.

44 Secunda sententia asserit, sufficere attritionem, putatam contritionem. Secus autē si sit cognita vt attritio. Ita D. Thom. *in 4. dist. 9. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 2.* & *3. par. quæst. 79. art. 3. in corpore.* & *quæst. So. ar. 4. ad 5.* Alensis *p. r. 4. quæs. 46. mem. 3. artic. 2.* Gabriel *lect. 8. in canonem.* Scot. *in 4. dist. 9. quæs. vnic. §. de secundo.* D. Bonau. *art. 2. qu. 3.* Durand. *qu. 4. nu. 7.* & *8.* Richard. *art. 2. q. 1.* Palud. *q. 2. art. 1.* Marsil. *q. 6. ar. 4. conclus. 1.* Adrian. *q. 1. de Euchar.* Sotus *dist. 12. q. 1. ar. 4. ad 5.* D. Antonin. *3. p. tit. 13. cap. 6. §. 7.*

45 Dico 1. *Non sufficit attritio cognita vt attritio.* Probatur. Qui habet conscientiam peccati mortalis, & cognoscit se tantum attritum, non est probatus, ita vt possit se habere pro digno, imo adhuc se cognoscit maculatum peccato mortali. Ergo si accedat, faciet contra præceptum Diuinum.

46 Dico 2. *Sufficere attritionem putatam contritionē.* Probatur. Quando quis habet solum attritionem, putatam tamen contritionem in sua conscientia est probatus ea probatione, qua potest. Ergo accedit dignè. Consequentia probatur. Dignitas accessus, vel indignitas qualificat ipsum accessum, quatenus est quædam operatio moralis, quia dignitas, & indignitas sunt in ordine morali. Ergo qualificat quatenus regulatur secundum cognitionem. Ergo est dignus, vel indignus, quatenus ex men-

menſura cognitionis accipit dignitatem, vel indignitatem. Sed quando quis ſe putat contritum, licet ſit ſolum attritus, apprehendit ſe poſſe dignè accedere. Ergo dignè accedit, quia acceſsus regulatur ſecundum hanc apprehenſionem.

47 Ad fundamentum primæ ſententiæ negatur conſequent. Quia ſi attritio apprehendatur vt contritio, apprehenditur etiam dignitas, & ab hac apprehenſione refunditur in acceſsum.

Dices vel attritio eſt ſufficiens diſpoſitio pro hoc Sacramento vel non: ſi primum; ergo ſufficiet etiam cognita vt attritio. Si ſecunda; ergo neque ſi putetur contritio, quia illa opinio non mutat diſpoſitionem. Reſpondetur. Non eſse de ſe ſufficientem, & proinde neque per ſe ſufficere. Poſse tamen ſufficere per accidens. Ad probationem. Opinionem non mutare diſpoſitionem ſecundum ſe, mutare tamen acceſsum, quia facit, vt ſit dignus, cum aliàs eſset indignus. Nam vt dictum eſt, ſumit dignitatem à diſpoſitione, vt eſt in exiſtimatione accedentis.

DE ALIIS IMPEDIMENTIS in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ vel celebrationem,

DISPVTATIO CXIV.

An qui innodatus eſt excommunicatione poſſit vrgente neceſſitate celebrare, aut ſumere Euchariſtiam.

SECTIO I.

1 Cenſuræ quoque Eccleſiaſticæ ponunt impedimentum in ordine ad celebrandum, vel ſumendam Euchariſtiam, vt excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, irregularitas, ſiue ſit pœna, ſiue inhabilitas. Certum eſt autem, quod ſi huiuſmodi impedimenta ſint publica, nulla vrgente neceſſitate, dummodo non ſit talis, quæ etiam contra publicum impedimentũ præualere poſſit, vt eſſent minæ mortis, aut grauiſſimi damni, niſi quis celebraret, ſi tamen non eſſent in contemptum religionis, poteſt celebrare, aut Euchariſtiam ſumere, nam eſſet magnum ſcandalum, ſi quis publicè excommunicatus, aut interdictus &c. celebraret; & proinde tenetur abſtinere ab ea actione, vnde oriri poteſt. Difficultas autem eſt de occultè excommunicato.

2 Prima ſententia aſſerit, nullo modo poſſe celebrare, aut Euchariſtiam ſumere, etiam ſi immineat aliàs periculum grauiſſimum. ita Sottus *in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. caſu 4. & diſtin. 18. q. 2. ar. 5. ad argumentum Adriani.* Lopez *par. 1. inſtruct. cap. 11. q. 2.* Corduba *lib. 1. q. 35. circa finem,* Medina *cap. 11. inſtruc.* §. 3. Couarruu. *in cap. Alma mater. par. 1. §. 2. nume. 11.* Syluester *verbo.* Excommunicatio *3. num. 1. eff. 1. & 5.* Viual. *in Candel. Titul. de præpar. ad Euchar. nume. 23.* Valent. *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 8. punct. 3. ver. Non ſunt audiendi.* Probatur. Excommunicatus eſt inhabilis ad recipienda, & miniſtranda Sacramenta. Ergo ſi recipiat, aut celebret, peccat contra præceptum Eccleſiæ.

3 Secunda ſententia aſſerit in tali caſu licere celebrare, aut Euchariſtiam ſumere. Ita Angelus *verbo.* Euchariſtia *2. num. 6.* Sylueſter, *num. 10.* Tabiena *verbo.* Excommunicatio *1. effectu 5.* Armilla *num. 9. effectu 2.* Sà *verbo.* Euchariſtia. *nu. 13.* Henriquez *lib. 8. de Euchariſtia. cap. 47. nu. 3.* Caſtro *lib. 2. de poteſt. leg. pœnal. cap. vlti. concluſ. 2.* Nauar. *cap. 27. Manual. num. 239.* Corduba *in ſum. q. 142.* Suar. *tom. 4. in 3. par. diſp. 31. ſect. 3. num. 7.* Chelliſon. *3. par. q. 80. art. 5. dub. 2. in fine.* Auerſa *q. 8. de Euchariſ. ſect. 6, ver. Quod ſi pœnitens.* Ludouicus à S. Ioan. *par. 1. ſum. q. 7. de Euchariſ. ar. 7. dub. 2.* Victor. *in ſum. tit. de excom. q. 13.* Corduba *lib. 1. quæſ. 3.* Gutierez *lib. 1. quæſt. canon. c. 13. num. 21.*

4 Dicendum eſt. *Vrgente neceſſitate, aut ob vitandum ſcandalum, aut graue damnum poteſt excommunicatus occultus celebrare, aut Euchariſtiam ſumere.* Probatur. Cenſuræ ſunt de iure humano Eccleſiaſtico. Ergo non præualent contra ius naturale. Cum ius inferius non præualeat contra ſuperius. De iure autem naturali tenemur vitare ſcandalum, & poſſumus nos conſeruare indemnes. Ergo quando agitur de ſcandalo vitando, aut de graui damno auertendo, ceſſat ius Eccleſiaſticum cenſurarum, quia non obligat contra id, quod concedit ius naturale, aut quod præcipit. Confirmatur. Nulla lex poteſt obligare cõtra iuſtitiam, quia eo ipſo, quod procederet contra iuſtitiam, eſſet iniuſta. Ergo neque contra id quod concedit ius naturale, quia ius naturale continet iuſtitiã, & eſt immutabile. Ad fundamentum in oppoſitum diſtinguitur conſequens. Excommunicatus peccat recipiẽs Sacramenta, aut celebrans, quamdiu excommunicatio obligat ad abſtinendum; ſecus autem ſi ceſſet obligare; ceſsat autem obligare, quando concurrit cum iure naturali.

5 Ex dictis colligitur. Idem dicendum eſt quòad alias cenſuras, ſi ſint occultæ, & etiam quòad irregularitatem, ex delicto. Quia cum omnia hæc inducant ſolum prohibitionem Eccleſiaſticam humanam, cedunt in concurſu cum iure naturali. Quod autem ſpectat ad irregularitatem ex defectu lenitatis, cum ipſa quoque ſit de iure humano, vrgente aliqua neceſſitate cedet ipſi, quæ tamen non poteſt eſse neceſſitas euitandi ſcandali, aut infamiæ, quam non poteſt ſubire ex eo, quod aliquis ſit irregularis irregularitate ex defectu lenitatis. Quod etiam ex eo patet, quod Pontifex diſpenſat in his impedimentis. Ergo ſi poſſunt tolli per diſpenſationem, ceſsabunt etiam vrgente neceſſitate, quia non minus neceſſitas facit ceſſare legem, quàm faciat diſpenſatio.

An quando excommunicatus vrgente neceſſitate poteſt celebrare aut Euchariſtiam ſumere, debeat præmittere confeſſionem.

SECTIO II.

6 Prima ſententia aſſerit, non poſſe præmittere confeſſionem: ita D. Thom. *in 4. diſt. 18. qu. 2. art. 5. quæſtiunc. 1. ad 2. & diſt. 19. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 2.* Richard. *diſt. 18. qu. 7. art. 4.* Sotus *qu. 2. art. 5. ad 1. Argum.* Palud. *diſt. 17. quæſ. 5. art. 1. concluſ. 2.* Armilla *verbo.* Abſolutio. *num. 5.* Syluester *verbo.* Confeſsor. *3. num. 12.* Roſella *verbo.* Confeſsor *1. num. 10.* Tabiena *verbo.* Abſolutio *1. num. 24. & verbo.* & Confeſſio *q. 24.* D. Antonin. *3. par. tit. 14. cap. 19. §. 4.*

7 Secunda ſententia aſſerit, poſſe licitè confiteri, & abſolui. Ita Caietanus *in ſum. verbo.* Abſolutionis *impedimenta.* Couar. *in cap. Alma mater. par. 1. §. 6. num. 7.* Comitol. *lib. 6. Reſpon. moral. q. 26. num. 6.* Angelus *verbo.* Confeſſio *5. num. 10.* Naldus *verbo.* Excommunicat. *num. 25.* Henriquez *lib. 8. ſum. cap. 47. nu. 3.* Suarez *to. 4. in 3. par. diſput. 26. ſect. 6. nu. 6. & 7.* Reginal. *lib. 8. c. 6. num. 86.* Auerſa *quæſ. 8. de Euchariſt. ſect. 6. ver. Quod ſi pœnitens.*

8 Dicendum eſt. *Poſſe in tali caſu licitè præmittere confeſſionem non obſtante excommunicatione, atq; adeo teneri præmittere;* ſiquidem cum poſſit, vrget præceptũ Diuinum de præmittenda. Probatur. Excommunicatio non impedit vrgente neceſſitate celebrationem, ſed cenſetur pro illo caſu ceſsare. Ergo nec etiam impediet confeſſionem. Conſequent. probatur. Quia ſi cedit iuri naturali

turali de vitando scandalo, de conseruanda propria fama &c. cedet etiam iuri Diuino de præmittenda confessione, & se probando per confessionem, & iuri naturali Diuino, de exhibenda Sacramento, seu sacrificio reuerentia debita. Confirmatur. Concesso vno conceduntur ea omnia, quæ sunt necessaria ad ipsum *l. 2. ff. de iurisd. om. iud.* & *l. Ad rem mobilem. §. Qui procuratorem. ff. De procurat.* Imo etiam ea omnia, quæ reddunt executionem actus faciliorem, & commodiorem, vt notant Bald. *in dict. l. 2. ver. Tu die plenius. ff. De iurisdic. om. iud.* Curt. iun. *nume. 2.* Aluar. *ibidem.* Dec. *nume. 6.* Bolognet. *nu. 18.* Ergo si excommunicato vrgente necessitate conceditur posse celebrare, aut sumere Eucharistiam, conceditur etiam posse cõfiteri, cum hoc non solum reddat actum faciliorem, sed etiam sit necessarium ex præcepto Diuino.

9 Ad fundamentum in oppositum. Excommunicatum non posse recipere aliquod Sacramentum extra casum necessitatis; secus autem vrgente necessitate; nam pro illo actu censetur suspensa excommunicatio; & sicut potest recipere Eucharistiam, ita etiam potest recipere Sacramentum pœnitentiæ.

An si quis incæpta missa recordetur, se esse excommunicatum, suspensum, irregularem, possit prosequi.

SECTIO III.

10 Conueniunt omnes infra citandi, quòd si incæpta sit cõsecratio, teneatur missam prosequi. Quia tunc vrget præceptum Diuinum de integritate, & complemento sacrificij, quod præualet præcepto Ecclesiæ. Quòd si contingat recordari ante consecrationem.

11 Prima sententia asserit, quod si absq; scandalo possit, tenetur missam relinquere. Ita Paludan. *in 4. dist. 11. q. 1. art. 1. conclus. 4.* imo etiam videtur velle, quod etiam cum scandalo teneatur relinquere. Nauar. *De orat. c. 16. num. 58.* Tolet. *lib. 2. cap. 1. num. 10.* Probatur. Impedimentum excommunicationis &c. nõ potest tolli per contritionem, sicut potest tolli peccatum. Ergo cum remaneat, non potest prosequi missam.

12 Secunda sententia asserit, semper debere prosequi missam. ita D. Bona. *in 4. dist. 13.* Angelus *verbo.* Eucharistia *2. num. 6.* Vasquez *3. par. disput. 208. cap. 2. nu. 12. & 13.* Nugn. *q. 80. art. 4. diffic. 2. ver. Deinde circa.* Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. ar. 6. ad 2.* Chamerota *de Eucharis. c. 9. dub. 9.* Barthol. ab Angelo *Dialog. de mis. §. 660.* Reginal. *lib. 29. cap. 6. num. 106.* Probatur. Dicta impedimenta impediunt sacrificium inchoare, non autem perficere. Ergo. Confirmatur. Fere nunquam potest cæpta missa relinqui sine scandalo, aut graui nota celebrantis.

13 Tertia sententia asserit, esse in potestate celebrantis relinquere missam, vel prosequi; non posse tamen relinquere, si sequatur graue scandalum. ita D. Thom. *3. par. quæst. 83. art. 6. ad 2.* Syluester *verbo.* Eucharistia *2. n. 9.* Armilla *verbo.* Missa *num. 13.* Tabiena *num. 32.* Henriquez *lib. 8. cap. 46. num. 3.* Azor *par. 1. lib. 10. capit. 33. q. 2.* Facundez *præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 9. nu. 12.* Suarez *disput. 66. de Sacram. sect. 4. causa 5. in fine.* Sà *verbo.* Missa. *nu. 32.* Coninch *3. par. q. 80. art. 8. nu. 64.*

14 Dicendum est. *Secluso scandalo posse intermittere missam, & etiam prosequi.* Dixi secluso scandalo, quia, cum de iure naturali teneatur ipsum vitare, tenetur etiam in tali casu prosequi missam. Probatur. Neque ex præcepto Ecclesiæ tenetur prosequi, quia nullum adest, neque ex natura sacrificij, quia sacrificium quoad esse propriũ nondum est incæptum, quia omnia, quæ præcedunt consecrationem, sunt quædam ritualia. Ergo ex nullo capite tenetur prosequi. Rursus ista impedimenta sunt de iure Ecclesiastico. Ergo non impediunt sacrificium bona fide inchoatum, quia quando incipit mala fides, res non est integra, & ideo non habet locum prohibitio, vt possit subintrare; siquidem est prohibitio de non celebrando, non autem de non prosequendo incæptum sacrificium; prohibitiones autem tanquam odiosæ strictè accipiendæ sunt.

15 Ad fundamentum primæ sententiæ negat. Consequent. Quia illa impedimenta non sunt de non prosequendo sacrificium inchoato bona fide, sed de non celebrando, vt modo dictum est.

16 Fundamentum verò secundæ sententiæ non militat contra conclusionem positum. Confirmatio verò procedit solum ex suppositione scandali; quod si vitari nõ potest, iam dictum est, quod sacerdos debet prosequi; si autem vitari potest, est in libertate ad prosequendum, vel non prosequendum.

17 Ex dictis colligitur contra Paludan. *in 4. distinc. 11. q. 1. art. 1. concl. 4.* Rosellam apud Syluestrum *citandum.* Sacerdotem prosequentem missam, quando recordatur, se esse excommunicatum, non incurrere irregularitatem. Quia cum hæc irregularitas sit ex delicto, requirit peccatum, & præsumpcionem. cap. *Clerici* & cap. *latores.* & cap. *Fraternitate. De cler. excommunic. & c. ministrante.* In hoc autem casu cum incæperit missam bona fide, nullum interuenit peccatum in eo, quod prosequatur, nec præsumptio, quia potest sequi opinionem tanquam probabilem, quod possit prosequi. Et ita docent Syluester *verbo.* Eucharistia *2. num. 9. & 10.* Armilla *nu. 13.* Henriquez *lib. 8. de Eucharis. cap. 47. num. 4.* Nauar. *De orat. cap. 16. num. 58.* & alij.

DE DISPOSITIONE REQVISITA RATIONE PECCATORUM VENIALIUM PRO SUSCIPIENDA EUCHARISTIA.

DISPVTATIO CXV.

An sit peccatum veniale accedere ad Eucharistiam cum peccato veniali actuali.

SECTIO I.

1 Certum est, esse peccatum veniale, si illa malitia refundatur aliquo modo in ipsam sumptionem Eucharistiæ, vel ratione finis, quia nimirum finis sit peccaminosus venialiter, vel ratione alicuius circumstantiæ: Quia, cum tunc actus in se ipso inficiatur, cõtinebit peccatum veniale. Solum difficultas est, quando solum peccatum veniale est concomitans, an nimirum præter hoc peccatum veniale, committatur etiam aliud in ipsa sumptione.

2 Prima sententia est affirmatiua: ita D. Bonauent. *in 4. distinc. 12. par. 2. q. 2. art. 1.* Durand. *q. 4. ad 2.* Paludan. *qu. 1. art. 2. ad 3.* Marsil. *qu. 6. art. 4. in fine.* D. Antonin. *3. par. tit. 13. cap. 6. §. 8.* Caietan. *2. 2. qu. 104. art. 8. in fine. & 3. par. q. 79. art. 1.* Corduba *lib. 1. q. 8. opin. 2.* Bellarm. *lib. 4. de Eucharis. capit. 19. ad 5.* Petrus Sotus *lect. 12. de Eucharis.* Syluester *verbo.* Eucharistia *4. num. 3.* Suar. *disp. 66. de Sacram. sect. 1. in fine.* Reginald. *lib. 29. cap. 6. num. 100.* Facundez *præcep. 3. Eccles. lib. 3. cap. 8. nu. 6.* & alij.

3 Secunda sententia negat, esse peccatum veniale, ita Maior *in 4. distinct. 9. quæst. 2. artic. 1. ad 1.* Richard. *artic. 2. quæst. 1. ad 2.* Adrian. *quæs. 1. de Euchar. §. Pro responsione in fine.* Vasquez *3. par. disputat. 207. capit. 2. nu. 18.*

num. 18. & inclinat Sotus *in 4. distinc.* 12. *q.* 1. *art.* 4. § *Ad rem verò*.

4 Dicendum est. *Quando in actu sumptionis peccatum veniale est purè concomitans, nullum aliud inducit peccatum veniale ratione, cuius peccetur, sumendo Eucharistiam, venialiter*. Probatur. Peccatum concomitans veniale non inficit ipsam sumptionem Ergo non inducit nouum peccatum veniale. Antecedens patet. Quia si inficeret, non esset merè concomitans, quia influeret in ipsam sumptionem. Consequen. probatur. Tum quia peccatum mortale ideò inducit nouum peccatum mortale, quia facit, quod ipsa sumptio, sit indigna atque adeò ipsam inficit. Tum quia in aliis actionibus bonis, & religiosis ratione peccati venialis concomitantis non habetur nouum peccatum veniale.

5 Dices. Esse aliquam leuis irreuerētiam accedere cum peccato veniali, licet concomitanti. Ergo facit, quod sumptio sit cum aliqua irreuerentia. Respondetur negando anteceden. Nam aliud est irreuerentia, & aliud minor reuerentia. Irreuerentia dicit negationem reuerentiæ debitæ: atque adeò defectus debet se tenere ex parte illius, quod est debitum: minor autem reuerentia dicit negationem alicuius reuerentiæ non debitæ, & in hoc nullum est peccatum: aliàs quilibet peccaret, quia semper reuerentia, quam haberet, esset minor illa, quam posset habere. Peccatum autem concomitans facit, quod reuerentia sit minor, non tamen tollit reuerentiam debitam, quia neque tollit debitam præparationem, neque influit in ipsam sumptionem, vnde non adest obiectum malum, ex quo consurgat nouum peccatum.

5 Dices 2. Per tale peccatum ponitur obex alicui effectui Sacramenti. Ergo inducit peccatum veniale. Respōdetur. Distinguendo antecedens. Ponit obicem negatiuū, hoc est minuit de dispositione, quæ si non minueret, esset vberior effectus. Non autem ponit obicem positiuum positiuè impediens effectum; quia cum non impediat effectum primarium, nempe gratiam, vt dicemus, neque etiam impedit effectus secūdarios. Ponere autem obicem negatiuum non est peccare venialiter, alioquin peccaret venialiter quicumque accederet cum dispositione remissa, quia negatiua impedit vberiorem effectum.

An quando peccatum veniale commissum in communione impedit actualem deuotionem, impediat etiam effectum gratiæ.

SECTIO II.

6 PRima sententia est affirmatiua ita D. Thom. *in 4. dist.* 12. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. D. Bonau. *par.* 2. *ar.* 1. *q.* 1. Durand. *q.* 4. *ad* 2. Palud. *q.* 1. *ar.* 2. *concl.* 3. Marsil. *q.* 6. *art.* 4. *circa fin.* Alens. *par.* 4. *q* 41. *mem.* 3. *artic.* 2. Caietan. 3. *par. q.* 79. *ar.* 1. D. Antonin. 3. *par. tit.* 13. *c.* 6. §. 8. Syluester *verbo*. Eucharistia 4. *num.* 4. Petrus Sotus *lect.* 12. *de Eucha ist.* Probant cibus corporalis non nutrit sine actione vitali sumentis. Ergo neque Eucharistia, cum sit per modum cibi, reficiet spiritualiter sine actione vitæ spiritualis, atque adeo sine actuali deuotione. Confirmatur. Nisi impediretur effectus gratiæ, sacerdotes qui quotidie celebrant, haberent magnum cumulum. Quod autem non habeant, non potest aliunde prouenire, nisi quia accedentes sine actuali deuotione impediunt effectum gratiæ.

7 Secunda sententia est negatiua. Ita D. Th. 3. *p. q.* 79. *ar.* 8. Adrian. *in* 3. *qu.* 4. *de Eucharis. art.* 1. Sotus *dist.* 11. *q.* 2. *ar.* 8. Gabrie *l ect.* 85. *in can. Missæ*. Ledesma 1. *par.* 4. *q.* 20. *ar.* 1. *dub.* 4. Vasquez 3. *par. disp.* 206. *cap.* 2. *nu.* 7. & *disp.* 207. *cap.* 2. *nu.* 8. Hambert *q.* 79. *disp.* 2. *ar.* 1. *propos.* 1. & 2. Mercer. *art.* 8. *propos.* 1. Sylvius *ver. Nihilominus.* Præposit. *dub.* 1. *n.* 4. Coninch *dubio item* 1. *nu.* 4. Chelison. *dub. vnic.* Nugnus *diffic. vnic. concl.* 2.

Thomus Secundus.

8 Dicendum est. *Peccata venialia etiam concomitantia sumptionem Eucharistiæ, etiamsi impediunt actualē deuotionem, non impedire effectum gratiæ, quē confert Eucharistia. Atque adeò ad hūc effectum non prærequiri actualem deuotionem.* Probatur. Ad dignè accedendum, & recipiendum fructū Sacramenti ex 1. ad Corinth. c. 11. nil aliud requiritur, nisi, quòd accedens sit probatus. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*. Quasi dicat. Quando se probauit, potest edere. Et ista probatio non consistit in alio, vt declarat Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. nisi in eo, quod accedens non habeat conscientiam peccati mortalis; & si habet præmittat confessionem. Ergo pro obtinendo effectu gratiæ non requiritur actualis deuotio. Confirmatur: vel dignè accedit, vel indignè, si dignè; ergo recipit effectum gratiæ. Si indignè; ergo peccat mortaliter.

9 Ad fundamentum in oppositum negatur consequen. quia est diuersa ratio in cibo corporali, & Eucharistico. Nam corporale ideò requirit actionem vitalem comedentis, quia nutritio non est effectus cibi, sed ipsius viuentis: nam cibus se habet solum vt materia, est enim nutritio conuersio alimenti in substantiam aliti: & ideò est actio vitalis. At cibus Eucharisticus non nutrit vt exhibens se ipsum tanquam materiam, sed causando ipsam gratiam, qua anima reficitur. Ad confirmationem. Sacerdotes quotidiè celebrantes acquirere semper nouā gratiam: quia tamen gratia datur secundum mensuram dispositionis, hoc augmētum potest esse valde exiguum, sicuti debilis est dispositio. Neque potest in contrarium adduci experientia, quia hoc augmentum non est obiectum experientia. Neque argui ex eo, quòd non sint feruentes in operibus bonis, quia hic feruor non est effectus gratiæ habitualis, sed diuini auxilij specialis, qui non datur omnibus.

DE OBLIGATIONE CONfitendi, quando quis celebrauit cum conscientia peccati mortalis sine Confessione.

DISPVTATIO CXVI.

An, & quale præceptum confiteri post celebrationem quando non fuit præmissa confessio.

SECTIO I.

1 SVpponendum est. Sacerdotem, qui habens conscientiam peccati mortalis, non præmisit confessionem celebrationi ex inopia confessarij, teneri postea, quamprimum potest, confiteri; vt habetur ex Conc. Trid. *sess.* 13. *c.* 7. ibi. *Quod si vrgente necessitate sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur*. Quod quidem præceptum obligat sub mortali non solum quia agitur de re graui; sed etiam quia talis est intentio Concilij, vt communiter Doctores, & proinde praxis, & communis sensus interpretatur de obligatione sub mortali. Ita docent Nauar. *in Manuali, cap.* 2. *n.* 10. *in fin* Valentia *to.* 4. *disp.* 6. *q.* 8. *punc.* 3. *ad* 2. Suarez *disp.* 66. *de Sacram. sect.* 7. *init.* Vasquez 3. *par. disp.* 208. *c.* 3. *n.* 16. Coninch *de Sacram. q.* 80. *ar.* 4. *in fine*. Difficultas autem est, quale præceptum sit.

2 Prima sententia asserit, hoc præceptum esse de iure Diuino. Ita Sotus *in* 8. *dist.* 9. *q.* 1. *ar.* 2. Henriquez *lib.* 8. *sum. cap.* 45. *num.* 8. & *in com. littera Z.* & ipsum agnoscit etiam Glosa *in cap. de homine.* verbo. *Peccet. de celebrat. missar.*

Gg 3 Se-

3 Secunda sententia asserit, esse de iure Ecclesiastico impositō à Concilio Tridentino: ita Nauar. *in Manuali cap.2.nu.10.* Valent.*to.4.disp.6.q.8.punc.3.ad 2.* Azor. *par.1.lib.10.c.31.q.9.* Suarez *disp.66.de Sacram.sect.2.* Vasquez *3.par.disp.208.c.3.num.16.* Auersa *q.8.de Euchar.sect.7.ver.Quartò.*

4 Dicendum est. *Ante Concilium Tridentinum non adfuiße huiusmodi præceptum, atque adeò esse Ecclesiasticum de nouo positum.* Probatur. Non est asserendum præceptum, nisi de ipso constet. Non constat autem ante concilium adfuisse hoc præceptum. Ergo. Minor probatur. Non adfuit de iure positiuo, cum de hoc iure nihil omnino constet. Nec ex natura rei: Tum quia confessio requiritur ad Eucharistiam, vt præparatio, & probatio, per quam quis se probet, vt dignè sumat, vt declarat Concil.Trid.*sess.13. cap.7.* Probatio autem in ordine ad sumendum non habet locum post sumptionē: Tum quia præceptum obligans in ordine ad aliquem actum, non obligat amplius transacto illo actu, si non potuit impleri, aut non fuit impletū, quia quod est propter aliud, hoc cessante cessat & illud: quia cessante causa finali cessat etiam effectus, seu quæ ab ipsa inferuntur necessaria, tanquam media *l. Adigere.§.Quamuis. ff. de iure patr.*& *l.cum se. ff.*de *pactis inter empt.* & cap. illa *quæ in fine.* de *voto* & cap.*cum cessante.*de *appellat.*

5 Dices. Potest contingere, quod celebrans habeat solum peccata consistentia in actibus internis. Ergo cum Ecclesia non possit præcipere actus internos, non potuisset præcipere hanc confessionem. Respondetur negando consequent. Ad probationem. Ecclesiam præcipiendo confessionem, nunquam præcipere actum internum, sed tantum actum externum confessionis Sacramentalis in ordine ad absolutionem, quia autem confessio ex sui institutione, & ex præcepto Diuino debet esse integra, ideò venit in consequentiam, vt obligatus confiteri, obligetur etiam ad aperienda peccata pure interna.

An hoc præceptum obliget etiam laicos.

SECTIO II.

6 PRima sententia asserit obligare. Ita Naua.*cap.2. Manual.num.10.* Viuald. *in Candelabro. Tit.de præpar.ad Euchar.num.19.& 22.* Tolet.*lib.2. c.1.n.12.* Sà *verbo.*Confessio.*nu.5.*& *verbo.* Eucharistia. *nu.24.* Azor.*par.1.lib.10.c.31.q.9.* Valent.*to.4.disp.6.quæst.8. punct.8.ad 2.* Henriq.*lib.8. de Eucharis. cap.45.num.4. in fine.* Zanard.*par.1.Direct.tract.de Euchar.cap.7.* Lacundez *præcep.3.Eccles.lib.3.c.8.n.9.* Probant. Si Concilium de hoc interrogatum fuisset, idem definiuisset. Ergo hoc est de iure seruandum iuxta Glos. *in l. Tale pactum §.fin.ff.*de *pact.* Militat eadem ratio in laicis, ac in sacerdotibus. Ergo etiam eadem iuris dispositio.

7 Secunda sententia asserit, non comprehendere laicos: Ita Suarez *disput.66 de Sacram.sect.7. dub.1.* Naldus *in sum.verbo.* Eucharistia.*num.4.*& *verbo.*Missa.*num.17.* Reginal.*lib.29.c.6.nu.110.* Possevin.*de Officio Curati, c.5.nu.40.* Bonac.*disp.4.de Euchar.q.6. punct.1.nu.37.* Vasquez *3.par.disp.208.cap.3.nu.23.* Nugn.*q.8. ar.4. diffic.4.* Coninch *dub.2.num.24.* Mercer.*dub.3.Corol.2.* Syluius *ar.2.dub.2.* Præposit.*ar.5.dub.4. not.3.* Hurtad. *disp.9.de Eucharistia.diffic.7.in fine.* Auersa *q.8.sect.8. ver.Nono.* Palaus *par.4.trac.21.disp.vnic.punc.12.n.9.*

8 Dicendum est. *Præceptum Concilij Trident. quamprimum confitendi non obligare laicos sed solos sacerdotes.* Probatur. Lex non obligat nisi eos ad quos loquitur Ad Roma. 3. lex autem præsens loquitur ad solos sacerdotes. Nam Concil.*sess.13.c.7.*ita habet. *Quod si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur.* Si voluisset autem obligare Laicos illos expressisset sicut antea expressserat, cum declarauit præceptum præmittēdi confessionem loquens vniuersaliter de omni qui communicare vult. Confirmatur vbi verba legis non conueniunt, nec etiam habet locum dispositio *l.4.§ Toties.ff.*de *damno infecto* & *l. ita autem init. ff.* de *administ. tut.* vbi Bart.& *l.si ancillas. omnes.ff.*de *legat.1.*& *l. Adigere.§.Quamuis.ff.de iure patr.* Laicis autem non possunt aptari verba legis, neque enim de ipsis potest dici. Quod si necessitate vrgente celebrauerint.

9 Ad 1.respondetur. Respiciendum esse ad voluntatē, & mentem interpretatiuam legislatoris, quando sumus in dubio circa id, quod statuit, & in hoc sensu procedit Glosa *cit.* Non autem, quādo sumus in claris de eo, quod legislator statuit, vt sumus modo, cum loquatur de solis sacerdotibus celebrantibus; nam in tali casu habet locum regula. Quod si lex voluisset, expressisset *l. vnica. §. sic autem.C.*de *caduc.tol.* Ad 2. negatur antecedens. Nam sacerdotes crebrius celebrant, quam laici communicent, & in laicis vero accidit, quod communicent absque præuia confessione, cum rarò admodum pro ipsis possit necessitas vrgere, in sacerdotibus autem potest sæpe contingere; & ideò, ne assuefiant celebrare sine præuia confessione, voluit eos obligare ad confitendum quamprimum. Deinde negatur consequen. Quia tunc solum, vbi est eadem ratio, est eadem iuris dispositio, quando lex est vniuersalis, & in ordinem ad casus, in quibus militat eadem ratio. Non autem, quando lex est posita pro certo genere personarum; quia tunc cum sit coarctata ex mente legislatoris ad ipsas, non se extendit ad alios diuersi generis. Nec in ordine ad personas, quæ non comprehendantur sub ipsa. Istud autem præceptum est impositum pro certo genere personarum, nempe sacerdotibus.

An qui in confessione non expressit ex iusta causa aliquod peccatum, non teneatur quamprimum confiteri.

SECTIO III.

10 AFfirmatiuam sententiam tradit Præpositus 3. *par.q.80.artic.5.dub.4.num.21.ver.Quod si sacerdos.* Probatur. Hoc peccatum debebat in confessione explicari, & ante communionem subijci clauibus. Ergo ratione ipsius vrget præceptum quamprimum confitendi. Confirmatur. Erat sibi conscius talis peccati, & censebatur quoad ipsum non habere copiam confessarij. Ergo est casus Concilij.

11 Dicendum est. *Non teneri.* Probatur. Dispositio Concilij procedit de eo, qui non præmisit confessionem, ibi *Absque præuia confessione.* Et ideo cum verba legis non possint casui aptari, nec etiam poterit aptari dispositio. Confirmatur. In eadem *sess.13.cap.7.*& *can.11.* finis confessionis est. Ne tantum Sacramentum indignè, atque adeò in mortem sumatur, ac proinde in hunc finem declarat præmittendam confessionem, etsi non præmittatur, quamprimum confitendum. Hic autem præmisit confessionem, & assequutus est finem, quia probatus est, cum sit ipsi indirectè remissum tale peccatum. Ergo.

12 Ad fundamentū in oppositum negatur consequent. Quia licet debuisset exponi, cum tamen iusta de causa non sit expositum, fuit indirectè remissum, & impletum præceptum de præmittenda confessione. Ad confirmationem. Non fuisse sibi conscium talis peccati cum grauamine conscientiæ, & ideò non esse in casu Concilij, præsertim cum absolutè præmiserit confessionem. Nec potest dici, quod habuerit inopiam confessarij, cum impleuerit præceptum præmittendi confessionem. Concilium autem loquitur de inopia, quæ facit vt non possit præmitti confessio.

An

An qui in celebratione recordatur alicuius peccati, vel obliti in confessione, vel etiam non obliti teneatur hoc præcepto.

SECTIO IV.

13 PRima sententia asserit, teneri, si recordetur ante consummationem sacrificij. Ita Suarez *disput. 66. de Sacram. sect. 7. dub. 2.* Reginal. *lib. 29. c. 71. n. 100.* Bonac. *disp. 4. de Euchar. q. 6. punc. 1. n. 39.* Megal. *par. 1. Insti. lib. 5. c. 4. nu. 2.* Hurtadus *disp. 9. de Eucharist. difficul. 7. ver. Et quia.* Syuillan. *De obligat. Cleri. par. 1. nu. 135.* Probatur. Si recordatur ante consumptionem sacrificij celebrat cum conscientia peccati mortalis necessitate vrgente ob complendum sacrificium, & ex inopia confessarij, quia tunc copia est mortaliter impossibilis. Ergo est casus Concilij.

14 Secunda sententia asserit, non teneri. ita Vasquez *3. par. disp. 208. c. 2. n. 19.* Sylvius *q. 80. art. 4. dub. 2.* Præposit. *art. 5. dub. 4. not. 6.* Sage. *lib. 2. de Sacram. cap. 7. nu. 1.* Molfes. *par. 1. sum. trac. 3. c. 10. nu. 28.* Auersa *q. 8. de Euchar. sect. 7. ver. Septimò.*

15 Dicendum est. *Hoc præceptum non obligare sacerdotem, qui in celebratione recordatur alicuius peccati mortalis quocunque modo ante celebrationem, non venerit in memoriam.* Desumitur ex Rubr. Missal. *Tit. de defect. disposit. ani.* Vbi de eo, qui ante celebrationem habet conscientiam peccati mortalis, & nõ habet copiam Confessarij dicitur, vt conteratur, & postea quàm primum confiteatur. De eo verò, qui inter celebrandum recordatur, non dicitur, quod quamprimum confiteatur, sed solùm, vt conteratur cum proposito confitendi, qua diuersitate significatur, quòd non adsit obligatio quamprimum confitendi. Probatur. Vel qui recordatur dum celebrat peccati mortalis, præmisit celebrationi confessionem; vel non. Si primum; ergo non obligatur præcepto. Quia est impositum solùm pro ijs, qui ob inopiam confessarij non potuerunt præmittere. Si secundum; ergo neque obligatur. Quia cum non haberet ante celebrationem conscientiam peccati mortalis, non tenebatur præmittere confessionem. Præceptum autem est impositum, pro ijs, qui tenebantur præmittere, & non potuerunt.

16 Ad fundamentum in oppositum. Dum recordatur in celebratione ante etiam consecrationem, continuare quidem celebrationem, non tamen accedere ad celebrandum. Præceptum autem, vt constat ex dictis, afficit eos solùm, qui accedunt, & debent, sed non possunt præmittere confessionem, vt constat ex dictis.

An qui ante celebrationem recordatur peccati obliti in præmissa confessione teneatur hoc præcepto.

SECTIO V.

17 PRima sententia asserit teneri. Ita Præposit. *3. par. q. 80. art. 5. dub. 4. ver. Quod si sacerdos.* Auersa *q. 80. de Euchar. sect. 7. ver. Octauò:* & alij Recentiores. Probatur. Prærequiritur confessio omnium mortalium peccatorum iuxta præceptum 1. Ad Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo.* Ergo si celebrat conscius peccati obliti, tenetur præcepto.

18 Dicendum est. *Non teneri.* Ita Docti Recentiores à me consulti. Probatur. Præceptum Concilij obligat eos, qui ante celebrationem tenentur præmittere confessionem, & ob inopiam confessarij non possunt. Hic autem iam præmisit confessionem, & non habet inopiam Confessarij, vt suppono: & si haberet adhuc, iam satisfecit præcepto. Ergo. Confirmatur. Per talem cõfessionem præmissam nedum satisfecit præcepto, sed etiam obtinuit finem præcepti, nempe se probare mediante confessione, qui est finis præcepti, vt declarat Concil. Trident. *sess. 13. c. 7. & can. 11.* Præceptum autem obligat eos qui non obtinuerunt finem, nec satisfecerunt præcepto. Confirmatur 2. Præceptum obligat eos, qui grauantur conscientia peccati mortalis, & non possunt præmittere confessionem. Hic autem non grauatur, quia licet teneatur oblita subijcere clauibus, sunt tamen ipsi indirectè dimissa. Confirmatur 3. Præmissa confessione de omnibus peccatis non habet locum præceptum confitendi postea quamprimum. Sed qui recordatur obliti præmisit confessionem omnium peccatorum. Ergo. Minor probatur. Peccata oblita sunt inclusa in ipsa confessione vt declarat Conc. Trid. *sess. 14. cap. 5.* ibi. *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.* Nota, quòd non dicit. *Eadem absolutione remissa esse intelliguntur, sed eadem confessione inclusa esse.*

19 Ad fundamentum in oppositum. Requiri confessionem omnium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt ad finem expiandæ conscientię, & acquirendi statum gratiæ. In hoc autem casu fuit præmissa talis confessio, & acquisitus status gratiæ, vt constat ex dictis: imo etiam peccata oblita intelliguntur inclusa in illa confessione, vt habet Concil. *citat.*

An sacerdos, qui ex malitia celebrat cum peccato mortali, teneatur hoc præcepto.

SECTIO VI.

20 PRima sententia est affirmatiua. Ita Sylvius *3. par. q. 80. art. 4. dub. 2.* Probatur. Hic non præmisit confessionem, atque adeò non impleuit præceptũ. Ergo tenetur postea quamprimum confiteri. Quia Concilium obligat eos, qui antea tenebãtur præmittere confessionem, & non præmiserunt.

21 Secunda sententia est negatiua. Ita Suarez *disp. 66. de Sacram. sect. 7. dub. vltim.* Vasq. *3. par. disp. 208. c. 3. nu. 19.* Coninch *de Sacram. qu. 80. ar. 4. num. 25.* Nugnus *diff. 4.* Præpositus *dub. 4. not. 5.*

22 Dicendum est. *Non teneri tali præcepto.* Probatur. Concilium loquitur de sacerdote, qui celebrat non præmissa confessione concurrentibus duabus conditionibus, nempe necessitate celebrandi, & inopia confessarij, atque adeo prouidit pro eo, qui ritè accedit ad celebrandum non præmissa confessione. Ergo cum in hoc sacerdote non concurrant hæ conditiones, non continetur sub dispositione legis, cum non debeat extendi vltra personas, pro quibus est posita.

23 Dices. Esset melioris conditionis, qui peccaret ex malitia, quàm qui non peccaret, quia hic grauaretur præcepto, non autem ille. Respondetur negando sequellam. Nam hoc præceptum non ordinatur ad grauandum, sed ad consulendum, siquidem prouidet, quod illa confessio, quæ non potuit præmitti, sequatur, vt hoc pacto non desuescat confessio. De ijs autem, qui ex malitia celebrant cum peccato Concilium nihil disponit. Quia si neglexerunt præceptum Diuinum de præmittenda confessione, à fortiori neglexissẽt Ecclesiasticum de confitendo quamprimum.

Quid in dicto præcepto significent illa verba, quamprimum.

SECTIO VII.

24 SVpponendum est contra Faeũdez *præcep. 3. Eccles. li. 3. c. 8. num. 9.* verba illa, *Quamprimum,* non significare, quòd debeat confiteri, quamprimum celebrauerit, aut in prima confessione, quam suo libito iterum faciet, nam hoc pacto Concilium nullam imponeret obligationem, & superflua fuisset determinatio, quia certum est, quod quando iterum celebrauerit, & habebit copiam confessarij, tenetur de iure Diuino confiteri. Aut si ex libito confitebitur, tenebitur etiam ratione integritatis confessionis illa peccata confiteri. Vnde cum Concilium imponat specialem obligationem, nullo modo potest subsistere dicta opinio.

25 Dicẽdum est. *verba* Quamprimum *admittere aliquam congruentem latitudinem in tra datam cõpiam cõfessa-*

fessarij, & exclusionem impedimenti ex parte sacerdotis habita ratione circumstantiarum, quæ latitudo admittet biduum, vel triduum, vel etiam aliquid amplius. Probatur, Verba, *Quamprimum*, referuntur ad copiam confessarij, quæ est superuentura, & ad possibilitatem moralem sacerdotis, vt declaratur in Rubr. Missal. *Tit. de defectibus dispos. ani.* nam ibi dicitur, *Quamprimum poterit.* Posse autē non dicitur, quando adest copia confessarij, sed etiam, quando ex parte operaturi non adest impedimentum. Ergo admittenda est dicta latitudo talis dilationis. Consequent. probatur. Dictio, *statim*, non admittit temporis interuallum, vt *in l. si finita §. Non autem. ff.* De *dam. inf.* & notant Tiraquel. *in l. si vnquam. verbo* Reuertatur. *num.* 120. *C.* De *reuoc. donat.* Surd. *decis.* 57. *num.* 9. & tamen accipitur cum temperamento secundum subiectam materiam, vt notat Glos. *in cap. Quicunque verbo.* statim. *dist.* 77. Tiraquel. *loco cit. nu.* 109. Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. casu* 9. *num.* 4. Gratian. *Discep. forens. cap.* 41. *nu.* 12. Sicut etiam dictio, *illico*, quæ habet eandem significationem, & tamen admittit dilationē etiam tridui *l. intra decem. C.* Quomodo, *& quando Iudex* & *l. fin. C.* De indict. *iudic. tol.* & notant Mascard. *de probat. conclus.* 1084. *nu.* 10. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. Glos.* 43. *num.* 51. Ergo cum dictio. *Quamprimum*, non ita vrgeat, sicuti dictio *illicò* & *statim*, nec ita coarctet, habere potest aliquam maiorem latitudinem iuxta subiectam materiam.

26 Ex dictis colligitur. Hoc præceptum non obligare statim ad primam occurrentiam confessarij, sed posse expectari commoditatem, vel ordinarij Confessarij, vel illius, cum quo sacerdos cum animi satisfactione confiteatur, vt notat etiam Petrus Marchant. *in Tribun. Sacram. tom.* 2. *tract.* 2. *par.* 2. *tit.* 4. *q.* 2. *dub.* 2. *ver. petes* 3. Quia tale præceptum impositum est solum ad excludendam tergiuersationem, & socordiam in differenda confessione.

DE EFFECTIBVS SACRAMENTI Eucharistiæ.

DISPVTATIO CXVII.

An & quam gratiam conferat Sacramentum Eucharistiæ.

SECTIO I.

1 SVpponendum est tanquam certum. Eucharistiam conferre gratiam dignè sumentibus, contra hæreticos, qui vniuersaliter negant, Sacramenta nouæ legis conferre gratiam, vt desumitur ex Patribus Basil. *serm.* 1. *de Baptis. cap.* 13. & *serm.* 14. *de passione Domini.* Cyrill. *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 16. Chrysost. *lib.* 6. *de sacerdot.* & *homil.* 45. *in Ioan.* & *hom.* 83. *in Matthæum.*

2 Dicendum est. *Eucharistiam conferre nonnum augmentum gratiæ habitualis.* Ita contra Alens. *par.* 4. *q.* 10. *memb.* 8. *ar.* 2. D. Bonau. *in* 4. *di.* 12. *par.* 2. *art.* 1. *qu.* 3. qui volunt, augmentum gratiæ non esse secundum essentiam ipsius, sed secundum robur, ne homo succumbat tentationibus, & secundum feruorem charitatis, tenent communiter cum D. Thom. 3. *par. q.* 79. *ar.* 1. *ad* 1. & 2. Sotus in 4. *dist.* 11. *q.* 2. *art.* 1. Ruard. Tapper. *art.* 15. §. *Manifestum est.* Petrus Sotus *lect.* 11. *de Euchar.* Bellarm. *lib.* 4. *de Euchar. c.* 17. Suarez *disp.* 63. *de Sacram. sect.* 1. *dic.* 1. Vasquez 3. *par. disp.* 203. *c.* 1. *ver. Hoc autem.* Valent. *to.* 4. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 1. *ver. Itaque primario.* Præpositus. 3. *par. q.* 79. *ar.* 1. Syluius, Mercer. Chellison. ibid. Putean. *dub.* 2. Isambert. *disp.* 1. *art.* 1. Meratt. *disp.* 33. *de Euchar. sect.* 1. *Init.* Et est de fide definitum in Concil. Florent. *in Decreto Fidei.* §. *Quinto Ecclesiarum.* Et §. *Tertium est.* & Trident. *sess.* 13. *c.* 2. vbi generaliter definitur, Sacramenta nouæ legis in eo differre ab antiquis, quòd conferant gratiam dignè suscipientibus. Probatur effectus Sacramenti Eucharistiæ est vita spiritualis, Ioa. 6. *Qui mãducat me, & ipse viuet propter me.* Item, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Rursus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Ergo confert augmentum gratiæ. Consequent. probatur. Vita spiritualis animæ habetur formaliter per gratiam sanctificantem. Ergo cum hoc Sacramentum supponat primam gratiam, conferet augmentum. Confirmatur. Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ergo effectus Eucharistiæ est inhabitatio Dei in nobis. Ergo gratia sanctificans permanens, quia per hanc solam Deus inhabitat in nobis. Ergo augmentum gratiæ, quia supponitur prima gratia.

Obijcitur; si conferret augmentum gratiæ, qui quotidie celebrant aut communicāt crescerent in gratia in immensum hoc autem est absurdum; ergo. Respōdetur, crescere quidem, sed non in immensum; sic etiam crescit per bona opera quæ exercentur à iusto, quæ etiam plura sunt singulis diebus, neque tamen hoc est absurdum.

3 Dicendum 2. *Gratiam Sacramentalem, vt propriam huius Sacramenti, esse ipsam gratiam sanctificantem per modum nutrimenti vitæ spiritualis, & augmenti ipsius in ordine ad suum esse perfectum.* Ita Suarez *disp.* 63. *de Sacram. sect.* 1. *ver. Dices augere.* Vasquez 3. *par. disput.* 203. *c.* 1. *n.* 12. Isambert. *q.* 79. *disp.* 1. *ar.* 1. *propos.* 2. Præpos. *ar.* 1. *n.* 2. Auersa *q.* 7. *de Eucharist. sect.* 1. *ver. Quinto demum.* Et habetur ex Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. vbi definit, quod Christus voluit, sumi hoc Sacramentum tãquam spiritualem animarum cibum, quo alantur.

4 Probatur. Gratia Sacramentalis est illa, quæ est propria cuiusque Sacramenti correspondens significationi Sacramentali ipsius. Ergo in Eucharistia est gratia sanctificans per modum nutritionis, & incrementi spiritualis. Conseq. probatur. Eucharistia est instituta per modū cibi, ita vt significet Sacramentaliter ipsam nutritionē Io. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ergo effectus ipsius debet esse nutritio spiritualis, quia talis nutritio est id, quod significatur. Ergo gratia prout nutritiua.

5 Dices. Etiam alia Sacramenta vitiorum augent gratiam. Ergo causant nutritionem, & augmentum vitæ spiritualis. Respondetur. Augere gratiam modo sibi speciali, & correspondente suæ significationi Sacramentali: vnde cum non significant nutritionem, non illam causant, sed causant gratiam sub alia determinatione.

6 Dicendum 3. *Eucharistiam operari mediante gratia, quæ causat incorporationem hominis cum Christo.* Desumitur ex Conc. Florentino *in Decreto Fidei.* §. *Tertium est.* Ex illo Io. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Probatur. In manducatione corporali fit adunatio quædam & incorporatio quædam inter cibum, & comedentē. Ergo cum Eucharistia fit per modum cibi, in qua mãducatur realiter corpus Christi, vt definit Conc. Trid. *sess.* 13. *can.* 8. fiet huiusmodi incorporatio tanquam propria ipsius, vtpote correspondens significationi Sacramentali.

7 Dicendum 4. *Gratiam habitualem, quæ est effectus Eucharistiæ, ex eo, quod se habet per modū cibi, exigere specialia auxilia in ordine ad perseuerãdum in vita spirituali, & proficiendum in ipsa mediante feruore charitatis.* Hæc autem exigentia fundatur in pacto Dei de cōcurrendo ad effectum, & finem Sacramenti. Probatur. Sacramenta debent causare, quod significant, atque adeo, cum cōcursus Dei sit alligatus significationi Sacramentorum, debet concurrere secundum exigentiã significationis. Ergo cum Eucharistia significet refectionē animæ, debet Deus ad ipsam cōcurrere. Refectio aūt animæ non solum dicit augmentū vitæ spiritualis, sed ēt augmētum vigoris in operationibus supernaturalibus, & præcipuè charitatis: sicut refectio corporalis non solum nutrit,

trit corpus, sed etiam dat vigorem operationibus corporis vitalibus. Hic autem vigor non potest augeri, nisi per influxus gratiæ actualis.

8 Dices. Etiam cætera Sacramenta trahunt in consequentiam specialia auxilia gratiæ in ordine ad operationes supernaturales. Ergo hæc auxilia non pertinent ad gratiam Sacramentalem Eucharistiæ. Respondetur. Trahere specialia auxilia in ordine ad specialem operationem correspondentem significationi ipsius, non autem vniuersaliter in ordine ad omnes, & præcipuè charitatem: nam Eucharistia reficit vitam spiritualem secundum se, atque adeo in ordine ad omnes operationes talis vitæ, quarum præcipua est charitas.

An Eucharistia causet aliquando primam gratiam.

SECTIO II.

9 Prima sententia est negatiua. Ita D. Bonauent. *in 4. dist. 13. par. 2. ar. 1. q. 2. & dist. 9. ar. 1. quæst. 3.* Gabr. *dist. 9. q. 2. art. 2. concl.* 1. Maior. *q. 1.* Gerson. *super Magnificat. tract. 9. par. 3. Alphab. 9. littera G. in fine.* Villalob. *par. 1. sum. tract. 4. diffic. 7. num. 4.* Alens. *par. 4. q. 10. memb. 8. art. 1. §. 2. in corp.* Vasquez *3. par. disput. 205. c. 4.* Mærat. *tom. 3. disput. 33. de Euchar. sect. 3.* Hurtad. *disp. 8. de Euchar. diffic. 8.* Probant: Patres negant, quemquam in peccato existentem recipere fructuosè Sacramenta, Ambrol. *lib. 6. in Luc. cap. 9. Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit ante sanatus, & illi, qui vocantur ad cœnam prius vocatione sanantur:* similium habet *lib. 7. cap. 15.* Greg. *lib. 2. in 1. Reg. cap. 1.* salutem *non percipiunt in comestione salutaris hostiæ, qui ea, quibus se repleuerunt, flagitia, portant in mente.* Et Catechis. Roman. *cap. 4. §. 49.* Animæ, *quæ spiritu non viuit, sacra mysteria non prodesse.* Ergo. 2. Eucharistia non significat remissionem peccati mortalis, sed illã supponit, quia cum sit per modum cibi, supponit vitam in cibando. Ergo non potest illam causare, quia Sacramenta solum causant quod significant, ita vt tam latè pateat significatio, quàm causatio ex opere operato. 3. Non causat per se. Ergo nec per accidens. Quia tunc aliquid causatur per accidens, quando non intenditur ab agente, sed procedit ex intentione alterius. Omnis autem effectus ex opere operato intenditur à Sacramento, & ideo causaretur per se prima gratia, & non per accidens. 4. Qui habet peccatum mortale, cuius non recordatur, si accedat ad Eucharistiam, putans se esse in gratia, non remittitur; remitteretur autem si per accidens remitteret mortalia.

10 Secunda sententia asserit, causare per accidens primã gratiam. ita D. Th. *3. p. q. 79. ar. 3.* licet Vasquez conetur ipsum explicare. Caiet. *art. 1. §. secundus igitur effectus.* Adrian. *in 4. q. 1. de Euchar. §. pro responsione.* Scot. *dist. 9. q. 1.* Richard. *ar. 2. q. 1.* Sotus *dist. 11. q. 1. ar. 4. Arg. 5.* Sanct. *Repet. 6. de Euchar. cap. 10.* Vega *lib. 9. in Conc. Trid. c. 34. §. Absit tanta.* Petrus Sotus *lect. 11. de Euch. in fi.* Ledesma *1. p. 4. q. 20. ar. 3.* Suar. *disp. 63. de Sacram. sect. 1.* Syluius *3. p. q. 79. ar. 3.* Nugn. Pelant. *ibid.* Mercer. ver. *Respondetur 3.* Chellison *dicto 2.* Isambert. *disp. 1. ar. 3.* Corneius *disp. vnic. dub. 2.* Araujo *ar. 8. diffic. 3. nu. 18.* Præposit. *dub. vnico, num. 17.* Putean. *dub. 1. concl. 1.*

11 Dicendum est. *Sacramentum Eucharistiæ causare primam gratiam in subiecto disposito, si non inueniat, supposita bona fide suscipientis.* Dixi in subiecto disposito, quia omne agens requirit subiectum dispositum vt introducat formam: vnde etiam Sacramenta, quæ causant primam gratiam, requirunt subiectum dispositum. Consistit autem dispositio in eo, quod interueniat attritio, qua retractetur peccatum. Hæc autem causatio non est per accidens respectu Sacramenti, sed respectu effectus, quia illa gratia, quæ esset augmentum, fit prima cum non reperiat aliam in subiecto. Desumitur ex D. Cyrillo *li. 4. in Ioan. cap. 17.* vbi ait. *Non mortem solum, sed morbos omnes depellit:* Nec potest dici, quod intelligat de morte futuri peccati, quia non depellitur, quod non est, sed arcetur. Damascen. *lib. 4. de fide. cap. 14.* ibi *Ad sacram substantiam, & conseruationem tendit, atque omne incõmodum propulsat, eamq; vim habet vt spurcitiem omnem abstergat, ne in futurum cum hoc mundo damnetur:* vbi loquitur de peccato, ob quod dãnamur. Nec dici potest, quod intelligat de Eucharistia vt sacrificio, quia loquitur de ipsa, vt tendit ad nostram substentationem, & conseruationem, quod illi conuenit solum vt Sacramentum est per modũ cibi nutriens: Iustino *in quæst. à Gent. propos. ad 44.* vbi carni Christi in Eucharistia tribuit expiationem peccati. Nec dici potest, quod intelligat de mãducatione per fidem quatenus creditur in carnẽ Christi &c. quia significat, quod ipsa caro Christi per se expiet, dum ait, *Ejusque sanctæ carnis suæ peccata expiat:* nam assignat carnem tanquam instrumẽtum, quo expiat. D. Aug. *ser. 28. de verb. Domini. Qui vulnus habet, medicinã requirit, vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cæleste, & venerabile Sacramentum.* Et etiam ex Conc. Trid. *sess. 13. can. 5.* dum damnat dicentes, præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, in quo videtur supponere, quod aliquãdo remittat, sed quod non sit principaliter ad hoc institutum.

12 Probatur. Sacramenta conferunt gratiam infallibiliter non ponentibus obicem, vt definit. Conc. Trid. *sess. 7. can. 6. de Sacram. in genere*, sed qui accedit attritus bona fide, putans se esse contritum, aut non habere peccatum mortale, non ponit obicem. Ergo. Minor probatur. Tunc tantum ponitur obex, quando, adest in suscipiente impedimentum gratiæ vt effectus Sacramẽti. Peccatum autem non impedit gratiam, quando est retractatũ per attritionem, vt patet in baptismo, & pœnitentia.

13 Dices. Peccatum retractatum per solam attritionẽ non esse obicem respectu baptismi, & pœnitentiæ, quia sunt Sacramenta ordinata ad tollendum peccatum; esse tamen obicem respectu Eucharistiæ, quia supponit vitã spiritualem, cum se habeat per modũ cibi. Contra. Quando effectus Sacramenti potest tollere peccatum, non est obex respectu Sacramenti, sed effectus Eucharistiæ potest tollere. Ergo. Minor probatur. Gratia, quæ est effectus Eucharistiæ, potest expellere peccatum, quia peccatum tanquam retractatum, est moraliter expulsibile per gratiam. Ergo. Cõfirmatur. Gratia, quæ est effectus Eucharistiæ, est eiusdem rationis cum gratia, quæ est effectus pœnitentiæ. Ergo potest expellere peccatum, quia pœnitentia non expellit nisi mediante gratia stante retractatione, ratione cuius fit moraliter expulsibile.

14 Confirmatur. Peccatum retractatum per attritionẽ non est obex respectu effectus Eucharistiæ, qua gratia est, alias esset etiam in Sacramento baptismi, & pœnitẽtiæ. Quia gratia est eiusdẽ rationis. Nec quia talis gratia Sacramentalis est, nam id esset obex, quia excluderet vitam spiritualẽ, cui non posset superuenire nutritio spiritualis, atque adeò excludendo vitam, excluderet etiam nutritionem spiritualem, ita vt non excludat directè nutritionem, sed indirectè reddendo incapax subiectum: sed non excludit vitam, imo vita superueniens excludit peccatum, vt patet in baptismo, & pœnitentia: & aliàs effectus Eucharistiæ nõ solum affert ipsam nutritionem, sed etiam ipsam vitam, quia confert gratiam, quæ est vita. Ergo poterit simul, & semel conferre vitam expellendo peccatum, & ponendo fundamentum nutritionis, & conferre etiam nutritionem spiritualem. Ratio autẽ est, quia forma recipitur in subiecto secũdùm capacitatem ipsius, & effectus formalis, qui consurgit, adæquat formã. Qui autem habet peccatum retractatum, est moraliter capax vitæ spiritualis, nec respectu ipsius habet obicem, aliàs neque ipsam reciperet in alijs Sacramentis; & forma, quã causat Eucharistia, dicit rationem vitæ spiritualis, & habet annexum modum nutritionis, & ideò poterit communicari subiecto, ipsum viuificando, & trahendo in consequentiam nutritionem.

15 Ad 1. Respond. Patres illos, & alios huiusmodi auctoritates esse intelligendas de ijs, qui habent peccatum mortale retinens rationem obicis in conscientia; secus autem, quando non adest conscientia peccati mortalis, & peccatum desinit esse obex, vt colligitur ex ipso contextu, solùm enim volunt, quòd hoc Sacramentum sit institutum per modum cibi, atque adeo non sit ordinatum per se primò ad delenda peccata. Ad 2. Eucharistiam non significare remissionem peccati, si attendatur modus significandi; secus autem si attendatur significatio substãtialiter. Modus enim determinat significationem, vt sit per modum nutritionis. Significatio autem, vt substat tali modo substantialiter accepta, significat aptitudinaliter remissionem peccati, licet non in actu exercito. Nam significatio adæquatur effectui suo. Cum autem effectus significationis sit gratia, quæ non solum apta est nutrire, sed etiam viuificare, significatio significat viuificationem aptitudinaliter, atque adeò expulsionem peccati, ita vt, si opus sit, possit expellere, & viuificare. Ad probationem. Esse disparem rationem de cibo corporeo, quia per ipsum communicatur tantum alimentum, non autem vita, & vis nutritiua, sicut communicatur per Eucharistiam.

16 Ad 3. Non causat per se primariò attento modo significationis; causat tamen per se secundariò, quatenus vis causatiua aptitudinalis fit actualis ex eo, quòd in subiecto non reperit aliam gratiam. Hinc non causat per accidens respectu sui, causat tamen per accidens ex parte subiecti, quatenus per accidens est, quod non habeat primam gratiam. Ad 4. negatur sequella. Quia tunc, cum peccatum mortale non sit retractatum per attritionem, habet rationem obicis. Et subiectum non est dispositum ad recipiendam vitam spiritualem, quam communicat Eucharistia. Ad hanc enim vitam recipiendam non disponitur homo, nisi incipiat operari vitali modo per auxilia gratiæ, eliciendo actus fidei, & doloris de peccatis, quia cum ista vita sit in ordine ad vltimum finem, debet disponi homo ad ipsum per motum in ipsum finem, vt declarat Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 6.*

An Eucharistia conferat maiorem gratiam quando sumitur sub vtraque specie.

SECTIO III.

17 Supponendum est tanquam certum de fide. Sumptionem Eucharistiæ sub vnica tantum specie causare totam illam gratiã, quæ, stante institutione talis Sacramenti, necessaria est ad salutem, seu qua indiget homo, vt spiritualiter nutriatur. Ita Concil. Constantiēse *sess. 13.* & Trident. *sess. 21. cap. 3.* ibi. *Quo ad fructum attinet nulla gratia necessaria ad salutem, eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt:* quod ex eo deducit, quia sub vnica tantum specie totus Christus continetur, & in ipsa verum Sacramentum sumitur, atque adeò habetur integer effectus spiritualis nutritionis.

18 Prima sententia asserit, conferre maiorem gratiam, quando sumitur sub vtraque specie. Ita Alensis *par. 4. q. 32. memb. 1. ar. 2.* Ioa: Arbor. *in c. 6. Ioa:* Gaspar Cassal. *lib. 2. de Cœna & calice. cap. 25.* Vasquez *3. par. disput. 215. cap. 2.* Hurtad. *disp. 10. de Eucharist. difficul. 6.* Præpositus *3. par. quæst. 80. art. 12. dub. 3. nu. 73.* Merat. *to. 3. disput. 33. de Euchar. sect. 4.* Martinon. *disput. 34. de Euchar. sect. 3. init.* Calpens. *par. 2. cursus Theol. tract. 22. disp. 9. sect. 8. num. 83.* Palaus *par. 4. tract. 21. disp. vnica, punct. 9. §. 1. num. 12.* Comeius *3. par. q. 80. art. 12. disp. vnic. dub. 2.* Arauio *quæs. 2.* Ludouicus à S. Ioan: *par. 1. sum. quæst. 7. de Euchar. ar. 12. dub. 2. difficult. 1.* Machad. *lib. 3. par. 1. tract. 5. docum. 8. num. 4.* Hieronym. Garzia *in summ. tract. 3. difficult. 6. dub. 2. nume. 9.* & alij Recentiores.

19 Probatur. Species panis, & species vini habent distinctam significationem: nam vna significat refectionẽ animæ per modum cibi, alia per modum potus, ita vt ex vtraque fiat vnum conuiuium. Ergo causant diuersam gratiam, quia causant iuxta significationem. 2. Gratia promittitur tam vni, quam alteri speciei. Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et, *Qui bibit meum sanguinem habet vitam æternam*, & seorsim sumptæ producunt suum effectum ex vi suæ significationis. Ergo etiam, quando simul sumuntur, ita vt pars gratiæ correspondeat vni, & pars alteri, vt colligitur ex verbis Christi. 3. Quicquid est verè Sacramentum applicatum subiecto disposito causat suum effectum ex opere operato, Tàm autem species panis, quàm vini sunt verè Sacramentum. Ergo licet prior species causauerit gratiam, causabit etiam posterior, cum habeat suam vim sibi propriam, & intrinsecam.

20 Secunda sententia negat conferri maiorem gratiam per vtramque speciem. Ita D. Thom. *Opusc. 58. cap. 29.* & *3. par. q. 80. art. 12. ad 3.* D. Bonauent. *in 4. dist. 11. par. 2. ar. 1 q. 2.* Richar. *ar. 4. q. 6.* Sotus *dist. 12. q. 1. art. 12.* Gabr. *in Canon. missæ lect. 84. littera S.* Caiet. *3. par. q. 80. art. 12.* Syluius *ibidem.* Mercer. *proposit. 2. obiect. 3. ver. Ad 2. respondet.* Putean. *dub. 4. conclus. 4.* Isambert. *dispnt. 7. ar. 3.* Coninch *art. 1. dub. 2.* Suarez *disput. 63. de Sacram. sect. 6.* Becan. *tract. de Eucharist. cap. 22. qu. 7.* Facundez *præcep. 3. Eccles. lib. 4. cap. 4. nu. 2.* Petrus Sotus *lect. 12. de Euchar.* Bellarm. *lib. 4. de Euchar. cap. 23.*

21 Dicendum est. *Non conferri maiorem gratiam ex opere operato sumentibus sub duplici specie, quàm conferatur sub vna.* Desumitur ex Concil. Trident. *sess. 21. c. 3.* quatenus definit, quòd sumens sub vnica specie tantum, non fraudatur aliqua gratia necessaria ad salutem. Loquitur autem de gratia, prout est effectus huius Sacramenti, atque adeò de Sacramentali, quæ est gratia per modum spiritualis refectionis, & loquitur de necessitate, qua est necessaria spiritualis refectio. Fraudaretur autem, si plus gratiæ reciperent sumentes sub duplici specie: nam sumens sub vnica, non haberet integram refectionem spiritualem: vnde cum spiritualis refectio sit necessaria, non haberet totam refectionem necessariam. Probatur. Eucharistia causat illam gratiam, quam significat, & nullam aliam, cum causet solum ex vi significationis. Sed vtraque species significat vnam, & eandem gratiam. Ergo, Minor probatur. Tum quia gratia, quæ significatur, est spiritualis refectio: hæc autem est vna, & eadem non solum in anima, in qua non distinguitur fames, & sitis, sicut in corporibus, & proindeest vna, & eadem refectibilitas in ordine ad robur spirituale: sed etiam respectu specierum: nam cum significent spiritualem refectionem, possunt illo solummodo significare, quo fieri potest, fieri autem potest vnico tantum modo, nempe augmento gratiæ, in ordine ad robur charitatis & auxiliorum; non autem duplici, vt fit in corpore. Tum quia species ex se præcisè non significant, sed ratione corporis & sanguinis, ratione cuius habent rationem cibi, & potus, ita vt ratio cibi, & potus consistat in corpore, & Christi sanguine, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Vnde species concurrunt solum vt determinantes adesse Sacramentale: tota autem vis cibandi est in corpore Christi, quod est verus cibus, atque adeo etiam tota vis causandi refectionem. Ergo cum vna, & eadem ratio refectiua sit sub vtraque specie, quia totus Christus est sub vtraque specie, causabit vnam, & eamdem refectionem, nec plus causabit vna species, quam ambæ, quia causant ratione contenti. Hinc Concil. Trident. *sess. 21. capit. 3.* declarat sub vnica tantum specie sumi totum, atque integrum Christum verumque Sacramentum. Et statim ex hoc infert, *Ac propterea quo ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos fraudari qui vnam solam speciem accipiunt*, quasi diceret, quia tota ratio refectiua, quæ est in vna, est eadem omnino in alia, ideò eandem gra-

gratiam recipit, qui vnicam tantum speciem recipit, atque adeò habet totam illam gratiam, quæ est necessaria ad salutem.

22 Confirmatur. Quia in Patre, & Filio in Diuinis est vna, & eadem virtus spiratiua, quamuis sit in duabus hypostatibus, & sint duo spirantes; spiratio tamen est vnica, & etiam vnicus terminus; siquidem, quia non multiplicatur forma, neque etiam multiplicatur principium spirandi, nam vnitas, vel multiplicitas principij non attenditur secundum supposita, sed secundum formam spiratiuam. Ergo etiam in Eucharistia licet multiplicentur species, non multiplicabitur principium causatiuum gratiæ, quia non multiplicatur forma, nempe virtus refectiua, & cibatiua: siquidem virtus cibatiua, seu refectiua est corpus, & sanguis Christi. Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, & idem omnino corpus, & sanguis, qui est sub specie panis, est etiam sub specie vini: neque etiam multiplicabitur refectio, sed erit respectu vtriusque vnus, & idem effectus.

23 Ad primum respondetur. Species panis, & vini non habere distinctam significationem substantialem: neque distinctum modum substantialem significandi, vt constat ex dictis, sed solum diuersum modum accidentalem ratione repræsentationis refectionis spiritualis, quæ in vna specie repræsentatur sub specie cibi, & in alia sub specie potus. Vnde vna, & eadem significatio substantialis est sub diuerso modo repræsentationis. Causatio autem gratiæ consequitur significationem substantialem, non verò modum repræsentationis: cætera autem Sacramenta habent diuersam significationem substantialem, cum significent in ordine ad diuersum finem. Ad secundum. Promitti singulis speciebus gratiam non diuersam, sed eandem ita vt ea ipsa, quæ promittitur vni speciei, promittitur etiam alteri. Producunt autem seorsim quælibet suum effectum, quia per quamlibet applicatur virtus refectiua. Simul autem non producunt duplicem effectum, quia non applicatur duplex virtus refectiua, sed illa eadem, quæ applicatur per vnam speciem, applicatur etiam per aliam. Ad tertiũ distinguitur minor. Species panis, & vini sunt vere Sacramentum vnum, & idem cum eadem virtute refectiua; non autem diuersum, & ideo vtraque species causat vnũ, & eundem effectum, quia per ipsas applicatur subiecto vna, & eadem virtus refectiua. Solum autem Sacramenta causant diuersam gratiam, quando applicatur diuersa virtus causatiua. Aliàs cum duæ partes Eucharistiæ, quæ sumuntur à Sacerdote, sint duo Sacramenta numero, causarent duplicem effectum.

24 Instabis. Vna species habet diuersam repræsentationem. Ergo etiam diuersam significationem; quia repræsentatio, & significatio idem sunt. Respondetur negando Consequen. Ad probationem negatur assumptum. Nam significatio est in genere causæ efficientis respiciẽs effectum Sacramenti; & est illa, per quam Sacramentum constituitur in ratione signi practici. Repræsentatio verò est in genere causæ formalis, & est id, quo ipsa significatio determinatur ad certam notionem sacramentalem, & proinde non respicit effectum Sacramenti, sed pertinet ad quandam notionem ipsius.

An Eucharistia possit causare gratiam, quamdiu durant species Sacramentales in stomacho.

SECTIO V.

25 Prima sententia asserit, causare gratiam toto illo tempore, quo durant species Sacramentales in stomacho iuxta mensuram dispositionis. Ita Maior. *in 4. distin. 9. qu. 1. ad 5.* Palud. *dist. 17. qu. 8. num. 30.* Gabriel. *in can. miss. lect. 81.* Ruard. *art. 15. contra Lutherum.* Caietan. *3. par. qu. 79. ar. 1.* Nugnus *ibidem.* Coninch. *dub. 2. num. 28. & 42.* Syluius ver. *Non est, tamen.* Chellisf. *dubio vnico. dicto. 3.* Mercer. *quæsito 3.* Suarez *disput. 63. de Sacram. sect. 7.* Valent. *tom. 4. sum. disput. 6. qu. 7. punc. 1. ver. Quod autem post.* Reginal. *lib. 29. num. 140.* Bartholom. ab Angelo. *Dial. 4. de Euchar. §. 404.* Auersa *qu. 7. de Euchar. sect. 4. ver. Melius tamen.* Probatur. Sacramentum manet applicatum toto illo tempore, & causat gratiam secundum mensuram dispositionis. Ergo si crescat dispositio, quamdiu durat applicatio, crescet etiam effectus, sicut maior fuisset ab initio, si maior fuisset dispositio. 2. Si sumatur Sacramentum per plures species, seu partes, & interim perficiatur dispositio: productio primæ gratiæ per priorem sumptionem non impediet augmentum secundæ partis ratione melioris dispositionis. Ergo neque quamdiu species durant in stomacho. 3. Cibus corporalis non solum roborat, cum sumitur; sed etiam deinceps. Ergo etiam hic cibus spiritualis.

26 Secunda sententia asserit, solum causare gratiam, quando primo sumitur. Ita Sotus *in 4. dist. 11. quæst. 2. ar. 1.* Ledesm. *1. p. 4. qu. 20. ar. 1.* Victor. *de Sacramen. nu. 79. de Euchar.* Ioan à Cruce *par. 2. Direct. conscien. qu. 4. de Euchar. dub. 1. conclus. 2.* Vasquez *3. par. disp. 203. cap. 2.* Filliuc. *tract. 4. cap. 6. quæsito 8. nu. 175.* Bonac. *disp. 4. de Euchar. qu. 4. punc. 2. num. 4.* Palaus *par. 4. tract. 21. pun. 9 §. 1. nu. 10.* Henriq. *lib. 8. sum. cap. 43.* Hurtad. *disp. 8. de Euchar. diffic. 2. ver. Sotus verò.* Villalob. *par. 1. sum. tr. 7. difficul. 29. num. 5.*

27 Dicendum est. *Eucharistiam non producere gratiam ex opere operato, quamdiu durant species Sacramẽtales in stomacho, sed si crescit gratia solum crescere ex opere operantis.* Probatur. Effectus gratiæ promittitur manducationi, & potationi corporis, & sanguinis Christi. Ioan. 6. atque adeo applicationi Sacramenti per modum manducationis, & potationis. Ergo quando est cõpleta manducatio, non producit amplius alium effectum, quia producit secundum mensuram promissionis Diuinæ. Dices. Intelligi etiam de manducatione in facto esse quamdiu durãt species. Contra. Manducatio in facto esse completur, quando primò desinit actio manducandi, nec quamdiu durat cibus in ventre adest manducatio, etiam moraliter: alias qui noctu non digessit cibos, aut qui circa mediam noctem manducauit, non posset mane sequenti communicare, quia duraret manducatio saltem moraliter. Ergo cum gratia sit promissa manducanti, non dabitur completa manducatio.

28 Ad primum negatur assumptum. Nam applicatio Sacramenti non consistit in eo, quod sit intra corpus nostrum: sed in manducatione; quia applicatio Sacramentorum consistit in vsu, vsus autem Eucharistiæ est manducatio. Vnde qui teneret species Sacramentales in ore, quamdiu corrumperentur, nullam perciperet gratiam, quia non manducaret, nec applicaret Sacramentum ad causandam gratiam, vt notat etiam Bonacin. *disput. 4. de Euchar. quæst. 4. punc. 2. num. 2.* & ideo etiam completa manducatione non adest amplius applicatio ad causandum. Ad secundum. Quicquid sit de antec. neg. Conseq. Nam, quando sumitur secunda pars hostiæ, adhuc durat vsus Sacramenti: nam omnes illæ partes efficiunt vnicam moralem cibationem continuatam; & ideò potest crescere gratia ex meliori dispositione: secus autem, quando est omnino completa manducatio, vt quando species sunt in stomacho. Ad tertium negatur Consequentia. Quia cibus corporalis causat suum effectum, dum per nutritionem conuertitur in substantiam aliti, quod fit successiuè.

29 Ex dictis colligitur contra Caiet. Palud. Suarez Coninch. *num. 48.* Chellison. ver. *Hinc sequitur secundo.* Mercer. ver. *Dices tertio.* Auer. ver. *Nec S. Thom.* locis citatis pro prima opinione. Eum qui indignè suscipit Eucharistiam, non percipere fructum, etiam si postea quamdiu species durant in stomachum pœniteat, & conteratur, aut etiam confiteatur, vt notant Præpolit. *3. par. qu. 79. ar. 1. dub. 3. num. 12. ver. Ex his deduce.* Hurtad. *disp. 8. de Euchar. difficul. 2. ver. Deinde* & alij adducti pro secunda sententia. Ratio est. Quia, vt habetur 1. Ad Corint. 11. *Qui*

11. *Qui manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit.* Vnde iam in sumptione illius Sacramenti iudicatus est, & idem non potest amplius esse ad vitam, cum fuerit ad mortem. Deinde ipsa manducatio est iam completa, & habuit obicem, ne produceret suum effectum: vnde non potest amplius producere, quia gratia datur dignè manducantibus, non autem, qui digni fiunt postquam manducauerunt.

An crescat effectus gratiæ, quando crescit dispositio in sumptione alterius speciei.

SECTIO VI.

30 Prima sententia est affirmatiua. Ita Coninch. *de Sacram. quæst. 79. ar. 1. dub. 2. num. 30. & sequ.* Suarez *disput. 63. de Sacramen. sect. 5. circa finem.* iuncta Doctrina *sect. 4.* Bonac. *disput. 4. de Euchar. quæst. 4. pun. 2. num. 5.* Prob. Sacramenta causant gratiam iuxta dispositionem sumentis. Ergo crescit effectus, quamdiu durat sumptio Sacramenti, si crescat dispositio. Confir. Secunda species non est minus efficax, quam sit prima. Ergo causat gratiam secundum mensuram dispositionis, quam tunc reperit, si sit melior.

31 Secunda sententia est negat. Ita Vasq. *3. par. disput. 203. cap. 3. nu. 20. & seq.* Palaus *par. 4. tract. 21. disp. vn. punc. 9. §. 1. num. 8.*

32 Dicendum est. *Non conferri maiorem gratiam ex vi Sacramenti in sumptione posterioris speciei, etiam si crescat dispositio.* Prob. Secunda species non confert gratiam ex opere operato. Ergo neq; maiorem gratiam stante meliori dispositione. Anteced. prob. Si conferret gratiam ex opere operato, conferret totam illam gratiam, quam significat, atque adeò illam, quam conferret, si sola sumeretur: vnde esset maior, quam exigeret dispositio. Sequel. patet. Quia Sacramenta operantur per modum causæ naturalis, atque adeò totum id, quod possunt. Confirm. Sacramenta sunt instrumenta, quæ ex pacto Dei habent causare gratiam secundum mensuram significationis. Ergo Deus ex vi Sacramenti non causat nouam gratiam in sumptione secundæ speciei stante meliori dispositione. Consequent. prob. In sumptione primæ causauit gratiam debitam ex vi significationis Sacramenti. Ergo non est amplius debita ex vi significationis, atque adeò nec stante meliori dispositione. Ergo, aut nunquam causat, aut si causat, debet causare etiam absque meliori dispositione ratione significationis Sacramenti.

33 Ad fundamentum in oppositum negatur Consequ. Quia tunc solum crescit effectus crescente dispositione, quando Sacramenta habent causare ex opere operato, nō autem quando iam causauerunt. Ad confirm. Secundam speciem non esse quidem minus efficacem, quam sit prima: sed nec etiam habere distinctam efficaciam à prima, quia nec habet significationem, nec vim refectiuam distinctam: & ideò cum vis refectiua causauerit in prima specie totum, quod potuit, nil causabit in secunda.

An Sacramentum Eucharistiæ remittat peccata venialia.

SECTIO VII.

34 Supponendum est. Eucharistiam esse antidotum præseruans à peccatis mortalibus, vt declarat Conc. Triden. *sess. 13. cap. 2.* & desumitur ex verbis Christi. Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* Hoc est non conseruabitis. Et rursus. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur,* hoc est non amittat vitam spiritualem gratiæ. Cum enim fomes cōcupiscentiæ cōtinuò atterat vires spirituales animæ, & imminuat robur ipsius, ita debilitatur, vt facile sit, quod succumbat tentationibus. Vnde cum Eucharistia spiritualiter nutriendo reparet has vires, & robur spirituale præseruat à morte peccati, sicut cibus reparando vires præseruat à morte corporali. Hoc aūt præstat augendo gratiam habitualem, atque adeò charitatem, & per noua auxilia gratiæ, quæ debita sunt ratione augmenti gratiæ, quod ab Eucharistia confertur.

35 Supponendum secundo. Eucharistiam remittere peccata venialia, vt declarat Concil. Triden. dicta *sess. 13. cap. 2.* & docent communiter cum D. Thom. *3. par. q. 79. ar. 4.* Caietan. Nugn. Syluius, Mercer. Præposit. Coninch. *ibid.* Ratio autem est. Quia restaurat feruorem charitatis, & ideò cum peccata venialia non sint compossibilia cum feruore charitatis, licet sint cum gratia, ratione feruoris restaurati delentur. Difficultas autem est, quomodo deleantur.

36 Prima sententia asserit, non remittere ex opere operato, & immediatè per se ipsum, sed ex opere operantis, quatenus in virtute Eucharistiæ dantur specialia auxilia ad feruorem charitatis, & ad alios actus, quibus remittuntur. Ita D. Bonau. *in 4. dist. 14. qu. 2. ar. 1.* Duran. *q. 4.* Petrus Sotus *lect. 12. de Eucharis.* Fundamentum est, quia gratia, quam confert Eucharistia, non habet oppositionem cum peccatis venialibus. Ergo non potest illa expellere. Alio autem modo non potest expellere ex opere operato.

37 Secunda sententia asserit immediatè expellere per se ipsum ex opere operato. Ita Vasquez *3. part. quæst. 83. ar. 3. dub. 2. num. 8.* Coninch. *qu. 79. ar. 4.* Syluius, Mercer. Chellison. *ibidem.* Nugnus *conclus. 1.* Isambert. *disput. 1. ar. 6.* Valent. *par. 3. disput. 6. qu. 8. punc. 3.* Suarez *disput. 63. de Sacram. sect. 3. ver. Sed quæres.* Tannerus *disput. 5. de Euchar. sect. 7. dub. 1.* Ochag. *tract. 2. de Euchar. qu. 4. num. 1.* Caspens. *par. 2. Curs. Theol. tract. 22. de Euchar. disp. 8. sect. 3. num. 25.*

38 Dicendum est. *Eucharistiam remittere venialia ex opere operato.* Prob. Remissio peccatorum venialium est proprius effectus Eucharistiæ, vt cōstat ex Conc. Triden. *sess. 13. cap. 2.* Ergo debet remittere ex opere operato. Consequen. prob. Tum quia proprij effectus Sacramentorum proueniunt ab ipsis ex opere operato. Tum quia si remitteret mediantibus auxilijs in ordine ad actus, quibus delentur, non remitterentur per Sacramentum, sed per ipsos actus, neque remissio esset magis effectus Eucharistiæ, quam alterius causæ impetrantis auxilia ad illos actus. Tum quia remitterentur ex opere operantis, quod autem est ex opere operantis, non est proprius effectus Sacramenti.

39 Dices. Esse effectum Eucharistiæ remissionem venialium, quia specialiter est ordinata ad restaurandum feruorem charitatis, quo mediante remittuntur. Contra. Tunc peccatum remitteretur immediatè ex vi feruoris Charitatis. Ergo remissio non esset effectus Eucharistiæ, sed feruoris, & cum feruor non sit proprius effectus Eucharistiæ, sed aliunde haberi possunt, neque etiam remotè essent effectus illius,

40 Dicendum secundo. *Eucharistiam ex vi augmenti gratiæ remittere peccata venialia.* Ita contra Mercer. & Caspens. *citatos.* tenet Suarez. Prob. Eucharistia ex vi augmenti gratiæ nutrit animam spirituali modo, cum illa gratia sit per modum cibi spiritualis. Ergo facit crescere in vita spirituali, quæ consistit in gratia. Ergo facit tendere speciali modo in finem supernaturalem magis vniendo hominem cum ipso, quia sicut gratia est promotio, & eleuatio ad finem supernaturalem, ita augmentum est maior promotio, & maior eleuatio. Ergo remittit peccata venialia. Consequent. prob. Peccatum veniale in eo consistit, quod impediat tendentiam in vltimum finem, vt docent D. August. *lib. 1. de Doctr. Christi. cap. 3.* D. Tho. *1. 2. qu. 88. ar. 5.* Caiet. *ibid.* Curiel. *dub. 3.* Lorca *disp. 58. de pec-*

de peccatis. Ergo expellitur per illam gratiam, quæ specialiter promouet in vltimum finem, quia impedimentum tendentiæ, & tendentia opponuntur. Ergo per gratiam, quam confert Eucharistia, quia hæc specialiter promouet in vltimum finem. Vnde solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ, & constat, quomodo gratia, quæ est effectus Eucharistiæ, opponatur cum peccatis venialibus.

41 Dices. Nullum peccatum potest remitti absque aliquo actu peccatoris: vnde neque in Sacramento pœnitentiæ, quod est per se primò ordinatum ad remittenda mortalia, potest illa remittere sine actu peccator. Ergo nullo pacto Eucharistia remittit venialia ex opere operato, quia si interuenit actus, iam ex vi ipsius sunt remissa. Respond. Non posse remitti absque aliquo actu tendente contra peccatum, vel in se, vt est retractatio illius, vel vt in causa, quando scilicet actus voluntatis tendit in aliquod, quod est causa expulsionis peccati. Hic autem actus semper interuenit in sumptione Eucharistiæ, quia velle sumere Eucharistiam, est velle magis vniri cum Deo, atque adeo] velle in causa expulsionem peccati venialis.

42 Dices secundò. Si hoc pacto expellerentur venialia, semper omnia expellerentur, quia gratia haberet oppositionem cum omnibus, nec magis cum vno, quam cum alio. Hoc est contra illud. Io. epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Respon. conced. sequel. quo ad illa, de quibus communicans non habet actualem complacentiam, vt concedit D. Thom. 3. *par. qu. 79 ar. 4. ad* 2. Ad prob. respon. cum D. Thom. *ibidem*. D. Io. non velle, quod quis non possit esse pro aliqua hora, absque reatu peccati venialis, sed quod non possit ducere vitam regulariter absque peccatis venialibus. Vnde immeritò Marat. cit. putat, hoc esse contra communem senten.

An Eucharistia remittat pœnam peccati.

SECTIO VIII.

43 Dicendum est. *Non remittere pœnam peccatis debitam ex opere operato, sed tantum concomitanter, quatenus ratione auxiliorum annexorum excitat ad aliquem actum, ratione cuius remittitur pœna*. Ita communiter D. Thom. 3. *par. quæst. 79. art.* 5. Caiet. Sylvius, Mercer. Nugnus, Chellison. Vasquez, Coninch. *ibid*. Prob. Eucharistia est ordinata ad attritionem spiritualem, & perfectionem hominis in esse spirituali. Ergo ex opere operato non causat remissionem pœnæ debitæ peccatis. Consequen. prob. Effectus Eucharistiæ, vt Sacramentum est, non est satisfactio, nec habet oppositionem cum reatu pœnæ temporalis. Ergo non remittit, cum pœna his duobus tantum modis possit remitti.

44 Dices. Baptismus remittendo peccata remittit etiam pœnam. Ergò. Respond. neg. conseq. Quia baptismus est institutus ad remittendam etiam totam pœnam debitam peccatis, vt declarat Concil. Florent. *in decreto fidei*. §. *Primum omnium*, quia per ipsum homo primò reparatur ad statum supernaturalem, & eleuatur, vt sit noua creatura: & ideò respectu Dei omnia noua sunt, & nouæ rationes instituuntur, non sit in Eucharistia.

45 Dices. Remittit venialia ex opere operato. Ergo saltem partem pœnæ ijs debitam. Resp. neg. Conseq. Quia pœna remittitur solum ratione dispositionis, & proinde, vel tota, vel pars secundum mensuram dispositionis, quia non est institutum ad remittendam pœnam, nec pœna est incompossibilis cum effectu Sacramenti.

46. Ex his colligitur. Quod si contingat Eucharistiam remittere per accidens peccatum mortale, remittere etiã per accidens pœnam æternam ipsi debitam ex opere operato. Ratio est, quia reatus etiam pœnæ æternæ est incompossibilis cum effectu Eucharistiæ; nam non potest quis esse amicus Dei, & illi vnitus in Charitate, & esse separatus per deputationem ad pœnam æternam.

An gloria æterna, & resurrectio Corporum sit effectus Eucharistiæ.

SECTIO IX.

47 Communiter Patres tribuunt. Eucharistico causare vitam æternam. Ita Irenæus *libr. 4. aduer. hæres. cap.* 34. Hieronym. *in cap. 24. Matth. in id. Vbi fuerit corpus*. Cyril. *lib. 4. in Io. cap.* 14. & 17. & *lib. 11. cap. 26. & 27*. Leo *serm. 14. de Passione Domini*. Ignat. *Epistol. 14. ad Ephes*. Chrysost. *hom. 24. in 1. ad Corinth*. Nissen. *serm. Catech*. Ambros. *de initian. cap. 9*. Cyprian. *ser. de Cœna Domini. cap. de instit. Euchar*. Et habetur etiam ex Concil. Triden. *sess. 13. cap. 2*. ibi. *Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis*, & cap. 8. *Huius vigore confortati ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam peruenire valeant*. Et tradunt communiter Scholastici cum D. Thom. 3. *par. qu. 79. ar.* 2. Et desumitur etiam ex scriptura. Io. 6. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Item. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Difficultas tamen est, quomodo sit proprius effectus Eucharistiæ.

48 Dicendum est. *Adeptionem gloriæ, esse aliquo modo proprium effectum Eucharistiæ*. Ita D. Thom. 3. *par. qu. 79. ar. 2. ad* 1. & communiter. Prob. Est speciale Eucharistiæ præseruare à peccatis mortalibus. Vnde à Concil. Trident. *sess. 13. cap.* 2. Dicitur anthidotum contra ipsa, & nutrire vitam hominis spiritualem. Ergo est per ipsi speciale causare adeptionem gloriæ. Conseq. prob. Gratia, licet det ius ad gloriam, non tamen ipsam causat nisi coniungatur cum dono perseuerantiæ. Ergò Eucharistia causat speciali modo gratiam, quia præseruando à mortalibus, & nutriendo vitam spiritualem per auxilia gratiæ in ordine ad bona opera, causat perseuerantiam.

49 Dicendum secundò. *Etiam resurrectionem Corporum esse effectum Eucharistiæ*. Ita communiter præsertim Vasquez 3. *par. disput. 204. cap. 5. nu.* 41. & desumitur ex Irenæo *lib. 4. aduer. hæres. cap. 24*. & *lib. 5. cap.* 2. Nissen. *orat. cathec. cap.* 2. Cyrill. *lib. 10. in Io. cap. 13*. & *lib. 4. cap. 13. 14. &* 15. Ignat. *epist. ad Ephes*. & ex illo Io. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Prob. Eucharistiam perducit hominem ad vitam æternam per resurrectionem spiritualem. Ergo etiam ad resurrectionem corporis, quia] resurrectio pertinet ad beatitudinem, & ad vitam æternam.

An Eucharistia prosit alijs, quam sumentibus.

SECTIO X.

50 Dicendum est. *Eucharistiam tanquam Sacramentum non prodesse alijs, quam sumentibus, atque adeò circa ipsũ nullum habere effectum ex opere operato*. Dixi, vt Sacramentum, nam vt Sacrificium prodest, cum prosit omnibus, pro quibus offertur. Ita communiter D. Thom. 3. *par. quæst. 79. ar.* 2. Suarez, Vasquez, Coninch. Sylvius, Chellison. Mercer. Cornelius, Præpositus, Nugnus. *ibidem*. Hambert. *disput. 1. art. 8. ver. Secundum est*.

51 Prob. Effectus Eucharistiæ non possunt habere locum, nisi ex vi comestionis, tanquam conditionis necessariæ, sine qua non. Ergo Eucharistia non producit aliquem effectum in non assumente. Antec. patet. Io. 6. Vbi solum manducantibus corpus Christi, & bibentibus sangui-

guinem, promittuntur illius effectus. Causatio autem Eucharistiæ non extenditur vltra promissionem Christi. Confir. Eucharistia sicut, & alia Sacramenta non causant aliquem effectum, nisi mediante primario, qui est sanctificatio. Ergo habent locum solum in eo, qui sanctificatur per Eucharistiam, atque adeò in solo sumente. Anteced. patet. Quia cæteri effectus sunt secundarij venientes in consequentiam ad primarium.

52 Dices. Quando sumitur Eucharistia, pij, & docti viri, atque adeò non ex errore populari applicant communionem pro alijs, etiam pro animabus purgatorij. Ergo Eucharistia prodest etiam alijs. Respon. dist. conseq. Non prodesse alijs, quam sumentibus ex opere operato, & vt Sacramentum: neque hoc applicatur pro alijs, sed prodest ex opere operantis, ita vt quod applicatur sit opus operantis, seu ipsa cõmunio, prout est opus cõmunicantis. Est enim opus virtutis, nempè Religionis, & ideò habet prerogatiuas communes, quod sit impetratorius, & satisfactionis, & secundum hanc rationem applicatur pro alijs.

53 Instabis. Susceptio aliorum Sacramentorum est actus virtutis, & tamen non applicantur pro mortuis, aut pro alijs. Ergo. Respon. Non solere applicari, non quia eodem modo non possent applicari, sed quia aut semel tantum, aut raro sumuntur, aut si crebrò, vt in Sacramento pœnitentiæ, ideò non applicantur, quia tunc assumens se habet vt reus coram Deo, & ideò minus opportuna est oblatio proprij operis: vt in Eucharistia se habet vt amicus, cui est facilis impetratio.

54 Dices secundò. Communio est actus peregrinæ satisfactionis, cum sit ferè nullius pœnalitatis: & satisfactio pro pœna temporali metiatur ex pœnalitate. Ergo aut proderit ex opere operato, aut nihil ferè proderit. Resp. neg. anteced. Nam, vt optimè notant Scot. *in 4. distin.* 15. *quæst.* 1. Gabr. *dist.* 16. *quæst.* 2. *init.* Sotus *dist.* 19. *quæs.* 2. *ar.* 1. & alij. Satisfactio non solum desumitur ex pœnalitate actus, sed ex valore. Aliàs actus Christi, nec infiniti, nec summi fuissent in ratione satisfactiua, quia nec infinitè, nec summè pœnales fuerunt, sed satisfactio ipsorum pro peccatis, & pro pœna debita peccatis attenditur penes valorem. Communio autem cum sit excellens actus religionis, habet consequenter excellentem valorem, atque adeo est valdè satisfactiuus.

55 Dices tertiò. Actus boni à nobis exerciti non sunt impetratorij pro alijs, nisi specialiter offerantur pro ipsis. Ergo non sunt impetratorij formaliter, sed tantum vt obiectum oblatum Deo. Ergo communio nihil ferè impetrabit: & magis vtile erit offerre actum Charitatis pro impetratione. Respond. neg. vlti. conseq. Nam communio est valdè apta ad impetrandum per modum obiecti, quia non solum est actus Religionis excellens, sed etiam est connexus cum Charitate, qua in illo actu homo specialiter vnitur cum Deo, & Christo: & actus externus includit ipsum Christum, & commemorationem passionis ipsius: vnde etiam ipse Christus, vt inclusus in nostro actu, offertur pro impetratione, & est tempus maximè opportunum pro impetrando: nam tunc non solum Deus venit ad inhabitandum in nobis per augumentum gratiæ, sed etiam ipse Christus venit in nos realiter, & corporaliter, & trahit ad nos etiam Deum speciali titulo, ratione vnionis hypostaticæ Corpore Christi.

Quando Eucharistia conferat suos effectus.

SECTIO XI.

56 Quia Eucharistia non confert statim omnes suos effectus, nam vt constat ex dictis, aliqui habentur in tempore subsequenti, vt sunt præsertim auxilia gratiæ, & post mortem vita æterna: ideò difficultas est, quando primò incipiat conferre, quia incipiunt à gratia sanctificante, ideò de ipsa præcipuè procedit difficultas.

57 Supponendum est contra Vasquez *3. par. disp.* 203. *cap.* 2. Becan. *tract. de Eucharis. cap.* 22. *quæst.* 6. *nu.* 3. Eucharistiam non producere suos effectus, quamdiu est in ore, vt communiter docent. Nam effectus ipsius promittuntur Io. 6. manducantibus, & bibentibus: qui autem tenet in ore Eucharistiam, non manducat, & bibit: quod satis ex eo patet, quia si quis, quemcumque cibum teneret in ore, volutaret dentibus, terreret, & non traijceret in stomachum, neque etiam ieiunium naturale violaret, & tamen per quamcunque manducationem, aut potum violatur. Difficultas ergo est, in quonam instanti, post quam cœpit transmitti ad stomachum gratia producatur.

58 Prima sententia asserit. Tunc gratiam causari, quando species sacramentales attingunt illam partem ad quam perueniens cibus, dicitur manducatus, siue hæc pars sit stomachus, siue aliqua alia. Ita Suarez *disp.* 63. *de Sacramen. sect.* 4. *conclus.* 3. Auersa *quæst.* 7. *de Euchar. sect.* 4. ver. *Supponendo ergo*. Præposit. *3. par. quæst.* 79. *art.* 1. *dub.* 2. ver. *Tertius modus*. Ilambert. *disput.* 3. *art.* 2. *conclus.* 1. Fundamentum est, quia tunc dicitur Eucharistia manducata.

59 Secunda sententia asserit, conferre gratiam in ipsa manducatione, quod explicant aliqui, vt tunc conferatur, quando primò incipit adesse manducatio, ita vt immediatè ante non fuerit, & vult gratiam produci totam simul, licet producatur in tempore. Ita Syluius *3. par. quæs.* 79. *ar.* 1. ver. *In responsione*. in fine. Ludouicus à S. Ioan. *par.* 1. *sum. qu.* 6. *de Euchar. art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 4. Mæratius *tom.* 3. *sum. disp.* 33. *de Euchar. sect.* 1. ver. *Dico secundo*. Addit Mæratius, quod productio durat toto illo tempore, quo durat manducatio, ita vt toto illo tempore producatur eadem numero gratia, & eiusdem intensionis, & intendatur successiuè, si fiat melior dispositio. Probant. Gratia promittitur Io. 6. manducantibus. Ergo tunc datur quando primò incipit manducatio. Confirm. Non potest conferri antequam incipiat manducatio, quia tunc non est manducatio, nec statim est completa manducatio, quia nec tunc est manducatio. Ergo producitur, quando durat manducatio. Confirm. secundò. Sacramentum est necessarium. Ergo tunc producit suum effectum statim, ac est applicatum, si nullum reperit obstaculum ex parte subiecti: sed in comestione applicatur. Ergo.

60 Tertia sententia asserit, producere gratiam in instanti vltimo terminatiuo traiectionis specierum ad stomachum, quod ita accipitur, vt intelligatur de prima traiectione, qua tota aliqua pars traijcitur, quando contigit traijci per plures partes. Ita Sot. *in 4. distin.* 11. *qu.* 2. *ar.* 1. Henriquez *lib.* 8. *sum. cap.* 43. *n.* 1. Ledesma 1. *par.* 4. *q.* 20. *ar.* 1. Valent. *tom.* 4. *disput.* 6. *qu.* 7. *pun.* 1. ver. *Contra hos*. Hurtad. *disp.* 8. *de Euchar. difficul.* 2. ver. *Circa prius*. Coninch. *de Sacram. qu.* 79. *ar.* 1. *dub.* 1. *conclus.* 1. Nugnus ver. *Sit concl.* Qui tamen addit, quod si tunc primò non producit, potest producere toto tempore, quo in stomacho durant species, si tunc contingat tolli obicem. Granad. *controuer.* 6. *tract.* 9. *disput.* 3. *sect.* 2. *num.* 13. Chellison. *dub. vnico.* ver. *Dicendum tamen.* Caspens. *part.* 2. *Curs. Theol. tract.* 22. *de Euchar. disput.* 8. *sect.* 2. *num.* 14. Faust. *lib.* 1. *de Euchar. qu.* 313. vers. *Sed cæteri.* Hieron. Garzia *in sum. tract.* 3. *diffic.* 6. *dub.* 6. *pun.* 1. *nu.* 6. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 4. *cap.* 1. *nu.* 3. Martinez *disp.* 34. *de Euchar. sect.* 2. *num.* 12.

61 Dicendum est primò. *Eucharistiam producere gratiam in illo primo instanti physico, in quo est completa manducatio.* Dixi in physico, quia non sunt admittenda instantia Mathematica in tempore, vt alibi dictum est. Prob. Gratia Io. 6. promittitur manducantibus tanquam effectus manducationis, seu Eucharistiæ manducatæ, ita vt manducatio sit requisitum, vt Eucharistia producat suum effectum. Ergo non potest produci, nisi in illo instanti, in quo posita est manducatio, quia quando effe-

ctus dependet à causa habente aliquod requisitum, ita vt dependeat etiam ab illo requisito, debet requisitum præexistere effectui. Ergo non potest produci, nisi quando est completa manducatio in instanti subsequenti ad ipsam. Consequen. hæc prob. Vel manducatio est tota simul, vel quid successiuum. Si primum: ergo quando præexistit, secundum se totam præexistit, atque adeò productio gratiæ sequitur solum, quando est completa. Si secundum, ergo non habetur manducatio, nisi quando illa actio successiua est completa. nam manducatio secundum rationem manducationis non saluatur in qualibet parte illius actionis successiuæ. Siquidem manducatio est communicatio cibi facta viuenti in ordine ad nutritionem; & ideo non habetur completa manducatio, quousque sit facta talis communicatio: non est autem facta, quousque cibus perueniat ad illum terminum, in quo dicatur communicatus. Confirm. Manducatio est actio vitalis ordinans cibum ad nutritionem, atque adeo ponit ipsum in eo statu, vt possit esse materia circa quam versentur cæteræ actiones incipientes nutritionem. Ergo non habetur completa manducatio, nec cibus est positus in tali statu. Ergo tunc solum Eucharistia dicitur manducata, quando est posita in illo statu, in quo debet esse cibus: non est autem posita, nisi sit completa actio manducationis.

62 Dicendum secundo. *Gratiam produci, quando primò aliqua pars specierum Sacramentalium seiuncta ab alijs est in illo termino, vt secundum ipsam sit completa comestio.* Prob. Talis pars est de se sufficiens ad producendam gratiam independenter à quacunque alia, cum contineat verum corpus Christi, & sit verum Sacramentum. Ergo quando est in illo termino, vt sit completè manducata, etiamsi aliæ partes nondum sint completè manducatæ, producet gratiam, quia concursus Dei ad productionem est debitus, & verificatur, quod sumens manducauerit.

63 Dicendum tertiò. *Terminum manducationis non esse indiuisibilem, sed posse haberi in vna, aut altera parte, ita vt tunc censeatur manducatio esse completa, quando actio transmissionis, seu motus transmissionis Eucharistiæ desinit, & species Sacramentales sunt iam in aliqua parte, vt in ipsas calor naturalis possit agere in ordine ad nutritionem. Hoc autem potest contingere, siue sint intra stomachum, siue propè ipsum.* Prob. Actio transmissionis cibi ad stomachum est actio manducatiua. Ergo quamdiu durat ista actio, durat manducatio, & cibus nondum est in termino, vt dicatur manducatus, sed solum manducari. Ergo neque Eucharistia dicitur manducata, quamdiu durat motus transmissionis, sed solum, quando est completus. Rursus potest iste motus terminari, modo in vna, modo in alia parte, ita vt in quacunque parte terminetur, possit calor naturalis agere circa rem transmissam. Ergo tunc erit completa manducatio, nam tunc est completa, quando cibus incipit disponi ad nutritionem: nam nutritio non incipit, nisi completa manducatione: incipit autem quando cibus incipit disponi ad nutritionem. Hinc solutum manet fundamentum primæ sententiæ. Nam cibus non dicitur manducatus quousque durat actio transmissiua ipsius in illam partem, in qua substernitur calori naturali in ordine ad nutritionem.

64 Ad fundamentum secundæ sententiæ negatur Consequen. Nam, quando promittitur gratia manducantibus, requiritur manducatio, vt prærequisitum, & ideò debet esse completa, antequam Eucharistia causet suum effectum, quia sicut nutritio corporalis supponit manducationem corporalem, ita etiam spiritualis supponit Sacramentalem. Ad confirm. neg. secunda pars anteced. Nam licet manducatio sit transacta, quatenus est motus transmissiuus cibi: remanet tamen terminus manducationis, nempè cibus constitutus in tali statu, vt possit esse materia, circa quam caloris naturalis in ordine ad nutritionem, & ideò in Eucharistia, quando est in tali termino, constituitur in statu apto ad causandam gratiam. Ad secundum confir. distinguitur, quod subassumitur. Eucharistia applicatur in manducatione ad causandum, & manducatio in fieri sit applicatio in fieri, & manducatio in facto esse, sit applicatio in facto esse. Agens autem naturale non operatur quamdiu applicatio est in fieri, sed solum quando applicatio est in facto esse, & completa.

DE NECESSITATE EVcharistiæ ratione præcepti.

DISPVTATIO CXVIII.

An adsit præceptum Diuinum de sumenda Eucharistia.

SECTIO I.

1 PRima sententia negat adesse præceptum Diuinum de sumenda Eucharistia. Ita D. Thom. *in 4. dist. 6. qu. vn. ar. 2. quæstiun. 2.* & *dist. 12. qu. 3. art. 2. quæst. 1.* & *distin. 9. qu. 1. ar. 1. qu. 3.* Carthus. *qu. 1.* Palatius *disput. 2.* D. Bonauen. *disput. 12. ar. 5. qu. 1.* Alens. *par. 4. quæst. 51. mem. 2. ar. 4. §. 1.* Gabr. *in can. mis. lect. 87. littera X.* Syluester *verbo.* Eucharistia *3. init.* Caietan. *3. par. quæst. 80. ar. 11.* Ferrar. *4. contra Gent. cap. 61.* Fundamentum est. Quia hoc præceptum nec ex scriptura, neque ex traditione habetur, neque ex Patribus colligitur, & ideò non est introducendum.

2 Secunda sententia asserit, adesse præceptum diuinū. Ita D. Tho. qui mutauit sentent. *3. par. qu. 80. art. 11.* Coninch. Pesant. Mercer. *ibid. init.* Syluest. ver. *Resp. Quamuis.* Chellison. ver. *Dico 1.* Putean. *dub. 1. init.* Præposit. *dub. 1. vers. Hæc sent.* Nugn. *diffic. 1. conclus. 1.* Isambert. *disp. 6. art. 1. propos. 1.* Durand. *in 4. dist. 9. quæst. 2. num. 7.* Gabr. *qu. 1. art. 2. conclus. 3.* Palud. *quæst. 1. artic. 1. ad 2.* Richar. *dist. 12. art. 6. quæ. 1.* Sotus *qu. 1. art. 11.* Adrian. *qu. 1. de Euchar.* Ledesma *1. par. quæst. 21. art. 11.*

3 Dicendum est. *Adesse præceptum diuinum de sumenda Eucharistia.* Ita D. August. *epist. 118. ad Ianuarium cap. 1.* vbi inter diuina præcepta ponit communionem, & quod hoc tempore, vel die fiat, non esse de iure diuino. Prob. Io. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Qui locus, licet explicetur de spirituali manducatione, procedit tamen etiam de reali, vt desumitur ex contextu, in quo sensu sumi debent alia verba, *Qui manducat me, viuet propter me. Vt si quis ex ipso manducet non moriatur.* Ergo adest præceptum, quia dictio, *Nisi* importat conditionem impositam, atq; adeo necessario ad implendam pro consequutione vitæ æternæ. Vnde, etiam in Concil. Trident. *sess. 13. cap. 2.* verba illa, *Qui manducat me, viuet propter me*, accipiantur pro reali manducatione. Confirm. Lucæ 22. Christus instituens Eucharistiam dixit. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et hæc verba non solum dicta fuere à Christo, vt iniungeret sacrificium, sed etiam vt iniungeret sumptionem Eucharistiæ, nam de ipsa explicantur ab Apostolo 1. ad Corinthios capite vndecimo. Ergo præcepit Christus tunc sumptionem Eucharistiæ. Consequentia probatur. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. in illis verbis agnoscit præceptum, dum ait. *Illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ad iudicandum veniat.*

4 Dicea

4 Dices. Tale præceptum fuisse impositum solum Sacerdotibus. Contra. Tale præceptum fuit impositum ijs omnibus, qui mediante Eucharistia cōmemorare possunt passionem Christi. Ergo non solum Sacerdotibus, qui commemorare possunt sacrificando, sed etiam cæteris, qui possunt commemorare sumendo. Confirm. Concilium Tridentin. *citat.* intelligit etiam de sumptione Eucharistiæ.

5 Obijcit. Si Christus imposuisset præceptum de Eucharistia, imposuisset de sumenda sub vtraque specie, nam æqualiter dicit Ioa.6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c.* Ergo. Respon.neg.sequel. Quia dictio, *Nisi*, est conditionalis, vnde facit sensum, quod non est quis habiturus vitam æternam, nisi impleat conditionem, seu præceptum sumendi Eucharistiam, & proinde consurgit obligatio non carendi nutritione spirituali: non autem ipsam sumendi sub vtraque specie, vt fusius suo loco dictum est.

An hoc præceptum obliget infideles.

SECTIO II.

6 PRima sententia asserit, obligare etiam infideles non immediatè, ita vt teneantur sumere sine baptismo: sed mediante baptismo, & proinde ex hoc capite teneri suscipere baptismum, ita vt non sumendo non solum peccent contra præceptum de baptismo, sed etiam contra præceptum de Eucharistia. Ita Suarez *disput.* 69. *de Sacram.sect.*2.*ver.Primum est.* Vasquez *par.*3.*disput.* 214.*cap.*4.*num.*31.Coninch. *de Sacram.quæst.*80.*ar.*11. *dub.*2.*num.*93.Præposit.*dub.*1.*nu.*56.*ver.Ex quo infertur* 1.Syluius *in fine art.* Putean.*dub.*2. ver. *Aduerte autem.* Mercer.ver. *Quæritur primò.* Hurtad.*disput.*10.*de Euchar.diffic.*4.*init.*Ludouicus à S.Ioa.*par.*1.*sum.qu.*7. *de Euchar.ar.*4.*dub.*2.*concl.*2. Fundamentum est. Quia Christus habet potestatem vniuersalem super infideles quoque, & ideò potest eos obligare. Ergo cum Io.6. vniuersaliter dixerit, *Nisi quis manducauerit ex hoc pane, &c.* voluit etiam infideles obligare.

7 Secunda sententia negat, infideles subijci huic præcepto siue immediatè, siue mediatè. Ita Sotus *in* 4. *dist.*18. *qu.*1.*ar.*3.*conclus.*1.Sanchez *lib.*1.*in Decal.cap.*12.*num.* 15.Palaus *par.*4.*tract.*21.*disput.vn.pun.*14.*nu.*11.Chellison.3.*par.qu.*80.*ar.*11.*not.*5.Auersa *qu.* 8. *de Euchar. sect.*2.ver. *Potius tamen.*

8 Dicendum. *Præceptum Eucharistiæ diuinum non obligare non baptizatos, sed solos baptizatos.* Prob. Non baptizati non sunt capaces Eucharistiæ. Ergo non obligantur præcepto Diuino. Anteced.patet. Quia baptismus est ianua omnium Sacramentorum, per quam quisque ingredi debet in Ecclesia ad participanda Sacramenta: vnde peccaret mortaliter, qui ante baptismum sumeret Eucharistiam, etiamsi esset iustificatus per contritionem. Conseq.prob. Lex omnis, & dispositio, licet vniuersalis recipit restrictionem de habilitate *l. vt gradatim.* §. *Etsi ff.* De *muner. & oner.* & notant Benazzol. *in reper. l. Si quis maior.numer.*216. De *transact.* alios citans Bart. *in authen.de nupt num.*3.*Collat.*4.Bald.*consil.*207.*num.*3. *lib.*2. Angel. *consil.*333. Tusch *littera D. conclus.* 505. Ergo præceptum Christi, licet vniuersale, debet restringi ad personas habiles, & capaces, atque adeò ad solos Baptizatos.

9 Confirm. Non baptizati non sunt capaces obligationis sumendæ Eucharistiæ. Ergò neque præcepti, quia præceptum non potest habere locum, vbi non est capacitas obligationis. Anteced. prob. Tum quia non sunt capaces actus, qui præcipitur, vbi autem non est capacitas actus, neque etiam est capacitas obligationis: vnde quia pueri non sunt capaces actus moralis nullo præcepto, siue Diuino, siue humano obligari possunt. Tum quia præceptum de Eucharistia non potest immediatè obligare non baptizatos, sed solum mediante baptismo. Ergo ex se non sunt capaces obligationis, sed solum mediante baptismo. Ergo quamdiu non sunt baptizati non habent capacitatem.

10 Ex dictis colligitur. Cathecumenum in articulo mortis non peccare non sumendo Eucharistiam, etiam si ex negligentia culpabili amittat baptismum, sed solum illi imputari ad culpam omissionem baptismi. Cum enim nondum sit factum membrum Christi per baptismum, nondum est sub directione ipsius, vt capitis, & proinde neque subest præceptis ipsius, quibus regit corpus mysticum Ecclesiæ.

An præceptum diuinum de Eucharistia obliget in articulo mortis.

SECTIO III.

11 PRima sententia asserit, non adesse præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis, seu periculo. Ita non solum ij, qui absolutè negant præceptum Diuinum de Eucharistia: sed ij quoque, qui volunt Eucharistiam ex iure Diuino præcipi tantum semel in vita. Ita Caietan. *in sum. verbo. Communio.* Armilla *num.* 4. Syluester *verbo* Eucharistia 3.*num.*15. Sà *verbo* Eucharistia.*num.*1. Victoria *in summ. tit.de Eucharis.num.*86. Palud.*in* 4.*distin.*9.*quæst.*1. Ledesma 1.*par.*4. *quæst.*21. *ar.*2.*dub.*11. Rodriquez *par.*1.*sum.cap.*64. *de commun. num.*3. Fundamentum est, quia Christus non præcipit sumi Eucharistiam frequenter, nec pluries, sed solum quod sumatur. Ergo pro implendo præcepto sufficit semel sumere in vita.

12 Secunda sententia asserit, præceptum Diuinum de Eucharistia obligare in articulo mortis. Ita Durand. *in* 4. *dist.*9.*qu.*2.7.Gabr.*qu.*2.*ar.*2.*conclus.*3. Richar. *dist.*12. *ar.*6.*qu.*1.Sot.*qu.*1.*art.*11. Valent.*tom.*4.*disp.*6.*quæst.*8. *pun.*4.ver.*Talis autem.*Coninch.3.*par.qu.*80.*ar.*11.*dub.* 3.*num.*94.Nugn.*diffic.*1.*concl.*3.Præposit *dub.*1.*nu.*53. ver.*Sed opposita.*Syluius *qu.*1.*conclus.*1.Chellison.*not.*1. Mercer.*ver.Quæritur secundo.* Isambert. *disput.*6.*ar.* 2. *proposit.*1.Adrian.*quæst.*3.*de confess.ad* 5. Vasquez 3.*par. disput.*213.*cap* 2.Suarez *disput.*69.*de Sacramen. sect.*3. ver. *Dico primò.* Henriquez *libr.*8.*sum.capit.*4. ver. *Eodem iure.*

13 Dicendum est. *Præceptum Diuinum de Eucharistia obligare in tempore mortis.* Desumitur ex Concil. Cartag.*in can.*77.*à Leone IV. approbato*, & ex Concil. Nicæno.1.*can.*12. relato in cap. *De his* 26. *quæst.*6. Vbi præcipitur, quod etiam pœnitentibus publicis detur Eucharistia, & redditur ratio, ne priuentur necessario viatico. Ergo si est necessarium, debet esse necessarium ex præcepto Diuino: nam cum Ecclesia arceret ab Eucharistia publicos pœnitentes, non poterat esse necessarium ex præcepto ipsius. Nec potest dici, quod intelligatur de necessitate morali ex natura rei, quia si Eucharistia pro illo tempore est necessaria moraliter, erit etiam necessaria ex præcepto Diuino, quia esset posita in præcepto tanquam Sacramentum necessarium, & ideò pro illo tempore, in quo etiam necessarium est.

14 Prob. Eucharistia est instituta, vt nutrimentum spiritualis vitæ ad ipsam roborandam, & vt ipsius vigore confortati, *ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam (homines) peruenire valeant*, vt habet Conc. Trident.*sess.*13.*cap.*8. Ergo cum in tempore mortis maximè vrgeat necessitas confortationis, vrgebit præceptum diuinum de Eucharistia, quia præceptum est impositum iuxta naturam, & exigentiam finis Sacramenti, & ideo cum ordinatum sit ad confortandam vitam spiritualem, iuxta indigentiam talis confortationis. Confir. Tunc specialiter quisque, quando est moriturus, tenetur ex charitate habere curam propriæ salutis, & se præmunire contra pericula tentationum, quæ tunc maximè vrgent.

Ergò

Ergo tenetur etiam adhibere media, quibus præseruetur. Ergo cum Christus instituerit Eucharistiam tanquam medium adhibendum contra tentationes, & ad corroborandam vitam spiritualem, imposuit etiam præceptum, vt tempore mortis adhibeatur, quia quæ instituit, vt necessaria ad salutem, potuit etiam sub præcepto.

15 Ad fundamentum in oppositum neg. assump. Nam implicitè præcepit sumi Eucharistiam pluries, siquidem præcepit sumi iuxta naturam Sacramenti, & exigentiam finis ipsius, atque adeò secundum mensuram indigentiæ, quæ maximè adest in tempore mortis. Instabis. Si adesset præceptum diuinum de sumenda Eucharistia tempore mortis, non potuisset Ecclesia aliquando morituris illam denegare: sed aliquando denegauit, vt habetur ex Concil. Elibertino *can.* 1. 2. 6. 7. *&* 12. & Sardicen. *cap.* 2. Ergo. Resp. neg. sequel. quia, vt declarat Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Christus reliquit facultatem Ecclesiæ decernendi siue Sacramentorum administratione, quæ magis congruerent salua ipsorum substantia, & ideo stante hac facultate potuit aliquibus morituris denegare Eucharistiam, in quo nihil continetur contra præceptum diuinum, quia hoc non obligat ad Eucharistiam administrandam, sed morituros ad sumendam. Neque ex præcepto imposito morituris infertur præceptum impositum etiam Ecclesiæ, nam habet tacitam conditionem, si Ecclesia iudicabit, esse administrandam. Et ideò ex vno præcepto non infertur aliud tanquam correlatiuum, nisi quando non potest Ecclesia ex rationabili causa denegare.

16 Instabis 2. Facultas, quæ relicta est Ecclesiæ circa administrationem Sacramentorum, est in ædificationē, non autem in destructionem: & proinde non potest illa vti in detrimentum animarum: vteretur autem, si morituro verè pœnitenti denegaret Eucharistiam, quia hoc esset contra bonum spirituale ipsius. Resp. Iteretur in destructionem, si absque rationabili causa denegaret: non autem si cum causa rationabili.

17 Colligitur ex dictis, per articulum mortis non intelligi illud præcisum tempus, in quo imminet mors: sed totum illud tempus, in quo apparet periculum mortis, vt notant Ochagauia *de Sacram. tract. 2. de Eucharist. quæst.* 14. *num.* 6. Præposit. 3. *par. quæst* 80. *art.* 11. *dub.* 1. *numero* 53. ver. *Notandum.* Et proinde quicunque in morbo periculoso sumit Eucharistiam, satisfacit præcepto. Quod verum est, etiam si infirmus nihil cogitet de præcepto, nec intentionem habeat sumendi per modum viatici. Quia solus actus sumendi Eucharistiam cadit sub præcepto, nec pro implendo præcepto requiritur intentio implendi, vt constat ex materia de legibus.

An qui paulò ante periculum mortis sumpsit Eucharistiam teneatur rursus sumere.

SECTIO IV.

18 PRima sententia asserit, quod si quis ante communicauit per sex, aut octo dies, non teneatur rursus in periculo mortis communicare, quia iam per illam communionem satisfecit præcepto, imò aliqui extendunt etiam ante, quia decisa dies præcedentes. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 2. Henriquez. *lib.* 8. *sum. c.* 4. *num.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 11. Suarez *disput.* 69. *de Sacram. sect.* 3. *ver. Rogabis.* Coninch. *de Sacram. quæst.* 80. *art.* 11. *dub.* 3. *num.* 98. Reginal. *lib.* 29. *num.* 65. Prob. Qui sumit Eucharistiam habet intentionem virtualem satisfaciendi cuicunque obligationi, quia hæc intentio inest virtualiter omni actui. Ergo si contingat sumere paulo ante periculum mortis, satisfaciat præcepto de sumenda tempore mortis, tum quia etiam tum imminet periculum mortis, quamuis non cognoscatur. Tum quia illud tempus præcedens cum parum distet, habetur pro vno, & eodem cum tempore, in quo cognoscitur imminere periculum. Tum quia sufficienter adimpletur obligatio ignota per actum secundum se sufficientem. Confirmatur. Qui mane antequam suscipiat sacros ordines recitaret horas Canonicas satisfaceret obligationi illius diei, nec teneretur rursus post susceptum ordinem illas recitare. Ergo potest impleri præceptum per actum anticipatum, etiam si sit affixum tempori.

19 Secunda sententia negat sufficere communionem temporis præcedentis, sed rursus, quemlibet teneri communicare, quando aduenit periculum mortis. Ita Vasquez 3. *par. disp.* 214. *cap.* 2. *num.* 14. Chellison. *quæst.* 80. *art.* 11. *not.* 2. præponit. *dub.* 1. *num.* 54. ver. *Alij sentiunt.* Ochag. *de Sacram. tract.* 2. *de Eucharist. quæst.* 14. *num.* 7. Gaspar. Hurtad. *disput.* 10. *de Euchar. difficul.* 2. ver. *Vasquez enim.* Ludouic. à S. Io: *par.* 1. *sum. quæst.* 7. *de Eucharis. art.* 4. *dub.* 4. *difficul.* 4. Palaus *par.* 4. *art.* 21. *disp. vn. punc.* 14. *num.* 7.

20 Dicendum est. *Pro satisfaciendo præcepto de communione tempore mortis requiri sumptionem Eucharistiæ in eodem tempore, in quo adest periculum mortis.* Probatur præceptum affixum tempore requirit opus iniunctum pro illo tempore, cui est affixum, aliàs non esset affixum, si posset impleri per opus exhibitum in alio tempore, cum per hoc contra distinguatur à præcepto non affixo tempori. Ergo pro implendo præcepto de communione tempore mortis, non sufficit communio antea exhibita, quia hæc non exhibetur in illo tempore, in quo est exhibenda. Confir. Licet tempus mortis propinquum sit, non tamen consurgit obligatio, antequam cognoscatur esse propinquum, vnde qui ex improuiso moriuntur, non peccant non sumendo Eucharistiam, quia non cognoscunt, se esse propinquos morti. Et ratio est, quia lex non obligat, nisi innotescit autem, quando non innotescit tempus, quo obligat. Ergo communio facta, antequam innotescat propinquitas mortis, non sufficit pro implenda obligatione, cum obligatio impleri non possit, quando nondum superuenit.

21 Dices si quis post annum debeat centum Petro, si soluat anticipatè, extinguit obligationem, itàvt non teneatur amplius soluere. Ergo etiam quando communicat ante periculum mortis, soluit obligationem. Resp. si argumentum probaret conuinceret, quod satisfieret præcepto per quamcunque communionem quorumque tempore præcedente, quia cum quisque statim, ac est baptizatus, teneatur communicare pro tempore mortis, per primam communionem, quam sumeret, satisfaceret præcepto, etiam si solum post multos annos incideret in periculum mortis. Vnde negando consequentia. Nam solutio debiti non est allegata tempori, sicut est alligatum præceptum communionis pro periculo mortis.

22 Ad fundam. in oppositum. Exercentem aliquem actum habere virtualem, seù interprætatiuam intentionem satisfaciendi omni obligationi, quæ tunc de præsenti vrgeat, & cui possit satisfacere. Obligatio autem communionis tunc de præsenti non vrget, nec ipsi potest satisfieri adlit affixa tempori, quod nondum superuenit. Ad prob. neg. assump. Nam periculum mortis non inducit obligationem, nisi sit cognitum, nam nō dicitur quis esse in periculo mortis, nisi illud cognoscat. Vnde non quodcunque periculum inducit obligationem, sed periculum cognitum. Ad secundum. Non posse illud tempus haberi pro vno, & eodem in ordine ad obligationem, quia obligatio non incipit, nisi incipiente periculo cognito. Ad tertiam obligationem ignotam impleri

impleri per actum de se sufficientem, si tunc de præsenti vrgeat: secus autem, si non vrgeat. Ad confirm. neg. Consequent. Nam quando quis recitat horas canonicas mane ante susceptionem ordinum, quamuis ipse tunc non teneatur recitare, exhibet tamen actum præceptum in tempore, cui est affixum præceptum. At qui communicat antequam cognoscat se esse in periculo mortis, non exhibet actum in tempore, cui cognoscat affixum esse præceptum.

An præceptum Diuinum de Eucharistia obliget extra periculum mortis.

SECTIO V.

23 Omissa sententia illorum, qui violant, Præceptum diuinum de Eucharistia obligare tantum semel in vita. Dicendum est. *Obligare pluries in vita extra articulum mortis*. Ita communiter D. Thom. *3. par. quæst.* 80. *art.* 11. Syluius *quæst.* 1. *conclus.* 2. Chellison. *not.* 1. Præposit. *dub.* 1. *num.* 55. Mercer. *quæst.* 4. Coninch. *dub.* 3. *numer* 101. Prob. Præceptum affirmatiuum inde finire positum in ordine ad perducendum hominem ad finem supernaturalem, non obligat semel, sed toties, quoties est necessaria obseruantia illius pro assequutione finis. Sed præceptum Eucharistiæ est huiusmodi, & obseruantia ipsius est pluries necessaria pro tendentia in finem supernaturalem. Ergo maior prob. Non solum inductione in alijs præceptis fidei, spei, charitatis, &c. Sed etiam quia est positum propter bonum subditi, & propter bonum Reipublicæ Christianæ. Ergo sicuti lex, quia est posita propter bonum communitatis, obligat secundum exigentiam talis boni, ita vt secundum ipsam mensuranda sit obligatio, ita etiam tale præceptum, cum sit positum propter bonum subditorum. Mai. probat. Eucharistia est instituta per modum nutritionis spiritualis, quæ ex sui natura est pluries necessaria ad fouendam vitam spiritualem, cum subiecta sit concupiscentijs tentationibus, à quibus impetitur. Tum quia effectus ipsius est vnio cum Deo per charitatem, quæ similiter est pluries necessaria, sicut etiam est necessarius actus charitatis.

24 Dicendum secundò. *Et secluso præcepto ex natura rei ad futuram obligationem sumendi Eucharistiam*. Ita Nugnus *3. par. quæst.* 80. *ar.* 11. *difficul.* 1. Ochagauia *tract.* 2. *de Euchar. quæst.* 14. *num.* 14. Prob. Vita spiritualis quotidie impetitur à fomite, & tentationibus, & continuò deperditur feruor charitatis. Ergo cum homo teneatur conseruare hanc vitam spiritualem; & Eucharistia sit instituta pro illa conseruanda tanquam cibus, quo roboratur, & tanquam antidotum, quo præseruetur à morte, vt habet Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 2. consurgit obligatio adhibendi tale remedium. Confir. Infirmus tenetur adhibere necessaria ad conseruandam propriam vitam, quia tenetur illam conseruare, imò quilibet ex hoc capite tenetur sumere cibum necessarium ex obligatione naturali. Ergo cum quilibet teneatur conseruare vitam spiritualem, tenetur etiam adhibere soluto omni alio præcepto cibum spiritualem.

25 Ex dictis colligitur contra Vasquez *3. par. disputat.* 214. *capit.* 3. Coninch. Chellison. & Præposit. *citatos init.* seclusa determinatione Ecclesiæ, præceptum hoc adhuc pluries obligaturum fuisse, & peccaturos eos, qui toto vitæ tempore extra articulum mortis non sumerent Eucharistiam, vt inter alios notant Suarez *disputat.* 69. *de Sacrament. sect.* 3. *conclus.* 2. Villalob. *part. prima Sum. tractat.* 7. *difficult.* 42. *numer.* 4. Ochagau. *tract.* 2. *de Eucharist. quæst.* 14. *num.* 14. & alij. Ita tamen, vt non possit definiri tempus idem pro singulis, in quo ex vi sua obliget, sed hoc sit relinquendum iudicio prudentis viri. Ratio est. Quia etiam alia præcepta, quæ non habent tempus determinatum, & sunt positiua, adhuc obligant seclusa determinatione Ecclesiæ. Tum quia seclusa determinatione Ecclesiæ adhuc adest necessitas, quæ fundatur in natura ipsius, & in conditione vitæ spiritualis: hoc autem præceptum obligat secundum exigentiam indigentiæ, ita vt sicut ex ipsa, & ex institutione Sacramenti colligitur præceptum Diuinum, ita etiam ex ipsis colligatur obligatio pluries sumendi seclusa omni alia determinatione, nam actio, quæ infert vnum, infert etiam alterum.

An, & quomodo præceptum diuinum de Eucharistia sit determinatum ab Ecclesia.

SECTIO VI.

26 Supponendum est. Præceptum communionis reductum fuisse ad vnicam vicem singulis annis ab Innocentio Tertio. *in Concilio Lateranensi*, vt refertur in cap *Omnis vtriusque sexus*. De pœnit. & remiss. vbi etiam declaratur, quando huiusmodi præceptum incipiat obligare; nimirum quando superuenerint anni directionis. Vt autem omnes conuenirent in adimplendo precepto, determinatum est ibidem tempus, in quo teneretur adimplere, nempè in Paschate, ita tamen vt concedatur aliqua dilatio ex rationabili causa cum consilio proprij Sacerdotis. Difficultas tamen est, quod nomine Paschatis intelligatur.

27 Dicendum est. *Nomine Paschatis non intelligi solum diem Paschatis, sed totum illud tempus, quod intercedit à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, ita vt in quocunque ex his quindecim diebus satisfieri possit præcepto*. Ita communiter Suarez *disput.* 30. *de Sacram. sect.* 2. ver. *Sed circa*. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 41. *quæst.* 4. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. libr.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. Coninch. *de Sacram. quæst.* 80. *ar.* 11. *dub.* 4. *num.* 102. Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 45. Caiet. *verbo. Communio*. Tabiena *ibidem. num.* 58. Syluester. *verbo.* Eucharistia. 3. *num.* 6. Angles. *quæst.* 2. *de Euchar. art.* 9. *conclus.* 3. Hoc autem actum est ex declaratione Eugenij IV. in extrauag. *Fide digna*, vbi hoc declarauit, & etiam praxis Ecclesiæ hoc confirmat, quæ admittit adimpletionem præcepti intra dictum tempus.

28 Est tamen aduertendum. Quod si alicubi consuetudo extendit amplius hoc tempus, vt de duabus hebdomadibus ante & post Pascha adesse Monachis testatur Laiman. *lib.* 5. *Theol. mor. tract.* 4. *cap.* 5. De tota Quadragesima Conimbricæ testatur Coninch. & in tota Lusitania Facundez, & in Hispania Azor. *citati*. Talis consuetudo valet, quia determinatio, ad tale, & tantum tempus est de iure humano Ecclesiastico, quod potest interpretationem accipere à consuetudine cap. cum *Dilectus*. De *Consuetudine*. Vnde si in aliqua Ecclesia adsit circa hoc peculiaris consuetudo poterit Synodus illam restringere, aut etiam ampliare, quia iam est facta specialis illius loci; & proinde est sub dispositione iurisdictionis localis; secus autem, si adsit tantum consuetudo vniuersalis Ecclesiæ, quia cum se habeat tanquam lex vniuersalis, non est sub dispositione iurisdictionis localis.

29 Quæres. An aliqua pœna sit imposita contra transgressores huius præcepti. Resp. in dicto cap. *Omnis vtriusque sexus*. De pœnit. & remiss. Esse impositam pœnã excommunicationis & priuationis Ecclesiast. sepulturæ, si in-

si interim contingat mori, & non resipiscat. Hæc tamen excommunicatio non est latæ sententiæ, sed ferendæ; & ideò requiritur sententia iudicis. Pro qua non sufficit Parochus, cum non habeat iurisdictionem in foro externo, atque adeò non possit exercere actus iudiciales, qualis est declaratio, quod aliquis sit excommunicatus, vt notat etiam Layman *libro* 5. *tract.* 4. *capit.* 5. *num.* 10. & alij. An autem possint Diœcesani imponere excommunicationem ipso facto incurrendam. Resp. negatiuè. Quia in ijs, quibus superior manus apposuit, non potest inferior se ingerere, & proinde neque potest addere aliquid legi superioris. *Clement.* 2. *de elect.* & notant Federic. de Senis *consil.* 12. *num.* 2. ver. *Item videtur.* Oldrad. *consil.* 259. *nu.* 6. ver. *Tamen ad iura* Tusch. *littera I. conclus.* 119. *num.* 10. Hoc enim esset corrigere Summum Pontificem, simul cum vniuersali Concilio, quod non satis prouiderint de pœna pro transgressoribus præcepti.

30 Colligitur ex dictis contra Præposit. 3. *par. q.* 80. *ar.* 11. *dub.* 2. *nu.* 58. *in fin.* Qui sumeret Eucharistiam vno, aut altero die ante, vel post illos quindecim Paschales designatos pro adimpletione præcepti, adhuc satisfaceret præcepto. Quia sumus in ijs, in quibus terminus præfixus tempori, non est indiuisibilis: sed habet latitudinem, & proinde moraliter tempus designatum accipiendū est. Nam cum parum, & nihil æquiparentur. *l. Quamuis. ff. de condit. & demonst.* & cap. *coram dilecto.* de *offic. deleg.* dum parum abest tempus à præscripto, censetur non abesse, & proinde, quæ fiunt in ipso, censentur fieri in tempore præscripto.

A quo sumenda sit Eucharistia pro adimpletione præcepti.

SECTIO VII.

31 Dicendum est. *Sumendam esse à proprio sacerdote, seù pastore.* Ita communiter, & habetur ex Concil. Cartag. 5. *capit.* 7. & Milleuitano *Can.* 18. Vnde in Clemen. *Religiosi de priuileg.* imponitur excommunicatio latæ sententiæ religiosis, qui sine licentia ministrat Eucharistiam, & in priuilegijs ipsis concessis pro ministrāda Eucharistia solet excludi communio Paschalis. Ratio autem est, quia ministrare Eucharistiam est actus iurisdictionis conueniens Pastoribus, cum in hoc pascant animas. Ergo pertinet ad proprium sacerdotem, cum ipsi ex officio incumbat pascere proprias oues. Econtra autem oues debent sumere pabulum à proprio sacerdote, & ipsi se subijcere in adimplendo præcepto de sumendo pabulo.

32 Dicendum secundo. *Proprium sacerdotem, à quo sumenda est communio, nedum esse Parochum, seù quēcunque alium superiorem immediatum, sed etiam quoscunque alios superiores maiores. Vnde sumens Eucharistiam ab Episcopo, satisfaceret præcepto.* Ita Nauar. *cap.* 27. *Manual. num.* 102. Suarez *disput.* 72. *de Sacram. sect.* 2. §. *sed inquires.* Facundez *pracep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 14. *in fine.* Bonac. *disput.* 4. *de Euchar. qu.* 7. *punct.* 2. *num.* 11. Genuens. *in praxi Neapol. capit.* 61. *in fine.* Mollet. *par.* 1. *sum. tract.* 7. *cap.* 10. *num.* 24. Sà *verbo.* Sacramentum. *num.* 4. Posseuin. *capit.* 7. *de Offic. Cur. num.* 57. Probatur Episcopus, sicut quilibet alius superior maior est Parochus Parochorum, & ipsi principaliter incumbit cura animarum cap. *Quæcunque* 10. *quæst.* 1. cęteri verò sunt coadiutores supplentes in ijs, in quibus non potest Episcopus. Ergo potest exercere munus pastoris ministrando sacramenta cuilibet subdito, & subditus implebit præceptum sumendo ab ipso communionem Paschalem, quia iam sumet à proprio sacerdote.

33 An autem sufficiat communicare in Cathedrali pro adimplendo præcepto, negat Auersa *quæst.* 10. *de Eucharist. sect.* 4. ver. *excipitur in fine.* Seclusa licentia, aut consuetudine, qui malè citat Bonacinam. At tenendum est, sufficere, vt docet Bonacina *disp.* 4. *de Sacram. qu.* 7. *de Euchar. punct.* 2. *num.* 11. Barbosa *de Parochis c.* 20. *num.* 12. Cum enim Episcopus resideat in Ecclesia Cathedrali, & sit vniuersalis pastor totius Diocesis, potens omnibus immediatè ministrare Sacramenta, Cathedralis quoque est Ecclesia vniuersalis propria omnium, & ideò possunt omnes ad ipsam concurrere pro recipienda Paschali communione, nam censetur recipere à proprio pastore cum nomine Episcopi Sacramenta in ipsa ministrentur.

34 Ex dictis colligitur. Eos, qui in aliena Parochia certo tempore morantur, non teneri adire propriam parochiam, vt ibi Eucharistiam sumant pro Paschate, vt docent Caietan. *verbo.* Absolutio *à peccatis.* Nauar. *cap.* 21. *manual. numer.* 45. Azor. *part.* 1. *libr.* 7. *cap.* 61. *quæsito* 8. Sotus *in* 4. *distin.* 18. *quæst.* 4. *art.* 2. Reginald. *lib.* 29. *num.* 94. Suarez *disput.* 72. *de Sacramen. sect.* 2. Bonacina *disput.* 4. *de Euchar. quæst.* 7. *punc.* 2. *num.* 8. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 6. Refertur enim declaratio Eugenij Quarti. Quod vagi; & Peregrini sortiantur Parochiam, vbi sunt in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Et ratio etiam est, quia cum hæc sint Sacramenta, quæ repeti possunt, præsumitur voluntas tacita parochorum, quod ea sumant, vbi reperiuntur.

35 Colligitur secundo. Regulares, qui communicant more Laico teneri, vt adimpleant præceptum Paschalis communionis, illam sumere de manu proprij Prelati, cum ipse sit proprius Sacerdos ipsorum, & quamuis iuxta Constitutionem Clement. VIII. deputet plures Confessarios, qui audiant confessiones suorum subditorum non tamen ipsis censetur concessa facultas administrandi Eucharistiam, cum hęc sit diuersa ab ipsa; nec adsit illa necessitas, quod talis facultas alijs deputetur, sicut adest de facultate audiendi confessiones. Nec facultas, quam habent ex priuilegio administrandi Eucharistiam, suffragatur, quia est concessa solum in ordine ad sæculares.

36 Colligitur tertio. Quod quando Summus Pontifex, aut alius Superior maior concedit facultatem ministrandi Eucharistiam, non derogat iuri Parochorum, quia ius Parochorum non est priuatiuè quoad maiores Superiores, sed cumulatiuè; & ideo in concessione talis facultatis delegat ius proprium, ita vt per alios exerceat, quod possent per se ipsum exercere. Vnde cum non interueniat derogatio iuris alieni, non est necessaria expressa mentio de iure Parochorum.

Quale sit præceptum de Communione Paschali.

SECTIO VIII.

37 Dicendum est. *Præceptum Paschalis Communionis esse diuinum secundum substantiam, & solum secundum modificationem, seù determinationem humanum.* Ita Hurtad. *disput.* 10. *de Eucharist. difficul.* 3. ver. *Præceptum Ergo.* Chellison. 3. *par. quæst.* 80. *art.* 11. *not.* 4. Probatur præceptum diuinum de Eucharistia fuit à Christo impositum absque determinatione temporis, in quo esset implendum, & relicta Ecclesiæ determinatio. Ergo quando Ecclesia determinauit, non imposuit fidelibus obligationem, sed obligationem iam impositam à Christo applicauit iuxta ipsius commissionem. Confirmatur. Quando Princeps condit legem, & postea committit exequutionem, & promulgationem inferioribus, lex illa est lex Principis, non inferiorum, & obligat auctoritate ipsius. Ergo etiam

præceptum de communione cum sit impositum à Christo.

38 Dices. Ecclesia poterat decernere, quod pluries in anno sumeretur Eucharistia, sicut etiam antiquitus decreuerat. Ergo præceptum non est Diuinum secundum substantiam, cum possit obligare, & non obligare dependenter à sola voluntate Ecclesiæ. Respondet.negan.Consequent. Ad prob.neg.assumpt.Nam cum præceptum sit impositū à Christo,& commissum Ecclesiæ, vt determinaret tempus exequutionis tota illa determinatio, quæ fit ab Ecclesia, quæcunque sit, fit in virtute commissionis Christi, atque adeò auctoritate ab ipso delegata: quæ autem fiunt auctoritate delegata censetur facta ab ipso delegante.

39 Ex dictis colligitur. Totam vim obligandi, quam habet præceptum, non esse humanam, sed diuinam, quia vis obligandi est talis, qualis est auctoritas, qua imponitur obligatio; imponitur autem hæc obligatio auctoritate Diuina. Ex quo fit, quod etiam Summus Pontifex teneatur hoc præcepto, quia cum subsit præceptis Diuinis, eo ipso, quod facta est determinatio præcepti, seu temporis, in quo implendum est, remanet obligatus, præsertim, quia determinatio est facta facultate delegata ex vi commissionis relictæ à Christo.

An excommunicati, interdicti, suspensi, excusentur ab obseruatione huius præcepti.

SECTIO IX.

40 Difficultas procedit de suspensis, aut vniuersaliter à susceptione Sacramentorum, aut specialiter ab Eucharistia. Negat autem Auersa *quæst.* 8. *de Eucharist. sect.* 3. ver. *Tertiò*, & proinde vult, quod ex hoc titulo etiam teneantur procurare absolutionem, & si non procurent, peccent contra hoc præceptum.

41 Tenendum tamen est. *Quod excusentur ab obseruantia huius præcepti, & proinde non teneantur etiam ex hoc capite procurare absolutionem, vt satisfaciant huic præcepto.* Ita Nauar.*cap.*21.*manual.numer.*46. & 48. Azorius *par.*1.*lib.*7.*cap.*41. *quæst.*3. Facundez *præcep.*3.*Eccles.lib.*1. *capit.*6. *numer.*7. Isambert.3.*part. quæst.*80.*disput.*6.*ar.*2.ver.*Tertiò notandum*. Prob. Impotentes excusantur ab obseruantia præcepti, respectu cuius sunt impotentes, ita vt superueniente tempore, in quo obligat præceptum, non sinat impotentia eos affici obligatione. Sed excommunicati, interdicti, suspensi sunt impotentes, quia habent tale impedimentum positum ab Ecclesia, ratione cuius fiunt impotentes. Ergò.

42 Ex dictis colligitur. Quod si prædicti possent absolui, & nollent absolui eo fine, vt non communicarent in Paschate, peccarent contra præceptum, quia vellent in causam illius transgressionis secundum citatos Doctores. Quod tamen habet difficultatem. Quia quamdiu sunt impediti, non obligantur præcepto, & proinde non habet locum præcepti transgressio, cum ibi tantum sit, vbi viget obligatio. Quod autem velint differre absolutionem in hunc finem, ne communicent in Paschate, non est velle transgredi præceptum; sed velle impedire, ne superueniat obligatio præcepti. Et faciunt ea, quæ dixi in *Praxi ieiunij decis.*320. *num.*3. & *sequent.* de ijs, qui assumunt laborem non necessarium in eum finem, vt postea fatigati non teneantur ieiunare.

An qui non implet præceptum communionis tempore præfixo, teneatur postea communicare.

SECTIO X.

43 Prima sententia asserit, non amplius teneri communicare, quando tempore præfixo, siue ex impedimento, siue ex malitia non communicauit. Ita Syluester *verbo* Eucharistia 3. *quæst.* 15. Tabiena *verbo* Communicare. *quæst.*7. Armilla *verbo* Communio.*numer.*6. Sà *verbo*. Eucharistia.*num.*7. Sotus *in* 4.*distin.*18. *quæst.*1.*ar.*4. Ledesma 2.*par.*4.*qu.*2.*art.*5.*dub.*2. D. Antonin. 2.*par.tit.*9.*cap.*9.§.3. Prob. Obligatio affixa tempori, expirat elapso tempore. cap. *Sicut* ver. *Nisi forsan. De sponsalibus.* & *l. si fideius.* §.*fin.ff.Mandati.* Præceptum autem de sumenda Eucharistia est affixum Paschati. 2. In cap. *Omnis vtriusque sexus. De pænit. & remiss.* diuerso modo præcipitur confessio, & communio, nam hæc præcipitur in Paschate, atque adeò est affixa tempori: illa verò semel in anno sine determinatione tēporis. ergo signum est, quod elapso tēpore expirat obligatio.

44 Secunda sententia asserit, adhuc teneri. Ita D.Tho. *in* 4.*dist.*13.*quæst.*3.*ar.*1.*qu.*4. Maior.*distin.*17.*quæst.*2. §.*contra recidiuum.in fine.* Palud.*dist.*10.*quæst.*1.*num.*25. Suarez *disput.*70.*de Sacram.sect.*2. ver. *Dico ergo.* Vasquez 3.*par.qu.*9.*ar.*3.*dub.*2. *num.*13. Syluius *qu.* 80. *ar.* 11.*qu.*4. Chellison.*not.*3. Mercer.*not.*5. Præposit.*dub.*2. *nu.*62.ver.*Tertia.* Martinon.*disp.*36.*de pænit. sect.*2.*nu.* 19. Azor.*par.*1.*lib.*7.*cap.*40.*qu.*1. Hurtad. *disput.*10.*de Euchar.diffic.*3.*in fine.*

45 Dicendum. *Non communicantem in Paschate teneri postea adimplere præceptum.* Prob. Quando adest obligatio faciendi aliquid secundum se, & determinatur tempus, in quo est faciendum, si non fiat tempore determinato non extingitur elapso tempore: sed continuatur quousque impleatur, ita deciditur in *l. Celsus* §.*Sed ipse.ff. De recep.arbitr.* ibi. *Si cui præcipiatur, vt soluat intra Kalend.Ianuar. & non soluit, debet deinde soluere, quia duo mandata in vno continentur, nimirum vt soluat, & soluat intra Kal. Ian.* & similia habentur in cap. *Cum dilecti. De dolo, & contum.* Sed talis est obligatio huius præcepti, ita vt duo mandata in ipso contineantur: ergo. Minor probat. Tum quia in Conc. Trid. *sess.*13.*can.*9. damnat dicentes, singulos fideles non teneri singulis annis saltem in Paschate communicare: vbi duo ponit tanquam distincta vnum, quod singulis annis communicent: vnde exigit communionem in singulis annis, & quod communio fiat saltem in Paschate. Dictio enim, *saltem* est subsidiaria, vt notant Castrens. *consil.*79.*nu.*7.ver.*Contrarium lib.*1. Corneius *consil.*109.*init. vol.*1. Bald. *cons.* 69. *nu.*2. *lib.*2. Paris. *cons.*34.*n.*6.*lib.*3. Menoch. *cons.*1061.*nu.* 44. Surd. *consil.*447.*nu.*27. & adeò in præsenti ponit in subsidium tempus Paschatis pro implendo præcepto, atque adeò non ita coarctat obligationem, vt extra tale tempus non habet locum.

46 Ad 1.neg.min. Quia tempus Paschatis, vt dictum est positum est in subsidium, vt nimirum illo tempore ad minus sumatur Eucharistia, atque adeo ad determinandam exequutionem præcepti: non autem ad excludendū obligationem pro alio tempore. Ad 2.neg.consequ. Nam non est diuersitas, quæ affigat præceptum tempori, sed solum quæ determinat tēpus magis congruū, quod sumatur, quādo Christus passus est, & resurrexit. Hoc autē tēpus nō fuit determinatum pro confessione, quia cum sit necessaria ratione peccati, relictum est conscientiæ cuiuscuiusque, vt illud impleat, quando cognoscit se magis illo indigere.

47 Ex dictis colligitur contra nonnullos Recentiores. Eum, qui non communicauit in Paschate, nō posse vti beneficio totius temporis eiusdem anni, quasi extinctum sit præceptū cōmunicandi in Paschate, & solū remaneat præceptū communicandi in illo anno, sed teneri quamprimū communicare, vt docent communiter Doctores pro secunda opinione allati. Nam tempus Paschatis designatum est ad interpellandum, vt illo tempore quisque satis-

satisfaciat propriæ obligationi: & ideò si non satisfacit, durat interpellatio, & continuatur. Sic qui debet soluere certa die, si nō soluat adhuc tenetur quamprimum soluere, & citatus comparere certa die, tenetur quamprimum comparere, vt habetur ex cit. cap. *Cum dilecti. De dolo, & contum.*

48 Colligitur secundò. Eum, qui differt sumptionem Eucharistiæ vsque ad subsequens Pascha illa communione satisfacere præcepto vtriusque Paschatis, tam præsentis, quàm præteriti, nec teneri bis communicare, vt notat Martinon. *disput.* 36. *de Euchar. sect.* 2. *num.* 20. Ratio autem est, quia quando præcepta plura eiusdem rei coadunantur, tunc solum multiplicant actum, quando respiciunt esse materiale, & quantitatem rei, vt sunt obligationes soluendi quotannis aliquam summam: non autem quando respiciunt veluti esse formale, quia tunc præceptum superueniens extinguit præcedens. Sic præceptū secundum de comparendo, non obligat ad comparendum secunda vice, sed innouat præceptum primum. Tale autem est præceptum de sumenda Eucharistia: nam respicit ipsam sumptionem sacramentalem corporis Christi in ordine ad spiritualem refectionem, & exequutionem præcepti diuini, atque adeò esse formale actus cadit sub præcepto, non autem quantitas: & ideò præceptum secundum superueniens extinguit prius, illud in se innouando.

49 Colligitur tertiò. Eum, qui non communicauit in Paschate, teneri postea sumere Eucharistiam à proprio pastore, quia durat præceptum etiam quoad circumstantias, quæ non sunt affixæ tempori, vt notat etiam Præposit. 3. *par. quæst.* 80. *art.* 11. *dub.* 2. *num.* 62. *in fine.* Quod etiam habet locum, si communicasset alibi in tempore Paschali, vt notat idem Præposit. *num.* 63. cum Vasquez 3. *par. disput.* 219. *cap.* 4. *in fine.* quia res præcepta non est exequutioni mandata cum illo modo, cum quo est præcepta, & ideò præceptum habetur pro non impleto. Imo etiam si quis ante Pascha sumeret Eucharistiam à proprio Pastore, & in Paschate non sumeret, sed ab alio, non impleret præceptum, vt notat etiam Præposit. *ibid.* Quia præceptum de sumenda Eucharistia à proprio pastore est pro Paschate.

50 Colligitur quartò. Pœnam, quę imponitur non communicanti in cap. *Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss.* nempè exclusionem ab ingressu Ecclesiæ, & priuationem Ecclesiasticæ sepulturę esse medicinalem, & nimirum transgressor resipiscat, & communionem sumat. Vnde ex hoc quoque capite colligitur pręceptum durare transacto Paschate, alioquin ad euadendam pœnam sufficeret, si peccatum transgressionis expiaretur per confessionem, nec teneretur Eucharistiam sumere.

An qui præuidet se impeditum fore tempore Paschatis teneatur anticipare communionem.

SECTIO XI.

51 PRima sententia asserit eum, qui pręuidet, fore impeditum ne possit in Paschate communicare, teneri pręuenire. Ita Sylvius 3. *par. quæst.* 80. *ar.* 11. *quæsit.* 3. Nugn. *difficul* 2. Mercer. *not.* 6. Ochag. *De Sacram. tract.* 2. *de Euchar. quæst.* 15. *num.* 5. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 3. Vasquez 3. *par. quæst.* 90. *ar.* 3. *dub.* 2. *num.* 13. Prob. Pręceptum communionis obligat toto anno quo ad substantiam. Ergo quando non potest impleri in vna parte anni, debet impleri in alia: & ideò debet anticipari, quando pręuidetur superuenturum impedimentum. Confir. Qui pręuidet se non posse audire missam in vltimo mane, debet audire primo mane pręueniendo. ergo idem dicendum est in communione.

52 Secunda sententia asserit, illum, qui pręuidet, se impediendum à communione in Paschate, non teneri præuenire, teneri tamen, si præuideat, toto illo anno fore impediendū, aut si in illo anno ante Pascha nunquam communicauit. Ita Layman *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 9. Palaus *par.* 4. *tract.* 21. *disput. vn. pun.* 15. *nu.* 8. Martinon. *disput.* 36. *de Euchar. sect.* 2. *num.* 11. & alij Recentiores. Prob. Præceptum communionis duo continet, vnum principale, nempè sumptionem Eucharistiæ in quolibet anno, ita vt vltra annum non differatur; & alterum accessorium, vt hoc fiat in Paschate. Ergo quando præuidetur impedimentum pro tempore sequenti, etiam in ordine ad principale est præuenienda adimpletio, aliàs non impleretur præceptum.

53 Tertia sententia absolutè asserit, non teneri quamquam præuenire. Ita Suarez *disput.* 70. *de Sacram. sect.* 2. *dub.* 3. Coninch. *de Sacram. quæst.* 80. *art.* 11. *dub.* 4. *num.* 108. Azor. *par.* 1. *lib.* 17. *cap.* 41. *quæst.* 13. Pitigian. *in* 4. *distin.* 9. *quæst.* 3. *art.* 9. Reginal. *lib.* 29. *num.* 76. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 9. *num.* 59. Molfes. *part.* 1. *tract.* 3. *cap.* 8. *num.* 28. Bonacina *disput.* 4. *de Sacram. quæst.* 7. *de Euchar. pun.* 2. *num.* 15. Auersa *quæst.* 8. *de Euchar. sect.* 3. *ver. Quintò.*

54 Dicendum est. *Qui præuidet impedimentum, quo impedietur proximo Paschate, aut etiam toto illo anno, vt non possit sumere Eucharistiam, non tenetur anticipare sumptionem.* Prob. Non tenetur anticipare ex vi præcepti de communione; nec ex vi alterius pręcepti, quia non datur pręceptum de anticipanda adimpletione alterius præcepti. Ergo. Anteced. prob. Præceptum Eucharistiæ, licet sit diuinum, quoad substantiam, non obligat tamen nisi secundum determinationem Ecclesiæ. Ergo cum sit determinatum, vt eius obligatio incipiat tempore Paschatis ante tale tempus nullam pariet obligationem, qua teneatur quis anticipare adimpletionem.

55 Ad fundamentum primæ sententiæ resp. Præceptum communionis obligare secundum determinationem Ecclesię, ita vt non obligat secundum suam vim substantialem, nisi vt stat sub determinatione Ecclesiæ, & ideò non incipit obligare, nisi adueniente Paschate: vnde solum fit, quod quando non potest impleri in vna parte anni, debet impleri in alia, in qua item obligat. Ad confir. neg. consequ. Nam est dispar ratio. Siquidem toto mane vrget obligatio audiendi missam, vt in tantum potest differri adimpletio, in quantum poterit impleri tempore subsequenti. At ante Pascha non vrget obligatio.

56 Ad fundamentum secundæ sententiæ neg. anteced. Nam tempus Paschatis non est quid accessorium præcepto, sed est intrinseca determinatio obligationis ipsius. Quia cum præceptum diuinum sit indeterminatum in ordine ad exequutionem, est determinata ab Ecclesia, vt fiat in Paschate: & ideò ante tale tempus non vrget.

57 Ex dictis colligitur. Quod si quis præuideat, non posse adimplere præceptum intra illos quindecim dies Paschales, qui iam superuenissent, tenetur in primis diebus, si potest; nec debet expectare impedimentum. Ratio est, quia de præsenti vrget obligatio, & proinde est in possessione, & ideò si expectaretur impedimentum, fraudaretur præceptum. Nec dici potest, quod expectare impedimentum superuenturum, sit se subtrahere obligationi, quando non superuenit, aut si superuenit, requirit pro satisfactione actum, qui habet tractum temporis, vt est ieiunium, quia nondum est plenè in possessione, cum non possit habere actum, nisi in virtute totius tractus temporis. At non potest quis se subtrahere obligationi, quando iam tota superuenit, & actus secundum se totum exhiberi potest.

An si quis anticipet communionem ob impedimentum præuisum, teneatur in Paschate communicare, si impedimentum non superueniat.

SECTIO XII.

58 PRima sententia est negatiua. Ita Fernandez de Hered. *De Sacramen. par.* 8. *de Euchar. dub.* 1. *nu.* 10. *ver. Respondemus.* Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 42. *ver. Sed si quis.* Prob. ex cap. *Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss.* Est licitum de consilio proprij Sacerdotis differre communionem extra tempus præscriptum ab Ecclesia. Ergo etiam per anticipatam communionem poterit impleri præceptum cum consilio pij, & prudentis viri, aut etiam proprij Sacerdotis. 2. Substantia huius præcepti est communio: quod autem fiat intra tales dies, est accidentale, vt desumitur ex cit. cap. ibi. *Ad minus in Pascha.* Ergo cum anticipata communio exhibeat substantiam actus præcepti, satisfaciet præcepto, siue superueniat, siue non impedimentum, ita vt congruentia anticipandi faciat cessare congruentiam temporis assignati pro illo implendo.

59 Secunda sententia est negatiua. Ita Suarez *disp.* 70. *de Sacramen. in fine.* Bonac. *disput.* 4. *de Sacram. quæst.* 7. *de Euchar. pun.* 2. *num.* 15. Palaus *par.* 4. *tract.* 21. *disput. vn. pun.* 14. *num.* 8. Auersa *quæst.* 8. *de Euchar. sect.* 3. *ver. Quintò.* Laiman. *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 5. *nu.* 9. & communiter.

60 Dicendum. *Communionem anticipatam non sufficere pro implendo præcepto etiamsi præuideatur impedimentum, & proinde si non superueniat, adhuc aderit obligatio communicandi in Paschate.* Prob. Obligatio, quæ nondum est, non potest extingui etiam per actum præceptum, vt inductione patet in cæteris præceptis. Ergo illa communio non extinguet obligationem communicandi in Paschate. Ergo quando superueniet, ipsum obligabit, non secus, ac si non anticipasset.

61 Dices. Adesse de præsenti obligationem secundum substantiam præcepti, & ideò posse extingui. Contra. Præceptum, quod est diuinum secundum substantiam est secundum substantiam indeterminatum, & determinatum ab Ecclesia ad tempus Paschatis. Ergo cum substantia obligationis ipsius sit tracta ad illud tempus, neq; quoad substantiam obligabit ante ipsum.

62 Dices secundò. Ratione impedimenti trahi obligationem ad tempus antecedens. Contra. In cæteris præceptis non trahitur. Ergo neque in hoc cum sit eadem ratio.

63 Ad primum neg. Conseq. Nam est diuersa ratio de anticipatione, quia quando adimpletio præcepti postponitur, præceptum continuat suam obligationem, cum illam habeat continuare, donec impleatur, & ideò extinguitur tunc obligatio, quando vrget. Obligatio autem non potest anticipare. Deinde lex concedit dilationem, non autem anticipationem. Concessisset autem, si voluisset, *l. Si seruus.* §. *Prætor ait.* ver. *Non dixit. ff. De acqu. hæred.* & cap. *Ad audientiam* 2. *De decim.* Ad secundum neg. Conseq. Quia substantia actus exhibita non extinguit obligationem, quando non vrget obligatio: non vrget autem obligatio, etiam quoad substantiam ante Pascha, vt constat ex dictis.

An indigna Communio satisfaciat præcepto.

SECTIO XIII.

64 PRima sententia asserit, satisfacere. Ita Sotus *lib.* 2. *de iust. & iure, q.* 3. *ar.* 10. Azor. 1. *p. lib.* 7. *cap.* 41. *qu.* 12. Suarez *disp.* 70. *de Sacram. sect.* 3. *ver. Nihilominus.* Valquez 3. *par. disp.* 214. *cap.* 4. Præposit. *dub.* 2. *num.* 61. *ver. Sed omnino.* Chellison. *not.* 6. Mercer. *not.* 7. Couaruu. *in cap. Alma Mater. p.* 1. §. 5. *num.* .... Corduba *in sum. qu.* 15. Lopez *par.* 1. *instruc. cap.* 11. §. *Renouari.* Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 4. Medina *par.* 1. *cum cap.* 13. §. 41. Sanchez *libr.* 1. *sum. capit.* 14. Molfes. *p.* 1. *sum. tr.* 3. *cap.* 8. *nu.* 32. Pellicion. *qu. illus.* 20. *cap.* 4. *in fine.* Pitigian. *in* 4. *dist.* 9. *qu.* 3. *art.* 10. Reginald. *lib.* 29. *nu.* 83. Prob. Qui sumit Eucharistiam indignè, sumit adhuc sacramentaliter, & exhibet totam substantiam actus præcepti, nempè illam communionem, quæ licet non nutriat spiritualiter, & vniat Christo, est tamen apta nutrire, & vnire. Ergo satisfacit præcepto, quia sola substantia actus cadit sub præcepto. Confir. Qui indignè sumunt Eucharistiam non iubentur à contrarijs iterum sumere. Ergo satisfaciunt præcepto.

65 Secunda sententia est negatiua. Ita Duran. *in* 2. *dist.* 28. *qu.* 4. Capr. *dist.* 41. *qu.* 1. *ar.* 1. Aprian. *in* 4. *qu. vlt. de confess.* Syluius 3. *par. qu.* 80. *ar.* 11. *qu.* 2. Nugn. *dub.* 2. *p.* 2. *ver. Opposita tamen.* Bartholom. ab Angelo *Dial.* 4. §. 176. Fernandez de Hered. *de Sacram. par.* 8. *de Euchar. dub.* 1. *nu.* 12. Bordon. *to.* 1. *resol.* 20. *qu.* 1.

66 Dicendum est. *Per indignam communionem non impleri præceptum de Paschali communione.* Prob. Præceptum Paschalis communionis quoad substantiam est diuinum. Ergo non impletur per indignam communionem. Anteced. prob. Præceptum diuinum communionis extra articulum mortis est indeterminatum, & ab Ecclesia determinatum est, vt executioni mandetur in Paschate, ita vt præceptum Paschalis communionis de Eucharistico non habeat, nisi determinationem temporis pro exequendo Diuino. Ergo quoad substantiam est Diuinum. Consequ. prob. Præceptum Diuinum de communione obligat ad communionem dignam, quia cadit etiã super actum internum. Ergo.

67 Dices. Ecclesiam determinasse præceptum diuinum quo ad substantiam communionis, non quoad modum dignitatis, atque adeò determinasse extra, & vltra præceptum diuinum. Contra. Determinauit præceptum diuinum quoad obligationem ipsius, ita vt obligatio imposita à Christo, & relicta, vt determinaretur ab Ecclesia quo ad tempus pro executione sit determinata ad tẽpus Paschatis: ergo cum obligatio diuina sit non solum de substantia communionis, sed etiam de modo sumendi dignè includitur obligatio ista in præcepto Ecclesiæ, & determinatio Ecclesiæ non est vltra, & extra præceptum diuinum.

68 Confir. Quando præcipitur aliquis actus, qui ex natura sua requirit alium actum antecedentem, sine quo non potest legitimè fieri, non satisfit præcepto, si fiat actus præceptus absque actu antecedenti, sed communio ex natura sua requirit in eo, qui habet conscientiam peccati mortalis probationem per confessionem, ita vt communicans non indignè accedat, vt declarat Concil. Tridentin. *sess.* 13. *cap.* 7. Ergo. Maior prob. Leges cum habeant pro obiecto solum iustum, & rectum, præcipiunt tantum actus, qui legitimè possunt fieri, ita vt neque possint præcipere, quæ non possunt iuridicè, & iustè fieri: nam potentia non se extendit ad ea, quæ sunt contra ius præsertim diuinum, & naturale *l. Quæro.* §. *Inter locatorem. ff. Locati*, & *l. Nepos proculo. ff. De verborum significatiou.* & capit. *Causam quæ.st. De rescrip.* & cap. *Cum Dilectus. De consuet.* Ergo lex præcipiens communionem, non potest præcipere nisi eam, quæ fit præmissa probatione iuxta præceptum diuinum, cui tenetur se conformare, atque adeò communio indigna, cum sit facta sine illa probatione, quæ præcipitur, non erit communio legitima, atque adeò non erit illa, quæ est præcepta ab Ecclesia: & proinde insufficiens, vt satisfaciat præcepto.

69 Ad primum neg. anteced. Nam in communione indigna non saluatur substantia actus præcepti, quia intrinsecè

ſecè variatur: tum quia non eſt actus vitalis vitæ ſpiritualis, atque adeò licet ſit comeſtio materialis, non eſt tamen comeſtio formalis Sacramentalis, quia hæc debet eſſe comeſtio vitalis radicata in vita ſpirituali. Tum quia licet cibus, qui ſumitur ſit nutritiuus, & vnitiuus Christo, non tamen ipſa ſumptio, & proinde non eſt radix in ſe, ſeu cauſa illorum effectuũ, propter quos præcipitur Euchariſtia, atque adeò caret intrinſeca efficacia, quæ debet eſſe in communione præcepta. Tum quia eſt intrinſecè, & ex vi ſuæ ſpeciei contra diuinum ius, vnde nõ eſt actus præceptus, ſed determinatus ab Eccleſia. Ad confir. neg. conſequ. Quia non licet arguere ex tali praxi, quia poteſt eſſe fundata in oppoſita opinione, & aliàs tenentur obligare pœnitentem ad nouam communionem.

70 Ex dictis colligitur contra Nauar. *cap.* 21. *manual.* nu. 48. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 41. *qu.* 12. Facund. *præcep.* 3. *Eccl. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 5. Excommunicatos, interdictos, & ſuſpenſos non ſatisfacere præcepto ſumendo in Paſchate Euchariſtiam. Tum quia præceptum tunc eos non ligat, cum ſint impediti ab Eccleſia, ipſum tunc exequi. Tum quia communio eſſet ſacrilega. Vnde ſi ante elapſum annum tollatur impedimentum, tenebantur communicare. Excuſantur tamen, & implent præceptum quoad forum conſcientiæ ſi cenſuræ ſint nullæ, vt notant Nauar. *in cap. Cum contingat. De reſcrip.* Facundez *cit.* Quia cum ſint nullæ non habent vim impediendi à communione. Secus tamen, ſi ſint validæ, & per ipſos non ſtet, quia tollantur, licet contrarium ſentiat Facund. *cit.* quia adhuc ſunt vera impedimenta, & ideò non permittunt impleri præceptum.



SACRA

SACRA MORALIS DOCTRINA DE STATV HOMINIS BEATIFICO.

AD SCHOLASTICAE LECTVRAE *Methodum explicata*.

DE BEATITVDINE FORMALI.
DISPVTATIO CXIX.
An sit possibilis.
SECTIO I.

1 Eatitudo est bonificatio facta per cõmunicationem alicuius boni. Est duplex obiectiua, & formalis. Obiectiua est illud bonum, quod communicatur formalis: est participatio, qua creatura participat tale bonum. Sumitur dupliciter pro participatione cuiuscunque boni, & definitur à Boetio. *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*; & pro participatione excellentiori, quæ est beatitudo essentialis, & est radix, in qua omnis alia beatitudo fundatur.

2 Supponendum est. Beatitudinem obiectiuã non posse consistere in bonis creatis, licet enim expetibilia sint, sunt tamen finita, nec possint adæquatè satiare. Quia voluntas habet pro obiecto bonum in communi, & requirit omne bonum excogitabile, vnde Eccles. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*.

3 Supponendum 2. Solum Deum esse beatitudinem obiectiuam: solus enim est bonum infinitum dicens omnem rationem boni, est de fide. Io. 26. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum*. Ergo beatitudo obiectiua est summum bonum, cętera verò pertinent ad Beatitudinem accidentalem, & integralem.

4 Dico primo. *De fide est, possibilem esse plenam Beatitudinem*. Psal. 64. *Replebimur in bonis Domus tuæ* & Io. 14. *ostẽde nobis Patrẽ, et sufficit nobis*; & alia passim.

5 Dico secundo. *Supposita immortalitate animæ est possibilis cognitio Beatitudinis, licet non possit cognosci, in quo obiectiuè consistat*. Probatur. Omnis motus est essentialiter ad aliquem terminum, in quo vltimo quiescat, nec potest esse infinitus, ergo etiam motus voluntatis debet habere terminum, in quo quiescat; motus enim est propter exigentiam mobilis, quod ideò mouetur, vt acquirat determinatum terminum.

6 Objic. non potest perueniri ad Beatitudinẽ, nisi vitãdo omne malum, quod non potest cognosci naturaliter possibile esse, quia naturaliter nõ potest vitari omne malum, cum adsit repugnantia appetitus. Resp. ex eo quod, possit vitari omne malum, non argui possibilitatem Beatitudinis, argui tamen ex cognitione capacitatis, quæ est in rationali creatura, ex qua arguitur, adesse medium sufficiens, licet non cognoscatur, quale sit &c.

An Beatitudo formalis consistat in illapsu.
SECTIO II.

7 LIcet ad Beatitudinẽ formalem requiratur omnis perfectio subiecti, cum importet statum omniũ bonorum aggregatione perfectum, non tamen formaliter in hoc consistit, quia per hoc non importatur illa participatio summi boni, in qua consistit Beatitudo. Difficultas est, an consistat in illapsu.

8 Prima sententia est affirmatiua. ita Henricus *quodlib. 3. qu. 12.* Asserens, Deum vniri cum anima duplici vnione; vna, qua illabitur in substantiam ipsius, & illam in se ipsum transformat, sicut ignis ferrum. Secunda qua vnitur cum potentijs animæ in ratione veri, & boni, & illas purgat, illuminando intellectum, & inflammando voluntatem; vult autem, beatitudinem consistere *in priori* vnione.

9 Secunda sententia est negatiua. ita Scotus *in 4. dist. 49. q. 2.* Capr. *q. 1.* Sotus *q. 1. ar. 3.* & alij communiter.

10 Dicendum est. *Beatitudinem non consistere in illapsu formaliter secundum substantiam*. Probatur. Non potest esse vnio substantialis, quia non fit vnum substantiale ex Deo, & Beato, nec accidentalis, quia Deus non est accidens Beati; nec intimæ presentiæ, quia hæc supponitur antea, nam Deus est intimè præsens omnibus, ergo nullo modo est admittenda.

11 Dices. In ratione intimæ præsentiæ, acquirere specialem modum, quo fit præsens Deus intimè Beatis. Cõtra. Deus non fit præsens, nisi operãdo aliquid, quia non supponit, sed ponit terminũ præsentiæ; nihil autem speciale operatur in Beatis, quando pertineat ad ipsorum substantiam.

12 Obijc. verbũ potest vniri substantialiter cum natura humana, ergo & Deus cum Beato. Respondetur. Verbum vniri substantialiter ex eo, quod supplet personalitatem creatam. Deus autẽ nihil supplere potest in Beatis, quod est substantiale.

13 Obijc. 2. Si Beatitudo nõ consisteret in hac vnione, esset accidentalis. Ergo esset perfectior formica, quàm beatitudo, nec esset in essentia animæ, vt est gratia. Respond. Esse perfectiorem formicam in modo essendi, cum sit substantialis natura per se subsistens, non vero in ratione essentiæ, quatenus beatitudo est ordinis superioris pertinens ad complementum nobilioris creaturæ. In anima vero essentia esset, non immediatè, sed medijs potentijs, quod sufficit.

An Beatitudo formalis sit operatio increata.
SECTIO III.

14 SVpponendum est, vt communiter docent. Beatitudinem non consistere in habitu, sed in operatio-

ratione. Io. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum*, & in Clemen. *Ad nostrum. de hæreticis.* definitur, necessarium esse lumen gloriæ ad videndum, & beatè fruendum Deo. Difficultas autem est, an ista sit illa operatio increata, qua Deus Beatus est.

15 Prima sententia est affirmatiua, quæ est in aliquorũ recentiorum, & illam probabilem putat Caiet. *3. p. q. 9. art. 1.* Prob. Non repugnat increatam operationem vniri creaturæ, sicut vnitur persona increata, & essentia Diuina per modum speciei impressæ, ergo. 2. Christus meruit præmium infinitum. Ergo & Beatitudinem infinitam, atque adeò increatam.

16 Secunda sententia est negatiua, communis cũ D. Th. *1. 2. q. 3. ar. 1.* Dicendum est. *Beatitudinem formalem nõ posse esse operationem increatam.* Prob. Concil. Later. Ephesin. & *6.* Synod. definiunt, quod in Christo sint duæ operationes, Diuina, & humana, nõ alia ratione, nisi quia natura creata non potest operari operatione increata; nec operatio creata potest induci in naturam increatam, vt explicat Leo Papa *in VI. Synodo c. 7.* ergo. Confirmatur. Sequeretur, Beatum comprehendere Deum, si videret ipsũ visione increata, quia visio increata est formaliter, & essentialiter comprehensio, & vt talis deberet cõmunicari, quia deberet communicare vt repræsentatiua Dei, atq; adeò cũ modo intrinsecè imbibito in repræsẽtatione.

17 Ad primum negatur assumptũ. Implicat enim operationem increatam vniri creaturæ per modum operationis, deberet enim vniri per modum formæ vtpote operatio vitalis; essentia vero diuina non vnitur per modũ formæ, sed principii, si per modũ speciei impressæ vnitur Persona Diuina verò vnitur per modum termini: Ad 2. Christum meruisse præmium infinitum obiectiuè, non verò Beatitudinem formalem infinitam.

An Beatitudo sit operatio producta à Beato.

SECTIO IV.

18 Prima sentẽtia ait produci à solo Deo. Ità Ochã *in 1. dist. 1. q. 2. concl. 2.* Gabr. *q. 2. ar. 2.* Duran. *q. 2.* Marsil. *q. 10. art. 2.* Bassolis *q. 1. art. 1.* Prob. Habitus, qui sunt minus perfecti, exigũt produci à solo Deo. Ergo etiam actus 2. si produceretur à Beato, ad libitum ipsius posset cessare. Ergo. 3. Voluntas damnati accipit à solo Deo actũ, qui est pena ipsius. Ergo & Beatus à solo Deo actum, qui est Beatitudo ipsius.

19 Secunda sententia asserit, esse operationem productã ab ipso Beato: ità D. Th. *1. 2. q. 3. ar. 2.* Caiet. & *Medina ibid.* Pesant. *disp. 2.* Aluarez *disp. 18. & 19.* Mõtesin. *disp. 3. qu. 4.* Lorca *disp. 16. de Beatitud.* Vasquez *disp. 9. c. 3. & alij.*

20 Dicendum est. *Beatitudinem formalem produci effectiuè ab ipso Beato.* Prob. eadem ratio est de Beatitudine, & de cęteris actibus supernaturalibus: actus autem supernaturales sunt à nobis effectiuè, vt definitur à Trid. *sess. 6. can. 4.* Confir. Beatitudo est vita accidentalis, atq; adeò est actus vitalis. De ratione autem actus vitalis est, quod sit ab intrinseco principio vitæ.

21 Ad primum neg. conseq. Quia habitus eleuat potẽtiam; actus autem supponit eleuatam. Ad secundum neg. anteced. Nã voluntas stante determinatione summi boni est determinata, quoad exercitium, vt diximus supra. Ad tertium neg. assumpt. Nam etiam ille actus est vitalis, cum sit dolor, & tristitia.

22 Obijc. Beatitudo est pręmiũ. De ratione præmii autem est, quod sit à solo Deo. ergo. Resp. Debere esse à Deo mediatè, quatenus dat vires ad ipsum assequendum: non verò immediatè.

An Beatitudo consistat in pluribus actibus.

SECTIO V.

23 Prima sententia ait, consistere tàm in actu intellectus, quàm voluntatis. ita D. Bonau. *in 4. dis. 49. ar. 1. q. 5.* Richar. *ar. 5 q. 6.* Suarez *disp. 7. de Beatitud. sec. 4.* & alij. Prob. ex extrauagan. Benedicti XII. vbi difinitur; Animas esse Beatas visione, & fruitione Dei. Secundò Beatitudo est summa vnio cum summo bono; hæc autem vnio nõ habetur, nisi per actum intellectus, & voluntatis. Ergo 3. Beatitudo est vita æterna. Ergo consistit in cognoscere, & amare, quia vtrumque est operatio vitalis.

24 Secunda sententia asserit consistere in vnica operatione, ita Doctores *sect. sequenti citandi.*

25 Dicendum est. *Beatitudo secundum suam formalem rationem non potest consistere in pluribus operationibus.* Prob. Beatitudo obiectiua beatificat tantùm sub vnica formali ratione. Ergo consistit in vnica operatione: Anteced. patet. Quia, si essent plures rationes, quod conueniret vni, non conueniret alteri, atque adeò si vna esset formalis ratio beatificatiua, altera non esset talis. Conseq. prob. quia vnica ratio formalis obiectiua potest specificare vnicam tantum operationem.

26 Ad primum respond. Animas esse Beatas visione, & fruitione, quia vterque actus requiritur ad Beatitudinem, non vero quia formaliter in vtroque consistat. Ad secundum disting. maior. Beatitudo est vnio summa cũ summo bono sub ratione summi boni: non sub alia ratione. Hæc verò habetur per vnicam operationem. Ad tertium. Beatitudinem non esse formaliter vitam æternam, sed solum radicaliter: vita autem æterna radicalis consistit in gratia consumata, in qua radicantur visio, & fruitio, vt operationes huius vitæ.

In quonam actu consistat Beatitudo.

SECTIO VI.

27 Prima sententia asserit, consistere in actu intellectus. ita D. Th. *1. 2 q. 3. art. 4.* Caiet. & Medina *ibidem* Pesant. *disp. 2.* Vasquez *disp. 11. cap. 3.* Aluarez *disp. 21.* Montesion. *disp. 4. qu. 3. §. 4.* Lorca *disput. 17. de Beat.* & communiter Thomistæ, & Recentiores extra scholam Scoti. Prob. Beatitudo est perfectissima operatio. Ergo intellectus, cum intellectio sit perfectior, quàm amor; tum quia trahit ad se obiectum, tum quia habet obiectum magis abstractum. 2. Beatitudo est possessio summi boni, ergo actus intellectus, quia intellectio est assequutio vltimi finis, cum ex genere suo trahat ad se obiectum, non vero volitas 3. Amor Dei ante, & post visionem est eiusdem rationis. Ergo sicuti ante visionem non est beatitudo, ita nec postea erit. 4. Nullus actus potest esse primum obiectum suæ potentiæ cum obiectum primum sit prius omni actu. Ergo, cum Beatitudo sit primum obiectum voluntatis, non potest esse actus ipsius.

28 Secunda sententia asserit consistere in amore amicitiæ quo Deus amatur. ità Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 5.* Maior. *ibidem.* Henr. *in sum. art. 49. q. 6.* Aegidius *quodlib. 3. q. 19.* & communiter Scotistæ.

29 Tertia sententia asserit, consistere in gaudio, seu delectatione de summo bono. Ità Medina *1. 2. q. 3. art. 4.* Sotus *in 4. dist. 49. quæst. vnica. ar. 4.* Aureol. *ar. 5. præposit. 1.* & citat. D. Tho. *1. 2. q. 11. art. 3.* vbi docet, fruitionem esse adeptionem summi boni.

30 Not. primo. Actum voluntatis, circa bonum esse quemdam complexum, quo ipsum complectitur, vt ait Aug. *9. de Trinit. c. 8.* Ex hoc autem quod voluntas complectitur bonum sibi præsentatum, ipsum participat, & fruitur, cum non alio modo possit ipsi communicari.

31 Nota 2. Voluntatem, dum complectitur bonum, vitali modo vniri cum ipso. Ex hoc autem fit, quod speciali modo viuat vita accidentali ex eo, quod perficitur per suum obiectum tanquam per bonum, quod ipsi confert quietem vitalem, vnde Aug. *13. de Ciuit. c. 2.* ait: *secundum hoc viuit quisque, quod diligit.*

32 Dico

32 Dico primo. *Beatitudo consistit formaliter, in fruitione*. Prob. Non consistit in qualibet assequutione summi boni, sed in illa, per quam participatur. Ergo consistit in actu fruitionis. Anteced. patet. Quia per Beatitudinem summum bonum debet communicari cum sit essentialiter satietas, & quies. Conseq. etiam patet. Quia per solam fruitionem communicatur summum bonum satiatiuo modo. Confir. Obiectum beatificat sub ratione vltimi finis, summi boni, & perfecti satiatiui secundũ has autem rationes est obiectum voluntatis; vnde si quis Deũ videret, & non frueretur, appetitus non esset satiatus, atque adeò nec beatus.

33 Dico secũdo. *Visio requiritur essentialiter ad Beatitudinem tanquam ratio constituens obiectum in statu proximo beatificandi*. Prob. voluntas non potest quiescere in summo bono, nisi per intellectum præsentiali modo proponatur ergo requiritur visio, vt faciens obiectum proximè fruibile.

34 Ad primum distinguitur maior. Beatitudo est perfectissima operatio participatiua summi boni: non verò quæcunque alia: quicquid autem sit, an operatio intellectus sit perfectior, sola voluntas est participatiua summi boni, vt tale est. Ad secundum distinguitur min. Visio est assequutio summi boni, quòad præsentiam, non vero quòad participationem: & ideò non consistit in ipsa Beatitudo. Ad tertium. Quicquid sit de anteced. neg. conseq. Quia beatitudo non consistit in amore præcisè, sed in fruitione: quæ non potest haberi ante visionem. Ad quartum negatur conseq. Quia tantum sequitur, quod beatitudo obiectiua non possit esse actus voluntatis: quia sola beatitudo obiectiua est primum obiectum: non autem formalis.

An Beatitudo formalis sit æqualis in omnibus.

SECTIO VII.

35 NOmine beatitudinis intelligimus tum fruitionem, tum etiam visionem, quia inuicem proportionantur fuit error Ioniniani, quod omnes essent æquales in Beatitudine, vt refert D. August. *hæresi* 12.

36 Dicendum. Beatos esse inæquales in Beatitudine, est de fide definitum in Concil. Florent. *sess. vlt. in litteris vnionis*. Prob. Io. 14. *In domo Patris mei mãsiones multæ sunt*. 1. Corinth. 16. *Stella enim a stella differt in claritate, sic erit resurrectio mortuorum*. & 2. Corinth. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet*. Ratio est. Quia beatitudo datur vt præmium intuitu meritorum, quæ sunt inæqualia.

37 Ob. ex illa parabola Matth. 20. vbi. Paterfamilias dedit omnibus, qui laborauerant in vinea singulos denarios. Resp. si explicetur de beatitudine, opera denariũ intelligi beatitudinem obiectiuam, quæ est eadem respectu omnium: fuit autem introducta murmuratio, vt significaret, homines iniustè murmurare, quod Deus alicui plus det, quàm alteri ex sua liberalitate in ijs, quæ sunt gratuita.

Resoluuntur nonnullæ difficultates.

SECTIO VIII.

38 PRima difficultas est. Quot sint dotes Beatorum. Resp. esse tres, vt docent communiter, quia correspondent motibus animæ, quibus mouetur in Deũ, dum est in via: mouetur autem triplici motu, nempè Fidei, Spei, & Charitatis.

39 Secunda difficultas. Quæ nam sint istæ dotes. Resp. cum D. Thom. *p. 2. q. 4. ar. 2.* esse visionem, comprehensionem, & delectationem. Visio correspõdet fidei, comprehensio spei, nam nomine comprehensionis intelligitur assequutio, qua voluntas assequitur quod sperabat iuxta illud Apostoli. Ad Corinth. 3. *sic currite, vt comprehendatis*. Delectatio autem charitati.

40 Tertia difficultas. An in beatis sit aliqua beatitudo accidentalis. Resp. affirmatiuè, & est de fide. Lucæ 18. *Gaudium est in Cælo super vno peccatore pænitentiam agente*. Ratio est. Quia beati obtinent de nouo quædam bona extrinseca contingentia.

41 Quarta difficultas. An in beatis dentur aliquæ aureolæ. Resp. affirmatiuè cum D. Th. *in 4. dist. 49. quæst. 5.* & communiter. Ratio est. Quia aureolæ significant paruam coronam: corona autem datur in signum excellentiæ, & ideò beati ob quosdam speciales excellentias debent habere paruas coronas superadditas coronæ beatitudinis essentialis: sunt autem quædam speciales characteres significatiui specialis excellentiæ.

42 Quinta difficultas. Quot sint aureolæ. Resp. esse tres nempe Virginum. Sap. 4. *Quam pulchra est casta generatio cum claritate* Martyrum iuxta illud Apoc. 7. *Amicti stolis Albis, & palmæ in manibus eorum*; & Doctorum iuxta illud Danielis 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebant tanquam stellæ firmamenti in perpetuas æternitates*. Ratio est, quia Aureola datur intuitu specialis victoriæ. Virgines autem obtinent per victoriam contra carnem. Martyres contra hostes fidei; Doctores contra Dęmones, quatenus falsis suggestionibus conantur homines decipere: vnde per Docto. intelliguntur non solum, qui erudiunt in fide, sed etiam quòad bonos mores.

DE ELEVATIONE NATVRÆ Intellectualis ad Beatitudinem.

DISPVTATIO CXX.

Per quid eleuetur ad videndum Deum.

SECTIO I.

1 QVod dicitur de eleuatione ad videndum debet etiam intelligi de eleuatione voluntatis in ordine ad fruitionem, cum sit eadem ratio.

Dicendum est. *Intellectum eleuari ad clarè videndum Deum per lumen supernaturale, ita vt tale lumen sit necessarium non vt remouens impedimentum, sed vt dari potentiam*. Est de fide contra Begninos, & Beguardos definitum à Clemente V. in *Concil. Vieunen.* & refertur in Clem. *Ad nostrum*. De hæreticis. & est contra Durand. *in 4. d. 49. qu. 2.* qui tam non fuit hæreticus, quia non habuit notitiam huius definitionis. Prob. Psal. 69. *In lumine tuo videbimus lumen*. Ratio est. Quia intellectus est improportionatus, & ideo debet dari lumen conferens debitam proportionem. Vnde tale lumen est quid creatum distinctum à visione, nam Concil. Viennen. *citat.* distinguit lumen à Deo, & à visione ipsius.

2 Dicendum 2. *Hoc lumen esse per modum habitus inhærentis*. ita communiter cum D. Th. 1. *par. q. 12. ar. 2.* & 5. contra *in 2. dist. 14. qu. 2.* qui vult esse per modum actus transeuntis, seu auxilij extrinseci. Probatur Concilium definiens, nos indigere lumine, sumpsit lumen in ea significatione, in qua sumebatur à Theologis, & duo reijcit, nempe quod beatitudo sit connaturalis, definiens esse supernaturalem: atque adeò nos indigere auxilio supernaturali. Alterum, quod indigeamus lumine gloriæ ad visionem: vnde cum in hoc definiat aliquid diuersum debet intelligere de lumine habituali quia iam definierat necessitatem auxilij. Confir. creatura rationalis ele-

uatur ad alios actus ſupernaturales per habitus,ter infectos, vt eſt de fide ex Trid. *ſeſſ.6.* can. 11. ergo etiam ad Dei viſionem.

3 Obijcit Durand. poſito. Hoc lumine intellectus adhuc infinitè diſtat à Deo. Ergo ſi anteà non erat proportionatus,nec erit per lumen. Reſp. diſtare infinitè in ratione entis, non verò in ratione cognoſcitiui in ordine ad obiectum,vt motiuum;nam finito modo mouet. Vnde quia lumen eleuat ad ſtatum ſupernaturalem, & dat vires cognoſcitiuos obiecti, ideò ponit debitam proportionem.

Quomodo lumen gloriæ concurrat ad viſionem Beatam.

SECTIO II.

4 SVpponendum eſt contra Mayronum *in 3. diſt. 12. q. 2.* Baſſolis *diſt. 14. qu. 1. art. 1.* Non eſſe ſolum ornamentum animæ:habetur enim ex Concil. Viennenſi, eſſe neceſſarium ob indigentiam intellectus, vnde non eſt purum ornamentum, ſolum difficultas eſt, quomodo concurrat.

5 Prima ſententia ait, concurrere, vt diſpoſitionem in genere cauſæ materialis. ita Aegid. quod *lib. 3. q. 18.* Richar. *in 4. diſt. 4. art. 3. q. 1.* Palud. *q. 1. art. 3.* Maior. *q. 4.* Probatur lumen generale non eſt quid vitale ergo non poteſt concurrere effectiuè ad actum vitalem.

6 Secunda ſententia aſſerit, concurrere effectiuè, ita Scotus *in 3. diſt. 4. q. 2. ar. 2.* & *in 4. diſt. 49. q. 11. concl. 1.* Durand. *q. 2.* Argentin. *quæſ. 2. art. 1.* Capreol. *q. 4. art. 3.* Ferrar. *3. cont. ſent. c. 54.* Suarez *lib. 2. de Deo vno. c. 15.* Vaſquez *1. par. diſp. 43. cap. 2.* & alij.

7 Dico primò. ***Lumen gloriæ concurrit effectiuè ad viſionem beatam.*** Probatur intellectus non habet vires intrinſecè proportionatas viſioni beatæ. Ergo lumen perficit intellectum in genere efficientis, atq; adeò concurrit effectiuè. Ant. patet ex Concil. Viennen. vbi definitur, quod intellectus indiget lumine, & eleuatione, quia de ſe non eſt ſufficiens. Confir. Omnis potentia vitalis poteſt recipere actum, quem elicit, cum ſit eſſentialiter immanens. Ergo ſi intellectus non indigeret lumine in ratione efficientis, nec etiam indigeret in genere materiali.

8 Dico ſecundò, ***lumen gloriæ eſt etiam neceſſarium ad recipiendam viſionem beatam,*** ita vt compleat in ratione receptiui. ita Caietanus *1. par. q. 12. art. 4.* Bannes, Zumel, Gonzalez, *ibidem*, & communiter Thomiſtæ cōtra Scotum *in 4. diſt. 49. q. 15.* & cæteros Scotiſtas. Probatur viſio beata eſt eſſentialiter actus vitalis immanēs. Ergo ex vi ſuæ productionis debet recipi in principio adæquato, à quo producitur, aut hoc ſit de ratione actus vitalis immanentis.

9 Dices hoc non eſſe neceſſarium:quia quando potentia completur in ratione actiui, non completur etiam in ratione receptiui, vt patet in complemento habituum naturalium. Contra. Ideò habitus naturalis non complent potentias in ratione receptiui, quia ſupponat completam etiam in ratione effectiui, non ſolum tribuunt facilè operari. Ergo cum habitus ſupernaturalis compleant potentiam in ratione actiui, complebunt etiam in ratione receptiui.

10 Ob. Habitus poteſt recipi in ſola potentia. Ergo etiam actus. Reſpondetur negādo conſ. Quia habitus eſt complementum ſolius potentiæ, actus verò totius coniuncti Inſt. ſequeretur, quod lumen gloriæ fieret videns. Reſp. neg. ſequel. quia lumen gloriæ non eſt cauſa adæquata, ſed tantum illud coniunctum: denominatio autem totius non poteſt tribui parti, quando fundatur in toto. Ad fundamentum in oppoſitum patebit ex dicendis.

An lumen gloriæ concurrat ad vitalitatem actus.

SECTIO III.

11 PRima ſententia aſſerit intellectum cōcurrere ad vitalitatem actus lumen verò gloriæ non ad vitalitatem, ſed ad ſupernaturalitatem: ita plures recentiores. Prob. Quando plures cauſæ concurrunt ad eundem effectum, non poteſt vna concurrere ad illam rationem, quam in ſe non continet. Ergo cum lumen non contineat vitalitatem, nec intellectus ſupernaturalitatem non concurrent ad hanc rationem.

12 Secunda ſententia aſſerit, viſionem beatam etiam quoad vitalitatem eſſe à lumine. ita Vaſquez *1. par. diſp. 43. cap. 6.* Faſol. *quæſt. 12. art. 2. dub. 9.* Machin. *diſp. 16. ſect. 2.* & alij.

13 Dico primò. ***Lumen gloriæ non poteſt concurrere ad viſionem, niſi etiam concurrat ad ipſius vitalitatem.*** Prob. Intellectus non eſt cauſa completa ad operandum vitali modo in ordine ad viſionem. Ergo lumen concurrit ad vitalitatem, quia complet in ordine ad operandum vitali modo. Confir. Lumen gloriæ concurrit ad entitatem actus phyſico modo, ergo cum attingat entitatem, attingit etiam vitalitatem, quia tota entitas eſt vitalis, & formalitates non attinguntur per ſe primò, ſed ratione entitatis.

14 Dices intellectum habere vim ſufficientem in ordine ad vitalitatem. Contra. Vitalitas viſionis beatæ eſt talis vitalitas ſpecificata à tali obiecto, ſi quidem ipſum recipit, vt vitali modo attingibilis. Ergo ſicuti intellectus non habet proportionem cum tali obiecto; ita neque etiam cum tali vitalitate, quæ dicit ordinem intrinſecum ad tale obiectum.

15 Dico ſecundò. ***Lumen gloriæ eſt quid vitale ſupernaturale, ità vt ſit complementum vitale intellectus.*** Probatur lumen gloriæ eſt actus primus proportionatus viſioni beatæ. Ergo eſt aliquid vitale. Conſequen. probatur. Viſio beata, vt eſt manifeſtatiua, eſt vitalis, & vitali modo ſe habet ſecundum ſuam vltimam rationem. Ergo principium proportionatum ipſius debet eſſe vitale. Confirmatur. Viſio beata vt talis facit viuere vita accidentali. Ergo vt talis debet eſſe à principio quod ſit in genere vitæ.

16 Dices. Species impreſſæ concurrunt ad actum vitalem, & tamen non ſunt quid vitale. Ergo. Reſpond. concurrere vt determinatiuas; non autem vt virtutem intellectiuam, & ideò ſufficit, ſi ſint ſemen obiecti, quod poſſit viuificari virtute potentiæ vitalis.

17 Dices ſecundò. Lumen gloriæ non eſt à principio vitali gratia non eſt vitale. Reſpond. neg. conſequent. Quia non requiritur, vt aliquid ſit vitale per modum actus, primi quod ſit à principio vitæ, ſed ſolum, vt ſit vitale per modum actus. Ad fundamentum primæ ſententiæ patet ex dictis.

An lumen gloriæ habeat rationem ſpeciei.

SECTIO IV.

18 PRima ſententia eſt affirmatiua. ita Vaſquez *1. p. diſp. 43. c. 6.* Miling. *de Deo vno diſp. 6. nu. 69.* Turrian. *opuſc. de lumine gloriæ diſp. 1. dub. 6.* Prob. lumen eſt qualitas expreſſiua notitiæ intuitiuæ diuinæ eſſentiæ. Hoc autem non eſt aliud, quàm eſſe ſpeciem impreſſam. Ergo 2. lumen gloriæ non poteſt eleuare potentiam in ratione potentiæ. Ergo eleuat vt ſpecies. Antec. probatur potentia non poteſt eleuari per nouum gradum, cum non ſit capax intenſionis; & quia non poteſt dari potentia creata ſupernaturalis, quæ habeat proportionem cum obiecto ſupernaturali. Ergo.

19 Secunda ſententia eſt negatiua. ita Caiet. *1. par. qu. 12. ar. 5.* Ferrar. *4. Cont. Gent. c. 53.* Suarez *lib. 2. de Deo vno. c. 15.* Machin. *1. par. q. 12. diſp. 16. ſect. 3.* Lorca *1. 2. diſp. 3. de beatit.* & alij.

20 Di-

20 Dicendum est. *Lumen gloriæ non esse speciem impressam, sed complere in ratione potentiæ*. Probatur. Species non est lumen, nec eleuat potentiam, sed tantum determinat supponens vires proportionatas in ratione potentiæ, vt patet in speciebus naturalibus omnium potentiarum; lumen vero gloriæ eleuat potentiam tribuens vires sufficientes, vt definit Concilium Viennen. Ergo. Confir. si intellectus indigeret solum specie, & in ratione potentiæ esset commensuratus, Deus esset naturaliter visibilis, & species esset illi debita; hoc autem est falsum. Ergo seq. prob. quia species est debita potentiæ, quæ in ratione potentiæ habet sufficientes vires; & potentia potest naturaliter attingere obiectum, cum quo proportionatur. Ergo.

21 Ad primum distinguitur maior. Lumen est expressiuum notitiæ intuitiuæ per modum potentiæ; non verò per modum determinatiui; & ideo non habet rationem speciei, quæ solum concurrit ad expressionem determinando potentiam. Ad secundum neg. anteced. Ad primam probationem. Non complere potentiam intensiuo modo: sed superaddendo virtutem altioris ordinis. Ad secundum lumen gloriæ non esse totalem potentiam; sed complementum potentiæ: & ideò non datur potentia supernaturalis proportionata obiecto supernaturali.

Ad lumen gloriæ concurrat ad visionem Beatam in genere causæ principalis.

SECTIO V.

22 Dicendum est. *Concurrere vt complementum in genere causæ principalis.* Ita Bannes 1. p. *quæst.* 12. *art.* 5. *dub.* 2. Zumel *disput.* 2. Vasquez *disp.* 47. *nu.* 35. Machin. *disp.* 16. *sect.* 1. Gonzalez *disp.* 27. *sect.* 2. contra Suarez *in Metaph. disput.* 30. *sect.* 2. Fasol. 1. *par. q.* 12. *ar.* 5. *dub.* 8. & alios recentiores, qui volunt concurrere, vt instrumentum. Probatur. Lumen gloriæ habet intrinsecam virtutem ordinatam ad repræsentandũ Deũ, alioquin non eleuaret intellectum, nec poneret debitam proportionem. Ergo est causa principalis, cum dicat ordinem ad Deum, vt visibilem, atque adeò specificatur ab ipso. Conf. prob. virtus commensurata actui, & specificata ab obiecto formali se habet in genere causæ principalis. Ergo.

23 Ob. visio beata non continetur in lumine gloriæ, quia cum concurrat in genere potentiali, non habet proportionem cum obiecto, vt repræsentabili. Resp. neg. anteced. Quia licet in se sit actus purus, est tamen repræsentabile potentiali modo: vnde etiam mouet ad repræsentationem potentialem, quæ contineri potest in causa potentiali.

An lumen gloriæ sit necessarium de Potentia absoluta.

SECTIO VI.

24 PRima sententia asserit, non esse necessarium per modum habitus, sed sufficere per modũ actualis concursus. Ita Scotus *in* 3. *disp.* 14. *qu.* 2. Bassolis *q.* 1. *ar.* 1. Maior. *qu.* 4. Vasquez 1. *par. disp.* 46. *cap.* 2. Amicus *disp.* 9. *sect.* 12. Molina *q.* 12. *ar.* 5. *disput.* 1. Fasol. *dub.* 12. Valen. *Pun.* 3. Suar. *lib.* 2. *de Deo vno. cap.* 16. Prob. lumẽ gloriæ operatur vt virtus Dei. Ergo potest Deus per seipsum facere, quod facit per lumen, quia potest facere per se ipsum, quod facit per causam secundam. 2. Antequam peccatori iustificetur, actus fidei, spei, & Charitatis fiunt absque habitu per solum auxilium extrinsecũ. Ergo etiam visio beata.

25 Secunda sententia vult semper esse necessarium lumen gloriæ per modum habitus. Ita Capreol. *in* 4. *dist.* 49. *art.* 4. *in fine*. Sot. *q.* 2. *art.* 4. Soncinas *corub.* 2. Ferrar. 3. *contra Gent. cap.* 14. *ad* 4. Bannes 1. *par. q.* 12. *ar.* 5. *dub.* 3. Zumel *ibidem*. Nauaret. *controuer.* 39. Nugnus 3. *par. q.* 64. *ar.* 6. *q.* 2. Salmaticenses *par.* 1. *trac.* 2. *disp.* 4. *dub.* 4. & alij.

26 Notandum est. In actu cognoscitiuo tria considerari. Primum productionem verbi, quod est quædam repræsentatio intentionalis obiecti. Secũdum modum productionis, quod videlicet fiat vitali modo, pro quo est necessarium, quod intellectus fœcundetur, & ratione huius fœcundationis exprimat manifestationem obiecti. Tertium perceptionem obiecti, quæ in eo cõsistit, quod mens informetur Verbo, & per conatum vitalem se conuertat in obiectum; hic autem conatus est quædam operatio, qua mens attendit circa obiectum: ex quo fit, quod mens, & verbum debent inuicem proportionari non solum in ratione formæ, & subiecti, sed etiam in ratione perceptiui, & repręsentatiui. Hęc autem propositio in eo consistit, quod mens dicat proportionaliter in ratione perceptiui, quod dicit verbum in ratione manifestatiui.

27 Dicendum est. *Visionem beatam non posse esse ab intellectu sine lumine gloriæ inhærente.* Prob. Visio non potest produci vitali modo ab intellectu, nisi habeat lumen glorię inhętens. Ergo implicat, quod intellectus fiat videns per visionem beatam productã ab extrinseco auxilio. Conf. probatur. Quia implicat intellectum videre, & non se habere vitali modo in productione visioni. Antec. prob. Vt producat vitali modo, debet fœcundari in ordine ad quam: non potest autem fœcundari, nisi habeat in se lumen glorię. Ergo min. prob. Non est fæcundabilis, nisi habeat virtutem proportionatam fœcundationi, ita vt possit ea vti, atque adeo nisi sit in eodem ordine cum fœcundatione; hoc autem non potest saluari, nisi habeat lumen glorię sibi inhęrens. Confir. potentia cognoscitiua nõ potest plus percipere, quàm possit producere per vires sibi intrinsecas. Ergo si intellectus non habet vires sibi intrinsecas ad producendam visionem beatam, nec etiam habebit vim perceptiuam: cum sit eadem virtus perceptiua, & productiua. Anteced. probatur. Quia est tantum perceptiua ex vi manifestationis, quam sibi causat vitali modo.

28 Ad primum distinguit. conseq. Deus potest per se ipsum facere, quod facit per lumen glorię quòad productionem entitatis: non autem quòad modum producendi: vnde non potest producere vitali modo verbum, nec exercere illum vitalem conatum, quo intellectus ex vi luminis sibi inhęrentis percipit obiectum. Ad secundum neg. conseq. Quia est dispar ratio. Nam illi actus, licet supernaturales, eliciuntur sub mensura naturali: vnde intellectus elicit actum fidei per species rerum sensibiliũ, & circa obiectum propositum modo sensibili. Et ideò potentia habet debitam cõmensurationem cum his actibus: quod non contingit in visione beata, per quam Deus attingitur immediate in se ipso, atque adeò sub mensura improportionata modo tendendi naturali intellectus. Deinde neque isti actus eliciuntur sine auxilio intrinsecè inhęrente.

29 Inst. sequeretur, voluntatem non posse elicere actũ Charitatis intensiorem, quàm sit habitus, atque adeo non posse mereri augumentum habitus. Respond. negan. sequel. Quia non habitus supernaturalis se habeat per modum potentię potest magis, & minus intensè operari, prout applicatur cum maiori, vel minori contra vitali. Deinde vt actus mereatur augumentum, non est necesse, quod sit intensior habitu, vt dictum est, in materia de merito.

An intellectus concurrat affectiuè ad visionem Beatam.

SECTIO VII.

30 PRima sententia negat concurrere actiuè, sed lumen gloriæ esse totam rationem agendi. Ita Sotus *in 4.dist.49.quæst.2.ar.*8.Ocham.*in 1. distin.1. quæst.2.* Gabr.*quæst.2.artic.*, Palu.*in 4.dist.49.qu.5.artic.2.*Aluar.*7.de auxil. disp.64.* Prob. Intellectus est potentia naturalis. Ergo non potest influere in actum supernaturalem.

31 Secunda sententia asserit, concurrere per potentiam obedientialem. Ita Suarez.*in Metaph dispu.30.sect.*11.Fasol.*1.par.qu.12. art.6. dub.6.* Nauar. *controuer.*42.§. 3. & alij Recentiores. Prob Intellectus est inferioris virtutis, quam sit visio beata, & concurrit vt eleuatus. Ergo per potentiam obedientialem.

32 Tertia sententia asserit concurrere actiuè per suam potentiam, & virtutem naturalem. Ita Scotus *in 4.dist.50. qu.4.5 & 6.*Richard.*art.2.qu.3.*Maior.*qu.12.art.5.dub.3.* Vasquez *disp.43.cap.4.*& alii.

33 Dico primo. *Intellectus concurrit actiuè ad visionem beatam* Prob. Si solum lumen influeret, intellectus non perficeretur, vt intellectus est per visionem beatam, cum non possit perfici vitali modo, nisi per propriam operationem. Rursus non eleuaretur per lumen, quod est contra definitionem Conc. Viennensis.

34 Dico secundo. *Intellectus non concurrit, ad visionem beatam per potentiam obedientialem, sed per naturalem* Prob. Potentia concurrit per suam vim naturalem, quando concurrit per vires proprij generis. Intellectus autem concurrit ad visionem beatam per vires proprij generis. Tum quia manifestatio obiecti ex genere suo dicit ordinem ad intellectum, vt intellectus est.

35 Dico tertiò. *Intellectus non concurrit, vt instrumentum, sed in genere causę principalis.* Probat. In tantum se haberet, vt instrumentum, in quãtum actus est supernaturalis. Sed hoc est falsum. Ergo min. prob. Voluntas in via concurrit effectiuè, vt causa principalis ad actus supernaturales. Vnde Trid.*sess.6.can* 4.definit, quod Deus cooperatur libero arbitrio, & quod liberum arbitrium libero modo se mouet, atq. adeo est causa principalis, quia causa principalis non cooperatur instrumento, cum cooperatio sit operatio in eodem genere. Rursus instrumentum agit tantum vt motum, non autem se mouet, nec agit propter finem propriũ, sed propter finem causæ principalis, quod est contra rationem liberi arbitrij. Ergo potentia naturalis non est instrumentum respectu actus supernaturalis. Confir. Visio beata est intra specificationem intellectus, & est ab ipso vt actus vitalis a potentia vitali. Actus autem qui est intra specificationem potentiæ, vt causæ vitalis, dependet ab ipsa, vt a causa principali.

36 Ad fundam. primæ senten. neg. conseq. Quia potentia naturalis habeat inchoatam virtutem ad actus supernaturales, quæ sunt intra propriam specificationem, & ideo, si compleatur potest ad ipsos concurrere.

37 Ad fundamentum secundæ senten. neg. conseq. Nam solum sequitur, quod intellectus sit causa incompleta, non autem, quod non sit quædam inchoatio in genere causæ principalis, quæ possit eleuari per complementum supernaturale.

An intellectus concurrat vt causa partialis.

SECTIO VIII.

38 DIcendum est. *Intellectum, atque adeo lumen gloriæ non esse propriè causas partiales, sed intellectum esse causam totalem incompletam, & lumen complementum in genere totalitatis: ita vt interueniat quędam subordinatio duarum totalitatum, quarum vna perficiat alteram.* Est contra Molinã *1.p.q.12. artic.5. disp.* 8. & eos, qui tenent, lumen gloriæ non concurrere ad vitalitatem actus. Prob. Intellectus in genere potentiæ visiuę est causa totalis, alioquin non posset, vt causa totalis, cõcurrere ad alios actus, & lumen glorię adæquat visionem beatam, vt talis est, cum ponat totam proportionem ad ipsam. Ergo sunt causę totales modo explicato. Consequentia probatur. Intellectus concurrit in genere intellectiuo, vt intellectus est. Ergo vt causa totalis in tali genere. Rursus lumen concurrit vt ponens totam proportionem. Ergo in genere causę totalis.

39 Ob. Tunc aliquæ causæ sunt partiales, quando singulis aliquid correspondet in effectu, in visione autem beata aliquid correspondet intellectui, & aliquid lumini. Ergo. Resp. neg. min. Nam tota visio correspõdet indiuisibiliter toti coniuncto, quia cũ entitas sit indiuisibilis, non potest influxus intellectus aliquid tantum attingere, & non aliud sicuti etiam influxus luminis.

40 Quæres. An visio beata sit connaturalis intellectui informato lumine gloriæ. Resp affirmatiuè cum Capr.*in 4.dist.49.q.4.art.3.ad 3.*Duran. Caiet.*1.p.q.12.art.5.* Ban. *dub.2.ad 3.*Cumel.*disp.2.dub.vlt.*Scot.*in 1.dist.57. & in 3. dist.14.q.1.*contra Molinam *1.p.q.12.art.1.disp.1.ad 3.Scoti.* Ratio est. Quia visio beata non est supra vires intellectus, vt stat sub lumine gloriæ.

An ex sola inæqualitate intellectus oriatur inæqualitas visionis.

SECTIO IX.

41 SEnsus est. An quis habens æquale lumen gloriæ, sed perfectiorem intellectum, possit melius Deũ videre, atque adeo etiam frui.

Prima sententia est affirmatiua. Ita Scot. *in 4. distin. 50.q.6.*Dur.*in 3.dist.15.q.1.nu.7.*Palud.*art.1.*Molin.*1.par. qu.12.art.6.disp* 2.Smising.*trac.2.de Deo vno disp.6.num.* 134.& alii præsertim ex Scotistis. Prob. Intellectus concurrit ad visionem vt causa partialis. Causa autem partialis, quo perfectior est, producit effectum totale perfectiorem. 2. Perfectior potentia visiua cum ęquali specie visibili, melius videt, vt patet in Aquila, ergo.

42 Secunda sententia est negatiua. Ita D.Tho. *1.p.q.12. ar.6.* Bannes *ibid.*Cumel.*disp.1.*Nazar.*controuer.1.*Nauarret. *controu.22.* Palat. *in 4.dist.4.dist.49. disp.1.* Sotus *q.3. ar.2.*Argen.*q.2.art.3.*Lorca *1.2.disp.3.de Beat.* Vasq. *disp. 47.cap.6.*Arrubal.*disp.22.*& alii.

43 Dicendum est. *Supposito, quod vnus intellectus sit perfectior altero intra eandem speciem, non potest cum æquali lumine producere perfectiorem visionem.* Probat. Intellectus efficit visionem beatam, vt eleuatus, vt definitum est in Concil. Viennensi. Ergo non potest cum æquali lumine efficere perfectiorem visionem, quia cum efficiat, vt eleuatus, efficit secundum mensuram eleuationis. Confir. Lumen dat potentiam operandi, ita vt intellectus sine lumine non possit. Ergo lumen erit mensura operandi, alioquin intellectus potius eleuaret lumen, quam e contra.

44 Dices, visionem posse esse perfectiorẽ ex maiori perfectione intellectus, non quia talis perfectio excedat intensionem luminis, sed quia intellectus imperfectior impedit lumen, ne operetur secundum totam suam actiuitatem. Contra. Intellectus subiicitur lumini, & agit prout ab ipso eleuatur. Ergo nequit impedire actiuitatem luminis.

45 Ad primum disting. min. Causa partialis perfectior producit effectum totalem perfectiorem, si sit homogenea: secus autem si est herogenea. Deinde intellectus non est causa partialis, vt dictum est, & lumen non supponit, sed dat proportionem intellectui respectu visioni beatæ: & ideo non potest intellectus operari, nisi secundum proportionem, quam accipit. Ad 2. neg. cõseq. Nam est dispar ratio, quia species potentiam proportionatam, non autem lumen.

DE RECTITVDINE voluntatis Beatorum.

DISPVTATIO CXXI.

Quomodo se habeat rectitudo voluntatis ad Beatitudinem.

SECTIO I.

1 SVpponendum est contra Origenem. Beatos esse omnino impeccabiles, vt est de fide Apoc. 14. *Sine macula enim sunt ante Thronum Dei.* Et ratio est. Quia sunt perfectissimè vniti cum vltimo fine; atq; adeo non possunt deficere, cum in ipso reperiant omnem rationem boni, atque adeò non habeant motiuum, ratione cuius possint vllo modo ab ipso separari. Difficultas autem est, vnde oriatur talis impeccabilitas. Prima sententia asserit oriri ex prouidentia Dei extrinseca nolentis concurrere ad actum peccati. Ita Scotus *in* 1 *dist.* 4. *q.* 4. Ocham *q.* 1. Gabr. *ibidem*. Arimin. *in* 2. *dist.* 7. *q.* 2. *art.* 2. & alij. Probant: in Beatis remanet liberum arbitrium flexibile ad vtrunque. Et voluntas non determinatur ab amore Dei. Ergo remanet potentia ad peccandum. Confir. etiam si voluntas determinaretur ad Dei amorem, peccatum veniale esset compossibile cum hac determinatione, cum non repugnet Charitati. Ergo. Secundò: Posset Deus imponere Beatis præceptum circa obiecta creata; tunc autem essent liberi ad exequendũ, vel non exequendum Ergo.

2 Secunda sententia asserit esse impeccabiles ex vi Beatitudinis. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 4. *art.* 4. Caiet. Medina *ibidem* Aluar. *disp.* 31. Montes *disp.* 6. *q.* 7. §. 2. Duran. *in* 2. *dist.* 22. *q.* 1. & alij.

3 Dicendum est. *Beatos esse impeccabiles ex vi Beatitudinis.* Prob. Beatitudo satiat adæquatè appetitum. Ergo reddit impeccabilem. Conf prob. Non potest voluntas peccare, nisi prosequendo obiectum, cui sit annexa aliqua turpitudo. Ergo cum Beatitudo satiet adæquate appetitum, atque adeo non relinquat desiderium alterius boni, quod sit extra summum bonum, faciet quod voluntas non possit prosequi obiectum peccaminosum.

4 Ad primam neg. ant. Quia licet in Beatis remaneat liberum arbitrium, non tamen remanet potentia peccandi, cum non pertineat ad ipsum formaliter, vt dictum est suo loco. Deinde voluntas beata non habet aliud motiuum operandi, nisi summum bonum, hoc autem non potest mouere ad peccandum. Ad Conf. neg. assump. Ad prob. Peccatum veniale non repugnari Charitati in via, repugnare tamen in patria, quia tunc Charitas est perfecta, & dirigit omnes actiones. Ad 2. neg. min. Nam Beati non possent transgredi tale præceptum, cum non habeant motiuum trãsgrediẽdi, siquidẽ omnia faciũt ex motione vltimi finis.

An impeccabilitas proueniat ex vi visionis præcisè.

SECTIO II.

1 PRima sententia est negatiua. Ita Capr. *in* 1. *dist.* 1. *q.* 1. *concl.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 49. *q.* 3. *art.* 4. Medina 1. 2. *q.* 4. *art.* 4. & alij. Prob. Antequam Beatus promat actum amoris, voluntas in illo priori est indifferens defectibiliter. Ergo potest peccare. Secundò. Visio non reddit volũtatem immutabilem. Ergo nec impeccabilem. Tertiò. Voluntas potest sequi propositionem minus efficacem obiecti creati non obstante visione. Ergo potest peccare.

6 Secunda sententia est affirmatiua. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 4. *art.* 4. Caiet. *ibidem*. Monte *disp.* 6. *q.* 7. Lorca *disp.* 24. *de Beatitudine Memb.* 2. & alij.

7 Dicendum est. *Ex vi visionis præcisè prouenire impeccabilitatem.* Prob. Implicat clara visio summæ veritatis cũ aliquo errore circa primam veritatem. Ergo etiam cum peccato. Conseq. prob. voluntas nequit peccare, nisi intellectus hic, & nunc iudicet, vel formaliter, vel virtualiter bonum commutabile esse præferendum bono incommutabili, non potest autem habere hoc iudicium stante visione beata, cum sit iudicium errans circa primam veritatem, vel formaliter, vel virtualiter.

8 Dices. Potest Deus non concurrere ad considerationẽ turpitudinis, quæ est in obiecto, & tunc poterit peccare. Contra. Si non concurrat, voluntas non fertur in obiectum cognitum vt turpe. Ergo non peccat, quia ad peccatum requiritur cognitio turpitudinis. Deinde vel præfert bonum commutabile bono incommutabili, vel nõ. Si primum: Ergo habet errorem circa primam veritatem, si secundum. Ergo non peccat.

9 Dices secundo, Deum posse eleuare hominem actualiter peccantem ad visionem beatam. Contra. Eo ipso, quo eleuatur, intellectus iudicat, sicut debet iudicare, de summo bono, Ergo destruitur peccatum, quia destruitur iudicium, in quo fundatur.

10 Ad primum neg. antec. Quia voluntas in illo priori non est indifferens in ordine ad peccandum, talis enim indifferentia fundatur in defectibilitate, quæ excluditur ex vi visionis: cum non possit voluntas deficere, nisi ratione iudicij practici deficientis. Ad 2. dist. ant. visio non reddit voluntatem immutabilem formaliter, reddit tamen immutabilem radicaliter respectu summi boni, quia tollit radicem, vnde prouenit defectibilitas. Ad 3. neg. ant. Quia voluntas non habet propositionem minus efficacem, quæ possit fundare peccatum, quia ex vi visionis omnia proponuntur cum debita subordinatione respectu vltimi finis.

An sola visio excludat peccatum habituale.

SECTIO III.

11 PRima sententia est negatiua. Ita Salas 1. 2. *tract.* 2. *disp.* 7. *sec.* 9. Lorca *disp.* 24. *de beat. Mem.* 3. Suarez *disp.* 10. *de Beatitudine sect.* 1. Vadingus *disp* 8. *de Incarn. dub.* 2. Prob. peccatum habituale cõsistit in priuatione gratiæ, hæc autem non excluditur ex vi visionis.

12 Secunda sententia est affirmatiua. Ita Montesin. 1. 2. *disp.* 6. *q.* 7. §. 4.

13 Dicendum est. *Ex vi solius visionis excludi peccatum habituale.* Prob. Gratia est debita ex natura rei habenti visionem. Ergo videns Deum non potest habere peccatum habituale ex vi visionis. Ant. patet. Quia vbi ponitur aliqua forma, ibi ponitur etiam secũdum exigentiam fundamentum talis formæ. Fundamentum autem visionis est gratia habitualis. Conseq. prob. Posita visione fit debita ipsa gratia. Ergo visio ex se præcisè excludit peccatum habituale, quia excludit repugnantiam ad gratiam, & ponit exigentiam ipsius, quæ non potest stare cum peccato habituali, quia non potest esse debita gratia illi, qui est inimicus Dei.

14 Ad fundam. in oppos resp. Peccatum habituale consistere in priuatione gratiæ non physica, sed morali, quatenus consequitur ex incapacitate morali dependente a demerito: in eo autem, qui videret Deum, priuatio gratiæ se haberet tantum physico modo, atque adeò non haberet rationem peccati, quia esset priuatio contra exigentias subiecti. Hæc autem omnia, quæ hucusque dicta sunt. S. R. Ecclesiæ censuræ subiecta esse profiteor, & si quid minus recte dictum sit, libentissime retracto.



FINIS.

INDEX



INDEX
RERVM NOTABILIVM
Ad ſacram moralem Doctrinam de ſtatu hominis ſupernaturali.

Act.

INDEX RERVM.

Amicitia.

Amor.

Vide, Charitas.

Amor Dei.

Anima.

Animus.

Apparitio.

Appetitus.

Vide. Voluntas.

Appetitus actus.

Appetitus subiectio,& rebellio.

INDEX RERVM.

B

Baptiſmus.

Beatitudo.

Beatus.

Bellum.

Beneficium.

Bonitas.

Bonitas, & malitia.

Vide. Malitia.

Bonum.

Bruta.

Bru-

Cen-

INDEX RERVM.

Censura.

Certitudo.

Character.

Charitas.

Vide. Amor.

Charitas Theologica.

Charitas quò ad iustificationem.

Christus.

Cibus.

Circuncisio.

Circunstantiae.

Circun-

Conclusio.

Concupiscentia.

Conditionalis.

Conditio.

Condonatio.

Confessarius.

Vide Sacramenti pœnitentiæ minister.

Confessio Sacramentalis.

Confessionis integritas.

Peni-

Confessio Sacramentalis quo ad sufficientiam.

Confessio per interpretem.

Confessio publica.

Confessionis præceptum.

Confirmatio.

Conscientia.

Conscientia Certa.

Conſcientia probabilis.

Conſcientia dubia.

Conſcientia erronea.

Conſcientia ſcrupuloſa.

Conſcientiæ perplexitas.

Conſecratio Euchariſtica.

Vide Euchariſtia, Sacramentum Euchariſtiæ.

Conſecrationis verba.

Pro

Consensus.

Consilium.

Consuetudo.

Consultatio.

Contraria.

Contritio.

Conuersio.

Dam-

D

Damnatus.

Debitum.

Decretum.

Defectus.

Degradatus.

Delectatio.

Denunciatio.

Desiderium.

Determinatio.

Detestatio.

Detestabilitas.

Deus.

Dei veracitas.

Diaconus.

Dictamen.

Dictio.

Dies Festus.

Dilectio Dei.

Diligere.

Discernere.

Discursus.

Dispensans.

Dispensare.

Dispensatio.

Dispositio.

Dispositio ad gratiam.

Dolor.

Dominium.

Donum.

Dubium.

Duratio.

E

Ecclesia.

Ecclesiasticus.

Eductio.

Aequalitas.

Effectus.

Electio.

Epichia.

Episcopus.

Epistolæ.

Eruditio.

Euangelium.

Eucharistia.

Eucharistia quoad materiam.

Eucharistia quoad contenta.

Eucharistiæ necessitas.

Eucharistia quoad ministrationem.

Eucharistia quoad sumptionem.

Euchariſtiæ ſumptio quoad vtranque ſpeciem.

Euchariſtia quoad priuationem.

Euchariſtia quoad diſpoſitionem prærequiſitam.

Euchariſtia quibus miniſtranda.

Euchariſtiæ miniſter.

Euchariſtia quoad præceptum.

Euchariſtiæ effectus.

Fidei Habitus.

Fidei Actus.

Fidei obiectum.

Fidei Motiuum.

Fides quoad Iustificationem.

Fidei Regula.

Fidei Iudex.

Fieri.

Figura.

Finis.

Finis vltimus.

Fœmina.

Forma.

Fornicatio.

Fruitio.

Vide. Gaudium. Delectatio.

Furiosus.

Furtum.

G

Gaudium.

Gentes.

Gladius.

Gloria.

Græci.

Gratia.

Gratia quoad Iustificationem.

Gratia quoad productionem.

Gratia quoad augmentum.

Gratia quoad meritum.

Gratia in ordine ad peccatum.

Gratia actualis.

Iustitia.

Iustus.

L

Legatus.

Legislatiua potestas.

Vide Potestas legislatiua.

Legislator.

Lex.

Vide potestas legislatiua.

lex

Legis materia.

Legis effectus.

Lex quoad subditos.

Legis promulgatio.

Legis obligatio.

Lex quo ad exequutionem.

Legis obseruantia.

Lex quoad acceptionem.

Vide Quoad vsum.

Lex quoad non vsum.

Legis interpretatio.

Vide Interpretatio.

Legis cessatio.

Legis abrogatio.

Lex Aeterna.

Lex naturális.

Lex diuiná.

Lex humaná.

Lex canonica.

Lex ciuilis.

Ligare.

Locus.

Lotio Pedum.

Lumen Gloriæ.

Lumen Rationis.

Lutherus.

Lyturgia.

M

Malitia.

Malum.

Manducatio.

Maria.

Martyrium.

Materia.

Materia consecrationis.

Vide Consecratio.

Matrimonium.

Medium.

Membrum.

Mendacium.

Mensura.

Meritum.

Meritum de Condigno.

Meritum de Congruo.

Metropolitanus.

Metus.

Michael Baius.

Miseria.

Nego-

Operatio.

Vide opus.

Opinio.

Opus.

Vide operatio.

Oratio.

Ordo.

Ordo Ecclesiasticus.

P

Panis.

Parasceue.

Pars.

Paruulus.

Pascha.

Pastor.

Peccans.

Peccator.

Conuer-

INDEX RERVM.

Peccatum.

Peccati detestabilitas.

Peccatum originale.

Peccatum.

Omissionis et commissionis.

Peccatum mortale.

Peccatum veniale.

Peccatum habituale.

Peccati remissio.

Pelagius.

Perfectio.

Permittere.

Perseuerantia.

Persona.

Personæ diuinæ.

Petrus.

Phræneticus.

Pietas.

Pena.

Pænitentia.

Vide Sacramentum pænitentiæ.

Pœnitentiæ obiectum.

Pœnitentiæ subiectum.

Pœnitentia publica.

Polemon.

Pontifex.

Populus.

Posse.

Potentia.

Potentia cognoscitiua.

Potentia obedientialis.

Vide Creatura.

Potentia peccandi.

Potestas.

Potestas legislatiua.

Potestas Legislatiua Ecclesiastica.

Practicum.

Præceptum.

Vide Lex.

Præceptum quoad possibilitatem.

Præceptum quoad adimpletionem.

Prælatus.

Præmium.

Præsentia.

Præsumptio.

Præuaricatio.

Praxis.

Pretium.

Princeps.

Principium.

Priuilegium.

Prius.

Prohibitio. Prohibitum.

Promissio.

Promulgatio.

Vide Legis promulgatio.

Pronomen.

Propositio.

Propositio Ecclesiæ.

Propositum.

Vide Confessio. Peccati detestatio.

Protestatio.

Proximus.

Prudentia.

Puer.

Pulchritudo.

Punitio.

Q

Quantitas.

Quoties.

R

Ratio.

Vide Appetitus.

INDEX RERVM.

Ratio legis.

Reconciliatio.

Regimen.

Regnum.

Regula.

Regula S. Francisci.

Regulæ Cancellariæ.

Regulares.

Religiosus.

Reparatio.

Replicatio.

Res.

Rescriptum.

Reseruatio.

Restitutio.

Resurrectio.

Retractatio.

Reue-

Est

Sacramentum quò ad suas partes essentiales.

Sacramentum quò ad effectus.

Sacramenta veteris legis.

Sacramentum quoad institutionem.

Sacramentorum ministratio.

Sacramenti Minister.

Sacramentum Eucharistię.

Vide Eucharistia.

Sacramenti Eucharistiæ materia.

Sacra-

Sacramenti Euchariſtiæ forma.

Vide Conſecrationis verba.

Sacramenti Euchariſtiæ Miniſter.

Vide Euchariſtiæ Miniſter.

Sacramenti Euchariſtiæ effectus.

Vide Euchariſtiæ effectus.

Sacramentum matrimonij.

Vide Matrimonium.

Sacramentum pœnitentiæ.

Sacramenti pęnitentiæ materia.

Sacramenti pœnitentiæ forma.

Sacramenti pœnitentiæ miniſter.

INDEX RERVM.

Sen-

INDEX RERVM.

Spes Theologica.

Spiritus Sanctus.

Status naturæ.

Statutum.

Vide Lex.

Subditus.

Subiectio.

Subiectum.

Substantia.

Substentatio.

Superior.

Surdus.

Vide Mutus.

Suspensio.

INDEX RERVM.

Verba

INDEX RERVM.

Verba.

Verbum.

Verecundia.

Veritas.

Viaticum.

Violentum. Violentia.

Virtus.

Virtus moralis.

Visio Beata.

Vita.

Vitium

INDEX RERVM.

F I N I S.

Nemi-

Ne miretis, si plurimis erroribus scatet volumen istud. Auctoris absentia, typographorum incuria locum copiæ fuere, maiores castigatos accipe, minores indulgeas, & corrigas.

Pag.	n.	lin.	Error	Correctio
1	1	9	Est tex	Est inien
3	18	4	naturalia	necessaria
4	11	1	retrahumus	eitauimus
	32	26	Deo	a Deo
6	53	6	Balj	Balj fuisse damnatam
	56	1	bona	vna
8	7	4	Dei	veri
		6	defuit	deficit
9	85	12	alius	alterius
10	97	pen.	est	non est
11	100	10	superna-turalem	supernaturalium
	102	pen.	distet	dictet
	104	5	orationem	operationem
12	1	2	tis	sit
	12	6	57	87.
14	32	16	incipiat	Incipientis
15	34	3	primo	. Ergo
	36	pen.	gratina	gratia
	43	pen.	antece-deret	intercederet
	47	4	Is	si
16	1	3	cedendi	credendi
	4	4	actionem	attritionem
	10	14	ad Dominũ	a Domino
17	15	3	fouenti	facienti
	23	7	Affectum	Affectus
18	27	6	possunt	suat
20	57	6	esse	non esse
	59	13	si quidem	si fidem
21	66	4	constitutio-nem	contritionem
	71	7	offensa	offenso
22	83	5	tunc	potest
23	9	pen	inducit iu-stificauit il-lum	induit iustificat impium
	25	4	hominea	omnes
24	18	8	dilectionis	delectionis
25	71	pen.	destituen-te	destruente
26	41	pen.	natura	natura sua
	44	6	Caninth	Coninch
27	54	2	consistat	non consistat
29	80	2	esse	est
30	81	4	Richardus	Ricardus
	89	11	Vbi	Ibi
	94	pen	tribueret	tribueretur
		vlt.	non	nam
31	90	vlt.	consortium	per consortium
	103	4	obsolutum	obiectum
	2	11	nos	non
32	12	3	vitali parti-cipatione	vitalis participationis
	34	pen.	sit	nisi sit
33	24	31	In	in actu
34	51	4	motionem	nutionem
		24	veteris	cæteris
		29	discernerem	discernentem
		36	rectam. Ad	testamen. ad
	32	6	innaturalis	in naturali
36	10	1	oductionem	productionem
	11	5	de termino	terminus
	12	6	creatura	createtur
	14	6	communi-canti	communicari
37	9	17	fidei	fieri
	12	vlt.	per	pro
38	10	1	ex	est
	30	1	gratiam	gratia
39	2	20	vt	cum
40	in tit. sect. 2.		remo-uere	se mouere
	21	5	&	vt
	13	5	perueniant	prouenient
	14	4	abstinenti-bus, et	amentibus, &
	19	5	donatiuo	dominatiuo
41	32	1	declaratio	delectatio
42	43	3	subiectum	obiectum
		4	attenditur	attingitur
	56	pen.	an ordo	modo
43	2	4	Est	Est definitum
	5	1	heres	Genesi
	2	2	literas	litteram
	14	4	nenuequam	nequaquam
44	29	3	volontes	voluntas
	30	9	completo	completur
45	58	3	tantum	tamen
	39	2	quæ	dele
	41	4	ratione	actione
	42	7	cum	causa
	41	7	Augustinus	Augestus
46	45	1	habeaat	habeat
	52	20	liberus	libena
		pen.	veritates	veraciter
		vlt.	inuissi	inuiti
47	56	3	habeant	habeat
	53	7	est quia	est
48	65	20	asserit	esset
	66	5	quid conse-queret	quod consequitur
		6	ficti	fieri
	70	3	aliud	alium
49	88	10	mensures	mensurat
50	91	7	requiram	requiruntur
	97	4	effici	affici
51	7	6	itaq.	adeo
52	31	11	futurum	furtum
		28	sanat	satiat
53	35	12	Ipsum	ipsam
	37	1	natione	motione
	44	8	adæquatus	adequans
	45	4	eumdem.	eamdem
54	30	4	. Antecedẽs	antecedentis
	52	3	definitur	de finibus
		9	apprehen-dentur	apprehenduntur
		ibid.	sanati-uum	satiatiuum
	54	4	alteri	aut alteri
	1	2	differentia	indifferentia
55	7	7	subordinat	subordinatas
		4	habent	habeant
	8	3	determinat	determinata
	12	pen.	est	idea
	17	7	Gomeius	Corneius
56		8	Appositus	Appetitus.
	25	5	specificati-uus	specularíuus.
57	32	5	formar	format iudicia
	35	2	autem	actum
	39	2	ipsorum	ipsum
	40	2	petitur	patitur
	42	1	reddit	recedit
		2	præcedere	recedere
58	6	1	supernatu-raliter	supernaturales
59	13	pen.	cognitio	cognitione
	15	6	nam	non
60	12	13	aduerteris	aduertens
		26	potentiam	potest etiam
61	36	2	extrinseca	extrinsecum
	43	2	educitur.	reducitur
	46	2	habet	habetur
62	56	10	loquitur	sequitur
63	3	3	Maur.	Mayron.
	5	5	odire	odisse
		vlt	implicatur	implicat
65	28	6	determinet	determinaret
	31	2	præcedat	procedat
		13	Id enim im-plicat	Cum enim implicet
	14	14	volet	valet
66	3	7	cõtrariatus	contrarietas
	4	vlt.	proprium	propriam
	6	1	indetermi-natum	indeterminatam
	14	1	violentum	violentiam
67	29	pen.	contraui-terentur	contrauiteretur
		vlt.	paterentur	pateretur
	30	6	ad superna-turalem	naturalem
68	44	5	autem	aut
	47	1	contra	extra
	49	2	adeo	à Deo
	52	2	August.	Aogest.
69	57	1	Dico	Dices
		3	actus	actu
	67	2	nisi	si
	4	3	quàm	quod
70	6	vlt.	obtinere	obtineri
	11	8	inuolunta-riam ratio-nem	inuoluntaria ratione
	17	5	ignoratus	ignoratur
	20	pen.	montium	motiuum
	31	2	summi	seu
71	28	7	elicita	elicitum.
		pen.	oppositos	oppositus
	27	3	concupiscẽ-tiam	concupitum
	37	8	quod	qoid
72	48	vlt.	præoiso	præciso
	3	1	causalitatẽ	consultationem
	4	23	donum	domum
		24	satis	facis
	8	1	intellectua-lis	intellectus
73	23	2	atq.	æquè
	28	3	ergo	ergo. Resp. requiri
74	44	3	re	se
	45	vlt.	conforma-tio	cum termino
75	49	7	quo	qua
	1	3	Chilos	Philosoph.
	3	2	dicitur	dicit
	14	2	ex	est
	25	pen.	exequu-tionem	assequutionem
77	33	12	voluntatis	voluntas
	35	5	ad se quatũ	adæquatum
	38	20	nouissimum	notissimum
	39	1	Intellectio-ne	in electione
		vlt.	intentione	in intentione
	44	10	desperatio	dispar ratio
78	55	4	iudicio	dicit.
79	72	pen.	actum	actu
	75	vlt.	intimantur	intimatur
	76	4	ordinatur	ordinetur
	78	6	indigentia	Indigentiæ.
80	1	1	eligere	elicere
		3	Coninch	Conimbricens.
81	22	5	Actum	actus
82	21	1	affirmatiua	negatiua
	22	1	negatiua	affirmatiua.
	23	vlt.	adeo	adeo absq.
	21	4	ipsos	ipsas
	28	14	fessuram	festucam
83	31	1	operari	opinari
	32	4	externum	internum
84	18	4	actum	actu
		vlt.	&	vt
85	10	pen.	coniungi-tur	coniunguntur
86	28	7	sequitur cõ-sequentiam	neg. consequent.
		8	Quomodo	Quando
	31	5	elicitur	elicitus
87	34	3	aut	vt
	37	1	intra	ita
		5	solaa	solus
88	2	8	verum	actum
	23	1	elicit	eliciti
89	32	3	non	nam
90	13	3	remanent	remaneat
	17	4	, &	ex
91	23	19	1. 2.	a. per.
92	41	6	habere	causare
94	28	5	&	ex
95	39	1	constituere	consistere
	41	10	Caueriste	Laueriste
	42	1	determina-tione	denominatione
	47	pen.	quod	quid
	50	1	rei	sex
	51	6	pars antece-dens	secunda pars anteced.
96	1	pen.	Ariminẽs.	Armeni.
	3	1	transferẽdi	transfundi
	6	5	concedere-tur si depẽ-deret	secus si dependenter
	35	pen.	sequitur	loquitur
		vlt.	significat	significet
	36	2	constituere	consistere
97	29	3	voluit	noluit
	31	3	conceptio-nem	vocat conceptionem
	2	9	non	nam
98	9	3	bene	bonæ
		6	incorrupti-bilitate	corruptibilitate
	10	3	omnino o-mittuntur	animo committuntur
99	6	6	habitu	dub.
101	1	4	fidei	fides
	4	7	Marsil.	Matth.
		15	secundum	secundo
		16	mireretur	mireretur.
		17	Epistola	Epistolæ
	7	6	motionis	motiuis
102	12	6	euadit	euadit
103	1	5	mouebũtur	mouebantur
	2	1	rerum	verum
		5	merito si	mentiri
		ibid.	si	sancti
	3	4	Albiacensis	Alliacensis
		7	est	nec
		9	vij	vt
104	20	4	à	ad
	21	11	esset sciẽtia	euuset scientiam
	23	1	quod	quo
105	24	4	vt	vt sit
	2	4	proportionẽ	propositionem
		8	proportione	propositione
		9	Ecclesia	Ecclesiæ
	5	5	extraq.	vtraq.
108	11	15	extrinseco	intrinseco.
109	17	1	fides	fidei
		7	visionea	visionis
	21	1	Quod	Quod ad
	26	16	vitalis	vitaliter
110	35	5	defectis	defectu
		36	arguitur.	attingitur
	39	1	possibile	possibilem
111	41	12	enim	est
112	1	12	noxa	nota
	8	5	seruata	sancta
113	24	4	sont	Tunc
	7	1	differentia	desinitio
114	15	10	intrinsecum	intrinsecam
115	27	7	esset	est
	30	6	supernatu-ralis	supernaturales
		8	haberent	haberet
		9	volebant	volebat

Pag.	n.	lin.	Error	Correctio
116	88	3	omnino	omnino practicas
119	17	9	destinctiuè	distinctiuè
120	10	1	Verus	vnus
	14	6	& ita in	& in
		7	art.	act.
	ibid.		hæc	ex
124	8	15	vobiscum	nobiscum
	9	4	naturæ	naturæ specificare naturalem amorem, supernaturalem verò ab illa
125	2	2	actu	animæ
	12	2	suas	Tunc
126	2	9	non	tunc
	11	22	restituto	restituto ad statum
	2	10	nos	nos non
128	in tit. sect. 4		peccatū	pactum
	27	13	alia parte	alio pacto
	30	21	obsint	vt sint
		23	Ita	Ista
129	40	5	imperat	impetrat
	44	3	honestum	hæreticum
	51	5	& per operibus	& operibus
		26	remaneret	remuneret
		30	destituit	destruit
131	73	9	defunctionē	definitionem
133	3	27	cuius	actus
134	16	5	depēdētes	dependentia
136	20	2	idem	de
	35	2	voluntur	vitiatur
	38	12	Iulianum	Iulianum cap. 3.
137	40	20	Quando	Omnes
	pen.		aliud	autem
	55	4	haberet	valeret
140	77	10	propter cupiditatem	propter Deum cupiditatem
141	94	12	vocare	vacare
143	110	7	informata	infirmata
	pen.		informata	infirmata
	114	9	, dict tamen	dictamen
144	19	vlt.	verificatrix	viuificatrix
145	145	5	partim	passim
146	148	5	natiuo	motiuo.
148	3	5	vis	ius
150	17	pen.	est	&
	27	3	Gerson	Gordon.
157	31	1	subijcitur	subijciuntur
	22	4	Nego	Concedo
		5	concedo	nego
160	30	2	facere	faciens
162	3	4	vire	iure
	6	2	lib.	l.
167	1	pen.	differētia	difficultas
168	2	4	art.	act.
	3	3	inductiuè	inductione
	8	1	Spes	Ipse
	9	4	potestatem legislatiuā	potestate legislatiua
		pen.	solum	soluit
	30	3	est	&
	32	6	conclusio	Concilio
169	24	3	Oscis	Osius
170	10	2	alas	Salas
	in tit. sect.	7	naturalia	notionalia
	37	4	discernimus dist 39.	Decernimus Dist. 38.
171	43	3	Relig.	Reliq.
		3	secunda	seruanda
	60	8	motiuum	motuum
	61	3	conclus.	Concil.
173	72	2	vis	ius
175	7	vlt.	&	nec
179	6	6	immunitatis	communitatis
	22	2	attingi	adstringi
180	27	2	irritanda, & inhabilitāda	irritante, & inhabilitante
	32	5	cessantia	essentia
182	13	4	vit.	iur.
	21	5	Dicā	Duo.
	23	4	instituen	instrument.
183	36	4	rescription	rescripta
	9	1	hæresi	hæreticus
186	44	5	teneamus	tenemur
190	51	1	fieri	fieri leges
	73	6	Cap.	Cod.
	77	7	fient	fiunt
	78	vlt.	cōmunitet	communitas
194	81	2	Gla	S. Mariæ
195	7	6	Cap.	Cod.
	9	1	actus	casus
196	7	4	Commune	cum
	28	2	Iure	Scire
197	2	2	tenetur	tenemur
198	1	3	rigore	vigore
	9	4	Mariso.	Matta.
201	38	vlt.	cum	non
203	7	4	non	nam
	8	3	expositiones	expositores
		4	act. 6.	actib.
204	9	pen.	iurium	volcum
	ibid.		intrinseca	extrinseca
	20	1	in	ex
	17	1	Obijcitur	Colligitur
	23	3	facile	falsæ
	ibid.		firmatus	formatus
205	36	1	Reus	Deus
	vlt.		significat	specificat
	84	9	si	vt
201	60	9	peccati	pacti
	65	1	interna	inserta
	68	6	pacto	facto
		7	facti	facti. Ergo eos non obligat. Ergo cum non obligentur lege stante dubio facti
209	72	2	haberet	liceret
	96	vlt.	esset	erret
	100	16	re	reuera
	111	pen.	seri	seu
212	117	2	prima secūda	1. par.
	119	21	, aliquādo	aliquid
	122	1	Hulas	Halus
213	130	4	publicatas	publicitas
215	9	11	etiam	etiam nisi
	pen.		adire	ad res
	23	3	cōseruatiuè	consecratiuè
		7	Ausonium Pini	Antonin. Pium
218	22	3	6.	60.
222	23	vlt.	præferēdus	producendus
223	31	3	voluntatis	voluntarij
225	14	2	seruieris	deseruiens
	17	6	vires	vires ageret
226	18	4	Alsaceum	Alsaceolem
	19	4	Conincls	Coninch
	7	4	iritiationes	initiationes.
	6	8	annuceris	annunciens
233	7	2	Matt.	Matth.
	8	3	Thom.	Thom. contra
		13	Hic.	Io. 3. Hic
	35	4	Concil	Coninch
236	10	4	definitiuū	destructiuum
		5	astringi	attingi
237	12	5	cōtradictionem	contradictoriè
241	2	22	in	à
242	12	11	explicitum	implicitum
		pen.	sicut	nam sicut
	16	6	rigorasi	rigorosa
245	28	7	inopem	in spem
247	15	3	&	vt
	22	6	requirit	acquirit
248	33	5	aliud	alias
249	4	pen.	Peiuer	ver.
250	14	26	incapacitatē	capacitatem
252	30	30	Durandus	Durandi
	31	4	producit	perducit
255	11	6	expressa	expressum.
	17	6	Fratera Cruce	Ib. a Cruce
256	20	9	tunc	hunc
	31	13	visi	vni
258	9	9	eum	item
259	23	4	sacris	secus
		7	causetur	censetur
	18	13	conficiēdas	confitendas.
	19	21	virum	verum
	24	4	solum	dele
	28	3	sed	nam.
262	43	3	conficiēdus	confitendus
262	1	6	Ergo	Ergo nec
	5	9	Ergo	Ego
263	23	5	credidit	tradidit
264	18	3	nisi	nec
267	17	pen.	vis	ius
268	34	3	quæ	atq.
		21	vt pręsētantes	repræsentantes
	38	vlt.	Sacra	causa
	29	vlt.	sit	fit
280	54	8	versatur	vertatur
	in tit. sect	2.	tempus	terminum
284	27	4	conformio	conformitas
		5	effectui	effectum
287	25	1	verbis	vobis
	2	11	Synodus	septima Synodus
288	11	20	non	nam
289	18	4	verum	rerum
290	3	4	denominatio	denominatur
291	28	1	depositio	definitio
293	12	5	disp. 1 dub 1.	dele
	19	1	Respōdetur	Respondet
	20	4	non	Cum
	24	9	ad	dele
	25	4	subeesse	subesse
294	24	8	disp.	sect.
	29	30	substantiui	substantias
295	5	vlt.	non	dele
	20	11	interueniret fieret	interueniret actio productiua sufficeret
		15	prius	vt
	14	12	pars	fit
297	18	1	Mouelus	Moncelus
	41	3	vi	vt
	35	8	concessiuam	conuersiuam
	39	15	vnum	visum
299	51	7	subdit	subit
300	19	pen	motum	ad motum
302	2	2	solum	suum
304	13	7	Dico	Ideo
	17	2	cōnaturalis	connaturalis
	21	4	conuersione	connexione
	2	3	Corporis Christi	panis.
306	11	1	iniquitatem	vbiquitatem
307	9	8	Cant.	Cap.
	22	11	maioris	motoris
309	29	7	sunt	sunt materialia si in esse spirituali, sunt spiritualia. Quia autem esse intentionale non perficit in esse
	38	10	potest	posset
		15	motus	modus
		25	etiam	autem
310	40	1	quod	quæ
	41	8	secundum	secundò
		21	quia	quam
311	3	5	recessu	recessit
	6	pen.	Sotum	solum
312	10	1	sunt	sua
	11	pen.	quis	qua
	18	7	quæ	quia
313	18	18	essendi	essendi per se
316	4	10	fundamentum	consequentiam
	7	12	connexio	conuersio
318	6	1	Anetijsana	Ancisada
	26	2	Instabis	Quæres
320	29	20	voluit	noluit
321	37	vlt.	ad	ad pastores integ
	40	2	speciem	spem
	46	2	obstante	stante.
	48	pen.	turbas	Euchar.
322	54	7	les pedes	Cespedes
		vlt.	9.	quæst.
324	70	1	potest	petit
	71	2	ostendi	prætendi
325	72	2	dici	diu
	76	pen.	augesetur	augeretur
		27	censetur	causetur
326	3	17	oblata	ablata
331	20	23	risu	visu
333	32	4	Scrtio	Siricio
	ibid		Hioner Iuracon	Himer. Tarracon.
	33	9	materia	notoria
	35	2	negandi	necandi
	39	6	sat. 4.	sect. 4. ver.
335	10	6	obligatione	ablatione
338	37	8	suscipiendi	suspicandi
	40	25	tratia	contraria
339	44	9	reatibus	vestibus
340	2	5	disp.	disp. 9.
341	18	pen.	opinio	opinio 3.
343	10	21	opus	quæst.
	2	3	communionem	confessionem
	3	6	An	At
345	11	1	Esse	Posse
	13	13	Noscitur	Et noscitur
350	4	pen.	pure	patronat.
	14	5	id	ideo
357	41	7	attritionem	nutritionem
	44	vlt.	sit	fit
	48	6	per	dele
358	52	pen.	vt	at
	54	1	peregrina	peregrinæ
	59	19	est	est agens
360	10	3	amittat	omittat
361	15	22	Siue	Circa
	16	6	Iteretur	Vteretur
	22	5	ante quis decisa	ad quindecim dies
		14	tum	tunc
	29	15	preponit	Præposit.
	30	16	nisi	nisi innotescat, non
	31	6	adsit	cum sit
362	23	1	violent	volunt
		8	inde finite	indefinitè
	24	pen	soluto	secluso
	28	3	Monachis	Monachij
364	70	8	tenebantur	tenebuntur
		13	quia	quin
365	50	4	&	vt
	55	9	vt	&
367	69	13	sed	seu
368	11	pen.	quando	quantum
369	17	18	volitas	voluntas
370	37	1	opera	per
	42	8	per	dele
	2	7	dari	dans
	ibid.		Benignos	Beguinos
		10	tam	tamen
	3	3	contra	contra Scot.
		13	ter infectos	infusos
371	5	4	generale	gloriæ
	6	4	tent	Gent.
	8	pen.	aut	cum
	9	6	non	nam
	14	4	recipit	respicit
	17	2	gratia	ergo
372	26	13	propositio	proportio
	27	9	quam	ipsam
	29	6	non	cum